ALVEI QUINTI,
SIVE
CONCIONUM,
IN
Omnes Dominicas ab Adventu uſque ad Pentecoſten,
PARS PRIMA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO I.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.

Matth. 21. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de regia Chriſti Domini beneficentia.

§. 1. *Subditi in rege, inter alias virtutes, exigunt potiſſimum Iuſtitiam & Beneficentiam.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Rex debet ſtudere ſaluti ſubditorum; qualis fuit Chriſtus Dominus.*

§. 4. *Cur Meſſias ab Iſaia comparetur virga florida.*

§. 5. *Cur ab illo vocetur Emmanuel; à Gabriele Archangelo, Ieſus.*

§. 6. *Vt Chriſtus D. oſtenderet ſe Regem, amantem ſuos ſubditos, pro illis mori voluit.*

§. 7. *Et in Cruce, cur de illa noluerit deſcendere.*

§. 8. *Cur olim Reges Iſraelis, oleo inuncti fuerint juxta fontes, vel ſub arboribus.*

§. 9. *Explicatur verſus Iſaiæ,* Parvulus natus eſt nobis.

§. 10. *Cur Princeps vocetur, portitor, vel bajulus.*

§. 11. *Quomodo populum ſuum Rex ille levaverit immani onere.*

§. 12. *Chriſtus D. verus Gedeon. Quomodo?*

§. I. *Subditi in Rege inter alias virtutes exigunt potiſſimum, Juſtitiam & beneficentiam.*

ET multas & eximias exigunt virtutes à ſuis Principibus aut Regibus ſubditi. Potiſſimum tamen quod in iis deſiderant, eſt conjuncta cum beneficentia Juſtitia, cum Juſtitia beneficentia. Juſtitia quidem, non tantum, quia eſt *virtutum præclariſſima*, ut docet Ariſtoteles, *unicuique tribuens quod ſuum eſt*; Sed quia reliquarum eſt & mater & nutrix, ſine qua nemo, vel prudens, vel temperans, vel etiam fortis evadet. Et hac ipſa de cauſa regius Pſaltes, ſollicitus de educatione Salomonis, pſalmum ſeptuageſimum primum his verbis (quæ ardens in ſe continent ſuſpirium) exorditur; *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis* v. 1. Agnoſcens, certiſſimum eſſe (inquit Ægid. Polit l. 1. c. 9.) *quod ſine ea diſſolvuntur civitates, & non poſſunt regna ſubſiſtere.* Oſtende mihi regem, qui juſtus ſit; oſtendam ego tibi Principem, qui amatur à ſubditis. Quam ob rem non incongrue Iſaias c. 11. v. 5. vocat Juſtitiam, *Cingulum Regis*, non tantum, quod Rex illo præcinctus ſit, ſed quod eodem veluti forti funiculo ſuos ſubditos ſibi devinciat, atque conſtringat. Salomon Regum ſapientiſſimus, ob eandem cauſam Sap. c. 5. v. 19. de futuro Meſſia, veluti Rege Regum ait; *Induet pro thorace Juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum.* Sicut enim lorica ſeu thorax, majorem corporis partem, in qua veluti arce, cor & reliqua cum corde vitalia latitant, protegit, atque cuſtodit; ita Regem, qui cor regni merito appellari poteſt, protegit, defendit, communit Juſtitia. Cum Ptolemæus Rex ex inſtructore, ſive præceptore ſuo quæſiviſſet, *Quid in regno potiſſimum obſervandum?* hoc tulit reſponſum; *Juſtitiam ante omnia colere.* Et præſertim illam, quæ vindicativa dicitur, qua Princeps bonis elargitur munera, malos verò condignis afficit ſuppliciis. Protraho longius exordium. Poſt octiduum intelligemus, Chriſto Domino veluti Regi Regum, de quo textus Evangelii hodierni ait, *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus tibi venit &c.* patebit inquam non defuiſſe illi virtutem Juſtitiæ, & quidem vindicativæ; ante cujus faciem aliquando in valle Joſaphat comparebunt omnes, ut recipiat

uniſ-

Digitized by Google

unuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo, vel pœnam, vel mercedem. Chriſtus Dominus Salvator noſter eſt Rex juſtiſſimus.

Verum ſepoſita tantiſper juſtitia, de Regia ejus beneficentia, ſive, regio erga ſubditos amore tractabit hæc Concio, ut enim Rex ab illis ametur, ſuis debet eſſe Princeps, non ſibi: quod citatum meum thema inſinuat, dum ait: *Ecce Rex tuus venit tibi*; non ſibi, id eſt, ut Abulenſis ait; *ad tuam, non ad ſuam utilitatem*: Sic ut optime dixerit Hildebertus; Regia manus melius donativo, quam ſceptro ſplendicat. Oſtendam hac Concione Chriſtum Dominum Salvatorem noſtrum fuiſſe, atque etiamnum eſſe talem regem, ut in illum ſacro hoc tempore Adventus, cui hodie initium facimus, ferventior quam hactenus noſter affectus rapiatur. §.2. *Propoſitio.*

Secundum Ammianum Marcellinum lib. 30. *Imperium nihil aliud eſt, quam cura ſalutis alienæ.* Plato l. 1. de Rep. hoc Principibus & Regibus dedit monitum: *non igitur gubernator talis aut Princeps, quid ſibi conferat, cogitat aut præcipit, ſed quid ſubditis conducat; & quæ dicit, quæque facit, cuncta ad illorum & utilitatem, & decorem, & dicit, & facit.* Talis Princeps fuit Adrianus Imperator, dicere ſolitus: *Non mihi, ſed populo.* Quæ verba initio hujus Concionis mihi ſuggerunt articulum Apoſtolici noſtri Symboli, qui de Chriſto Domino ait: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & Incarnatus eſt de Spiritu S. & natus ex Maria Virgine*: Non ſibi, ſed toti humano generi. Quæ enim deinde triginta trium annorum ſpatio, in terris cogitavit, dixit, fecit; omnia cogitavit, dixit, fecit ad dignitatem, decorem, & utilitatem noſtram. Tota ipſius ſanctiſſima vita nil aliud fuit, quam cura ſalutis humanæ. *Nobis in omnibus utilis. Non ſibi, ſed nobis omnia. Nobis natus, nobis datus. Nobis* in ſtabulo Bethlemitico parvulus infans peracre frigus ſuſtinuit Matth. 2. v. 5. 6. *Nobis* fugit in Ægyptum v. 14. *Nobis* duodennis ſedit in templo Doctores inter & ſcribas, Luc. 2. v. 46. *Nobis* occultus vixit in Nazareth, Matth. 2. v. 23. Luc. 2. v 51. *Nobis* per triennium prædicavit in Jeruſalem, *Nobis* captus, accuſatus, §.3. *Rex debet ſtudere ſaluti ſubditorum, qualis fuit Chriſtus D.*

cuſatus, percuſſus, vulneratus. *Nobis* denique in Crucem actus eſt Jeſus, Luc. 21. v. 33. *Non ſibi, ſed nobis.* Dicite, annon totus noſter eſt Salvator amabilis?

§. 4. *Cur Meſſias ab Iſaia comparetur virgæ floridæ.*

Hinc eſt quod exiſtimemus Prophetam Iſaiam c. 11. ubi agit de adventu Meſſiæ in hunc mundum, de illo dixiſſe v. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet*, hoc eſt, Meſſias ſive Filius Dei incarnatus, erit veluti virga, ſed florida, ſed fructifera, & ramus arboris fœcundiſſimæ Sanctus Cyrillus per rectitudinem, altitudinem, fortitudinemque virgæ, regiam in Meſſia agnoſcit dignitatem; ſive ſceptrum, quod clementia, amore, aliiſque virtutibus, veluti floribus exornari oportet; qui ſive floreant, & gratum tantum ſpirent odorem, ſive progerminent & matureſcant in fructus, non ſibi, ſed aliis ſuavem exhalant odorem; non ſibi, ſed aliis fructus proferunt amabiles. Ita Princeps à florida virga, ſive ſceptro monetur, ut ſubditorum ſtudeat utilitati. De Chriſto Domino ſuper verba Iſaiæ ait ſanctus Cyrillus Alexand. l. 2. orat. 5. *Factus eſt homo Vnigenitus Dei Filius, non propter ſe ipſum, ſed potius ut noſtram conditionem, ſicut fuit à principio, reſtauraret; & ut in redemptionem noſtram ſuum ſanguinem Deo Patri, in odorem ſuavitatis offerret.*

§. 5. *Cur Meſſias ab Iſaia fuerit vocatus Emmanuel, à Gabriele Archangelo Ieſus.*

Idem plane myſterium latet in vocula Emmanuel, qua Iſaias Meſſiam compellat cap. 7. v. 15. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*; cum tamen deinde, magnus magni myſterii illius prænuntius Archangelus Gabriel dixerit Mariæ Luc. 1. v. 31. *Et vocabis nomen ejus Ieſum.* Quomodo hæc conveniunt vocabitur Emmanuel, vocabitur Jeſus? optime! Emmanuel enim in Hebraico idem eſt, quod, *Nobiſcum Deus.* Hoc eſt, quod hoc tempore ſacro Adventus tam avide deſideramus, dum ſuſpiramus cum Propheta Iſaia cap. 45. v. 8. *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum*, dum ingemiſcimus, *aperiatur terra, & germinet Salvatorem &c.* hoc petimus, ut Filius Dei de cœlis deſcendat in uterum Virginis, ut fiat homo, & ſit nobiſcum Deus. Verum ita, vel illo modo, ut ſimul nobis ſit Jeſus. Nam ut ſancti Patres acute obſervarunt; *poterat plane eſſe nobiſcum ad judicandum*

nos,

Digitized by Google

nos, ad caſtigandum, ad perdendum. Verum, ut ſciamus ipſum propter has cauſas non veniſſe in hunc mundum, ſed potius voluiſſe eſſe nobiſcum, ad benefaciendum, ad gratias, favores, ac beneficia impertienda &c. vocari etiam voluit Jeſus, quod nomen Salvatorem & redemptorem, aliis utilem, ſignificat, prout ipſe Sanctus Matthæus Evang. illud explicat c.1.v.21. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*; quaſi Archangelus Gabriel dicere voluiſſet; O Beata Virgo, & Mater, placet Deo, ut filium ejus, quem in utero tuo concipies, & ſuo tempore paries, voces Jeſum, ut omnibus ſit manifeſtum illum venire in hunc mundum ut Regem, *non ſibi, ſed aliis*, non ad ſuum commodum, ſed ſubditorum, & illorum, quos ita impenſe diligit, utilitatem. Dion. Carthuſ. in c.1. S. Lucæ art. 7. *Ieſus interpretatur Salvator, ad inſinuandum, quod ipſe ſit verus Salvator; omnes in ſe credentes, generaliter & complete, atque finaliter à morte peccati, interituque inferni eripiens, & ad felicitatem perducens.* Egredimini filiæ Sion, videte qualis Rex veniat, & vobis veniat! paratus pro utilitate generis humani, dura quæque ac dira perpeti, paratus pretioſum ſuum fundere ſanguinem, paratus in cruce duriſſimam ſubire mortem.

Id quod pulchrè obſervarunt ſancti Patres, ſuper verba illa Chriſti Domini, Matt.c.26.v.39. *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, quibus mox ſequentia ſubjungit verſu eodem. *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Videns* (ait Orig. in c.26. S. Matt.) *quanta utilitas totius mundi eſſet futura per paſſionem ipſius.* Hæc illum movit, ut ignominioſiſſimam mortem Crucis lubens acceptarit. Didacus Stella in c.21. S. Lucæ. *Non, inquit, Pater, fiat id, quod loquor ſecundum carnis naturalem inclinationem; ſed fiat id, propter quod me miſiſti; Redemtionem ſcilicet generis humani, ob quam ego, à tuo excelſo ſinu, in hanc terram deſcendi.* An non dicemus, cor & pectus amantiſſimi Regis erga ſuos ſubditos eructaſſe, verba tam bona, tam ſuavia, tam nobis proficua & ſalutaria?

§.6. *Ut Chriſtus Dominus oſtenderet ſe regem amantem ſuos ſubditos, pro illis mori voluit.*

Quæ pro utilitate generis humani ſe facturum cogitavit & dixit, eadem fecit & perfecit, per mortem Crucis; cujus hæc

§.7. *Et in Cruce cur de illa noluerit deſcendere.*

eſt be-

Digitized by Google

eſt bene obſervanda circumſtantia. Inter alias blaſphemias, crucifixores & circumſtantes Phariſæi dixerunt Matt. c.27.v. 42. *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de Cruce*, quaſi dicerent: tot miraculis nomen hactenus obtinuit, quod ſit Rex; nunc, ſi vult, aut ſi poteſt, extrahat hos clavos ex manibus & pedibus, liberetque ſe à Cruce; & adorabimus illum ut Regem, amplectemur ut Meſſiam. Stulti! certum eſt, poſſibile illi fuiſſe, ut hoc faceret, quia fuit Filius Dei; ſed facere noluit (omitto alias cauſas) *noluit deſcendere*, ait ſanctus Bernardus, *ne deſcenderet ſibi, ſed ut moreretur mihi.* Quia in Cruce manſit, quia in illa ſanguinem ſuum fudit, quia denique in illa expiravit, oſtendit ſe amantiſſimum regem, cupidiſſimum boni ſuorum ſubditorum. Ut Pilatus nolens volens hoc ipſum titulo condecorarit: *Ieſus Nazarenus Rex Iudaeorum* Matt.27.v.37.

§.8. *Cur olim Reges Iſraelis oleo inuncti fuerint juxta fontes, vel ſub arboribus.*

Aliam piiſſimam cauſam vel circumſtantiam, quod in cruce copioſum emittens ſanguinem Salvator animam voluerit agere, hic nefas ſit præterire. Obſervat Abulenſis 3.Reg. c.1. quæſt.23. quod electiones & conſecrationes Regum in Veteri Teſtamento apud Judæos ut plurimum juxta fontes & ſub arboribus fuerint peractæ. Ita legitur de Adonia, Salomone, Abimelech, & aliis, quod juxta fontem Siloe, & arbores Sichem in Reges Iſraelis & oleo quidem inuncti fuerint. Verum age dic pro tantis ſolennitatibus, nunquid aptior locus fuiſſet regium aliquod palatium, vel forum publicum in urbe, aut templum, aut hortus aliquis delicioſus? Referam vobis verba Abulenſis, ex quibus quod latet myſterium facile cognoſcetis. *Fons dicitur à fundendo, & fontes perenni aquarum gurgite, ad fæcunditatem terræ decurrunt. Arbores verò non modo fructuum ubertate, verum etiam viridi ramorum pompa, utilitati hominum deſerviunt.* Itaque per fontes & arbores, Regibus inſinuatur, quod non propriæ, ſed ſubditorum utilitati debeant conſulere; nimirum, ut ſint arbores producendo fructus, & fontes perennibus gratiarum aquis ad ſubditorum utilitatem promanantes. Addit S.Gregorius M. *Habeat Rex in unctione ſua oleum; habeat miſericordiam abundantem.* Ecce cauſas, ob quas Chriſtus Do-

minus

Digitized by Google

minus oleo pretioſiſſimi ſui ſanguinis, pendens in ſalutifera arbore crucis, aperiendo fontes quinque ſanctiſſimiorum Vulnerum, in Regem Judæorum voluerit inungi. Cur noluerit deſcendere de cruce. *Hac eſt* (inquit Joannes de Sylveira Carm. tit. 1. l. 2. c. 1. q. 20. num. 82.) *ingenita natura Chriſti, Salvatoris noſtri, in documentum optimi Regis, ut ſeipſum morti ſubjiciat, ut nobis vitam largiatur.* Dicite Filiæ Sion, qualis Rex illi veniat.

Ex quo diſcurſu, clarius quoque intelligo verſ. 6. c. 9. Iſaiæ. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Ob cauſam, quam mellifluus Doctor, S. Bernardus inſinuat ſer. 4. ſuper *Miſſus eſt.* *Magnificetur à nobis parvulis, magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus eſt parvulus.* Parvulus ait, natus eſt nobis, non ſibi, non Angelis, qui cum magnum haberent, Parvulum non requirebant. Nobis Rex gloriæ fieri debuit Parvulus, in noſtrum bonum ac commodum. Euſebius Emyſſ. *Natus eſt nobis, qui pro nobis moreretur, ut vita ex illo naſceretur. Illic dominatur, hic humiliatur, ſibi regnat & mihi militat.* Tanquam fortiſſimus Rex, contra potentiſſimos hoſtes pugnans pro ſuis ſubditis. Dicere voluit Iſaias, Meſſias, qui parvulus naſcetur, erit nihilominus Rex regum, & Dominus dominantium, cœlique terræque Auguſtiſſimus Imperator. Talis quoad naturam divinam fuit ab æternitate: quoad humanam, talis factus eſt, cum in utero Virginis factus eſt homo; idque ex vi originis ſuæ, propter unionem hypoſtaticam cum verbo. Per adventum ſuaviſſimis intenti cogitationibus ſuaviſſimum recolemus myſterium, novem illorum menſium, quibus verbum caro factum latuit in utero Virginis, parvus puſio! inter alia cogitemus cum dulciſſimo affectu piæ congratulationis. Credo & gaudeo hunc parvulum eſſe regem; eſſe Imperatorem; qui venit in hunc mundum, *non ſibi ſed nobis*, non ad ſuum commodum, ſed ad noſtram utilitatem humanæ mortalitatis veſte indutus comparuit. Venit ut nos liberaret è tyrannica captivitate diaboli & poteſtate tenebrarum.

§ 9. *Explicatur verſus Iſaiæ, Parvulus natus eſt nobis.*

Sed audiamus hac ſuper re Iſaiam, is nobis, qualis Rex fuerit Chriſtus Dominus Salvator mundi luculenter exponet v. 6.

§ 10. *Cur Princeps vocetur forti-*

tor ſive bajulus.

cap. 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus:* ut ſciamus fuiſſe regem, ſed ſimul humerum, ſive portitorem & bajulum ſui populi (hæc omnia in hebraico ſignificat, vocula *Princeps*) ſed ſunt reges, & tyranni, qui ferreum ſceptrum dominationis imponunt humeris ſubditorum; quos tyrannico jugo premunt. Sub tali onere gemebat totum humanum genus, donec venit Meſſias, potentiſſimus Rex, qui ſuum ſceptrum cum graviſſimo jugo & onere peccati, humeris ſuis impoſuit; præſertim in bajulatione crucis; de quo myſterio pulchre ait Tertull. l. contra Jud. *Quis omnino Regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert? & non aut in capite diadema, aut in manu ſceptrum? ſed ſolus Rex novus, novorum ſæculorum, Chriſtus Jeſus, novam gloriam, poteſtatem & ſublimitatem ſuam in humero extulit, crucem ſcilicet, ut ſecundum Prophetiam Davidis exinde regnaret, oſtenderetque ſe regem, præter ſceptrum & gladium poteſtatis in manibus, portantem forti humero onus populi ſui.*

§. 11. *Quomodo populum ſuum Rex ille levarit immani onere.*

De quo illi Regi & Principi aggratulatur Propheta Iſaias c. 9. v. 2. & 4. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Senſus eſt. Chriſtus Dominus Rex Regum, jugum ſervitutis, quo humanum genus ſub graviſſimo onere peccati à diabolo & poteſtatibus tenebrarum premebatur, eorumque virgam & flagellum, humeris & dorſo mortalium incumbens, crucians illos & affligens, & ſceptrum exactoris, id eſt, imperium dæmonis ſuperavit, & exterminavit.

§. 12. *Chriſtus verus Gedeon, quomodo?*

Emmanuel, Rex & nobiſcum Deus, ſicut quondam Gedeon, Jud. 7. v. 21. Superavit Madianitas & liberavit Iſraelem, in quo Gedeon pulcherrima fuit figura Chriſti Domini, vocula enim Gedeonis hebraice illum ſignificat, qui conterit, confringit, ſive exſcindit iniquitatem, prout deſtruxit aram Baal, & lucum ejus ſuccendit, exſtruxitque altare Domino. *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit*, venit cœleſtis Gedeon, venit ut Madianitas, ut diabolum, ut peccatum, ut mortem devincat, & genus humanum vindicet à ſervitute. Hoc Adventu hæc potiſſimum

Digitized by Google

tiſſimum dicenda ſunt illis, qui ſub jugo diabolicæ ſervitutis, ſub onere peccati, ſub virga ferrea, ſub flagello dæmonis proſtrati decumbunt, quique ferreis peſſimarum cupiditatum catenis conſtricti trahuntur. O miſeri! præter Chriſtum Dominum non eſt, qui vos poſſit ſalvare: ſed ecce, venit! adesdum adesdum peccatores, venit, ſed vobis venit; En ut benignas extendit manus, en ut ad ſuccurrendum paratus accurrit, en ut verbis vos alloquitur ſuaviſſimis. Hæc non audis? non vides? non conſideras peccator? ah hodie ſaltem, hodie mentis tuæ oculos aperi, Ecce Rex tuus, ecce Dominus tuus, ecce Deus tuus, ecce Salvator tuus (quid amplius exſpectas?) venit tibi, venit ut ſalvet, venit ut pacem afferat, non bellum, venit ut conſoletur, non inſectetur. Veni & tu, procede obviam, Creatori tuo creatura, Regi ſubdite, Domino ſerve, dic cum S. Thoma, Joan. 20. v. 28. *Tu Dominus meus & Deus meus*, totus ut video meus es, *Non tibi, ſed mihi*: Et ego totus poſthac ero tuus, *Non mihi, ſed tibi*, O Jeſu, O Deus, O Amor, O Sponſe, O Redemtor mi!

CONCIO II.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis.

Luc. 21. c. v. 25.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN prima parte exponit omnes fere verſus hodierni Evangelii; in altera, adhortatur impios ut talibus ſignis moveantur ad pœnitentiam, & præparationem ad ſanctam mortem. Fortaſſis illa hodie ſuperveniet mihi, cras tibi.

§. 1. *Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis.*

§. 2. *Erit in terris preſſura præ confuſione ſonitus maris.*

§.3. *Areſcentibus hominibus præ timore, &c.*
§. 4. *Virtutes cælorum movebuntur.*
§.5. *Quanto magis impii.*
§.6. *Tunc videbunt Filium hominis.*
§.7. *Venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate.*
§.8. *Epiphonema Chriſti Domini.*
§.9. *Carolus V. territus à Cometa, ad ſanctam mortem ſe diſpoſuit.*
§.10. *VVilhelmus Dux Bavariæ ad eandem præparationem motus fuit mirabili ſomnio.*
§.11. *Res mira contigit paulo ante mortem Galaſſii.*
§.12. *Tragica Hiſtoria.*
§.13. *Cur impii in agone non agant pænitentiam.*
§.14. *Epilogus.*

§. 1. *Erunt ſigna in ſole, luna, & Stellis.*

IN luminaribus cœli, Sole, Luna, & Stellis ait Dominus futura ſigna venturi judicii, ut dum hæc quotidie inſpicimus, quotidie de tremendo illo die cogitemus ſolliciti, quo pacto venturo magno judici poſſimus occurrere, ſed quid homini amicius & jucundius Sole, luna, ſtellis? quorum ſiderum influxu vivit homo, quorum motibus gubernatur? Sed ecce tibi omnes hos favores mutatos in Sole, luna, ſtellis, in ſigna horribilia, in ſigna mortis & calamitatis. Signum futurum in ſole ſic exponit S. Matthæus c. 24. v. 29. *Sol obſcurabitur.* Horribili eclipſi obſcuratus fuit in occaſu ſolis Juſtitiæ, cum creator omnium creaturarum expiravit in cruce, at longe horribiliores illæ erunt tenebræ, quibus involvetur, cum in fine mundi lugebit æternum illorum interitum, qui à juſto judice ad æternos & horribiles inferorum ignes condemnabuntur. Signum in Luna erit luminis ſubtractio. S. Matth. cit. c. & eod. verſu, *Luna non dabit lumen ſuum.* Cum vocula *Luna* non tantum cœleſte illud luminare, quod nocti præeſt, ſed nomen quoque Reginæ Eſtheris ſignificet, dicamus lunam facturam, quod olim fecit Eſther Regina. Hæc ſiquidem cum ad Regem Aſſverum ingredi vellet, ad immutandam, latam in Judæos capitis ſententiam, quid fecit? regias veſtes, purpuram, byſſum, reliquumque corporis ornatum in nigrum & lugubrem ſaccum commutavit. Verùm quia in tremenda illa die, cœleſtis &

irati

irati Aſſveri terribilis in damnatos ſententia commutari non poterit; luna non dabit ſplendorem ſuum, nigro veſtietur ſacco, ut illo ſaltem modo, qui in inſenſibilem cadit creaturam, æternam tot rationabilium creaturarum æternam damnationem lugeat atque deploret. Idem facient ſtellæ, de cœlo in abyſſum tenebrarum prolapſuræ. Auditores! nolite exſpectare finem exordii in hac Concione, hoc modo pergam exponere textum hodierni Evangelii; quod cum fecero, utiliſſimo documento Concioni huic finem imponam. Materia ejus exigit ut more veſtro benevole & attente me audiatis.

Poſt illa verba, *erunt ſigna in ſole, luna, & ſtellis*, ita pergit ſacer textus, *erit in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum.* Hæc verba ſic explicat novus Concionator Dom. I. Adv. *Circa finem ſæculi, mare, flumina, rivuli voces & mugitus emittent, interitum ſuum quibuſdam luctuoſis vocibus deplorantes, & per hoc non parvum timorem hominibus audientibus incutient.* Erit *preſſura*, id eſt, terrebuntur impii, cum enim c.6. Levitici dicat, impios etiam, dum adhuc vivunt in terris, terreri à ſonitu volantis folii, quid fiet in illa die, qui ſtabunt ante faciem tremendi Judicis; inter omnium creaturarum furorem, quo totus orbis, omnia elementa, & cum iis fulminantes quoque nubes depræliabuntur contra inſenſatos. Lib. 2. Paral. c.13. ait verſ.15. *Perterruit Deus Jeroboam, & omnem Iſrael, qui ſtabat ex adverſo Abiæ, & Iuda.* Quærunt interpretes, quo modo impius Rex cum ſuis perterritus fuerit; reſpondet doctiſſimus Abulenſis. *Deus fragorem magnum fecit in nubibus*, juxta v. 10. l. 1. Reg. c.7. *Intonuit Deus de cælo fragore magno, ſuper* Philiſtiim, *& exterruit eos.* Fecit etiam terram moveri, ſub pedibus eorum, ita ut putarent Iſraelitæ, totum univerſum ſuper eos volvi, & terram aperiri à fundamentis, velleque eos deglutire, & cum ſentirent motum ejus in una parte, profugerunt ad aliam; ſed nullibi potuerunt conſiſtere. Ubique tremor, ubique hiatus terræ: ubique terror ingens & trepidatio. Fortaſſis, ajunt alii interpretes; Deus Jeroboam terruit, illi oſtendendo multitudinem Angelorum, vel dæmonum in ſpeciem exercitus

§.2. *Erit in terris preſſura præ confuſione ſonitus maris.*

citus venientis contra eos, qui haberent vultum & armaturam terribilem: hinc terror! Fortaſſis (ait iterum Abulenſis) Deus de cœlo lapides dejecit, vel fulmina, quibus nonnulli percuſſi, haud vanum aliis incuſſerunt terrorem; ita territus fuit Jeroboam! Cogitate quis inter mortales fuerit terror, cum ad unum omnes (pauculis exceptis) viderunt ſe immani illo aquarum diluvio contumulari. Quis terror inter incolas Sodomæ & Gomorrhæ, cum ultricibus ab alto flammis fuerunt conſumti (ſic de Pharaone & aliis.) Referunt nova heri allata, in Turcia poſt viſum horribilem cometam civitatem Ballonam triginta circiter leucis à Conſtantinopoli abſitam; terræ motu & hiatu abſorptam eſſe cum omnibus incolis, adeo, ut ne veſtigium quidem prioris urbis ſuperſit. Quæ conſternatio Pharaonis, cum ſubito ſe ſuumque exercitum tantum & tam numeroſum cum quadrigis atque impedimentis, cum armis, equis, & viris turbulento fluctuum acceſſu involutum conſpexit? Quis terror invaſerit Ananiam, & Sapphiram, cum ſub pedibus diduci terram, ſeque immani illius hiatu abſorberi advertit? Hæc ubi perpenderitis, veniat vobis in mentem, quæ ſit futura preſſura impiorum, quando terribili illa tuba, damnatæ animæ ex inferno; cadavera verò convocabuntur ex ſepulchris? quis metus, cum ardentes animæ, putrida ſua corpora ſubibunt; cum ſuper illos intonabit cœlum, cum tremendæ ſententiæ fulmen in illos ſicut fulgur, vibrabit, juſtiſſimus Judex; (repetantur modi, quibus territus fuit, Jeroboam) v.g. quando intonabit Dominus, &c. cum tellus hiabit ſub pedibus eorum, cum ſimul cum anima & corpore, æternum infelices, præcipitabuntur in tartara? quis miſerorum erit clamor, quis planctus, quis ejulatus?

§. 3. *Areſcentibus hominibus præ timore, &c.*

Magnitudinem iſtius preſſuræ magis adhuc explicant verba ſequentia. *Areſcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione eorum, quæ ſupervenient.* Et quænam illa ſunt, quæ impii in valle Joſaphat exſpectabunt? quænam illa ſunt, quæ ſupervenient? quæ illos facient præ timore areſcere? non ne obſcuratus Sol? nunquid decolorata luna? nunquid de cœlo cadentes

dentes ſtellæ? nunquid ſonitus maris? nunquid terræ hiatus? nunquid fulgura & fulmina? nunquid vox terribilis illius tubæ? Sufficient ad inducendam maximam afflictionem! adverto ergo aliquid futurum, quod adhuc terrorem majorem incutiet: Reſpondet Beda. *Credo ipſum Iudicis adventum hac ſententia deſignari.* qui impiis tam erit terribilis; ut ſolis tenebræ, lunæ ſanguineus aſpectus, ſtellarum lapſus, elementorum rabies, cæteraque tremenda ſigna illis præ illo non ſint futura horrenda, non illa cauſabunt præcipuum timorem. Sed ille, quem exſpectant! ille, qui ſuperveniet, ſcilicet Chriſtus Jeſus tremendus Judex! hic, hic faciet, ut areſcant impii, ut deficiant, ut contabeſcant.

Verùm non eſt quod iſta miremur; cum verſus ſequens addat, *virtutes cælorum movebuntur.* Super verba Chriſti Domini Luc.10.v.18. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* addit Rupertus l.1. de victor. c.23. *Vidiſſe etiam angelos bonos, ſed in magno terrore poſitos.* quaſi diceret, filius Altiſſimi, oppugnatus à Lucifero ſecurus vidit eundem inſtar fulguris dejectum in tartara; ſed boni angeli viderunt cum timore. Horribile quippe fuit ſpectaculum, Angelorum pulcherrimum cum innumeris ſociis, momento de cœlo in tartara præcipitari; multo magis ait D. Chryſoſt. in Feſt. S. Thomæ. *Virtutes cælicæ movebuntur, quantumvis mali, ſibi conſcientiæ non ſint; videntes enim infinitas multitudines damnari, non intrepidæ ſtabunt ibi.* Jonæ c.1. verſ. 16. DEO ita diſponente, nautæ *tulerunt Ionam & miſerunt in mare & timuerunt viri timore magno Dominum.* Quid fiet, cum illa die, non unus Jonas, ſed infinita hominum multitudo præcipitabitur in igneum mare æternæ damnationis? *Virtutes cælorum movebuntur*, id eſt, etiam juſti ſuo modo timebunt. Lib. 2. reg. cap. 6. verſ. 7. dicitur; *Iratusque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi juxta arcam DEI, & extimuit David Dominum in illa die.* Actorum. 5. verſu. 10. *Sapphira confeſtim cecidit ad pedes ejus, & exſpiravit, factusque eſt timor magnus ſuper univerſam congregationem, & ſu-*

§.4. *Virtutes cælorum movebuntur.*

& ſuper omnes qui hæc audiebant; mendacii Saphiræ minime reî. Nihilominus (Oecum. ibi.) *Supplicium hoc multis timori fuit.* Apoc.cap.18.v.9. Introducitur caſus & ruina Babylonis; quid tunc? *Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam Reges terræ, cum viderint fumum incendii ejus, longe ſtantes propter timorem tormentorum ejus.* Non ergo miremur, tum, cum iratus indignatione Dominus, percutiet impios, cum coram arca, id eſt, in præſentia & aſpectu ſanctiſſimorum Vulnerum, addicentur æternæ morti; non inquam miremur etiam Davides, etiam juſtos, etiam angelos, etiam univerſam congregationem aliquo terrore concutiendam. Omnes, cum videbunt fumum incendii ejus, cum videbunt miſeros damnatos trahi ad orcum, commiſeratione aliqua commovendos propter timorem tormentorum ejus.

§. 5. *Quanto magis impii.* Sed quomodo prementur, anguſtiabuntur, quomodo plangent & ululabunt illi, qui mittentur in igneum illud mare? illi! quos percutiet Dominus? illi! qui ſine omni ſpe miſericordiæ & veniæ, quam ante à ſanctiſſimis vulneribus & ſanguine Jeſu Crucifixi ſperare poterant, jam deſperabundi detrudentur ad inferos.

§. 6. *Tunc videbunt Filium hominis.* Tunc tandem, tam horribilibus ſignis perculſi, pleni timore & areſcentes præ nimia anguſtia, *videbunt Filium hominis: Videbunt!* adeſte impii: dum vixiſtis in terris, noluiſtis aperire oculos, ut videritis, v.g. Jeſum pro vobis pendentem in cruce; noluiſtis aſpicere ſanctiſſima ejus vulnera ad veniam; noluiſtis ambulare in luce, ſed in tenebris; jam aperite oculos! & videte Filium hominis, id eſt, Filium Dei, in forma hominis, quæ forma veluti Regis, ſponſi, fratris, amici, juſtis, erit amabilis! quæ forma hominis, tanquam tremendi judicis, impiis erit terribilis. Figura fuit Moyſes, cujus vultus veluti hominis manſuetiſſimi fuit amabilis; quando verò ira percitus coram toto populo, vitulum, quem adorarant, conculcavit, & in cineres confregit, tam fuit terribilis aſpectu, ut totus populus coram eo præ timore trepidaret. Joel cap.2.v.6. *A facie ejus cruciabuntur populi.* D. Hieron. *Tantus terror erit, ut omnes & animo & corpore perhorreſcant,*

Digitized by Google

reſcant, imo crucientur. Adduntalii SS. Patres; aſpectum Judicis fore pœnam inenarrabilem, & graviorem, quam gehennam. Sed hæc ad aliam ſpectat dictionem materia.

Revertamur ad textum. *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* de qua Ezechiel ait, *ventus turbinis ab aquilone, nubes magna, ignis involvens.* Dan. c. 7. v. 7. hanc nubẽ vocat thronum flammæ ignis. pſ. 10. v. 7. de hac nube ait David, *pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* In nube tam terribili veniet cum poteſtate magna & majeſtate. *Poteſtate*, eſt timendus; *Majeſtate*, honorandus. Poteſtas impiis incutiet terrorem, majeſtas bonos alliciet ad honorem, & venerationem; Poteſtate puniet malos, liberabit bonos. Cum poteſtate magna, conſtitutus à Patre judex vivorum & mortuorum. Cum poteſtate magna tanquam Deus & Homo. Cum poteſtate magna, quæ à Patre illi data eſt in cœlo, & in terra. Cum poteſtate magna, quam tanquam Deus habet natura ſua, tanquam homo illam promeruit per mortem & crucem ſuam; cujus ſignum propterea venienti Judici ab angelo præferetur, tanquam inſigne, ſive ſceptrum ſuæ poteſtatis, quod impiis erit (terrori, bonis vero gaudio ſummo infinito & inexprimendo.) Juſti namque in illo ſigno videbunt abſolutionis, impii condemnationis chirographum. Veniet denique cum poteſtate magna, *ut virtutem ejus tanto tunc diſtrictius videant, quanto nunc cervicem cordis, ad ejus patientiam non inclinant.* Nam primus ejus adventus plenus fuit pietate, plenus humilitate, plenus manſuetudine, plenus miſericordia, Adventus amoris. Alter erit plenus poteſtate, indignatione, Juſtitia, Adventus furoris.

§. 7. Veniet in nube, cum poteſtate magna & majeſtate.

Hunc ſermonem ipſe Chriſtus Dominus hoc concluſit epiphonemate: *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ: & veniat ſuper vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis,* Luc. 21. v. 34.

§. 8. Epiphonema Chriſti Domini.

Nec puto eſſe aliam cauſam, quod Mater noſtra Eccleſia frequen-

§. 9. Carolus V.

territus à Cometa ad ſanctam mortem ſe diſpoſuit.

quenter ſigna venturi Judicis nobis proponat, quam ut illis territi cogitemus de ſeria præparatione ad ſanctam mortem, & veram pœnitentiam. Aliquot menſibus ante mortem Caroli V. Imperatoris in Hiſpania terribilis viſus fuit Cometes. Quare percontatur piiſſimus Imperator ex Eginardo Aſtrologo, quid portenderet? qui ne illum terreret, repoſuit verſum 2. cap. 10. Jeremiæ. *A ſignis cœli nolite timere, quæ timent gentes.* Carolus verò reſpondit; ſe non metuere ſigna, ſed ſignorum auctorem & opificem Deum, eumque vel eapropter venerari, quod laceſſitus hominum ſceleribus Reges & populos hac ratione præmoneat, priuſquam feriat, & ad pœnitentiam eos provocet. Proinde ſapientiſſimus Imperator in illo ſigno, in Cometa, veluti epiſtola legit ſe brevi moriturum. Quamobrem ad beatum ex hac vita tranſitum ſanctiſſime ſe diſpoſuit, quem paucis abinde menſibus eſt conſecutus. O impii! & vos hodie in cœleſtibus ſignis, in ſole obſcurato, in luna ſanguinea, in decidentibus ſtellis veluti epiſtolis legite, vos quoque morituros, vos quoque citandos ad judicium. Non illa ſigna, ſed illorum opificem Deum timete, qui ſceleribus noſtris laceſſitus, priuſquam feriat, nos præmonet, & quorſum præmonet? ut ad pœnitentiam nos provocet. Sed heu! quam pauci ſunt qui imitentur Carolum V.! ab Imperatore ad Ducem deſcendat oratio.

§. 10. *Vvilhelmus Dux Bavariæ ad eandem præparationem motus fuit mirabili ſomnio.*

Wilhelmus Dux Bavariæ in ſomnio vidit procerum & pulcherrimum cervum, cujus alterum cornu plenum parvulis nolis & campanulis; alterum illuſtre multis cereis. Cervum hunc cum canibus inſecutus fuit Venator; cervus verò fugit in cæmeterium templi B. Virginis Monachii, ubi in apertum prolapſus ſepulchrum à Venatore captus, & à canibus dilaceratus fuit. Narravit poſtridie ſomnium, quod varii varie expoſuerunt, ſed ipſe cœleſti luce illuſtratus dixit: *Ego ſum iſte cervus; me vocant iſtæ campanulæ; mihi iſtæ faces monſtrant viam ad ſepulcrum in templo B. Virginis. Me, me, truculentus ille venator, mors, inſequitur, illius ego brevi ero præda.* Et quia, quod dixit, profunde animo impreſſit, eodem adhuc die ſollicitus cogitare de pœnitentia, nil an-

nil antiquius habuit, quam ut ſe ad beatam mortem curis omnibus præpararet. Et certe paucis poſt ſeptimanis ex hac vita deceſſit. Non ſomnium, ſed veritatem certiſſimam nobis proponit Chriſtus Dominus, ſed quid ſignificat ſol obſcuratus, quid luna, &c. cogitate quæ vultis; hoc ſcitote, quot ſigna, totidem ſunt & nuntii, qui nos vocant ad judicium, ſed quam pauci ſunt, qui imitentur Wilhelmum.

Mirabile eſt, quod in probato Auctore legi, de notiſſimo in toto Romano Imperio, belli Duce Galaſſio. Anno 1647. atroci dolore dentium vexatus, voluit unum extrahi, quod quidem medicus prohibuit, ſed is nocte inſequente ſponte excidit. Rem miram! contuitus illum mane medicus advertit in illo, parvulam imaginem Sandapilæ, tectæ mortuali panno, cum candida Cruce; obſtupuit Medicus ad inſolitum ſpectaculum. Galaſſius verò illum inſpiciens exclamavit: *Hoc eſt quod tot orationibus poſtulavi, hinc colligo mihi brevi abeundum de vitæ mortalis ſtatione.* Quod & contigit, licet mors imparatum non oppreſſerit. Eia impii! non in Sandapilam tantum, vel mortualem pannum oculos veſtros conjicite, ſed levate capita; obſcuratum ſolem intuemini; videte colorem lunæ ſanguineum, ſpectate deciduas cœlo ſtellas, ferale mundi incendium conſpicite, reſonet jam in auribus veſtris feralis ille cantus Tubæ, conſiderate tremendum in iride Judicem; ah quid jam amplius eloquar? hoc ſpectaculum ſubeat oculos, imò potius animos ſubeat O peccatores! Sed ex his ſignis colligite vobis brevi moriendum, ſigna hæc nuntii ſint, qui vos citant ad judicium. Vigilate, attendite! §. 11. *Res mira contigit paulo ante mortem Galaſſii.*

Sed eheu! hoc ſanguineis lacrymis deplorandum eſt, aliquos tam obſtinate eſſe malos, ut etiam terribilibus territi ſignis ad pœnitentiam non moveantur; ſed in malo perſeverent, donec ad illum pertingant ſtatum, in quo amplius pœnitere non poſſunt. Tragicam hiſtoriam refert Pædagogus Chriſtianus pag. 1. c 8. §. 8. & obſtupeo illorum, qui tragœdiæ actores fuerunt, nomina nominari. §. 12. *Tragica Hiſtoria.*

ſtia; nimius pavor & terror, nimia formido & conſternatio, ut tum veræ pœnitentiæ non ſit locus. Figuram habemus. 1. Paralip. c. 21. David elevans oculos in cœlum, vidit Angelum, quem iratus miſerat Dominus, gladio percutientem populum, & ait textus v. 29. *Tabernaculum autem Domini, quod Moyſes fecerat in deſerto, & altare holocauſtorum ea tempeſtate erat in excelſo Gabaon; & non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obſecraret Deum; nimio enim terrore fuerat perterritus, videns gladium Angeli Domini.* Hoc debuiſſet facere David (vult dicere textus) cum vidit angelum Domini, debuiſſet cumprimum humiliato & contrito corde recurrere ad miſericordiam Dei &c. Sed cur non fecit? Reſpondet Cajet. hic. *Ad manifeſtandam punitionem Davidis ſcribitur, quod tam perterritus fuit videndo percuſſorem angelum, ut redditus fuerit impotens ad eundum ad altare Dei.*

in agone non agant pœnitentiam.

Nunc ex me quærite Auditores quare Baro ille, in illis circumſtantiis NN. non confeſtim ad ſeriam fuerit pœnitentiam commotus? ſed quid opus ejuſmodi quæſtione? noſtra jam res agitur, nos, nos vocat Deus, nobis ſigna nec pauca, nec parva exhibet Salvator, nobis minitatur preſſuram, nobis, nobis hanc de ſole, luna, ac ſtellis, pallidis, ſanguinolentis, minacibus concionem repræſentat! Attendite, ſpectate, conſiderate; *Attendite*, nam qui loquitur Deus eſt; Spectate, nam quæ nobis exhibetur Tragœdia, funeſta eſt. Conſiderate nam ab illa pendet æterna animarum noſtrarum felicitas.

§. 14. Epilogus.

CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.

Matth. 11. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr varia loca ſacræ ſcripturæ, ſanctorumque Patrum interpretationes, exponitur textus hodierni S. Evangelii, cum variis documentis, quæ mores noſtros inſtruere poſſunt.

§. 1. *Breve exordium.*

§. 2. *S. Ioannes fuit conjectus in carcerem*, primò *ob laſciviam Herodis & Herodiadis. Herodias illum conjecit in carcerem, imo occidit.*

§. 3. *Fuit conjectus in carcerem* Secundò, *quia libere prædicavit veritatem.*

§. 4. *Zeloſi prædicatores contemnunt minas Regum.*

§. 5. Tertiò, *Ioannes jacet in vinculis, ut coronentur eximiæ illius virtutes.*

§. 6. *Cur S. Ioannes ad Chriſtum Dominum miſerit ſuos diſcipulos. Prima cauſa.*

§. 7. *Altera cauſa.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Idem poſtea fecit S. Paulus.*

§. 10. *Quid S. Ioanni renuntiarit Chriſtus Dominus.*

§. 11. *Chriſtus Dominus laudat S. Ioannem, quod non fuerit arundo agitata vento, quales ſunt Reges hujus mundi.*

§. 12. *Quod declaratur ex locis ſacræ ſcripturæ.*

§. 13. *Carpit Chriſtus Dominus illos, qui veſtiuntur mollibus.*

§. 14. *Superbe ornati, vix ſalvātur.*

§. 15. *Cur Angelus Domini percuſſerit Herodem, non ipſum filium Ioſedech.*

§. 16. *Superbe veſtiti non poſſunt induere Chriſtum.*

§. 17. *Alia duo eximia encomia S. Ioannis Baptiſtæ.*

Aliud

§.1. *Breve exordium.*

ALiud non præmittam præſenti Concioni Exordium, quam ut vos commonefaciam, velle me ſtare promiſſis ante octiduum factis, nimirum quod Evangelium modo prælectum, per ſingulos illius verſus decurrendo exponere decreverim. Nec deerunt, quæ ad corrigendos in meliorem vitæ ſtatum mores deſeruire poſſint documenta. Rem ipſam aggredior, vos paratis æque mentibus ac auribus dicenti aſſiſtite.

§ 2. *S. Ioannes fuit conjectus in carcerem, primo ob laſciviam Herodis & Herodiadis. Herodias illum conjecit in carcerem, imo occidit.*

Joannes variis de cauſis, conſtrictus vinculis, obſcuro delitescit in carcere. Primo. Eo illum conjecit Herodis & Herodiadis laſcivia; & eadem paulo poſt, viro ſanctiſſimo caput præſcindi mandavit. Ex hoc enim vitio à Regibus non niſi crudelitas, neces, & homicidia ſunt exſpectanda. Cap. 4. v. 19. 23. Geneſis impurus Lamech, ex proſapia Caini, fatetur uxoribus, ſe aliquot homicidia perpetraſſe, de quo ait D. Ephrem. *Multum verò per id tempus laſcivia vigebat, ob quam multa cædes committebantur.* Ut ſcilicet laſcivus amor per illas conſequeretur optata. De meretrice magna ait cap. 17. v. 4. Apoc. *Et mulier erat circumdata purpura, & in fronte ejus nomen ſcriptum, Myſterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ; Et vidi mulierem, ebriam de ſanguine Sanctorum.* Pulchrè hæc tria conjunguntur. Meretrix purpura induta, Mater fornicationum, & ebria de ſanguine Sanctorum. In Regibus enim laſcivia ſine ſanguine vix conſervatur. Rupertus hic. *Illa non contenta talem ſe eſſe, qualem præmiſſa deſcriptio denotat,* quod ſit meretrix, quod mater fornicationum &c. *adjecit hoc aliud malum, ut ſanguinem funderet Sanctorum; eo quod videret illos non eſſe conſentientes immunditiis fornicationum ſuarum.* Sævit ſemper laſcivia in potentibus, imò & furit adverſus eos, qui non conſentiunt, ſed poſſunt impedire ejus voluntates. Laſcivus animus, ut optatis potiatur amplexibus, nulli homicidio, nulli parricidio parcit, ſanguine quorumcunque nutriet ſuas voluptates, qui laſcivia rapitur! & raro videbimus ardere laſciviæ fornacē, quin ſimul videamus cædes & neces. In hod. Ev. veluti duo ſpecula nobis proponuntur, Herodes & Herodias. Nam

Digitized by Google

Nam quia Joannes Baptiſta conſenſum non præbuit, in carcere præbere debuit, & caput, & ſanguinem. D.Zeno Ser. de Pudic. *Libido nomina pietatis concubitu prodigioſo delet.* Hoc egit utriuſque laſcivia, licet Joannes eſſet vir ſanctiſſimus, licet Herodes illum amaret, tamen &c. Herodem impulit Herodias. Hæc placuit illius oculis, & quia hæc odit ſanctum Joannem, hinc vincula, carceres, cædes. Qualis dominatus? Marc.6.v.25. *Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Ioannis.* Annuit ſubito Judex ſubſcribens petitioni nefariæ. Quis ſic Judicem pervertit? quis ad tantam traxit injuſtitiam? contra Joannem? D.Chryſoſt. hom.49. in Matth. fœmina, illi *mentem eripuit.* Dan.13.v.8.9. *duo ſenes viderunt Suſannam, & exarſerunt in concupiſcentiam ejus, & everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.* D. Hier. *Sive Dei, ſive honeſtatis, ſive naturæ* l.2. Eſdræ c.13.v.23. *Ipſum autem Salomonem duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ.* Idem contigit Herodi. Sed Herodiadi bene dixit. D.Baſ.Sel.or.18. *abſciſſum eſt caput, nec tamen vox Ioannis tacet; æternum loquetur poſt funera. Accuſatorem in te, mulier, armaſti; neque enim cum capite vocem abſcidiſti; etiam poſt decollationem ſuperſtes eſt tibi accuſator, plena criminum tuorum terra, audaciam maria ipſa mirantur, cælum ſuperne cum Ioanne vociferatur. Sanguis S. Ioannis clamat te eſſe ebriam ſanguine.* Ea enim fuit fœminæ laſcivæ crudelitas, ut licet menſæ fortaſſis impoſita fuerint capita aprorum, piſcium (D. Fulg.) *omnia nihil fuiſſent, ſi defuiſſet regio prandio caput humanum.* Ita Egeſippus refert de Alexandro Jud. Tyranno l.1.c.16. *Octingentos crucifixit in media civitate, quorum in conſpectu conjuges eorum filiosque jugulari præcepit. Hæc ſpectabat accumbens in medio concubinarum, lætus inter eſcas & pocula; ſed magis ſanguine quam vino inebriabatur* (applica pulchre Herodi.) Mentionem hujus ſceleris injicio, quia nullum eſt, quod ſanctam præparationem ad feſta natalitia ita impediat, ſicut laſcivia; quæ non horret, ut ſanguine etiam Filii Dei fiat ebria. Luxuria eſt vipera, eſt Draco, eſt ſanguiſuga, væ tibi, qui illam in tuum ſinum admittis.

§. 3. *Fuit conje.*

Secundo. Joannes conjectus fuit in carcerem quia libere nimis

nimis contra laſcivum Regem non gladium, ſed verbum Dei ſtrinxit, alter Jeremias, qui conjectus in carcerem & vincula, novis tamen minis Sedeciam Regem exagitavit, c.38.v.18. *Si non exieris ad Principes Regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, & ſuccendent eam igne, & tu non effugies de manu eorum.* Quid atrocius Regi potuit dici? & cur Jeremias in carcere, in vinculis, ejuſmodi dictis irati Regis animum exacerbare non cavet? Plane vir Sanctus, quia Deum habuit præ oculis, non timuit mundani Regis iracundiam. Sic Aza 2.Paral. c.26.v.18. templum ingreſſus dicere fuit auſus Oziæ, cum Sacerdotali vellet fungi munere, *Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino.* Et cur Regis iram non timuit? S.Chryſoſtomus. hom.5. de verbis Iſaiæ cap.6. *Vidiſti Sacerdotis animum, multa fiducia plenum, excelſique ſpiritus. Non aſpiciebat principatus faſtum, non expendebat, quanta res eſſet, animum cupiditate temulentum cohibere. Non audiebat illud Salomonis; Minæ Regis ſicut ira leonis; ſed ſublatis oculis ad verum Regem cœlorum, atque ad illud tribunal, easque pœnas conſiderans, & iis cogitationibus ſeſe muniens, impetum fecit in tyrannum.* Qui Dei ſpectat gloriam, Regum non timet iras, non pertimeſcit furorem. Sed heus? quid ais? an neſcis quid Salomon ediſſerat Proverb.19. verſ.12. *Minæ Regis ſicut ira leonis.*

Bis in carcerem ſecundo, quia libere prædicavit veritatem.

Non equidem ſum neſcius: Sed audi Chryſoſt. *Noverat enim, noverat certe, quod comminatio Regis ſimilis ſit iræ leonis: duntaxat iis, qui terram ſpectarent, verum homini, qui cœlum haberet præ oculis, quique ſic induxerat animum, ut vitam potius, in ipſis ſacrificiis deponeret, quam ſacras leges conſpiceret violatas, quovis cane vilior erat ille.* Terrenorum hominum eſt ſimulare veritatem coram Regibus, eo quod timeant illorum iram. Qui terrena contemnunt, Deumque præ oculis habent, nequicquam æſtimant tyranni iras, nec pluris faciunt illius minas, quam ſoleant à viris generoſis minaces Catelli latratus æſtimari. Videte nunc Auditores, annon talis fuerit Herodiano in carcere Joannes noſter, nam quid illum potuit à prædicatione veritatis abſterrere? an minæ? an contemptus? an injuriæ? an Regis ira? an gladius Carnificis? nihil, nihil inquam ex his univerſis.

§.4. Zeloſi prædicatores contemnunt minas Regum.

Digitized by Google

Generoſus erat leo Joannes, non timebat latratus catelli; fortior eſt, quam ut hiſce minis dimoveatur ab eo, quod æquitas, quod ratio, quod conſcientia, quod Deus prædicandum dictabat.

§. 5. *Tertio Ioannes jacet in vinculis, ut coronentur eximia ejus virtutes.*

Tertio Ioannes in vinculis, Hoc unum ſcilicet deerat magni Baptiſtæ laudibus, ut duris catenis ligaretur, ut conjiceretur in carcerem, ut inclyta ejus virtus ad maturitatem, & perfectionem perveniret; quia Deus ærumnis probat, ut novis virtutum actibus ipſos extollat, D. Paulinus ſuper verſ. 39. cap. 32. Deuter. *Ego percutiam, & ego ſanabo.* Sic ait: *Tanta eſt ſummi Patris pietas, ut etiam ira ejus ex miſericordia ſit, & ideo caſtiget ut parcat. Sanctam quoque iſtam* (loquitur de S. Melania valde afflicta) *non quia infidelem haberet, ſed ut perfectam redderet, paterna pietate corripiens, in miſericordia verberavit tentationibus, ut ejus patientiam coronaret. Corona pulcherrima, flores & roſa inter ſpinas ſuccreſcunt.* Ex ærumnis gloria naſcitur illuſtrior. D. Aug. ait Serm. 116. *Increſcat.* Et Origenes hom. 35. in Matth. de Chriſto Domino. *Non avertit faciem ſuam à confuſione ſputamentorum, ut magis glorificetur vultus ejus, quam fuit vultus Moyſi glorificatus: tanta & tali gloria, ut comparatione glorificationis iſtius, vultus illius glorificatio deſtruatur, ſicut in conſpectu ſolis lumen lucerna deſtruitur.* Talia dicamus de S. Joanne Baptiſta, ante vincula & carcerem fuit lucerna tantum ardens & lucens; in carcere, in vinculis eſt glorioſiſſimus Sol. Sol illuſtris, Sol lumine ſuo decoro totum irradians orbem, ſol noctis tenebras aurea luce diſpellens. Nimirum hoc unum deerat ipſius laudibus. Heb. 12. v. 6. *Quem amat Deus, caſtigat:* nec eſt illuſtrius aliquod veræ, hoc eſt Chriſtianæ gloriæ argumentum, quam pro Deo vexari, premi, percuti, & adverſa omnia æquo animo tolerare.

§. 6. *Cur S. Ioannes ad Chriſtum Dominum miſerit ſuos diſcipulos. Prima cauſa.*

Porro ex carcere S. Joannes Baptiſta ad Chriſtum Dominum miſit duos ex ſuis diſcipulis, variis profecto de cauſis. *Primo*, ut apud illum quæreret ſolatium, quo carcer ſibi redderetur jucundus. De ardente amatore Jeſu dixit Guerricus Ab. ſer. 1. de reſur. *Huic itaque qui ſic affectus eſt,* (ſcilicet, ut immemor ſui, non niſi Jeſum Chriſtum, & ea quæ ſunt Jeſu Chriſti, ſentiat; qualis fuit S. Joannes Baptiſta.) *Non eſt oneroſa paupertas; iſte non ſentit injurias*

Digitized by Google

rias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum reputat, imo nec mori ſe putat, cum magis de morte ad vitam tranſire ſe ſciat. Proinde S. Joannes etiam in carcere non potuit non ſui amantiſſimi Salvatoris meminiſſe.

Secundo miſit ad Chriſtum Dominum duos ex ſuis diſcipulis; ut ex Chriſto quærerent, *Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus.* Omnium Sanctorum Patrum opinio eſt, S. Joannem talia non quæſiviſſe, perinde ac ſi ignoraret: nam jam ante à Deo illuminatus dixerat Joan. 1. c. v. 29. *Ecce Agnus Dei!* D. Hilarius Canone 11. *Ioannes detentus carcere Dominum ignorat? & propheta tantus Deum ſuum neſcit. At, qui venturum, ut præcurſor nunciavit; conſiſtentem ut Propheta agnovit, adeuntem ut confeſſor veneratus eſt; unde tam varia & abundanti ejus ſcientiæ error obrepſit? Sed conſequens de eo Domini teſtimonium, ſentiri hoc ita non ſinit.* Neque ſane credi poteſt, Spiritus S. gloriam in carcere poſito *defuiſſe, cum Apoſtolis virtutis ſuæ lumen, eſſet in carcere poſitis, miniſtraturus.* Nunquid dum baptizavit illum, vidit aperiri cœlum, nunquid audivit vocem, *Hic* &c. Matt. 8. v. 17. Imo paſſionem futuram & mortem Chriſti Domini S. Joannes Bapt. non ignoravit, quod ex citatis verbis *Ecce Agnus Dei &c.* clare concluſit S. Thomas in Cat. in S. Matth. ex S. Joanne Chryſoſt. *Ioannes Paſſionem non ignorabat, ſed id teſtatus eſt, dicens, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Agnum enim vocans, crucem divulgat; in qua agnus ille innocentiſſimus deinde pro mundi redemptione fuit immolatus.* Itaque ignorantia non movit S. Joannem ut ſuos ad Chriſtum diſcipulos ablegaret. Quid igitur?

§. 7. *Altera cauſa.*

Exponat id nobis D. Baſilius de Domini præcurſore ſic diſſerens orat. 34. *Cum videret diſcipulos ſuos ſibi magis adhærere, quam Chriſto, imo aliquos nonnunquam ex Chriſti invidia ad criminationem procedere, legationem inſtruit, in ſpeciem de Chriſto ipſe ſciſcitans, reipſa verò eos cum Domino conjungens.* Et auctor imperfectus hom. 27. in Matth. *Vis ſcire quod eſt ſupra humanam naturam? miſſus in carcerem Ioannes non de ſuo periculo ſollicitus fuerat, ſed de aliorum ſalute cogitabat, id eſt, diſcipulorum ſuorum. Ideo mittens ad Chriſtum interrogat, Tu es?* ita fuit ſollicitus, ut & ſuos dedoceret errorem, & veram

§. 8. *Proſecutio.*

Digitized by Google

veram illis cognitionem Meſſiæ ingeneraret, de qua Chriſtus Dominus dixerat Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna &c.*

§. 9. *Idem poſtea fecit S. Paulus.* S. Paulus poſtmodum de ſe dixit Actor. 26. cap. v. 29. *Opto apud Deum, & in modico & in magno, non tantum me, ſed etiam omnes qui audiunt me, omnes fieri tales, qualis ego ſum.* S. Auguſt. Tractatu 8. in ep. Sancti Joannis. *Audi Apoſtolum dicentem de viſceribus charitatis, vellem omnes homines eſſe, ſicut meipſum. Quomodo volebat omnes eſſe? æquales. Ideo erat omnibus ſuperior, quia charitate optabat omnes æquales.* Idem prorſus deſideravit S. Joannes Bapt. de viſceribus charitatis, ut diſcipuli ſui, & omnes alii agnoſcerent Chriſtum.

§. 10. *Quid S. Ioanni renuntiarit Chriſtus Dominus.* Proinde Chriſtus Dominus illis dixit, *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiviſtis, & vidiſtis.* Non ipſe renunciat, quis ſit; non ait, ego ſum filius Altiſſimi, ego ille ſum qui cœlum terramque ex nihilo condidi, ego ille à cujus nutu pendet totus terrarum orbis, quaſi globulus in manu viri, nec deſideratus gentium, tot ſæculis exſpectatus Meſſias Ego ſum; mundi Redemptor, Rex Regum ac Dominus Dominantium, Alpha & Omega ſum ego. Hæc inquam omnia etſi reipſa potuiſſet dicere, non tamen renuntiari curat Joanni. Quorſum? niſi quia humilitati conforme non eſſe judicavit, ut quis ſeipſum commendet. D. Ambroſ. l. 3. off. c. 5. *Nemo hic fulgere quærat, nemo ſibi arroget, nemo ſe jactet.* Noluit ſe Chriſtus hic cognoſci, venit ut lateret. Ut tamen quæſtioni S. Joannis ſatisfaceret, hæc illi jubet renuntiari, *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, pauperes evangelizantur.* Sed age, nunquid hæc ſigna viſa fuerunt à plurimis Phariſæis, & Judæis, qui tamen per illa in cognitionem Chriſti non devenerunt? ergone diſcipuli Joannis ex illis collegerunt Chriſtum eſſe Meſſiam? omnino! hi enim ſupernæ luci valvas cordis ſui aperuerunt; *alii tenebras dilexerunt magis quam lucem.* Joan. 3. v. 19. S. Bernardus ſer. 59. in Cant. *Nec plenius, nec perfectius intimari valuit fidei certitudo; coruſcant miracula & mundus credit; cito enim perſuadetur, quod dicitur, dum quod ſtupetur, oſtenditur Deus qui dixit, de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus eorum ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu.* Hic illos gratiæ ſuæ radiis illuſtra-

Digitized by Google

illuſtravit, hic illuſtratos ad ſe ſuamque agnitionem pertraxit.

§. 11. *Chriſtus D. laudat S. Ioannem, quod non fuerit arundo agitata vento, quales ſunt Reges hujus mundi.*

Illis autem abeuntibus cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne; quid exiſtis in deſertum videre arundinem vento agitatam? quaſi diceret ex mente S.Chryſoſt.hom.38. in Matth. *Non potuiſſetis certe tanto ſtudio in deſertum impelli, tot tantarumque civitatum populi, nec ita facile omnes ex univerſa Iudæa effuſi in Ioannem fuiſſetis, niſi magnum quendam & mirabilem virum, & adamantinis lapidibus firmiorem Ioannem putaſſetis; neque enim ad videndam arundinem exiſtis.* Subdit. *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Duo itaque proponit Chriſtus Dominus alieniſſima à S.Joanne. Primum eſt, non eſſe arundinem, alterum: nec eſſe mollibus veſtibus amictum. De talibus Chriſtus dixit, quod in domibus Regum commorentur, at cur non addit ibidem inveniri arundines vento agitatas. Id advertit & reſolvit ſubtiliter D.Cyrill. Alex. l.2. Theſauri c.4. dum inquit, Chriſtum Dominum hoc idem inſinuaſſe, cum mentionem fecit mollium veſtium & purpuræ; qua qui veſtiuntur, ſcilicet Reges, magnates, plerumque ſunt inconſtantiſſimi, & arundines vento agitatæ.

§.12. *Quod declaratur ex locis S. Scripturæ.*

Vix David apparuit coram Saule, mox rapuit affectum Regis & benevolentiam, quippe ait textus l. 1. Reg. c,16. v,21. *Venit David ad Saul, & ſtetit coram eo, at ille dilexit eum nimis.* Quis Davidis felicitatem ſecuram non crederet, videns nimium amorem Saulis erga David? quis Davidi Regi timeret à tanto amatore, ſed heu! quam ſapiens illud dictum Saluſtii! *plerumque Regiæ voluntates, ut vehementes, ſic mobiles.* Experto crede Roberto, vel potius, experto crede Davidi. Quàm cito Saulis amor fit furor, quam cito amabilis benevolentia mutatur in execrabilem, ut ſic dicam, peſtilentiam! quàm cito qui amoris arcum paulo ante inſtruxerat Saul, eo mox abjecto, haſtam, qua Davidem transfigeret, corripit, ſic amat fieri *Favore Principum ut nihil incertius, ſic nihil inconſtans magis.* Nullus Regum miniſtrum ſuum majori amore proſecutus eſt, quam Aſſverus Amanum, de quo dicitur Eſther 3. cap. verſ. 1. *Rex Aſſverus exaltavit Aman & poſuit ſolium ejus ſuper omnes principes.* Interea cum ſuo Amano abiit Rex ad convivium Reginæ, quæ Regem paucis verbis hunc in modum com-

 pella-

Digitized by Google

pellavit. *Hoſtis & inimicus noſter peſſimus eſt iſte Aman.* O arundinem vento agitatam! hæc paucula verba protulit Regina, *Rex autem ſurrexit de loco convivii*, quid plura? *Suſpenſus eſt itaq; Aman in patibulo.* Et cur obſecro in amicum tam præceps eſt Regis ſententia? Aſſvere quid ita ſubito verba mellea tranſmutas in fellea? Nonne Aman, adverſus quem tuus jam furor concitatur, is eſt, quem paulo ante tanto gratiarum regalium cumulo proſequebaris? Exſpecta nonnihil, ſuſpende judicium, cauſam illius melius perpende, examina, judica. Nimis velox eſt iſte ab amore ad furorem, à gratia ad iram, ab amicitia ad odium deſcenſus. Sed nihil video me proficere. Pulchre hic Dionyſ. Carthuſ. *In quare patet fallacia proſperitatis humanæ, incertitudo, & inſtabilitas favoris humani, præſertim Principum humanorum.* Talis fuit arundo Herodes Rex, talis arundo Herodias. annon ambo prius Joannem amabant intime? *patet inſtabilitas favoris humani.* Annon Joannem ut prudentem, zeloſum, ſanctum atque innocentem virum ſuſpiciebant? *patet fallacia proſperitatis humanæ.* Ite nunc mortales, ite, & ſi *vultis, vento huic credite*; nam quid magnatum favor niſi ventus? *arundini credite*; jam in hanc, jam in iſtam partem, jam in amorem? mox in odium vertitur, *glaciei credite*, frangitur, cum minime putatur. Favore Principum nihil inconſtantius, mobilius nihil. Talis arundo non fuit S. Joannes Baptiſta, & hoc Chriſtus Dominus in illo laudavit.

§.13. *Carpit Chriſtus Dominus illos, qui veſtiuntur mollibus.* Perſtringit deinde Salvator noſter illos, qui mollibus veſtiuntur; nec ſine rationum momento. Apoc.17.cap. ait verſ.2.& 4. *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, & mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo & margaritis*, ecce, mulier, quæ damnanda eſt, quomodo deſcribatur! quid tantus veſtium ſplendor cum damnatione? in pulla & atra veſte reus aliquis Judici præſentari ſolet, à quo ipſum condemnari oportet. Verum coram Deo nimius corporis cultus, veſtiumque luxus certiſſimum eſſe ſolet æternæ condemnationis præludium. In quo acerbe loquitur Rupertus. *Viderat jam meretricis hujus habitum ejuſmodi, qui etſi ſolus eſſet, ad damnationem ejus ſervire poterat.* In Regum domibus, (S. Paulinus epiſt. 4.)

agunt,

agunt, aut impietate duri, aut laſcivia molles, quorum finis interitus, gloria in inferno, domus in ſepulchro eſt. Adeo apud Sanctos Patres deplorata videtur eſſe eorum ſalus, qui mollibus veſtiuntur.

Doctiſſimus P. Baeza diſcurſus hujus regulam, his verbis proponit. *In ſuperbo ornatu corporis vix patet aditus ſaluti.* Terrorem & admirationem hæc verba mihi incuterent, niſi illa probaret ex S. Scriptura Exodi 33. v. 5. Deus per Moyſen dixit duræ cervicis populo, ut idem textus ibi loquitur, *Iam nunc depone ornatum tuum, ut ſciam, quid faciam tibi. Depoſuerunt ergo filii Iſrael ornatum ſuum à monte Horeb, & placatus illis fuit Dominus.* Ut ſciam, ait Dominus, quaſi neſciat viam ſalutis inferendi illi homini, qui ſuperbo ornatu fuit indutus. Id quod expendens Rupertus l. 4. in Oſ. ait. *Quamdiu peccator ornatus incedit,* id eſt, *in peccatis ſuis ſuperbis, quamdiu pulchram cervicem erigit* (NB. ſi neceſſe ſit, poterit fieri acris invectiva in illas, quæ nudam oſtendunt cervicem) *complacendo ſibi &c. quodammodo neſcit Dominus, quid faciat illi; neſcit miſericordia, quali aditu ad illum veniat, remota ſeveritate judicii.* Quid gravius? Tota Dei omnipotentia quaſi arctatur, & quaſi neſcit, quid faciat homini, qui in aureo ornatu nitet, & exultat inter ſcelera. Miſer, qui cum in perpetrandis ſceleribus multus ſit, pompatice incedit, ſuperboque corporis ornatu nitet, ad quem Dei miſericordia, quodammodo ignorat, quomodo accedat. §. 14. *Superbe ornati vix ſalvantur.*

Exempla rem clarius explicabunt, deſumpta ex iiſdem ſacris literis. Act. 12. v. 21. 22. dicitur; *ſtatuto autem die Herodes, veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis; confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini.* Veſtis illa regia à Joſepho l. 19. c. 7. Sic deſcribitur quod erat tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radiis orientis ſolis percuſſa, divinum quendam fulgorem emittens. venerationem & velut ſacrum quendam horrorem incuſſit aſpectantibus. Sic ambitioſe veſtitus Herodes ab Angelo fuit percuſſus. Longe aliud contigit Zachariæ 3. v. 3. 4. *Et Ieſus* (id eſt filius Joſedech) *erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli, qui reſpondit, & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe, dicens; auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum; ecce abſtuli à te* §. 15. *Cur Angelus Domini percuſſerit Herodem, non Ieſum filium Ioſedech.*

iniqui-

Digitized by Google

iniquitates tuas. Componite Angelum cum Angelo; Angelum Jeſu filii Joſedech, cum angelo Herodis; illius angelus homini ſordido, miſericordiam facit, offert illi remiſſionem ſcelerum, angelus Herodis ſine mentione miſericordiæ lethaliter illum percuſſit. Cur non & huic parcitum? cur nulla illi exhibita miſericordia? Quia in homine ſuperbo, in fulgenti ornatu, nullus miſericordiæ relinquitur locus; neſcivit Dei benignitas, quomodo ad illum accederet, non fuit ſaluti aditus. Et, (Drogo Card. l. de Sacram. Dom. Paſſ.) *quid veſte nitida gloriaris? ſubter te ſternetur tinea, & operimentum vermis eſt, hac tua veſtis eſt; illuſerunt tibi, qui chlamyde coccinea induerunt; ſic Antiochus & Herodes duo, alienis veſtibus depoſitis, in ſuis veſtibus exſpirarunt. Superba veſtis ipſorum angelis intercluſit aditum angelicæ miſericordiæ.*

§. 16. *Superbe veſtiti, non poſſunt induere Chriſtum.* Opportune hoc mihi occurrit argumentum Auditores, nam ſi fortaſſis jam cogitaſtis de pia præparatione ad Feſta Natalitia, memores vos eſſe cupio dicti D. Cypriani l. de habitu Virg. *Sericum & purpuram indutæ; Chriſtum induere non poſſunt.* Neſciet proinde pauperrimus Parvulus de Bethleem, quomodo, qua via, quo modo cum Theſauris ſuis ad nos veniat, ſi ſuperbiamus in veſtibus. Dictum hoc illis præſertim eſſe cupio, quæ (D. Zeno ſer. 15.) *plus pro ornatu, quam ſalute ſunt ſollicitæ.* Lib. 3. Reg. cap. 21. v. 27. *Achab ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam.* Quod videns Dominus, ait, *Non inducam malum in diebus ejus.* D. Petrus Dam. l. 6. epiſt. 14. *Ecce Achab imperiali purpura decoratus, à reprobo ſpiritu fallente decipitur: cilicium induit, & gladium divini furoris avertit: Regalibus infulis redimitus, laqueo deceptionis impingitur; ſacco contectus dilatæ ultionis indulgentiam promeretur.* Sed cupio hodierni textum Evangelii ad finem perducere.

§. 17. *Alia duo eximia encomia S. Ioannis Baptiſtæ.* Chriſtus Dominus illud abſolvit duobus eximiis encomiis S. Joannis Baptiſtæ. *Hic eſt enim,* ait, *de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Quærit D. Chryſoſt. hom. 27. in Matth. *Quomodo de ſolo Joanne, quaſi gratiæ ſingularis eſt indicium, Ecce ego &c. Omnes quidem Prophetæ ante faciem Chriſti tranſmiſſi ſunt. Solus autem Ioannes ſic miſſus eſt, ante faciem Chriſti, ut pene cum ipſo Chriſto veniret.*

Veluti

Veluti Angelus, vitam in hoc mundo vivens angelicam. Quo encomio Chriſtus Dominus Encomiaſten ſuum multis partibus ſuperavit. Joannes Jeſum vocavit *agnum*; Jeſus illum vocavit *angelum*. D. Chryſ. hom. 27. in Matt. *Ioannes quidem teſtificatus erat de Chriſto, Ecce agnus Dei,* Joan. 1. v. 29. *Sed amplius recepit à Chriſto, quam præſtiterit. Ioannes enim Chriſtum glorificans, humanam illi contulit laudem. Chriſtus autem Ioanni divinam contulit gloriam.* Nam ille hunc agnum oſtendit, iſte autem illum Angelum prædicavit. Iſte minus laudavit in Chriſto, quàm erat. Ille autem iſtum, ſupra quam videbatur, erexit, ut qui homo erat, Angelus diceretur. Nunc ad finem decurrit oratio: ite domum Auditores, dum interim Joannes obſcuro manet in carcere: diſcite ab illo quæ ſit generoſa hominis Chriſtiani virtus, diſcite in prædicando libertatem Concionatores, in tolerandis adverſis fortitudinem innocentes & calamitatibus ac miſeriis ad terram uſque depreſſi patientiam, in ſpernendis Magnatum favoribus conſtantiam ambitioſi, in cultu corporis modeſtiam mulieres, & cavete ne ob nimium animi ornatum & ſuperbiam cum infelici Herodiade ad horrenda & turpiſſima inferni monſtra deturbamini & æternum pereatis.

CONCIO IV.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini,
Joan. 1. cap. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit varia de Pœnitentia, quæ peccatores dedúcit ad ſtabulum Bethlemiticum.

§.1. Poſt triduum pariet Virgo Filiolum ſuum, quod per varias figuras ex S. Scriptura declaratur.

§. 2. Vox S. Ioannis B. fuit tuba annuntians adventum ſponſi.

§. 3. Variæ imagines vel picturæ Pœnitentiæ, quæ explicant, Quid ſit agere pœnitentiam.

§. 4. Cur pœnitentia in veſte lugubri, de cingulo geſtet ſpeculum.

§. 5. Cur malleum, ligonem, dolabram.

§. 6. Duplex via ad æternitatem.

§. 7. Arctam tenuit Chriſtus D. quam & nos tenere debemus.

§. 8. Pœnitentia triplicem manu præfert clavem.

§. 9. Qualem in anulo portet gemmam.

§. 10. Cur corbem plenum floribus & gemmis.

§. 11. Ad quos fontes nos ducat pœnitentia.

§. 12. Pœnitentia exigit, ut in his fontibus laventur corda noſtra, ſic deſideremus ut in nobis naſcatur Chriſtus.

§. 1. Poſt triduum Virgo pariet Filiolum ſuum, quod per varias figuras ex S. Scriptura declaratur.

BEne habet! exauditæ ſunt preces noſtræ, & ardentia deſideria, quibus per adventum toties æſtuarunt noſtra pectora totieſque altis ſuſpiriis illud Iſaiæ Prophetæ cap. 48. v. 8. ingemuerunt. *Rorate cæli deſuper & nubes pluant juſtum.* Poſt triduum aperientur aureæ portæ Virginalis aulæ, recedent candida vela nuptialis thalami, detegetur lectulus floridus, & prodibit formoſus animarum noſtrarum ſponſus, Rex, & Dominus: poſt triduum hunc Regem & ſponſum videbunt oculi noſtri in decore & gloria ſua: poſt triduum aperietur terra Virginea, & germinabit Salvatorem, diſſolventur nubes, melliflui fient cœli, & rorabunt deſuper juſtum. Aperietur pulcherrima vallis, & aſcendet lilium convallium. aperiet ſe amœniſſimus campus, & egredietur flos campi. Aperietur calix, & erumpet roſula. Aperietur puriſſima maris concha, & pretioſiſſima decidet margarita. Rumpetur formoſiſſimum malogranatum, & patebit decor & theſaurus carbunculorum. Florebit vinea Engaddi, & decerpemus botrum Cypri. Stabulum vertetur in ſylvam, & videbimus dilectum ſicut malum inter ligna ſylvarum. Stabulum vertetur in hortum, & dilectus noſter paſcetur inter lilia: filius Dei parvus puſio ſuget ubera matris, & oſculabitur ſponſam oſculo oris ſui. Stabulum vertetur in fontem, & fluent aquæ vitæ æternæ ex fontibus

tibus Salvatoris. Stabulum vertetur in collem myrrhæ, & inveniemus dilectum, faſciculum myrrhæ, ut inter ubera noſtra & in corde commoretur. Ni fallor, dum hæc auditis, ſuſpiratis cum ſponſa c.8.v.1. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te.* Quis mihi det, ut in aula Virginea, in lectulo florido videam dilectum animæ meæ! quis mihi det ut cor meum ſit concha, in quam decidat ros ille cœli! quis mihi det, ut ingrediar illam vallem, illum campum, illam vineam, illam ſylvam, illum hortum, ut inveniam Jeſulum, qui lilium eſt, qui flos campi eſt, qui botrus eſt, qui malus eſt, qui fons eſt vitæ æternæ. Quis mihi det, ut bibam ex fontibus Salvatoris, quis viam monſtrabit ad collem myrrhæ, ut inveniam faſciculum &c. bene habet, ducem viæ nobis præbet Joannes, *Dirigite?* vel *pœnitentiam agite?* Agedum ſequamur omnes hunc ducem, ſequar ego primus, vos comites eſtote mei, viæ terminus non erit alius, quam Jeſus. Sequimini.

In pluribus oſtendit Salvator noſter, ſe eſſe ſponſum & amatorem animarum noſtrarum, idem facit in hodierno Evangelio. Non raro fit, ut ſponſus in nocturna deambulatione ædes ſponſæ tranſiens, illam ſuavi muſica, teſtudine, cheli, vel fiſtula velit recreare. Itaque ne ſponſam nimis alto correptam ſomno muſica tam dulcis prætereat, tubicinem hunc in finem adhibet, qui clangore tubæ ſponſam excitat, & monet ut in ſponſi gratiam lectulo ſe levet, ut progrediatur ad feneſtram, & quam ſuaviter canat vel ludat ſponſus, percipiat. Poſt triduum in nativitate cœleſtis ſponſi, ſymphoniaci cœleſtes deſcendent de cœlo, deſcendet multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum & dicentium, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. v.14. hac muſica filius Dei nos vult recreare. Sed quia non pauci tam alto vitiorum ſomno velut ſepulti jacent, ſic ut illam tam dulcem, tam gratam, tam amabilem cœli muſicam vix ac ne vix quidem ſint audituri; in hodierno Evangelio præmittit tubicinem, S. Joannem Baptiſtam, qui clangore buccinæ, voceque ſua inſonat, *Dirigite viam Domini, pœnitentiam agite,* occurrite Deo ſponſo veſtro.

§. 2. *Vox Joannis fuit tuba annuntians adventum ſponſi.*

§ 3. *Variæ imagines vel picturæ pœnitentiæ: quæ explicant quid ſit agere pœnitentiam.*

Merito pœnitentiam inculcat; hæc enim eſt, quæ dirigat viam Domino, hæc Virgo nos ducit ad ſtabulum Bethlemiticum: Virginem verò, quia in forma Virginis depinxit illam doctiſſimus Cæſar Ripa, in lacero habitu, turbato capillo cineribus aſperſo, flentibus oculis, cum virgis in manu ex ſpinis. Aſpectu hujus Virginis delicati aliquorum offenduntur oculi; mallent videre Venerem in habitu aurato, cum cincinnis, cum aureo ſcypho, coronatam roſis. Sed hæc ducit in viam perditionis, ad infernum. Virgilius:

Hac via tartarei quæ fert Acherontis ad undas.

Pœnitentia plorat, aſpergit caput cineribus, cædit ſe ſpinis, ſed ducit in viam ſalutis. In altera pictura hæc Virgo geſtat manu craticulam ſuper prunas, quibus impoſitum cor uſtulatur, in alia imagine in antro inſidet petræ, juxta fonticulum, in quem dejicit lacrymas ſtillantes ex oculis; ad latus è terra erumpit flamma, ante faciem erutus eſt crucifixus, ad quem ſubinde ſtillantes elevat oculos. ex pectore Virginis alatum cor evolat in pectus & cor Jeſu. ex his picturis diſcite, quid ſit pœnitentiam agere. *Pœnitentiam agite,* id eſt, abjicite habitum vanitatis, aſpergite caput cinere, cogitate vos morituros, ſpinas ſumite, caſtigate corpora. Prunis doloris, contritionis, amoris imponite corda veſtra, ſcindite illa, ut ignis doloris & amoris penetret magis. Ingredimini antrum, conclave veſtrum intelligo, ſeparate vos nonnihil à mundo, inſidete petræ, quæ Chriſtus eſt, inſpicite fontem ſcelerum veſtrorum, inſpicite igneos fontes inferni, quos ſumus meriti, ut extinguatis, lacrymas injicite, ut lacrymæ fluant, ut ex terra cordis erumpat flamma ſuſpiriorum, ut corda veſtra aſſumant alas, ut voletis in altum, Jeſum crucifixum aſpicite. Sed ab hac petra nemo vos amplius ſeparet, fili mi, noli peccare amplius. hi ſunt fructus digni pœnitentiæ, hæc Virgo nos ducet ad præſepe.

§ 4. *Cur pœnitentia in veſte lugubri, de cingulo geſtet ſpeculum.*

Sed ſi lubet, imaginem ductricis hujus ſive pœnitentiæ curioſius aſpicite, & pulchra invenietis emblemata, vel ſymbola, quibus docet, quomodo Jeſulo debeamus dirigere viam. Cogitemus, nos jam eſſe in via ad ſtabulum Bethlemiticum. Mundanæ Virgines ad ornatum ex cingulis geſtant ſpecula, eſt vanitas & ſuper-

Digitized by Google

ſuperbia. Prudenter & ſancte fecit illa Virgo, in aula magni Regis, quæ loco ſpeculi tulit crucifixum, verum ſpeculum virtutum. Non tamen reprehendo, quod noſtra Virgo pœnitentia de cingulo geſtet ſpeculum, illud tibi offert, ut in eo intuearis tua ſcelera, peccata, quibus ab ultima confeſſione Deum offendiſti. Speculum tibi erit propria conſcientia, implora gratiam Spiritus Sancti, & illa tibi ſuggeret omnia, quorum es reus. Hic eſt primus gradus pœnitentiæ, agnoſcere ſua peccata, & neceſſarius ad bonam confeſſionem, quam ſine dubio in gratiam Jeſuli his feſtis peragetis.

Aſpicite cingulum pœnitentiæ curioſius, præter ſpeculum videbitis malleum, ligonem, dolabram, vaſculum aceto plenum. Cur hæc inſtrumenta, geſtet, intelligetis ex parvis hiſtoriis. Xerxes, teſte Juſtino cum Græciam vellet invadere, aliquot hominum millia cum malleis & ſecuribus præmiſit, quorum alii complanarunt vias & colles, alii impleverunt valles & lacunas, alii ſecuere rupes, alii exciderunt ſylvas, alii alio rivos derivarunt. Hac ratione magno labore ingenti exercitui paravit viam. Ejuſmodi vias duas Peruani ſuo Regi fecere, Nirenbergius Regias vocat, à Cuſco *uſque* Quitum, unam per planitiem, alteram per montana quæ ad viginti quinque pedes latæ protenduntur per 500. leucas. Incredibilis laboris opera, adæquatis profundis vallibus, editiſſimis humiliatis rupibus. Hannibali viam obſtruebant in Italiam ingentes rupes, & ſaxa in Alpibus; ſed naturam vicit aceto, illo exeſas rupes ſecuribus exſcidit, & viam aperuit, ut bene cecinerit Ovidius:

§. 5. *Cur malleum, ligonem, dolabram, &c.*

Invia virtuti nulla eſt via.

Alexander Macedo penetraturus interiorem Perſidem, invenit vias adeo obſitas nivibus, ut tranſitus videretur impoſſibilis. Cum itaque videret militem territum, ipſe primus ex equo deſiliit; & dolabra per glaciem ſibi viam fecit, & ſic pedes per nives & glaciem exercitum deduxit in Perſidem. Viæ certe difficiles. Et per tales vias ad præſepe nos ducit pœnitentia. Agnovit hoc David cum dixit Pſ. 16. v. 4. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* Hugo Card. ſic legit. *Vias pœnitentiæ.* In hac

Digitized by Google

via occurrunt montes ex glacie; talis mons eſt acedia, ſive frigus quoddam in divino cultu. occurrunt ſcopuli & ſaxa; ſcopulus eſt ſuperbia, ſaxum eſt impœnitentia, obſtinatio. Saxa ſunt variæ malæ conſuetudines, quæ ſuo pondere nos inclinant ad malum. Occurrunt ſylvæ ex ſpinis, ſpinæ ſunt divitiæ, & avaritia. Occurrunt lacunæ, fœtidiſſima lacuna eſt luxuria. Occurrunt valles, vallis eſt diffidentia & deſperatio. Occurrunt præcipitia. præcipitia ſunt occaſiones peccandi. Jam advertite cauſam, cur pœnitentia vobis offerat ligones, malleos, & acetum. Ut dirigatis vias Domini. Hæc ſaxa ſunt ſecanda, hæc præcipitia eruenda, hæ valles implendæ, hæ lacunæ obſtruendæ, hæ ſylvæ exſtirpandæ, hi ſcopuli disjiciendi, hi denique montes complanandi, ſic pervenietis non in Græciam, non in Perſidem, ſed ad ſtabulum Bethlemiticum, imo ad cœleſtem omni deliciarum genere abundantem paradiſum.

§. 6. Duplex via ad æternitatem.

Altera quidem via, quam mundus oſtendit, lata & ſpatioſa eſt, *declivior eſt & mollior* (Sanct. Hieronym. ep. 4. ad Celantiam) *& amœnior, floribus voluptatum, ideoque facile ad ſe rapit commeantium multitudinem, hæc verò inſueto calle virtutum triſtior atque horridior* (ſudandum, laborandum eſt) *ab his tamen eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi eſt, quam utilitas manſionis.*

§. 7. Arctam tenuit Chriſtus Dominus: quam & nos debemus tenere.

Ipſe Salvator noſter hanc viam elegit & tenuit. Refert Clemens Alex. ad illa ſponſi Cant. 7. v 1. *quam pulchri ſunt greſſus tui*; olim puellas ſubter calceos ſuos geſtare ſolitas fuiſſe aureos clavos, vel laminas, quibus affectuoſa verba inſcripta, arenæ imprimebantur, quæ ab amatoribus, qui ſequebantur, curioſe obſervabantur. Cum amator noſter & ſponſus Chriſtus Salvator cruce oneratus aſcendit montem Calvariæ, tum aurea, aureis ſuæ charitatis clavis vitæ difficili amoris impreſſit veſtigia, imo cum illa ſanguine coloravit, dicere potuit ſponſa, O ſponſe, quam pulchri ſunt greſſus tui. Sed quas literas impreſſit? Dionyſius Rex Indiarum in alto monte nobiliſſimum exſtruxit templum: gradus, per quos erat aſcenſus, fuerunt trecen-

Digitized by Google

centi ſexaginta, omnes ex purpureo Saphiro, in quibuſdam hoc lemma legebatur. *Hac itur.* Scilicet ad tam nobile templum. Inſpicite Saphirinos gradus charitatis, per quos Salvator aſcendit ad montem Calvariæ, inſpicite impreſſa ſanguinea veſtigia; has literas legetis, *hac*, id eſt, per viam difficilem pœnitentiæ itur ad cœlos. Idem ego dico de via difficili ad ſtabulum Bethlemiticum. Malleos, ligones, acetum lacrymarum offert nobis pœnitentia, ut omnia ſcelerum obſtacula, tanquam rupes & ſaxa removeamus.

§. 8. Pœnitentia triplicem dextera præfert clavem.

Inſpicite rurſum Cingulum hujus Virginis; & præter dicta inſtrumenta videbitis tres aureas claves, quæ pœnitenti plane ſunt neceſſariæ. Una clavis eſt lingua noſtra. Lingua hominis dicitur clavis cordis. Hac clavi pœnitens in confeſſione Confeſſario debet reſerare cor, ut omnia confiteatur. Multi magnis feſtis confitentur, ſed defectu hujus clavis confeſſiones reddunt ſacrilegas. Altera clavis, eſt ingens in CHRISTUM fiducia, hac clavi pœnitens Cor JESU, veluti arcam omnium cœleſtium theſaurorum reſerat. Tertia aurea clavis eſt contritio & amor Dei, hac clavi pœnitens cœlum aperit. Ex dictis animadvertere vos arbitror, me à vobis pro præparatione ad Feſtum Nativitatis, pro dirigenda via, ut vel ad vos inviſat, CHRISTUS, vel vos ad illum, verbo ut JESULUS per gratiam in cordibus veſtris naſcatur; ad talem confeſſionem exigere. 1. Ut peccata cognoſcatis. 2. Ut illa à vobis amoveatis. 3. Ut eadem in Confeſſione Sacerdoti detegatis. 4. Ut id faciatis cum magna in CHRISTUM fiducia. 5. Cum magno dolore & amore; Sed unum adhuc & præcipuum ſupereſt, quid illud ſit, nil melius quam ipſius pœnitentiæ digiti indicabunt.

§. 9. Qualem in annulo portet gemmam?

Solent Virgines geſtare annulos, idem facit pœnitentia dum ejus annulum curioſius inſpexi, adverti gemmam incluſam eſſe adamantem, certe non ſine myſterio. 1. quia lapis hic fortiſſimus ac ſolidiſſimus, ſymbolum eſt conſtantiæ, 2. idem eſt quod

eſt quod cave. 3. Una particula difficulter ab altera ſeparatur. Hunc annulum, hanc pretioſam gemmam nobis donat pœnitentia, ſed in hoc tria petit. 1. Pœnitentiam agite, id eſt, ut dixi, &c. ſed requiritur ſimul propoſitum denuo non peccandi, & non qualecunque, ſed forte, ſolidum, conſtans, verbo propoſitum adamantis, vel potius, amantis. hodie v. g. confeſſus es, eodem die veniet diabolus, pulſabit corda noſtra vel malleo mundi, vel carnis, hic cor illecebris titillabit, pœnitens, ut fortis, ſit adamas, neceſſe eſt. 2. Pœnitentiam agite, id eſt, cavete denuo peccare maxime his feſtis, ah adeo ſumus ingrati, ut & his ſacris natalitiis Jeſu feſtis peccemus! 3. Dixi partes adamantis non facile poſſe ſeparari, quid hic occurrit, confeſſio vel pœnitentia eſt quaſi fornax, in hac corda noſtra fiunt unum quid cum Chriſto. Chriſtus eſt pretioſiſſima gemma, nos natura noſtra nihil ſumus aliud, quam plumbum ac ferrum, nihilominus ignis amoris adeo nos purificat, adeo elevat, ut fiamus unum quid cum Chriſto. Gratulor iis, qui his diebus Puerulo Jeſu ſic unientur; verum pœnitentiam agite, id eſt, eſtote ſolliciti, ne denuo à Chriſto ſeparemini, eſtote adamantes. Talis adamas fuit S. Paulus, qui dicere audebat, *quis me ſeparabit*, Rom. 8. v. 35. peccator fuit Paulus, perſecutor Eccleſiæ, poſtquam tamen ſemel Chriſto unitus fuit, dicere auſus fuit: *Quis* &c. Hunc annulum his diebus meis Auditoribus opto, id eſt, ut omnes ita ſint affecti, ut poſt egregiam Confeſſionem, nunquam in æternum à Chriſto velint ſeparari, id eſt, nunquam peccare mortaliter, quia hoc unum peccatum mortale animam à Chriſto ſeparat. Quod Dæmon, quod caro, inferi &c. non poſſunt, poteſt peccatum mortale, & unicum, tam maledicta res eſt peccatum.

§. 10. *Cur corbem plenum floribus & gemmis.* Sed ad propoſitam Virginis noſtræ imaginem regredior. Hanc ductricem noſtram Virginem pœnitentiam, dum adhuc ſemel reſpexi, adverti pendulum ex ſiniſtra corbem, in quo variam, jucundam vidi ſuppellectilem. pulchras ſtellas, gemmas, pulchros flores, præcipue roſas & lilia, candida ſtrophiola, odores, & artificioſos fonticulos. Strophiolis, floribus, ſtellis, debemus viam pro Jeſulo inſternere & ornare. Strophiolum mundum eſt mun-

Digitized by Google

eſt munda conſcientia: lilia ſunt virginitas & caſtitas, roſæ ſunt amor & dilectio. Stellæ & gemmæ ſunt pia deſideria, quibus ferventer adventum Chriſti deſideramus. Si vultis, ex his gemmis & ſtellis, contexite Jeſulo coronam, ſi vultis contexite monile, ſi vultis contexite ex illis ſtragulam, hac Jeſulum in thalamo cordis tegite; ſtrophiolum ſubſternite; adjicite lilia, & parabitis Jeſulo lectulum floridum. Odoribus etiam perfumanda eſt via, ſeu potius cor noſtrum. Incenſum autem ſuaviſſimum eſt ardens oratio. Denique hæc via debet ornari fonticulis, ſunt fontes magna viarum elegantia.

Anno 1429. cum Brabantiæ Princeps ſponſam Eliſ. Luſit. Scluſam induceret, in ornatiſſima via ſtabat. 1. lapideus leo, qui anteriori erecto pede ex triplici ungue optimum Rhenanum fundebat vinum. 2. Cervus lapideus, anteriori pede rubellum fundens. 3. Monoceros, ex cujus pedibus aqua roſacea, ex cornu verò diverſiſſima vina fluebant. Audite quales fontes ego optem in via pœnitentiæ. In via pœnitentiæ ad ſtabulum Bethlemiticum erigatur fons Cupidinis, oritur Cicyzi, qui ex illo bibit, impuros perdit amores. Opto fontem Inſulæ Saxoſæ, primus hauſtus eſt ſalſus, alter dulcis. Tales ſunt lacrymæ pœnitentis, primum amaræ, mox ſuaviſſimæ. Opto fontem ex Bœotia, qui ex illo bibit, omnium obliviſcitur. Opto fontem ex Sicilia, in quo mortuæ aves reviviſcunt.

§. 11. Ad quos fontes nos ducat pœnitentia.

Suſcitati ad vitam ſimus ſolliciti, ut corda noſtra laventur. Naſci enim non vult Chriſtus, niſi in cordibus puris, corda peccato ſemel immunda, purificari non poſſunt, niſi per pœnitentiam, infallibilis eſt cauſa, ergo pœnitentiam agite, & bene. Magni Principes in ſuis palatiis, vel ubi habitare debent, non ſolent amare ſordes. Fridericus Imperator addictus erat venationi; ideo plus erat in agris, in campis, in ſylvis, quàm in urbe. Indictus erat venationi certus locus, in cujus diſtrictu, vir genere nobilis habitabat, qui auſus fuit Imperatorem ad prandium invitare. Et placuit humana invitatio Cæſari, venit. Verum ſi non in aliis, certe in hoc uno non parum erravit nobilis ille, quod ædes ſuas tanto hoſpite condecorandas non prius à ſordi-

§. 12. Pœnitentia exigit, ut in his fontibus laventur corda noſtra, ſi deſideremus, ut naſcatur in illis Chriſtus.

Digitized by Google

bus perpurgarit, ſiquidem Imperator dum in hypocauſtum deducitur, vix illud ingreſſus videt omnia ſus deque jacere, videt hic cunas, illic infantiles negligentius à negligente pariter ancilla relictas, ibi in ſcamnis cantharum, iſtic alias humi ſordes, miratur primum, tum verſa in indignationem admiratione, Venationum præfectum ad ſe accerſiri jubet, quem mox in hæc verba alloquitur. *En*, inquit, *ſtabulum pro tuis canibus*; gravioribus tamen verbis nobilem perſtrinxit, *ſi Imperatorem*, ajebat, *invitare volebas, debebas ſi non ad divitem, ſaltem ad mundam domum invitare*, quo dicto mox hypocauſto exceſſit, & foris menſam inſtrui juſſit, addens non inelegans hoc Epiphonema, *malo ſub cælo, quam in cœno manducare*. Quid pulchrius dicere poſſum. Venit filius Dei in hunc mundum ſummus Princeps; ab initio Conceptionis deditus fuit Venationi, in qua non feras quærit, ſed corda hominum, retia ipſius ſunt amor, ſagittæ amor, laquei amor, veſtitus amor, cornu amor, canes venatici amor; his retibus, laqueis, jaculis, veſtitu, cornu, canibus, quærit, indagat, venatur cor hominis. Poſt triduum locus venationi indictus ſtabulum Bethlemiticum, in Bethlehem & vos habitare vultis, deſideratis ut veniat ad ædes veſtras. pulchre. Laudo equidem, bene; Sed quæſo vos Auditores, videte ante omnia ut munda ſit, atque elegans habitatio, hæc prima ſit veſtra & potiſſima cura, nam ſi omnia munda mundis, quid ni Jeſulo omnia eſſe debent mundiſſima, cum ſit ipſe longe mundiſſimus, puriſſimus, nitidiſſimus! O corda ſordida, O fœtida ſtabula! cum in his æquum requieſcere candidum illum agnellum, illum ſpecioſum forma præ filiis hominum, illum ſummi Regis filium maximum! hoc cogitate, hoc perpendite, hoc judicate Auditores. Simile eſt, & diſſimile, quod de Ludovico XIII. refertur, in venatione invitatur à nobile, hic à contrario ornarat, maxime imaginibus minus honeſtis. Rex per unum oſtium ingreditur, & per alterum exit, currit nobilis, Tum Rex: *Duc ergo ad locum, ubi oculos aperire poſſim.* O Auditores, quod Rex Galliæ non tulit, an æquo laturum animo putatis cœli terræque Regem, Deum, hominem? Cogitatis illum hiſce natalitiis feſtis in corda veſtra inducere? laudo propoſitum: at videte ne in ejus caſtiſſimos

mos oculos incurrant fœdæ imagines Veneris. Has ille non poteſt aſpicere, tollite ſordes laſcivi; tollite & vos veſtras Mammonæ imagines avari; ſunt ſpina in oculis dilecto Jeſu noſtro. Idem de aliis ſcelerum figuris atque imaginibus dictum volo. Sunt quidem deliciæ Jeſu eſſe cum filiis hominum, ſed in loco mundo, in corde puro , in anima per ſacræ pœnitentiæ ſacramentum ab omnibus ſcelerum ſordibus expurgata; Hoc facite & Jeſus veſter erit hoſpes.

CONCIO V.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem.

Luc. 2. c. v 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicat fuſe, quo ſenſu & quare Chriſtus Dominus Salvator mundi dicatur multis poſitus in ruinam, ſive æternam damnationem. Sibi ipſi id aſcribere debet obſtinatus peccator, dum æternum perit.

§. 1. *Lætis plerumque miſcentur triſtia.*

§. 2. *Citata verba,* Tuam *&c. lætas & triſtes cauſant cogitationes.*

§. 3. *Chriſtus Salvator mundi eſt lux illuminans paucos, non omnes.*

§. 4. *Quid ſit* (ex Jobo) *Deum abſcondere lucem in manibus ſuis.*

§. 5. *Cum in tota Aegypto eſſent tenebræ; in terra IESSE fuit lux & dies.*

§. 6. *Similitudo.*

§. 7. *Columna ignis & nubis, quæ Iudæos deduxit per deſertum, fuit figura Chriſti.*

§. 8. *Proſecutio.*

§.9. *Quo ſenſu dicatur Chriſtus Dominus lux illuminans omnem hominem.*
§.10. *Alios illuminat ut lateres, alios ut ſpecula.*
§.11. *Quinam ex nobis illuminentur ut lateres.*
§.12. *Quinam ut ſpecula & lucidi adamantes.*
§.13. *Epilogus.*

§. 1. *Læta plerumque miſcentur triſtia.*

ERgo placuit Altiſſimo tam cito turbare gaudia Virginis Matris? quam citò ex pulcherrima roſula, ex parvulo de Bethlehem creverunt ſpinæ? quam cito etiam Mater Dei experta eſt illud eſſe veriſſimum in hoc mundo, *ubi mel, ibi fel*, & illud S. Bernardi. *Hic nonnulla ſunt pulchra* (vel læta) *ſed mixta non pulchris* (mixta triſtibus) *ut lilium inter ſpinas*, quam cito cœleſti muſicæ ſenex Simeon injecit triſtiſſimum leſſum, de gladio, de vulneribus, & quidem vulneribus cordis, de ruina & interitu damnatorum. Qualis differentia inter hæc Cantica: *Ecce annuntio, & hic puer poſitus eſt* &c. Stabuli & præſepii gaudia, oracula templi mutarunt in ingentem triſtitiam. *Ecce hic poſitus eſt*. Geſtiebat præ gaudio Rebecca, dum poſt multos ſterilitatis annos tandem vidit ſe gravidam; in doloribus verò partus triſtior exclamavit Gen. 25. v. 22. *Si ſic mihi futurum erat, ut quid neceſſe fuit concipere?* Neſcio annon liceat mihi hodie his verbis alloqui matrem noſtri parvuli de Bethleem. O triſtiſſima mater ſi ſic futurum eſt, ut Simeon ait, ut hic tuus filiolus aliquando tam atrocia patiatur in ſua paſſione, quid neceſſe fuit concipere? Si ſic futurum eſt, ut aliquando ſub Cruce gladius immanis doloris pertranſeat animam tuam ob ignominioſam mortem hujus filii tui, quid neceſſe fuit concipere? Si ſic futurum eſt, ut quantumvis angeli canant, eſſe nobis natum Salvatorem, attamen hic Salvator, hic puer multis ſit futurus cauſa ruinæ & æternæ damnationis, quid neceſſe fuit concipere, quare natus eſt? Nolo modo labyrinthum hujus quæſtionis longius ingredi. Rebecca in graviſſimis doloribus juſſit filium ſuum vocari *Benoni*, id eſt filium doloris. O cœleſtis Rebecca! O Virgo Mater! his diebus tuus filius fuit tibi melleus, dulcis, lacteus, parvulus, fuit tibi riſus; hodie Patri cœleſti placet, ut ſit filius doloris & magni

magni doloris. Sic hodie incipis eſſe lilium inter ſpinas. Apud hunc puerum Simeon invenit gladios, qui pertranſibunt animam tuam. Et ecce primus hodie gladius ſtringitur! Væ cordi tuo materno, dulciſſima Domina! gladius iſte triſtis eſt oratio Simeonis, *Ecce hic poſitus eſt*. O Simeon, Simeon reconde gladium in vaginam, parce, parce virgineo cordi, parce & oculis noſtris & auribus; nam aures feriunt noſtras mira illa verba, quod hic infans poſitus ſit tam in ruinam multorum, quam reſurrectionem. Quid hoc amabo myſterii? Auditores ſi me benevole audietis, jam jam illud prolixius revelaturus aggredior. Favete.

§. 2. Citata verba, Tuam &c. lætas & triſtes cauſant cogitationes.

Lætas ſimul & triſtes cogitationes hæc verba Simeonis nobis poſſunt injicere. Mellea ſunt & fellea, reperio in illis roſas & ſpinas. Cauſa lætitiæ eſt, quod natus puer ſit cauſa reſurrectionis & ſalvationis multorum. Cauſa triſtitiæ eſt, quod idem hic puer multis ſit futurus ruina & cauſa damnationis æternæ. Vocula *Reſurrectio* fluit ex ore Simeonis melle. Vocula *ruina* ab eadem lingua ſtillat fel. Ob reſurrectionem puerulus roſa eſt vel lilium; ob ruinam ſpina. Sed quomodo in eodem puero fons oritur & triſtitiæ & lætitiæ? quomodo eadem vena fluit melle & felle? quomodo idem puer eſſe poteſt roſa & ſpina? Reſurrectio & ruina? Sed non deſunt in ſacris literis, quæ hanc quæſtionem plenius explicant figuræ, atque hiſtoriæ.

§. 3. Chriſtus Salvator mundi, eſt lux, illuminans paucos, non omnes.

Joannis 8. verſ. 12. & cap. 9. verſ. 5. publice in templo ſtans Salvator noſter medios inter ſcribas & Phariſæos palam ait, *Ego ſum lux mundi*, ſed & mox oſtendit ſe non eſſe lucem, quæ illuminet omnes, ſed paucos. Scribæ enim & Phariſæi, & obſtinati Judæi licet audiverint hæc verba ab ipſomet Meſſia prolata, licet oculis illum corporeis ſint contuiti, quoad intellectum tamen & cognitionem in denſiſſimis ſemper tenebris permanſerunt. Synagoga & mundus eum non cognovit; *tenebræ eam non comprehenderunt*. ad Roman. 11. verſ. 7. *Electio conſecuta eſt, cæteri verò excæcati ſunt* (ergo lux excæcat?) verſ. 8. *dedit illis Deus oculos ut non videant, aures ut non audiant*. verſ. 10. *obſcurentur*. In ſignum dum in templo illum vellent lapidare, etiam naturalem viſum Chriſtus Judæis abſtulit, ne illum viderent; hoc

hoc enim ſignificant verba illa Evangelii: *Ieſus abſcondit ſe.* Et ſtatim exiens ex templo, vidit hominem cœcum à Nativitate; huic & corporis & animæ viſum reſtituit idem Chriſtus, eadem lux. Videor mihi videre meum Chriſtum, à ſiniſtra verò illius excœcatos Judæos, denſiſque tenebris involutos. A dexteris cœcum illuminatum in clariſſima luce. Cœco hæc lux fuit cauſa reſurrectionis & ſalutis, Judæis cauſa ruinæ. Eſt mirabile! Principes & Sacerdotes obcœcatos deſerit! abit! ut huic cœco appropinquet, ſe ſiſtit; ut lumen infundat, ut oculos illuminet, eorumque lucem reſtituat. Hoc ſcilicet proprium Dei eſt opus, hæc eſt perfectio infinitæ illius lucis, nonnullos illuminare, multos relinquere in tenebris. Ideo cogitemus Simeonem illam prophetiam protuliſſe, non de Judæis tantum, ſed nobis omnibus, Parvulus natus eſt nobis. Diximus jacuiſſe ipſum in præſepio lucidum ad inſtar ſolis, perpauci tamen, ah perpauci illuminati ſunt! ſed cur tot alii ambulant in tenebris? pſ.34.v.6. *Via illorum tenebræ, & lubricum.* Eſſe in conſpectu Jeſuli ſuperbum & arrogantem, annon via tenebrarum; ubi tanta Dei humilitas non cernitur? eſſe incaſtum & Veneris mancipium coram Maria Virginum Virgine, coram Joſepho ſponſo caſtiſſimo: quid eſt hoc niſi oculis captum eſſe? *via illorum tenebræ*; Si videretur tanta puritas, non eſſet tantæ locus impuritati. Hoc nimirum eſt myſterium prophetæ Simeonis. Cum ego illud cum tremore conſidero, ſolatium percipio, ſi dicam cum Chriſto Domino Matth.11.v.25. *Confiteor tibi Pater, abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.*

§. 4. *Quid ſit (ex Iobo) Deum abſcondere lucem in manibus ſuis.*

Myſterium hujus lucis advertiſſe videtur Job.36.v.32. nam poſtquam multis egiſſet, de omnipotentia Dei, inter alia ait, *in manibus abſcondit lucem, & præcipit ei ut rurſus adveniat*, ideo Deus eſt pater & conditor lucis. Diſponit de ea Deus, tanquam legitimus ejus Dominus & creator lucis. Eia ad ſtabulum Bethlemiticum Auditores, vel ad templum cum Simeone nos conferamus. Puer in ſtabulo, puer in brachiis B. Virginis, ut nuper dixi, omnipotens eſt, quia puer Deus eſt; atque hac ipſa de cauſa etiam lucem ſuis in manibus abſcondit. Annon lux illa admirabilis

bilis lux, qua multi ex gentilitate convertuntur ad veram fidem cum tribus Magis, econtra innumerabiles, alii maneant in tenebris idololatriæ. Quid enim dicam de Judæis? O quanta, quanta illos caligo involvit! quis diſpellet has tenebras, ſi tam illuſtris ſol non potuit? in medio illorum ſol ortus eſt, tamen caligaverunt, & etiamnum caliginem circumferunt miſeri! quid ita? Deus *abſcondit lucem in manibus ſuis*. Cur abſcondit? *O altitudo divitiarum!* hoc ſcio, indignos ſeſe reddiderunt hac gratia. Atque idem eſto de Hæreticis judicium. In tenebris ambulant, dum ſol ſplendet in meridie, mira res! occultatum eſt lumen; vivitur in nocte, in errorum tenebris, in caligine! illa admirabilis lux qua multi illuminati convertuntur ad veram pœnitentiam; cum innumerabiles obſtinati hæreant in peccatis; illa lux quæ circumfulſit paſtores, illa lux quæ illuminavit Magos, illa lux quæ hodie aperuit oculos Simeonis, hanc inquam lucem Jeſulus abſcondit in manibus ſuis, ab ejus imperio lucis hujus radii dependent, eam in ſuis geſtat manibus, illam ab illorum abſcondit oculis, his præcipit ut oriatur. Quemadmodum cum quis in manibus lucidiſſimum circumfert adamantem, quamprimum manum is claudat, ſplendor lucis latitat, ſi manum aperiat, cum luce mox ſplendor erumpit. Hoc modo Jeſulus veram & neceſſariam lucem habet in ſuis manibus, ſed cur his manum aperit, ut luceat, illis claudit, ut lateat? *O altitudo divitiarum,* hoc eſt myſterium vaticinii Simeonis, *Ecce hic poſitus eſt &c.* Dominus eſt, ſic placitum eſt ei. Ne tamen ruinam aliquis ſoli luci aſcribat. D. Greg. cit. verſum ſic legit. *Immanibus abſcondit lucem.* Immanes, ſunt immites, crudeles, vel magni & excelſi gigantes. D. Greg. *Immanes ſunt, qui ſe elatis cogitationibus extollunt, quibus lux abſconditur, quia ſuperbientibus veritatis agnitio denegatur:* id eſt, humilibus poſitus eſt in reſurrectionem, ſuperbis in ruinam; ſuperbia ſuos in vaſtiſſimam tenebrarum & æternæ damnationis abyſſum præcipitat.

§. 5. *Cum in tota Ægypto eſſent tenebra, in terra Ieſſe fuit lux & dies.*

Age nunc veniamus ad Davidem qui pſ.147. v.20. pulcherrimæ facit figuræ mentionem: *Non fecit taliter omni nationi.* Salomon Sapient.17. obſervavit parentem ſuum his verbis locutum fuiſſe de peculiari gratia, qua Deus ter optimus populum in

Ægypto

Ægypto captivum affecit. Cum enim in Ægypto palpabiles eſſent tenebræ, & horribiles in univerſa illa regione, adeo ut complures præcipitati fuerint in voragines, verſ. 17. ait *una catena tenebrarum erant omnes colligati.* Tamen in anguſto loco, in quo morabantur Iſraelitæ, in terra Jeſſe *lux erat.* Id quod factum eſt in luce corporali. fit hodie in ſpirituali. Ægyptus eſt hic mundus, plenus tenebris, in quibus tot milliones animarum præcipitantur in infernum. His diebus dum parvulus natus eſt in Bethleem, prodiit *vera lux mundi.* Illa lux de qua prædixit Iſ. c. 49. v. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea, uſque ad extremum terræ. Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt?* illa lux de qua dixit Sophonias c. 2. v. 11. *Illuceſcet Dominus ſuper omnes gentes, & adorabunt eum unusquisque de loco ſuo.* Pulchre deinde S. Paulus ad hæc verba ad Titum 2. v. 11. *Apparuit* (ſive illuxit) *gratia* (ſive lux) *Dei noſtri omnibus hominibus.* A ſolis ortu uſque ad occaſum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto, id eſt, Sol. Et unde in Aegypto, in hoc mundo, non inter gentiles tantum, non inter Judæos ſolum & hæreticos, ſed inter Catholicos, in omni ſtatu hominum tantæ tenebræ? tam palpabiles, tam horribiles? & quidem in ipſo ſolis conſpectu? & quomodo in ſola terra Jeſſe tam pauci veram lucem agnoſcunt? quomodo illuminantur tam pauci reſpectu illorum qui ambulant in tenebris? Quid quæro? hoc nimirum eſt myſterium triſtiſſimi vaticinii Simeonis, *Ecce hic poſitus eſt*, felix qui conatur ut habitet in terra Jeſſe, ut ſit inter paucos qui illuminantur. Felix qui ſequitur conſilium ſapientis c. 16. v. 28. *Oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Ut illuminentur, hoc identidem humilibus precibus contendamus à parvulo, ut ſuam nobis lucem impertiat, ut nobis ſit non in ruinam, ſed in reſurrectionem.

§ 6. *Similitudo.* Sed ecce præclarum nobis documentum præbet pſaltes ille regius pſ. 33. v. 6. *Accedite ad eum & illuminamini.* Si contingeret divitem mercatorem venire ad nundinas, & in foro exponere menſam plenam lucidiſſimis adamantibus. Quantumvis illi in foro ſplendeant, fulgeantque, non tamen eorum, qui intra domeſticos

ſticos manent parietes, nec ad forum prodeunt oculos perſtringent. Non ſatis eſt lucere gemmas, oportet accedere. O ſuperbi! dives mercator de cœlis venit in ſtabulum Bethlemiticum, O quam lucet adamas perfectiſſimæ humilitatis! ſed accedite humiliamini cum Regibus, lucem ſuſpicite, Deum hominem adorate, humiliamini ſub potenti manu Dei parvuli, hoc eſt accedere forum, hoc eſt venire ad lucem, ſic pulcherrimum Adamantis (Amantis volui dicere) ſplendorem videbitis. Et vos invidi, vos iracundi animi, qui nihil de amore, nihil de charitate fraterna, nihil de inimicorum dilectione vultis percipere, quid mirum, quod vobis adamas noſter non luceat? Manetis in cogitationibus vindictæ atque odii: cur non exitis ad nundinas amoris? ad forum gemmarum cœleſtium? ad ſtabulum in Bethleem? ibi, ibi adamantes, ibi gemmæ, ibi lux, ibi ſplendor.

§. 7. *Columna ignis & nubis qua Iudaos deduxit per deſertum, fuit figura Christi.*

Sed nec deeſt nobis figura Chriſti Domini, eaque nobiliſſima eſt & mirabilis illa columna, qua Dominus deduxit populum per deſertum. Iter erat difficile, durum, aſperum. Joſue. 5. v. 4. *In deſerto per longinquos via circuitus*, pro cœleſti duce Deus illis dedit *columnam ignis & nubis*. Exodi. 13. v. 21. ſive, *Illuminans & protegens*. prætereo innumera myſteria. Rupertus in gen. hoc obſervavit. *Ad ingreſſum maris, una eademque columna, & nubes tenebroſa, & noctem illuminans erat, quia ſecundum diverſa, imo & contraria merita, una eademque virtus piis lucebat, impios excæcabat. In quo myſterium patefactum eſt, quia videlicet unum eundemque Chriſtum* (1. Cor. 1. v. 23. ait Apoſtolus) *prædicamus, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, quod valde eſt obſcurum. Ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Dei ſapientiam, quod valde eſt luminoſum.* Cajetanus in eundem locum, *Ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis*, ait: *Ex hac litera ſolvitur quæſtio an fuerint duæ columnæ, altera nubis, altera ignis: hic enim clare narratur, quod una eademque columna fuerit columna nubis & ignis, quia utrumque officium reipſa exercebat.* Ecquis unquam de tali prodigio inaudiit? Figuram percepiſtis? nunc & figuratum accipite.

Digitized by Google

§.8. *Proſecutio.* Nimirum graphice Chriſtus delineatur, & parvulus de Bethlehem! Columna ignis & nubis, eſt Jeſulus; ignea eſt ob ignem Divinitatis, vel naturam Divinam; nubes eſt, ob humilitatem. Hic parvulus eſt columna firma, cui tota innititur creatura. Ad Coloſſ.1.v.16. *Quæ in cælis, & quæ in terris ſunt.* Columna divina, quæ ut ignis eſt, nos illuſtrat atque vivificat &c. ut nubes eſt, nos refrigerat & protegit. In hodierno Evangelio hoc obſervavit Simeon, quod eadem columna hos quidem illuminet, illos autem excœcet; prout diverſa ſunt, atque contraria merita, piis lucet, impios excœcat. Et hic genuinus eſt ſenſus mei thematis, *Ecce hic poſitus eſt.*

§.9. *Quo ſenſu dicatur Chriſtus Dominus lux illuminans omnem hominem.* Porrò hæc ipſa verba ſecundum diverſa merita, acutiſſime explicat Origenes ſuper illa verba S. Joannis c.1.v.9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Scilicet Chriſtus Dominus. Sed occurrit hæc difficultas, quomodo hæc dici poſſint, cum non ſolum plurimi, etiam cum orta fuit hæc lux, non tantum non fuerint illuminati, ſed obtenebrati potius atque obcœcati ejus ſplendore & præſentia, ſic ut Chriſtus Dominus ipſe non immerito conqueratur Joann.3.v.19. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Orig. *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ compleretur.* cap.6. v.10. *Excæcavit oculos eorum.* vel prout initio dixi. *Ieſus abſcondit ſe.*

§ 10. *Alios illuminat ut lateres; alios ut ſpecula.* Multa de hoc argumento adferunt Doctores, breviter ſed ſubtiliter cit. Orig. *Illuminat omnem hominem, quoſdam ut lateres, alios ut adamantes & ſpecula.* Oritur mane ſol, quaquaverſum extendit & projicit radios ſuos, ad omnes per univerſum mundum lucem ſuam diffundit. Eccleſ.42. v.16. *Sol illuminans, per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus ejus.* Omnia quidem, non tamen eodem modo illuminat, ſed tanta cum differentia & diverſitate, quanta inter res ipſas maxime diverſas intercedit. Aliqua illuminat exterius tantum, & velut ſecundum extimam ſuperficiem, intus obſcura & abſque omni luce permanent. Alia ita lumen recipiunt, ut intimas pervadat medullas, & in omnibus quaſi latebris facem accendat. Illuminat ſol lapides;

pides, illuminat & adamantes & ſpecula. Verum cum ſit lapis luti particula, ex qualitatibus terrenis luci contrariis, eo quod ſit corpus opacum, craſſum, denſum, intus manet obſcurum. Adamas autem, eſt veluti quædam cœleſtis particula, diſpoſita luci intus recipiendæ, & cum ſit corpus tranſparens, ideo facillime recipit & imbibit lucem, ut & ipſe ſol quidam, vel lux illuſtrior videatur.

§.11. *Quinam ex nobis illuminentur ut lateres.*

Non mihi modo ſermo eſt ad Judæos, Gentiles, vel hæreticos, ſed ad vos chariſſimi mei Auditores; itaque adeſte coram præſepio; ecce parvulus, ecce ſol, ecce lux mundi in illo reſplendet. Exponite corda veſtra! quid hoc? in conſpectu lucis quam ſunt obſcura! adverto cauſam, ſunt lapis, inſunt diſpoſitiones luci huic contrariæ, ineſt amor inordinatus, ineſt lutum cupiditatum terrenarum: quid dico? ineſt amor fœdæ voluptatis! hæc lutum eſt. Ineſt amor auri atque argenti nimius! lutum eſt. Ineſt cura nimia rerum temporalium! lutum ſunt. O ſol divine, quoties, ô quoties clariſſimi tui radii reflectuntur in ejuſmodi lutum! quis tibi defectum lucis aſcribat? non tu tenebras cauſas. Tu ô homo, tuus luteus amor, tua lutea voluntas, tua lutea deſideria cœleſtem illam lucem præpediunt. Talia corda non illuminat Jeſulus. Sed hæ tenebræ cordis ſunt diſpoſitio ad tenebras exteriores. hoc prævidit, hoc prædixit Simeon, *Ecce hic poſitus eſt in ruinam multorum.*

§.12. *Quinam ut ſpecula & lucidi adamantes.*

Quodſi verò corda veſtra ſunt adamantes, & ſpecula plena diſpoſitionibus ad recipiendos lucis tam cœleſtis radios, illuminabit vos Chriſtus, ſed ſic illuminati dicamus cum S. Paulo. 2. Cor. 3. v. 18. *Nos revelata facie gloriam Domini ſpeculantes* (in parvo puero) *in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.* Græci Patres legunt, *gloriam Domini inſpeculantes*, quod ſignificat, ut ait D. Chryſoſt. *Recipimus gloriæ radios ex Chriſto in nobis ipſis velut ſpecula.* Recipimus radios humilitatis, & cum Chriſto ſumus humiles. Recipimus radios caſtitatis & cum Chriſto puritatis lilio, lilia efficimur. Recipimus radios manſuetudinis & cum Jeſu agnello mites pariter agni reddimur. O pulchra, O clara ſpecula! Felix anima, quæ ſic recipit cœleſtes radios, qui nullo

Digitized by Google

nullo unquam tempore deſunt, in hanc animam, tanquam ſpeculum obtutus ſuos cum gaudio defigunt cœleſtes ſpiritus. Speculum ita illuminatur, ut videatur in eo ſol, & Chriſtus in nobis ſic videri debet. *Vivo ego, jam non ego, vivit vere in me Chriſtus*, ait Doctor gentium ad Galat. 2. v. 20. His poſitus eſt in reſurrectionem.

§. 13. Epilogus. Finem impono dictioni, & vos extremum alloquor verbis S. Pauli ad Rom. 11. v. 21. *Tu fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat, vide ergo ſeveritatem & bonitatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem; in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Ita, ita, mi parvule, bonitatem volo, non ſeveritatem, ecce cor meum, irradia, illumina, ure, combure, accende quantum voles: Sic mihi, meisque Auditoribus poſitus eris in Reſurrectionem, in lucem vitæ, in ſplendorem gloriæ ſempiternæ.

CONCIO VI.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.
Luc. 2. c. v 49.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Occaſione devotionis, Duodennis pueri in templo, commendat illam devotionem, quæ per frequentes cordis in cœlum elevationes, per pia ſuſpiria, per teneros virtutum, divini præſertim amoris affectus, nos Deo facit familiares.

§. 1. *Brevis repetitio Concionis anni ſuperioris.*

§. 2. *Qua ratione ex mente S. Chryſoſtomi, ſemper poſſimus eſſe in oratio-*

oratione, ſive devoti. Elevando frequenter corda noſtra ad Deum.

§. 3. *Qualis debeat eſſe illa elevatio cordis, vel devotio.*

§. 4. *Quo ſenſu dicatur noſtra devotio myſterium.*

§. 5. *Devotio interior frequenter erumpit in actus devotionis exterioris.*

§. 6. *Devotio hac, omnes noſtras occupationes facit pretioſas.*

§. 7. *Devotio hac, cor hominis convertit in pulcherrimum horologium. Vbi de horologio Paſſionis.*

§. 8. *Devotio hac peregrinationem vita noſtra facit levem & jucundam.*

§. 9. *Quanta devotionis hujus ſit utilitas.*

§. 10. *Epilogus.*

ANtequam præſentem ordiar Concionem, propter materiam, quam tractabo, neceſſarium eſſe duxi, ut paucis vobis in memoriam revocarem illa, quæ anno ſuperiori hac Dominica à me explicata fuerunt. Si puer duodennis eſt lucidiſſima ſtella, ob flammam & ignem Divinitatis, ob radios divinorum attributorum, ob radios ſanctitatis, ob radios doctrinæ, ob radios miraculorum, ob radios variarum virtutum, ſine dubio duo radii pulcherrimi ſunt ſapiẽtia & devotio. Hęc enim ſunt duo eximia pueri duodennis elogia, quod & ſapientiſſimus ſit, & devotiſſimus. Alias ago de ſapientia; hodie devotionem ejus optarem nos præcipue imitari, ideo tum in communi dixi, devotionem nil aliud eſſe, quam vivam, alacrem, & promptam voluntatem faciendi omnia, quæ vult Deus, quæ virtus in Chriſto D. fuit perfectiſſima. Deinde à generica hac devotione ad aliquas ejus ſpecies deſcendi, v. g. Dei voluntas eſt, ut magno cultu & veneratione obſervemus dies feſtos, faciendo & exequendo opera Chriſtianæ devotionis, qualia ſunt, viſitare templa, audire ſacra, intereſſe Concioni, vacare orationi, converſari cum Chriſto Domino. Qui in his eſt excellens, & perfectus, exemplo Chriſti Domini eſt devotus: mereturque divinarum capax fieri benedictionum. *Maledictus* verò eſt, *qui opus Dei facit negligenter*, præſertim diebus feſtis. In eadem Concione, ſi meminiſſe vultis, inſinuavi exercitium veræ devotionis eſſe, vel virtutem hanc exigere, ut homo inter ſuas occupationes, labores, negotia, &c. non

§. 11 Brevis repetitio Concionis anni ſuperioris.

non obliviſcatur Dei ſui, ſed cum illo agat ſubinde per orationem & alia exercitia pietatis. Aureum hoc monitum non potui pro dignitate deducere. Faciam itaque hac Concione, neque ſine fructu, ſi conſueta attentione, quod ſpero, dictionem meam proſecuti fueritis.

§. 2. Qua ratione ex mente S. Chryſoſtomi, ſemper poſſimus eſſe in oratione, ſive devoti. Elevando frequenter corda noſtra ad Deum.]

Devotionem, quam in vobis deſidero Auditores, elegantiſſime deſcribit S. Chryſoſt. hom. 22. in ep. ad Hebræos. *Deſidero vos ſemper in oratione, & ſi non ſemper, ſaltem ſæpius, ſaltem plerumq; vel in matutinis, vel in veſpertinis horis, ſi diu extendere manum non potes? extende voluntatem; quantum vis, iſtam extende; ſi vis, uſque ad ipſum cælum, & ſi vis ipſam verticem contingere, quin & in ſuperioribus, ſi voles, incedere licet, omni namque penna levior & ſublimior mens noſtra eſt.* Hoc certum eſt, vix ullum eſſe ſtatum, in quo occupationes atque negotia permittant, ut diu multumque precibus inſiſtamus. Ille vinitor, qui in vinea vellet orando aliquot roſaria percurrere, certe non erit admodum gratus Domino ſuo. Ille famulus Domeſticus, qui cum urgent mandata Domini, vellet in ſuo cubili propriæ vacare pietati, illa ancilla, quæ cum ligna conferre, focum inſtruere, parare cibos, ac coquere debet, neglecto iſto officii ſui penſo vellet aliud ex alio templum inviſere; profecto meritam incurrerent invidiam ac pœnam; nam ut ſuum cuique tempus eſt; ita & ea quibus obſtricti ſumus ſervitia, nequaquam ſunt negligenda; nihilominus tamen hoc fieri poteſt, & omni quidem in ſtatu, ut quis ſubinde extendat cor ſuum, & illud ad Deum ſuum quodammodo elevet. Leviſſimum eſt cor hominis, cogitationibus ac deſideriis momento ſe librare poteſt ad thronum divinæ Majeſtatis. Sodalis aliquis agoniæ v.g. evolat in palmam ſanctiſſimæ Crucis, ad vulnera Salvatoris dum ſcribit, dum laborat, &c. hoc modo, Auditores, deſidero vos ſemper verſari in oratione. Licet talis oratio ſit inſtantanea & momentanea, tamen penetrat nubes, penetrat cœlos, aereum, ſydereum, Empyreum, & in uno momento divinæ ſeſe majeſtati repræſentat. Poſt labores, poſt negotia, tum utile erit intrare cubiculum ſuum, vel diebus etiam feſtis templa frequentare, & diutius in preces incumbere.

Qualis

§. 3. *Qualis debeat eſſe illa elevatio cordis, vel devotio.*

Qualis ſub ipſa oratione eſſe debeat homo, inſinuat S. Chryſoſt. h. 79. ad pop. *Totam colligens animam ſuam, & nihil habens cum terra commune, ſed in ipſum ſe transferens cœlum, & omnem ex animo pellens humanam cogitationem.* Si hodie eſſet dies Congregationis Agoniæ, monerem meos ſodales, qua devotione recitare debeant roſarium quinque SS. Vulnerum, vel quinque Pater & Ave, vel alias ad ſuffixum in Crucem Jeſum pias preces. nempe ſub his ſuſpiriis, precibus, affectibus, tota, tota quanta eſt, colligenda eſt anima, nihil ſit tum commune homini cum terra & qui tractat cœleſtia, in cœleſtem quaſi ſpiritum transformetur, transferatur in cœlum animus, cor, lingua, oculi; transferatur affectus omnis in cœlum, cœlique authorem Deum, modo occurrent benedicta vulnera Jeſu! modo ſacroſanctum ejus latus, modo facies amabilis; hoc agere debet talis orans, ut &c. repete pulchre. ut ſe totum transferat in ſanctiſſima vulnera, & cor Chriſti. O quam eſſemus felices, ſi tota vita noſtra talis eſſe poſſet oratio! verum cum hoc fieri non poſſit, cum & laboribus ſit vacandum, cum & ſutores atque ſartores ſedere laboribus intentos, cum fabros ferrarios ſtare ad ſuas fornaces, cum elevare malleos & ferrum tundere oporteat, non equidem ſum neſcius orationi vocali nec locum eſſe commodum, nec tempus. Sed quis prohibebit, quo minus ſubinde anima ſe colligat, quo minus cor ſe aperiat, & transferatur ad cœlum, imo quid prohibet, quo minus lingua ſubinde dicat: Tibi mi Deus, tibi mi Jeſu, tibi hi mei labores, tibi ſudores mei, tibi omnes manuum ac brachiorum motus, tibi pedum greſſus ac veſtigia, tibi tibi mi Deus, & non alteri, tibi dono, do, dedico, conſecro univerſa. Hoc eſt, cor habere leviſſimum, hoc eſt alas cordi adjungere, quibus inſtar aviculæ ſe tollat in altum. Hæc eſt illa devotio quam à vobis exigo, quam hodie ſuadeo, atque utinam etiam perſuadeam, præſertim hoc tempore, quo teneriorem à nobis pietatem exigit Jeſus puerulus.

§. 4. *Quo ſenſu noſtra devotio dicatur myſterium.*

Non ſine myſterio idem S. Chryſoſt. h. 19. in c. 6. S. Matth. hanc orationem vel devotionem vocat myſterium, & ſimul devotionem, quam à vobis exigo, amplius declarat, & ait, *ſic ora, ut Deo familiaris efficiaris, interpellatoris frequentia, ut de imo prorſus corde & ar-*

& arcano pectore trahantur ſuſpiria, & ſic Orationem tuam fac eſſe myſterium. Orationem eſſe myſterium nil aliud eſt, quam ita reconditam eſſe inter pectoris noſtri arcana, ut niſi ſoli Deo, & nulli pateat alteri. Sæpe videmus v.g. opificem aliquem, totum in exteriora diffuſum negotia, ſed non videmus quam ſit familiaris Deo, cor non videmus, quod eſt in cœlo. Tale cor, talis oratio nobis eſt myſterium, res abſcondita, ſed Deus videt. Pulchrum ſimile habet, eoque hanc devotionem nobis præſcribit Orig. hom. 9. in Exodum. *Habeat anima mea in ſe altare defixum, in quo orationum hoſtias & victimas offerat Deo.* Sic eſt, licet homo exterior ſit occupatiſſimus, cor tamen poteſt eſſe altare, poteſt eſſe templum, poteſt eſſe thuribulum aureum plenum odoribus ſuaviſſimæ orationis, licet inſtantanea, licet momentanea ſit. Neſcio qui fiat, quod in hac Concione toties mihi occurrant ſodales congregationis Agoniæ, cauſam puto eſſe, quia tenerrimo illos amore complector. In templo eſt altare, in quo aſſervatur ſanctiſſimum Sacramentum, vix ullum eſt altare, in quo non ſit imago Crucifixi. Talia altaria cupio eſſe corda veſtra, cupio vos ſemper coram illis orationi vacare; non ut omittatis reliquas occupationes, non, ſed ut inter illas ſubinde, frequenter vel unico ſuſpirio refricetis memoriam ſanctiſſimorum Vulnerum Chriſti. Nimirum hæ orationes ſunt Deo ſuaviſſimæ hoſtiæ & victimæ.

§. 5. *Devotio interior ſæpe erumpit in actus devotionis exterioris.*

Perſonis valde devotis frequenter accidit, quod lego de Joſepho, Gen. 43. v. 30. is enim poſtquam diu diſſimulaſſet quis eſſet, coram fratribus, tandem erupit in lacrymas & ſuſpiria. De quibus pulchre obſervavit S. Greg. M. in Ezech. l. 2. hom. 21. *Se ultra cohibere Ioſeph non valens, pietas clauſa prorupit in medium, & excuſſit lacrymas*, hoc inquam accidit perſonis ſanctis, diſſimulant ſe agere familiariter cum Deo, laborant, ſuis ſunt negotiis intenti; expediunt agenda: ſed interim clauſa in corde pietas frequenter erumpit in gemitus, in ſuſpiria. Incluſa pietas, abſconditus amor excutit pios affectus. Talem ego devotionem, tales orationes inter labores, inter negotia, inter occupationes, à vobis deſidero. Optarem corda noſtra eſſe ſilices, in quibus veluti concluſus in carcere ignis deliteſcit, ut, quamprimum vel modice tanguntur à bona

bona cogitatione, erumpant ſcintillæ divini amoris. Hanc virtutem ſanctis cogitationibus attribuit S. Iſacius Ab. t.5. Bibl. PP. *Ex novis cogitationibus quæ ſuperveniunt menti, etiam inter labores, oritur calor ſive menſura in corde meditantis.* Expertus fuerat David, cum dixit, *in meditatione mea exardeſcet ignis* pſ.38. v 4. Non ego jam loquor de illis meditationibus, quibus integris horis vacamus, cogitationes ſanctæ etiam pia ſunt meditatio, quas cum medias inter occupationes facillime de Deo, de Paſſione Chriſti &c. concipere poſſimus, facilis eſt etiam inter negotia Deum amandi praxis ac methodus. Hanc à vobis devotionem præſertim à meis ſodalibus deſidero.

§.6. *Devotio hac omnes noſtras occupationes facit pretioſas.*

In vita B. Aloyſii de ipſo refertur l.2.c.32. *Omne temporis momentum, quod ſibi Deus extrema ſua vita concederet, tanti æſtimabat, ut non niſi in rerum pretioſarum tractationem expendi vellet.* Sic omne tempus vitæ noſtræ deberemus impendere. Et quomodo? pretioſa occupatio eſt, v.g. intereſſe auditioni ſacri, ſed quis tres quatuorve horas ante meridiem hærebit in templo? Pretioſa occupatio eſt orare officium divinum; ſed pertinet hoc ad religioſos & Eccleſiaſticos, ſæcularibus ubi ſuppetet tempus, ut legant hoc officium? Pretioſa occupatio, pretioſa devotio eſt recitare roſarium B. Virginis, ſed quis ſervo vel ancillæ dabit otium, ut ſic ſe occupent? Et quid mihi hæc objiciuntur, cum talia non à vobis exigam? fateor ita eſſe: ſed ego hodie modum ſuggero, quo omnes etiam exteriores occupationes poſſumus reddere pretioſas & ſanctas, nimirum per cogitationes ſanctas, per memoriam præſentiæ Dei, per memoriam paſſionis, v.g. mane poſtquam Deo egiſti gratias, vadis raſtro vel ligone inſtructus ad vineam, ut per tres aut quatuor horas, imo totam diem laboribus inſumas. Eia hos labores fac pretioſos, fac pretioſas omnes horas, plus dico, omnes elevationes brachiorum fac pretioſas, imo omnia momenta, quæ fluunt per diem, fac pretioſa, per cogitationes ſanctas, per pia deſideria, per orationes jaculatorias. Hanc ego orationem, hanc devotionem à vobis exigo Auditores, à vobis chariſſimi mei ſodales, ut totam vitam veſtram faciatis pretioſam, per breves, ſed

Digitized by Google

ardentes oratiunculas de ſanctis quinque Vulneribus, vel pretioſa erit vita, ſi pretioſa ſit actio; pretioſa erit actio, ſi pretioſa fuerit intentio; pretioſa erit intentio, ſi pretioſa fuerint ſuſpiria. Qualia vero ſuſpiria? Mi Jeſu amo te, amo amo te Crucifixe Jeſu! *pretioſa ſuſpiria!* Tibi vivo mi Jeſu, tibi laboro, tibi me defatigo; Tibi meæ manus, pedes, nervi, brachia ac vires corporis operam ſuam addicunt; propter te mi Jeſu! *pretioſa ſuſpiria!* doleo, mi Jeſu doleo! infelix hora, qua te ſummum meum bonum potui offendere!

§. 7. *Devotio hæc cor hominis convertit in pulcherrimum horologium. Vti de horologio paſſionis.*

Optarem vitam noſtram eſſe quoddam horologium. Continuo hoc movetur, non tamen niſi cum elapſa hora moventur rotæ, tum elevatur malleus, cujus ſonus ad ictum campanæ, ab omnibus auditur. Sonus non eſt continuus, ſed intra diem naturalem vigeſies quater auditur. Per motum horologii intelligo vitam noſtram activam & exteriorem, quæ ob occupationes, ob negotia in continuo quaſi motu verſatur: hoc igitur opto, ut rotæ cordis noſtri, ut pii affectus, ut actus pulcherrimarum virtutum, ut pia ſuſpiria ſaltem ſubinde de die concurrant. Motus rotæ in humili corde erit, ſi breviter cogites, *amo te Deus meus.* Motus pulcherrimæ rotæ in humili corde eſt, ſi cogites, *Ieſu! doleo!* Hæ rotæ elevant malleum, ſive movent linguam, ut & hæc ſonare incipiant, *Benedictus Deus!* plurimorum linguæ ita ſunt aſſuetæ, ut dum ſonat horologium, lingua & cor, & omnes rotæ cordis, varii pii affectus ſonet ſalutationem Angelicam, *Ave Maria*, præcipue *Benedictus Ieſus.* Iterum alloquor Sodales Agoniæ, ab his peculiares exigo devotiones. Libelli pii faciunt mentionem Horologii Paſſionis, ſunt viginti quatuor rotæ, totidem ſcilicet, quot in die naturali ſunt horæ. Quævis hora recolit illud myſterium, in quo Chriſtus illa hora paſſus eſt. v.g. ſexta veſpertina Chriſtus Dominus valedixit matri &c. Eo felicitatis pervenit ars & induſtria artificum, qui conſtruunt horologia rotata, ut integrum cum omnibus rotis horologium parvulo annulo, qualem habuiſſe fertur Carolus V. incluſerit. Utinam & ego talis eſſem artifex, hoc horologium paſſionis vellem includere cordibus meorum ſodalium, illo fine, ut dum totos dies laborant, dum in continuo ſunt exteriori motu; ſaltem frequenter ſonet in cordibus horologium

Digitized by Google

logium paſſionis, id eſt, ut breviter ſint memores eorum, quæ Chriſtus Dominus noſtri cauſa paſſus eſt, præcipue ſanctiſſimorum Vulnerum & mortis Chriſti, poteſt id fieri facillime in recitatione Salutationis Angelicæ, ad illa verba, *Benedictus ſit Ieſus, Benedictus qui ſanguine ſudavit &c.* Hanc orationem, hanc devotionem à vobis exigo mei Auditores & ſodales chariſſimi.

Vita noſtra non ſine myſterio comparatur peregrinationi. §. 8. Sumus nuntii in via ad cœlum, ſed per eremum & deſertum hujus mundi. Imitemur nuntium, non hic totos dies & noctes currendo conſumit, ſuo tempore quieſcit, ſuo tempore comedit & bibit, ſuo quoque tempore ſomno indulget. Quodſi forte in ſylva amœniſſimam aliquam arborem, & ſub illa pulchrum & limpidum fontem conſpicatur, deponit ſarcinam, & ſub illa arboris umbra aliquamdiu quieſcit. Et dum ambulat, dum currit, frequentiſſime cogitat de loco ad quem tendit, & eo quidem frequentius, quo magis ſe defatigari advertit. Talem cupio eſſe vitam noſtram, ite, currite, laborate; ſed quæſo, prout corpori permittitis ſuo tempore quietem, imo comeditis, bibitis, dormitis, ſic & ſuas habeat morulas anima, quibus de Deo, de Chriſto Domino, de cœleſti patria cogitet, ſaltem breviter, in inſtanti, in momento id fieri poterit. Arbor & fonticulus quorum feci mentionem, rurſus mihi cauſam præbent meos alloquendi ſodales, vos, vos eſtis feſtinantes illi nuntii ad cœlum, per pulcherrimam ſemitam inſignis devotionis propero gradu contenditis; ſed ecce palmam, ecce arborem ſanctiſſimæ Crucis; ecce fontes Salvatoris, ecce roſea Chriſti Vulnera, in his & ſub hac arbore præclara eſt umbra, cur non ſubinde de die inter veſtros labores nonnihil conſideris & quieſcitis? Cur non apprehenditis fructus illius palmæ cum ſponſa, nam fructus ſunt dulces gutturi, imò non gutturi tantum, ſed & pectori. Quid juvat ire continuo? quieſce ſubinde, quieſce mi bone viator, & laxa pectus ſuſpiriis, renova frequenter pias tuorum laborum intentiones, dic, propter te mi Jeſu; Tu, tu finis, tu ſcopus, Tu centrum es actionum mearum omnium: hoc volo dicere, hanc devotionem à vobis exigo, fre-

Devotio hæc peregrinationem vitam noſtram facit levem & jucundam.

quenter inſtantaneis ſuſpiriis eſtote memores Crucifixi, & ſanctiſſimorum Vulnerum.

§.9. *Quanta devotionis hujus ſit utilitas.*

Æquum eſt ut pro coronide hujus Concionis ex Sanct. Auguſt. in tr. de miſericordia t. 10. addam eximium fructum hujus modi orandi, vel devotionis, quam vobis propoſui, & quam à vobis exigo, ſic ait cit. loco. *Per hanc, qui ſtant non cadunt, & qui eliſi ſunt, eriguntur, hæc magna ſervat, hæc tutatur minima, per hanc gubernamur in proſperis* (pulchre hoc) *per hanc fiduciam gerimus in adverſis* (p. hoc) *hanc quaſi tutiſſimam navim deſideriorum noſtrorum mercibus oneramus, ut ad omnipotentem Deum perveniat, & conſilium ejus ſciat.* Puto me vidiſſe aliquando hoc Emblema. Navis ex Indiis afflantibus Zephyris appellit ad urbem, cum hoc lemmate: *dives ingreditur portum.*

§.10. *Epilogus.*

Talis navis eſt cor devotum, *dives ingreditur portum*; dives meritis, dives gratia Dei, dives fructibus æternæ vitæ. O felix navicula! perge faventibus ventis, aurum portas, & theſaurum gloriæ, perge ô anima, ventus, qui vitæ tuæ ceu navigationis curſum promovet, ſunt ſuſpiria, velum eſt pia mentis intentio, perge, nec tempeſtates metue vel naufragium, favent omnia tuo progreſſui, *Cœlum favet*, nam id continuo aſpiras; *venti favent*, nam à Spiritu Sancto proveniunt tam ſancta ſuſpiria; *fluctus favent*, nam temperantur amore; *Deus favet*, nam & hic curſum dirigit, & juvat in remigando. Gaude ô anima, ſi eo quo dixi modo devotioni addicta es, dives vitæ portum æternæ feliciter ingredieris.

CON-

CONCIO VII.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ.

Joan. 2. cap. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX S. Paulo inſtruuntur mariti, quomodo uxores diligere debeant, ſicut Chriſtus Dominus dilexit Eccleſiam, & uxores maritos, ſicut Eccleſia Chriſtum.

§. 1. *Quanta ſit dignitas ſtatus matrimonialis.*

§. 2. *Amor Chriſti erga ſuam ſponſam, ſive Eccleſiam, eſt ſpeculum conjugalis amoris. Inprimis maritis.*

§. 3. *Contra hæc peccant mariti.* Primò *non caſti, & qui alienas plus diligunt quam uxores proprias.*

§. 4. Secundò *viri nimium auſteri, barbari, præſertim in verbis.*

§. 5. *Quanta ſit efficacia ſuavium verborum in marito erga conjugem.*

§. 6. *Maritus debet eſſe Pater & Paſtor, ut diligat uxorem ſicut filiam & oviculam.*

§. 7. Tertiò *mariti potatores, dilapidatores.*

§. 8. *Uxor diligat maritum ſicuti Eccleſia diligit Chriſtum Dominum.* Primò *ut amet tenerrime & caſte.* Secundò *præ omnibus aliis.*

§. 9. *Invectiva in uxores vagabundas.*

§. 10. *Sicuti Eccleſia eſt ſubjecta & obediens Chriſto, ita &c.*

§. 11. *Uxor ſit ſuavis in verbis, ne ſit viro grave onus.*

§. 12. *Suavitate verborum uxor debet placare iras mariti.*

§. 13. *Exemplo Eccleſiæ uxor debet eſſe patiens & fidelis.*

§. 14. *Epilogus.*

Digitized by Google

§.1. *Quanta ſit dignitas ſtatus matrimonialis.*

DE ſanctiſſimo ſtatu matrimonii (de quo occaſione lecti Evangelii hodierna Dominica tractare conſuevi) & gratia, quæ illi veluti Sacramento, in nova lege à Chriſto Domino annexa fuit, dixit Concilium Tridentinum; *Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugesque ſanctificaret, ipſe Chriſtus Sacramentorum inſtitutor, & perfector, ſua nobis paſſione promeruit.* Sed non eſt ſermo de gratia ſanctificante, vel auxiliante in communi; ſed illa, quæ cuivis ſacramento ſolet ſigillatim conferri. Baptiſmo, gratia regenerans; Confirmationi gratia roborans; Euchariſtiæ, gratia nutriens; Pœnitentiæ, gratia ſanans, extremæ unctioni, gratia conſolidans; Ordini, gratia magnæ cujuſdam poteſtatis in Eccleſia; Matrimonio denique gratia quædam peculiaris, quæ effectus prorſus eximios ſortitur. Sacramentalis illa gratia in matrimonio, eſt veluti frœnum cohibens concupiſcentiam & impediens adulteria, aliosque actus illegitimos contra caſtitatem & puritatem, quam ſanctus hic ſtatus etiam inter conjuges requirit. Illa gratia eſt quidam ſtimulus excitans ad amorem ſanctum. Eſt ſemen pacis & concordiæ; eſt oleum corroborans ad portandum jugum tàm grave? Eſt rota, quæ ſuaviter vehit currum matrimonii; eſt vinum, quod lætificat cor conjugatorum. Eſt mel, quod amara reddit dulcia. Eſt funiculus, ſive nodus, quo colligati vir & mulier ſunt & ſibi mutuo conſentientes, de quo conſenſu Eccleſiaſticus ait cap. 25. v. 1. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo; quæ ſunt probata coram Deo & hominibus; concordia fratrum & amor proximi, & vir & mulier ſibi bene conſentientes.* Denique ſacramentalis illa gratia, conjuges facit ſanctos, ut illis per peculiarem gratiam adſint Jeſus & Mater ejus Maria. Tales opto eſſe omnes conjugatos Bambergenſes; atque ut tales ſint, in hac concione, tum viris, tum fœminis, pulcherrimum ex S. Apoſtolo Paulo proponam ſpeculum, in quo maritus intueri poterit, qualem ſe eſſe oporteat erga uxorem, & viciſſim uxor, qua dilectione proſequi debeat maritum, ut in ſtatu matrimonii, ad quem à Deo vocati ſunt, vivant ſancte, pacifice, jucunde, feliciter.

§. 2. *Amor Chri-*

Ordior ab Apoſtolo & Doctore gentium, qui ad Epheſ. 5. v. 25.

Digitized by Google

v.25. paucis verbis conjugatis præclarum proponit ſpeculum, in quo contemplari poſſunt, num vivant vitam, quam ſtatus tam ſanctus ab illis expoſtulat. *Viri*, inquit, *diligite uxores veſtras.* Amor enim conciliat matrimonia fauſta, ſuavia, & fortunata. Odium, amaritudo, exaſperatio, reddunt illa gravia & infortunata: Ut verò mariti ſciant qualis ab illis amor exigatur, addit Apoſtolus: *Sicut Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Pauca hæc verba ſolidum in ſe diſcurſum & aurea continent documenta. Siquidem Chriſtus Dominus veluti ſponſus amavit Eccleſiam amore puro, caſto, & illibato: talis amor debet eſſe inter conjuges. Salvatori noſtro, poſt Patrem, in terris illa nihil fuit charius. Pari ratione marito in hoc mundo nihil charius eſſe debet ſua uxore ad Epheſ. 5.v.31. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ.* Cœleſtis ſponſus pro ſponſa ſua, ſive Eccleſia, ſe totum impendit, & in hodiernum diem illam nutrit ſuo corpore & ſanguine. Similiter maritus tenetur laborare, operari, ſudare; ut nutriat uxorem ſuam. Chriſtus Dominus erga ſponſam totus fuit ſuavis, dulcis, benignus, gratioſus, præcipue in verbis; hinc vocat pulcherrimam, amicam, columbam, ſpecioſam, ſponſam, ſororem, perfectam, electam. Suaves, dulces, benigni debent eſſe mariti erga uxores. ad Coloſſ.3.v.19. *Viri diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.* Chriſtus Dominus ſuam ſponſam non dilexit corde tantum, ſed etiam exterius dilectionem oſtendit in verbis, moribus, modo agendi, converſandi. Viri! hoc modo diligite uxores veſtras. hom.20. in Cant. dixit S.Bern. *Diſce Chriſtiane à Chriſto, quemadmodum diligas Chriſtum*, mutabo verbulum, quemadmodum diligas uxorem. Amor denique Chriſti Domini erga Eccleſiam, fuit, eſt, & erit fidelis atque conſtans uſque ad conſummationem ſæculi: talis ſit amor viri erga uxorem uſque in mortem.

Amor Chriſti erga ſuam ſponſam, ſive Eccleſiam, eſt ſpeculum conjugalis amoris, inprimis maritis.

§ 1.

Contra hæc peccant mariti. 1. non caſti, & qui alienas plus diligunt, quam uxores proprias.

Ex his facile colligere poteſtis, quòd multi viri ſuas uxores non diligant, prout Apoſtolus ab illis exigit. Nam primò multi non diligunt caſte; in matrimonio ſunt hirci, muli, impudentes canes. Sapientibus hoc loquendi modo inſinuo, frequenter inter conjuges in matrimonio graviſſima committi ſcelera, contra caſtita-

caſtitatem, quibus Deus graviſſime offenditur. Multi ſunt viri, quibus charior eſt uxor aliena, vel ancilla in domo, vel infamis meretricula, quam ſit uxor propria. Et quid ſi hoc ipſum uxores animadvertant? multi non æſtimant, imò viri reperiuntur tam profligatæ virtutis, ut licet non ignorent diſplicere conjugi talem amicitiam, converſationem &c. nihilominus non curent, ſed pergant clam, palam, furtive, publice fovere tales amicitias, licet compertum habeant, ſe ita rodere & affligere viſcera uxoris. Quis inter tales conjuges ſperet fortunatum conjugium? plerumque abſunt Jeſus & Maria! adſunt iræ, rixæ, contentiones, & Zelotypia.

§. 4. 2. Viri nimium auſteri, barbari, præſertim in verbis.

Peccant contra regulam à S. Paulo præſcriptam viri nimium auſteri, duri, aſperi, feri in verbis potiſſimum erga ſuas uxores, quorum linguæ plenæ ſunt contumeliis, plenæ imprecationibus, plenæ convitiis, à quibus miſeræ conjuges valde vexantur, affliguntur animæ illarum, & atteruntur ſermonibus, ut utar phraſi Jobi. Cum lingua mariti *ſævit ut beſtia* (Ennodius l. 1. ep. 5.) *cum dies & noctes injuſtitias cogitat contra uxorem* (pſ. 51. v. 4.) cum ſemper animo ſecum agitat, & deliberat, & componit phraſes, quibus uxorem exagitet; cum lingua mariti, eſt veluti acuta novacula, quæ celeriter & inſenſibiliter ſecat tamen & ulcerat; quid enim acutius in corde uxoris illis convitiis & contumeliis, quas proditoria lingua mariti componit? Cum mariti lingua (loquar cum S. Bernardo ſer. 24.) prava, iracundiæ & indignationis occaſiones requirit, injurias vel falſas ſimulat, vel veras exaggerat, quas debuerat diſſimulare, cum ad offenſam officia etiam interpretatur, & venenati ſermonis ſcintillas adhibet ad commovendum cor, cum mariti lingua, inflammata à gehenna, uxoris cordi ardentes contumeliarum & imprecationum adhibet flammas, cum ignis igni admovetur, quid mirum, ſi tandem vas fragile, quale eſt uxor, conteratur, ſi ipſa quoque ſæviat ut beſtia, ſi ſcintilla ſcintillam, ſi flamma flammam pariat, ſi vox voci (ut inter montes cum Echo reſonat) reſpondeat. Nimirum qualis interrogatio, talis & reſponſio, qualis vox, talis Echo, qualis clamor, talis amor. Certe ſi amor dicitur amorem parere, quid generabit

Digitized by Google

rabit furor niſi furorem? quid rixæ, niſi rixas? quid odia niſi inimicitias? verba dura & aſpera à marito prolata, uxorem exaſperant, ut converſationem mariti fugiat, cum magno periculo. verba ſuavia ſuavem pariter reddunt uxoris cum marito ſocietatem; ſuavia inde colloquia promanant.

Non ſine myſterio, Cant. 8. v. 13. ſuſpiravit ſponſa ad ſponſum ſuum, *fac me audire vocem tuam.* Videtur ſponſa timidior non fuiſſe auſa ad ſponſum accedere, antequam vocaretur, cum vero ſponſus dixit verbum, *ſurge*, & hoc amice, ſuaviter (D. Gregor. Nyſſ. hom. 5. in Cant.) *Surge, veni, propinqua mea; audit juſſum, verbo confirmatur, roboratur, excitatur, accedit, appropinquat, pulchra redditur, columba nominatur.* Verba mariti ſuavia, vox amica invitat, allicit, & quaſi ad ſe pertrahit cor uxoris: Cupio, ut iterum maritus in hoc Chriſtum Dominum imitetur: de quo Sanct. Joan. Bapt. dixit Matth. 3. verſ. 9. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Quæ verba mirabilia ſunt, ſi referantur ad vires divinæ omnipotentiæ operativæ; ſed longe mirabiliora, ſi de efficacia ſuaviſſimi ſermonis Chriſti, illa quoque ſic intelligamus, ut certo ſciamus, in dulciſſima illius lingua tantum fuiſſe mellis & lactis, ut duriſſimos lapides potuerit emollire & feras convertere in homines. Clemens Alexandr. in exhortat. ad gentes, *Potens eſt Deus &c. qui miſeratus multam duritiem cordis eorum, qui lapiduerant adverſus veritatem, excitavit ſemen pietatis in Deum. Rurſus autem quoſdam virulentos impoſtores, appellavit genimina viperarum. Sed horum quoque, ſi quis pœnitentia ductus fuerit, homo Dei efficitur; has ergo omnes immaniſſimas feras, & tales lapides ipſe cœleſtis cantus in manſuetos homines transformavit.* Vide quantum potuerit novum Canticum, homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris. Negare non poſſum ob frequentes maritorum querelas, quaſdam uxores tam eſſe malas, ut potius viperæ & beſtiæ dicendæ ſint, quam homines. Sed viri boni! agite! deſideratis facere miraculum? mel & lac ſit ſub lingua veſtra, tanta ejus erit vis & efficacia, ut ſi velitis, beſtias veſtras convertere

§. 5. Quanta ſit efficacia ſuavium verborum in marito erga conjugem.

poſſitis in homines: corda ſaxea & ferrea in mollia. D. Chryſoſt. hom. 2. de Dav. & Saule. *Animus hæc audiens à lingua ſuavi non refugiet: nam ipſa verba remedium erunt optimum ulceris in corde tumeſcentis.* Prov. 15. v. 4. *lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata eſt conteret Spiritum. ex hebræo. Medicina linguæ lignum vitarum, & perverſitas in ea contritio ſpiritus.*

§. 6. *Maritus debet eſſe Pater & Paſtor, ut diligat uxorem ſicut filiam & oviculam.*

Caput 12. v. 3. libri 2. Regum, hiſtoriam vel parabolam veluti ſpeculum nobis proponit, in quo maritus intueri poteſt, ut ſciat, quomodo uxorem ſuam tractet, vel diligat, ſicut Chriſtus Dominus dilexit Eccleſiam. De paupere quodam ait Nathan, quod nihil habuerit, præter unam ovem parvulam, quam nutrivit hic, ut ſimul de pane illius comederit, & de calice illius biberit, fueritque illi ſicut filia. Similis Pater & Paſtor, ſponſusque fuit Chriſtus Dominus Salvator noſter. Ejus amori, Eccleſia fuit ſponſa, filia, ovicula. O benigniſſimum Patrem! O ſollicitum paſtorem! O amabilem ſponſum! *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*; id eſt, maritus debet eſſe Pater, ut conjugem amet velut dilectiſſimam filiam. Debet eſſe paſtor bonus, ut paſcat ſuam oviculam, debet eſſe ſponſus, ut non tantum in nuptiis, & primis menſibus matrimonii, ſed ſemper conjugem amet veluti ſponſam, id eſt; tenerrime.

§. 7. *3. Mariti potatores & dilapidatores.*

Contra prædictas regulas graviſſime peccant viri luſores, compotatores, noctes dieſque hærentes in popinis, dum uxor & proles domi vix panem habent, quem rodant: ex quo capite luctuoſæ frequenter luduntur Tragœdiæ. Terribile eſt, quod contigit Bacharaci ad Rhenum, Anno 1596. Nam cum uxor tota triſtis & lachrymabunda accurreret ad popinam, orans, obſecrans maritum potatorem, ut domum concederet; reſpondit maritus; *Abi tu domum cum tuo dæmone, quem utero geſtas,* erat enim id temporis gravida. Abit uxor, vix domum rediit, & peperit, ſed, O qualem filium! Monſtrum fuit, ſuperiori parte homo, inferiori ſerpens cum cauda trium cubitorum. Advocatur pater, accurrit ad triſte nuntium trepidus, dum cubiculum ingreditur, monſtrum in illum irruit, & cauda ſua illum involvens, arcteque conſtringens dentibus laniavit & miſerandum in modum occidit.

Præ

Digitized by Google

Præ nimio terrore exſpiravit uxor, dein & monſtrum! tales & hodie mariti inveniuntur, vino luſuique inprimis addicti, frequentes in popinis; cum vero vel monentur blande, vel reprehenduntur aſperius ab uxoribus, tum effunduntur in clamores, imprecationes, blaſphemias, tum jurant ac peierant, tum obvia quæque arma furoris inſtrumenta corripiunt, ut non mirum eſſet, ſi Deus talia monſtra mitteret ad ulciſcendum, licet longanimis ſit Dominus, juſta tamen pœna, licet ſera, ſeria tamen non emanebit. Eſt certe in vita ingens pœna infauſtum matrimonium. Ad hanc impiorum maritorum claſſem pertinent percuſſores uxorum. Non inficior eſſe fœminas adeo procaces atque inſolentes, ut ſæpe non bona verba, ſed verbera mereantur, ſi tamen correctio fiat vel ſine cauſa, ſi præter modum &c. peccatur utique contra regulam S. Pauli. Denique multis maritis deeſt amor conſtans. Uxores vivunt diutius, ac vellent, tarda nimis venit libitina, at quid de iis dicam, qui vivente adhuc uxore amicitias ſuſpectas contrahunt cum aliis? ſpe matrimonii futuri, impii ſunt, ſceleſti ſunt, perfidi ſunt, tales maritos uxores magis affligere non poſſunt, quam ſi vivant diutiſſime, ſtultæ ſunt ſi in gratiam mariti è vivis abire deſiderent.

Videntur hæc arridere mulieribus, ſed jam ipſæ audiant quid §.8.
Apoſtolus ab ipſis exigat, ut matrimonium ſit fauſtum & fortunatum. *Mulieres* (inquit ad Epheſ. 5. v. 21.) *Viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita mulieres viris ſuis in omnibus* (niſi peccatum ſit.) *Vnusquisque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat, uxor autem timeat virum ſuum.* Viris à S. Paulo propoſitus fuit Chriſtus veluti ſponſus, mulieribus proponitur Eccleſia velut ſponſa Chriſti. De hac ex Canticis ſcimus. 1. quod amaverit tenerrime ſuum ſponſum, quem tam ſuavibus verbis toties indicavit Cap. 1. v. 6. & 12. *Indica mihi quem diligit anima mea; Dilectus meus inter ubera commorabitur.* Cap. 2. v. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Dilectus meus mihi, & ego illi. Inveni, quem diligit anima mea, nec dimittam.* Talem amorem, ſed caſtum S. Paulus exigit in conjuge erga maritum: ut dici poſſit ex

Vxor diligat maritum, ſicuti Eccleſia diligit Chriſtum Dominum. *1. ut amet tenerrime & caſte, 2. Præ omnibus aliis.*

 cap. 26.

cap.26, Eccleſiaſtici, *gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata.* Ægyptii talem conjugem depinxerunt in candido habitu, cum venuſtiſſima facie, in cujus fronte radiabat carbunculus inſtar ſolis, quem conjugalis caſtitatis, amoriſque ſymbolum eſſe dixerunt. 2. Eccleſia amat Chriſtum Dominum, ſive ſponſum ſuum præ omnibus aliis, atque ideo cap.5. Cant. illum vocat electum ex millibus; O conjugatæ Bambergenſes, utinam ita diligeretis veſtros maritos! ſed ſunt mihi aliqua ſuſpecta, audio frequenter cum maritus ob negotia domo forte egreditur, per certos nuntios, hoc ſignificari quamprimum illis, in quos major fertur affectus veſter. Mox vocati adſunt, tales, tales, (nominare non licet) & quam diu domi hærent, præ foribus certæ excubant cuſtodiæ, agit aliqua vetula ſaga, vel nequam ancillula vigilias, & cum vident à longe venientem maritum, pulſant, currunt, monent, præſtitutis ſignis.

§.9. *Invectiva in uxores vagabundas.*

Et quid hoc eſt quod audio? O conjuges conjuges! rem malam, rem pernicioſam, rem peſſimam audio! ubi amor conjugalis? ubi fides atque fidelitas? ubi caſta mens & virtus conjuge digna Chriſtiana? O uxores! diligite maritos veſtros, veſtros dico, non alienos; *veſtros dico*, quia Chriſtus id imperat; *veſtros dico*, quia illis non aliis, fidem addixiſtis ſacramento ſolenni, *veſtros dico*, quia ſola mors eos à vobis avellere debet, non impurus amor, non adulterina voluptas, non hic aut iſte vicinus. His annumerandæ ſunt illæ uxores, quæ abſentibus maritis vagabundæ diſcurrunt per urbem; attendite mariti, uxores veſtræ, præſertim quas liberalior forma commendat, domeſticos intra parietes ſunt continendæ. Non tamen cupio ut faciatis, quod Abraham fecit, dum cum formoſa Sara in Ægyptum veniſſet, propter verba verſ.14. Cap.12. Geneſeos; *Cum itaque ingreſſus eſſet Abraham Aegyptum, viderunt Aegyptii mulierem quod eſſet pulchra nimis.* Lyranus hic ait; Dicunt Hebræi, quod Abraham, ut nihil omitteret de his, quæ poterant facere ad conſervandam caſtitatem uxoris ſuæ, incluſerat eam arcæ, ne videretur ab Ægyptiis, quos ſciebat eſſe in luxuriam effuſos; Sed cum in introitu, ſarcinæ more gentis viſitarentur, invenerunt Saram, atque hoc ipſum

ut tex-

ut textus ait, ſtatim nuntiaverunt Pharaoni. Tanta erat, inquit idem Lyranus, Saræ modeſtia, ut incluſionis moleſtias libenter pateretur, ne vel Ægyptios libidinoſos videret, vel ab illis videretur. Si Bambergæ talibus arcis includerentur nonnullæ conjuges, ſi cuſtodiæ tam eſſent patientes, ut Sara, fortaſſis in illarum frontibus magis radiaret carbunculus conjugalis & caſti amoris.

3. Eccleſia Chriſto Domino, veluti capiti ſuo eſt ſubjecta & obediens: pari ratione uxor debet obedire viro. Nihil enim turpius eſt, quam cum in familia aliqua uxor eſt caput, & maritus ſervus, imò mancipium. Hoc riſit Cato, cum de Romanis dixit apud Livium, nos omnibus hominibus dominamur, nobis autem uxores; non ſine myſterio Deus Evam creavit, non ex capite, ne ſe mariti Dominam arbitretur; non ex pedibus, ne maritus putet eſſe ancillam, ſed ex latere, ut ſciat ſe, ſociam. Si tamen aliqua imperare deſideret, pareat viro; bona enim mulier parendo viro imperat. Livia Auguſti Cæſaris uxor interrogata, quo modo Auguſti animum adeo ſibi devinxiſſet, reſpondit, multa modeſtia, & quod ea quæ placerent Auguſto faceret libenter, quodque ſe ſcire multa diſſimularet. Aureum documentum pro uxoribus.

§. 10. Sicuti Eccleſia est ſubjecta & obediens Chriſto Domino; ita &c.

4. Eccleſia timet & reveretur ſponſum; alloquitur illum verbis gratioſis, ideo in Cant. illum vocat, *pulchrum, decorum, dulcem, dilectum, Regem, fratrem.* Quæ nomina adeo placuerunt CHRISTO, ut dixerit: *Vox tua dulcis.* An tales linguæ melleæ ſint uxoribus Bambergenſibus erga maritos dubito. Audio aliquas vocare ſuos maritos nequam, ſagos, adulteros &c. Audio aliquas ſuis viris facillime imprecari terribilia. Forte amico bono adfuit maritus per horam, forte liberalior fuit in potu, redit domum, lingua uxoris tonat, fulgurat, fulminat &c. Nunquid cogitatis talem maritum experiri, veriſſimum eſſe, quod dixit Abulenſis; *qui malam fœminam uxorem ducit, magnam ſibi ferendam Sarcinam aſſumit.* Unde in gravi maris tempeſtate, jubente Navarcho, ut quod ponderoſiſſimum eſſet in navi, ejiceretur in mare, quidam ejecit ſuam

§. 11. Uxor ſit ſuavis in verbis, ne ſit viro grave onus.

uxorem. Pythagoras rogatus cur hoſti ſuam filiam elocaſſet, reſpondit, *ad vindictam! nihil potui dare deterius.*

§. 12. *Suavitate verborum uxor debet placare iras mariti.*

Attendendum præſertim uxori, ut ad placandos irati mariti animos ſit ſuavis in verbis. Ut furentem Aſſverum, & leoninam bilem præferentem capiat Eſther, & ad ſe alliciat, non alia arma petiit à Deo, quam ſermonem, ait enim cap. 14. v. 13. *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo, in conſpectu leonis?* non ignara, quam ſoleat verborum melos etiam feriſſimos homines irretire, & in manſuetudinis prædam attrahere. Habes 1. Reg. cap. 16. v. 24. Saulem furentem, Davidis melodia emollitum, ſic enim dicit; *Spiritus Domini malus arripiebat Saul: David tollebat cytharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & levius habebat.* Rich. Vict. l. 6. alleg. c. 2. *Cum ergo Saul ab immundo ſpiritu arripitur, David canente, ejus inſania temperatur; quia cum ſenſus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum eſt, ut ad ſalutem mentis, quaſi dulcedine cytharæ, locutionis noſtræ tranquillitate revocetur.* Adverſus furentes homines verborum ſunt modulamina adhibenda. Potens eſt enim vocis melos ut furorem tollat, & manſuetudinem afferat. Quæ loquor Auditores, non ex vacua, ut ajunt, olla deprompta recito: ſcio quid & qua de cauſa proponam; ſcio quid loquar: Enimvero non raro contingit hodiedum, ut novos videamus Saules, ſi non coronatos, certe infatuatos, & velut ab atro furoris ſpiritu inſeſſos; qui niſi furere, bacchari ac debacchari, ſævire ac deſævire norunt: quid igitur? prodeat manſuetus David, prodeat mitis & modeſta conjux, cytharam afferat amoris, cytharam dulcedinis, cytharam blandi alloquii: ſic recedet à Saule furibundus ille ſpiritus, ſic ex tempeſtate ſine ullo vel honoris vel amoris naufragio placidiſſimo in portu boni conjugii navicula appellet. De quo D. Baſil. Seleuc. orat. 15. ait in locum ſup. cit. *David lenitatem immenſam, ac morum facilitatem præ ſe tulit. Iterum enim Rege Saule furore percito, & à mente alienato, David cytharam, quæ medicinam faceret, retractabat, cantione, vice medicaminis malum leniens.* Procopius in gloſſa; *ita Saul humanitatis vinculis fuit irretitus.* O gratioſam uxorem, quæ cum furit maritus, illa non urit; cum ille clamat, ipſa amat; cum ille ſævit ut leo, illa manſueſcit

Digitized by Google

ſueſcit ut ovis. Rara hæc fateor virtus eſt, ſed præclara! Haſtæ opponere cytharam, furori amorem, duris mollia, aſperis placida, amica inimicis! Hoc opus, hic labor eſt! ſed tamen niſi id fiat, nullum eſſe felix aut jucundum poterit matrimonium. Saulis ferociæ nil melius opponitur quam ſuavis Davidis cythara.

Denique Eccleſia in graviſſimis perſecutionibus, eſt patiens, fortis, & fidelis, eritque talis uſque in conſummationem ſæculi; & talem amorem in conjuge erga maritum exigit S. Paulus, ſi quidem illum ſimili, quo Chriſtus Eccleſiam, amore velit complecti. Ad omnes, S. Paulus ait ad Epheſ. c. 4. v. 4. *Cum patientia ſupportantes invicem.* Ad Gal. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate.* Sed ait S. Chryſoſt. hom. 26. in ep. 1. ad Corinth. *Quod ſi invicem onera ferenda ſunt, multo magis uxoris*, etſi pauper ſit, noli exprobrare, etſi ſtulta, noli ei inſultare, ſed eſto modeſtior: tuum membrum eſt, caro una facti eſtis. Sed, ſtulta eſt, ebria, iracunda! igitur dolendum eſt, non iraſcendum; & Deo ſupplicandum, & ipſa admonenda eſt, & adjuvanda conſilio. Verum prolixior eſt hæc materia, quam ut eam modo pertractando abſolvam. §. 13. *Exemplo Eccleſiæ uxor debet eſſe patiens & fidelis.*

Finio itaque Concionem iiſdem, quibus illam incepi verbis: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino, ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat, uxor autem timeat virum ſuum, & fauſtiſſima vobis promitto matrimonia: Si quæ hactenus infauſta fuerunt, optarem me hodie poſſe illa innovare & reddere fortunatiſſima. Caſtiſſimi conjuges fuerunt Julianus & Baſiliſſa. Celebratis rite nuptiis cum prima nocte ad ſervandam Caſtitatem conſpirarent, mira quædam toto cubili afflata eſt odorum ſuavitas, affulſit amœna lux, & in luce cœlitum chori duo, quorum alteri, qui erat maſculorum, Chriſtus, alteri puellarum Virgo Mater præerat. Chorus ille ſuaviſſimo concentu applauſit, *Viciſti Juliane*, alter, *Benedicta Baſiliſſa &c.* Sub hæc viri duo ex cœleſti turba, nivea, induti veſte prodeuntes inter utrumque conjugem, novo cœleſtis amoris vinculo, ſtipulata manu caſtiſſimum innovarunt conjugium. §. 14. *Epilogus.*

gium. Interim alius quiſpiam canitie Venerabilis librum offerebat, in quo præter alia aureis literis exarata fuerunt nomina Juliani, & Baſiliſſæ. Eia rixoſi &c. Conjuges, pergite ad Venerabile poſt devotam Communionem, de novo ſancite fœdera, de novo non Hymenæum inclamate, ſed Deum, Deum auctorem conjugii, Deum charitatis fontem, Deum pacis ac concordiæ largitorem, Deum qui non furoris, ſed amoris eſt Dominus, Deum, in cujus præſentia mutuam dediſtis fidem, Deum, qui vos ad ſanctum conjugii ſtatum vocavit, ut per illum prædeſtinaret ad gloriam; & tandem nomina veſtra in album ſanctorum conjugum aureis inſcribat literis, Amen.

CONCIO IIX.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine, ſi vis, potes me mundare.
Matth. 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DUo continet puncta. Primum oſtendit, illos, qui ſe totos committunt Divinæ voluntati, dicentes ex animo *Domine, ſi vis!* Vel; *fiat voluntas tua*, eſſe beatos in hac vita. Eoſdem inter adverſa, & in quibusvis tribulationibus eſſe fortes, imperterritos & animoſos, declarat alterum concionis punctum.

§. 1. *Cur leproſus Chriſtum Dominum adoraverit.*

§. 2. *Quænam ars in hac vita nos reddat beatos.*

§. 3. *Iudicium Alphonſi Regis Neapolitani.*

§. 4. *Epicteti & S. Chryſoſtomi cum pulchro Emblemate.*

§. 5. *Quomodo terra poſſit dici cælum: & quibus alis cum Davide eo ſit evolandum.*

§. 6. *Reſignati ſunt ſimiles Chriſto*

Domino & ideo beati.
§.7. *Beatis ſummum eſt ſolatium in terra, cum cogitant, compleri in ſe Divinam voluntatem.*
§.8. *Reſignati ſunt fortes & animoſi in quibusvis periculis, quod varius ſymbolis declaratur.*
§.9. *Tales Aquilæ nihil timent.*
§.10. *Aliquot corollaria.*

§.1. *Cur leproſus Chriſtum Dominum adoraverit.*

MIrarer profectò hominem leproſum tam cito, tamque humiliter ſe ſe proſternere ad pedes Chriſti, cum demiſiſſima ſubmiſſione, ut textus ait, *Ecce leproſus venit, adoravit eum*; niſi legiſſem in Athanaſio orat. 5. ad Adelphium, hæc verba: *Leproſus adoravit Dominum in corpore,* id eſt, hominem aliis hominibus ſimilem, *quia Deum eſſe præſenſit, his verbis utens, Domine, ſi vis, potes me mundare. Neque ob carnem arbitratus eſt, eſſe creaturam Dei verbum; neque quia verbum erat opifex rerum, carnem pro nihilo habuit, quam indutus eſt, ſed in re creata creatorem adoravit, ideoque mundatus eſt.* Eo humiliavit ſe verbum Patris, ut Caro factum ſit, ſed vilis hic habitus non obfuit illi, quo minus CHRISTUS Dominus ut Deus crederetur, atque etiam adoraretur. In humano corpore leproſus agnovit dominatricem Divinitatem, quæ in Chriſti Domini actionibus, verbis, doctrina & miraculis undequaque effulgebat, proinde adoravit illum leproſus. Simile quid contigit, dum Chriſtus Dominus in monte Calvariæ penderet de Cruce Lucæ. 23. *Facta ſunt tenebræ, ſol fuit obſcuratus, petræ ſciſſæ ſunt,* &c. Sic univerſa creatura ſua auctori teſtimonium perhibuit. Quale illud? D. Athan. cit. *Non enim rem creatam natura adorabat, neque ob carnem ejus recuſavit Dominum adorationibus proſequi; Sed ideo adoravit, quia vidit ſuum opificem, architectumque in carne conſiſtere. Et in nomine IESV omne genu flectebatur.* Non itaque miremur, leproſum adoraſſe Chriſtum Dominum! Deum præſenſit. Agnovit illum eſſe Dominum & cœleſtem medicum, à quo veram poſſet & corporis & animæ ſalutem ſperare. Neque ipſum ſua fefellit ſententia, vix dixit: *Domine ſi vis, potes me mundare, & extendens*

manum Ieſus, tetigit eum dicens, volo mundare, & confeſtim mundata eſt lepra ejus. Anſelmus Laud. *Extendit manum, qui miſericordiæ tendit affectum.* Id eſt, ut Chriſtus Dominus ſe Deum declararet, exhibuit miſericordiam leproſo; valde diſſimilis Moyſi in antiquo Teſt. S. Chryſoſt. *Moyſes enim cum ex monte deſcendiſſet, primam legem tulit, & mandavit, ut caſtris excederent leproſi, Chriſtus vero monte deſcendens leproſum protinus mundat; & ille quidem morbidos eliminat, hic verò curam ejus agit. Neque potentiæ ejus* (Origenes) *lepra reſiſtere potuit. Dixit, volo, mundare, & illo manum ad tangendum extendente, effugit illico lepra, & inventa eſt manus Domini, non lepram, ſed mundum contigiſſe corpus.* Magnam certe de Chriſti Domini potentia, & miſericordia æſtimationem, profundamque adorationem leproſus declaravit brevi hac oratiuncula *Domine &c.* de qua duo oſtendam hac Concione. 1. Illos qui hac & ſimilibus & oratiunculis utuntur, eſſe beatos in hac vita. 2. Inter adverſa omnia fortes, animoſos, & imperterritos. De benevola interim attentione veſtra in materia utiliſſima nullus dubito.

§. 2. *Quanam ars in hac vita nos reddat beatos.* Bartholomæus de Scobar, celebris in Hiſpania tum Theologus tum Concionator de ſe ait: *Conſideravi ſæpe poſſitne aliqua excogitari ars, qua extra cæleſtem beatorum ſtatum plene felix poſſit eſſe homo.* Et artem hanc invenit in hodierno Evangelio, nam poſt ſeriam cogitationem ait: *Unam hanc mihi eſſe perſuadeo, ſi totum ſe, nulla ſui parte reſervata, ſuo dedat creatori, ejusque ſanctiſſimæ voluntati.* Quod in hodierno Evangelio perfectiſſimo modo præſtitit leproſus. Scio Anſelmum Laud. in gloſſa interlineari dixiſſe, leproſum his verbis, *Domine* &c. *Voluntati poteſtatem tribuiſſe. Nam* (Cornelius) *quanta eſt voluntas, tanta eſt poteſtas Dei, quicquid enim vult, hoc illico facere poteſt, juxta illud, omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra.* Scilicet Dei voluntas, Dei omnipotentia eſt. Placent etiam alii interpretes, qui has voculas, *Si vis*; flectunt ad deſiderium curationis cum reſignatione permixtum; quaſi leproſus hic ſanitatis indigus, reſignet & ſubmittat ſe divinæ voluntati Chriſti, ut ſi velit, reſtituat ſanitatem, ſi nolit, eandem

eandem pergat ſubtrahere. Quisquis ita ſentit, judicio Bartholomæi de Scobar beatus eſt in hac vita.

§. 3. *Iudicium Alphonſi Regis Neapol.*

Ejuſdem mentis fuit Alphonſus Neapolis & Aragoniæ Rex, rogatus enim, quem in hoc mundo judicaret beatum, reſpondit conformiter ſenſui orationis leproſi in hodierno Evangelio dum ait: *Hunc ego prorſus beatum judico in hac vita, qui ſeipſum Domino Deo ſumma pietate & affectu committit, & omnia, quæ illi eveniunt, non aliter quam rem à Deo factam laudat & acceptat.* Axioma hoc Rex pius ex ſummis ſcholæ Chriſti myſteriis deprompſit, ſymbolum regium ornavit hoc lemmate: *quod vult Deus.*

§ 4. *Epicteti & S. Chryſoſtomi, cum pulchro Emblemate.*

Idem ſenſit Epictetus l. 2. diff. c. 19. *Oſtendite mihi aliquem, qui & ægrotet & beatus ſit! qui in periculo ſit, & beatus! qui moriatur & ſit beatus!* antequam reſpondeat & oſtendat talem beatum, ait: *Oſtendat aliquis veſtrum animum hominis, qui idem ſentire velit cum Deo!* tum reſpondet, *hic beatus eſt, etiam in hac vita.* Ideo talem S. Chryſoſt. hom. 1. in ep. 2. ad Cor. comparavit cœlo. *Cœlum altius eſt imbribus ac pluviis, nubibus obducitur, ſed nihil patitur: ſic nos etiamſi putamur pati, nihil patimur, triſtitia quaſi nubibus obduci putamur, ſed non triſtamur.* Talis eſt celebris ille mons olympus, qui vertice ſuo tranſcendit omnem aeris injuriam, non illum pluviæ, non imbres, non grandines, non tonitrua, non fulgura, fulminaque infeſtant: ſuperior eſt his omnibus. Celebris eſt & machina Regis Perſarum Choſrois, nimirum globus ingens, in cujus ſuperiori parte repræſentatur cœli amœnitas, aſtrorum nitor, ſpirituum illorum cœleſtium pulchritudo. Aer hinc amœnus, hinc triſtis, tonans, fulminans, fulgurans. In medio globi Rex ſedebat, quaſi Deus in terris ſpectans hæc omnia, nihil mutatus, nec proſperis, nec adverſis, ſuper regium verticem neſcio quis appendit ſcedulam cum his duabus voculis, *ſemper idem.* Talis Rex eſt, quisquis in mundi hujus machina, ſive cœlum tonet, ſive rideat, Divinæ ſe accommodat voluntati.

§ 5. *Quomodo terra poſſit dici cœlum: & quibus aliis cum*

Terra hujuſmodi homini cœlum eſt! videtur ad illud cœlum alludere Rupertus: *Cœlum ipſa mens vel anima, præcipue ſapientis* (dico ego reſignati) *ut quæ habet lucida ſidera, ſtatos motus, concinnas choreas, divinos circuitus, virtutum ſplendores fulgidiſſimos, ſed*

Davide eo ſit evolandum.

præcipue auream reſignationem. Redeo ad S.Chryſoſt. ſuperius cit. qui ait ad cœlum hoc, vel beatitudinem hanc in terris aſpiraſſe Davidem, cum dixit pſ.54.v.7: *Et volabo & requieſcam*, è terra ſcilicet ad cœlum, è ſpinis ad roſas, è valle lacrymarum ad montes gloriæ, ex undis ad portum, ut in cœlo, ut inter roſas, ut in montibus gloriæ, ut in portu beatitudinis quieſcam. Sed quibus alis evolavit Rex ſanctiſſimus? unam invenio pſ.39.v.9. *Volui ut facerem voluntatem tuam.* Alteram pſal. 107. v.2. *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Quid ais Rex maxime? quid ſi Deus vellet aufferre coronam? *paratum cor meum.* Si Deus vult, volo & ego. Quid ſi Deus velit te tradere Sauli & hoſtibus tuis? *paratum cor meum*, ſi vult, volo & ego. Sed age mi David, quid ſi Deus te conjiciat in armatas hoſtium tuorum manus, præcipue furibundi illius Regis Saulis, quid tum faceres? quid diceres? *Paratum cor meum Deus.* Quid ſi velit ut tota morborum agmina in te irruant? *Volo & ego. Paratum cor meum.* Quid ſi velit, ut ad incitas redactus, omnium rerum opumque inops reddaris? *Volo & ego.* Et quidni vellem?, *paratum cor meum Deus!* Talia poſtquam dixiſſet, erumpit in verba gaudio plena, eod. verſ. & 13. *Cantabo, dicam pſalmum, exurge gloria, exurge pſalterium, cythara, magnificata eſt ſuper nos miſericordia tua.* Hæ ſunt voces beatorum in paradiſo, ſed & Davidis in terra. Talia concinunt Angelorum chori in cœlo, ſed & David in terris, quia vult, quod Deus vult. Quiſquis cum Davide cœlum quærit in terris, roſas inter ſpinas &c. Sequatur conſilium Kempenſis. l.3.c.23. *Opta ſemper & ora, ut voluntas Dei integre in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis & quietis.* hoc ſolatium S. Hier. ſuggeſſit Paulæ in obitu Pesillæ: *plange quod accidit, ſed, quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtineto; unicus raptus eſt filius? durum quidem, ſed tolerabile, quia abſtulit, qui dederat.* Si cœcus fuero, ſi, ſi &c. *nil cogitabo niſi Dominum, imminebit ſuper hæc pauperies &c. Gratias refero creatori. In omnibus laudo Domini voluntatem.* Eia triſtes animæ, eia mortales uſquequaque miſeri & afflicti! agite quod ſuadet D. Hieronymus, *in omnibus laudate Dominum & Domini voluntatem*, in adverſis æque ac proſperis, in inopia æque ac abundantia, in contemptu æque ac honore, in

cœlo

cœlo turbido æque ac ſereno, verbo, *in omnibus.* Agite quod optimus ille & à patiendi ſtudio celeberrimus vates fecit, dixitque, *ſit nomen Domini benedictum.* Centrum ac ſcopus virtutis veſtræ non aliud ſit, quam divina voluntas.

§. 6. *Reſignati, ſunt ſimiles Chriſto Domino, & ideo beati.*

Sancta Catharina Senenſis dicere ſolebat, bonæ mentis homines, id eſt, conformes divinæ voluntati, ſimillimos eſſe Chriſto Salvatori noſtro, non tantum ob varias nobiliſſimas virtutes, humilitatem, obedientiam, patientiam &c. quas Reſignatio includit, teſte Arias p.1. de or. merit. cap.5. *Summa vitæ Chriſtianæ & virtutum omnium compendium eſt, Dei voluntati ſe in omnibus conformare, idem velle & nolle.* Quæ virtutes Chriſto Domino ſine dubio cumprimis ſimiles nos reddunt, ſed propterea præcipue Chriſto illi ſimiles ſunt, *uti ipſe in tormentis beatitudinem nunquam amiſit, ita nec illi eam perdunt, cum hæc conſiſtat in conformatione voluntatis propriæ cum Divina.* Jacuit Chriſtus pronus in faciem in monte Oliveti oppreſſus anguſtiis mortis. Anima tamen fuit beatiſſima. ſtetit alligatus columnæ excipiens acerrimas virgas & duriſſima flagra; inter illa tamē horrenda tormenta beatitudinem non amiſit. Dum illum vinculis adſtringeret crudelis Judæorum cohors, manſit beatus; dum ſtaret ante Annam & Caipham, Beatus; dum illum examinaret Herodes, judicaret Pilatus, illuderet populus, beatus! Cum illi illuderent lictores, flagellarent milites, crucifigerent ſatellites, beatus; cum nudus penderet in medio latronum, etiam cum increparetur, cum illi objiceretur, *maledictus qui pendet in ligno, vah qui deſtruis &c.* Beatus tamen, imo ter q; quaterq. beatus, imo beatiſſimus fuit Jeſus. Unde? quia in omnibus in unam patris ſui voluntatem intentus. Hoc facite Audit. inter adverſa, inter flagra, in cruce, voluntatem Dei reſpicite & eritis beati! delabitur cœlo corona ſpinea? pungunt ſentes & aculei! inſpicite, legiteque à ſponſo inſcripta verba, *vult Deus*; oſculamini ſpinas, dicite cum leproſo, *Domine ſi vis.* Pluit cœlum crucibus & flagellis? inſpicite, & legite aurea, quæ Jeſus inſcripſit verba: *Vult Pater!* oſcula jungite, gratias reddite: Deum benedicite: bene ille, *quisquis verum animi gaudium, ac tranquillam in Deo vitam deſiderat, oportet illum immobili huic fundamento, velut*

lapidi angulari voluntatis Dei perpetuo inniti. Ideo Chriſtus Dominus ad S. Gertrudem: *quisquis cupit à me ſæpius adiri*, (quod ſine gaudio & ſolatio fieri non ſolet) *ſuæ voluntatis clavem mihi offerat, nec à me unquam eam repetat.* Aliud ſolatium, viri ſancti in terris non deſiderant, quam ut fiat Dei voluntas.

§. 7. *Beatus in terra ſummum eſt ſolatium cum cogitans compleri in ſe divinam voluntatem.*

Refert Bloſius virum ſanctum tales de cœlo in corde ſenſiſſe delicias, ut tandem ad majorem Dei gloriam à Chriſto Domino petiverit illas mutari in triſtitias & dolores. Exauditus fuit, ductusque ex monte Thabor in montem Calvariæ. Quocirca mittuntur à Deo morbi & tædia, quæ quinque omnino annis durarunt; quoad tandem adfuit Angelus de cœlo ægrum oſtenſa coronæ cœleſtis pulchritudine conſolaturus. Sed æger heroice dixit: *non aliud ſolatium exſpecto, niſi unicum iſtud, ut ſciam placere Deo me eſſe in ægritudine: maximum mihi omnium dolorum fomentum voluntas divina, modo placeam Deo, non refert quam ſanus & æger ſim, modo placeam Deo, &c.* Ah Auditores, talis beatus eſt in terris. Sed pedem retraho: nimis ſiquidem primo in puncto prolixus excurro. Ergo ad alterum.

§. 8. *Reſignati ſunt fortes & animoſi in quibus vis periculis quod variis ſymbolis declaratur.*

Quisquis cum leproſo in omnibus dicit, *Domine ſi vis, &c.* eum ego imperterritum & generoſum in omnibus periculis heroem pronuncio. Alias hoc oſtendo ex ſacra ſcriptura, SS. PP. dictis, & pulchris hiſtoriis, modo ex ſelectis, ſymbolis hanc oculis veſtris veritatem propono. *Primum eſt.* Aquila volat vicina ſoli, inferius interim tonat, furit, fulminat æther, ſed epigraphe generoſæ volucris, eſt, *rideo fulmen quia proxima ſoli.* Tales aquilæ ſunt animi heroum in hoc mundo. Sol illis eſt divina voluntas, huic quia proximi ſunt, rident fulmina, tonitrua, tempeſtatumque pericula. *Secundum.* In Imperatorum exequiis in Campo Martio erigebatur pyra, in cujus vertice alligata erat aquila, qua redacta in cineres, vinculisque combuſtis evolabat in altum, perſuaſum ſibi habebant gentiles cum illa animam Imperatoris evolare ad aſtra. Hanc aquilam Imperatoriam ornarunt viri cumprimis eruditi his inſcriptionibus:

Rideo flammas. quia aſtra peto, vel
Nil humana moror, dum ſuper aſtra feror.

Tales

Tales ſunt aquilæ hominum voluntates Deo conformes, flamma ſunt varia, flamma eſt contemptus, flamma eſt injuria, flamma eſt egeſtas, flamma eſt corporis valetudo adverſa; Sed ridentur hæ flammæ, quia mens tendit ad aſtra. Nil illos humana morantur quos delectant cœleſtia. *Tertium.* Alcion avis ſuaviſſima nidificat in mari, & licet illius nidulus vaſtis jactetur ab undis, ſemper tamen emergit, imò inter fluctus & ventos ſuaviſſime canit, gloriaturque his verbis, *jactor, non mergor.* Tales ſunt aviculæ piæ animæ: Veniat fluctus adverſitatis; *jactor non mergor.* Inſurgant procellæ tentationum, *non mergor.* Spumet iratum mare, & reſpumet, quicquid habet procellarum, *non mergor.* *Quartum.* Acus magnetica, etiam denſiſſimis in tenebris, furente mari, fluctuante navigio, immobilis reſpicit ſtellam polarem, illam ſequitur. Unde illud lemma, *unam reſpicio.* Stella polaris eſt voluntas divina, acus magneticæ, quæ ab illa nunquam vel oculos vel motum deflectunt, humanæ ſunt voluntates, licet fluctuet navis, licet undæ debacchentur! Vel ſunt *Quintum:* Heliotropia, vel tulipæ, qui flores ſolem ſequuntur, etiam dum nubibus involutus non cernitur, hinc illa pictura, Tulipa cum hac epigraphe, *Hunc ſequor.* O felix floſcule, immortalis anima! hunc ſequeris? bene ſequeris, nam ſol eſt propitium ſidus. Hunc ſequeris? lucem ſequeris, decorem ſequeris, gaudium ſequeris, pulchritudinem ſequeris, imo & beatitudinem. *Sextum.* In luco Byzantii oliva fuit, quam ſtupendo prodigio igneus imber fœcundabat, & tamen ſemper virebat. Aſcribere poſſumus: *In igne æternum viret.* O floreat, æternum floreat ter felix arbor; quod floret in ignibus, æternum floret; quod viret in flammis, neſcit mortem, neſcit hyemem, neſcit luctum, neſcit triſtitiam. *Septimum.* Tagæ in Arcadia fuit templum Veneris, in quo lampas arſit, quæ patenti aeri expoſita nullis tamen ventis vel pluviis extinguebatur, inde illud illius nomen, *Lychnus Asbeſtus*, ſive *lucerna inextinguibilis.* Anima Chriſtiana tu, tu templum es, non Veneris (quod ſpero) ſed teſte Apoſtolo 2. ad Cor. 6. v. 16. *Templum Dei vivi!* ubi lampas? ubi lux tua inextinguibilis? age ſis, ſpecioſam Deo tuo lampadem accende, ſed inextinguibilem, ſi vis, quod Deus vult, jam ardet

ardet lampas, ſi tuam illi voluntatem reddis conformem, gratulor, nullus unquam flatus aut turbo tuam poterit lucem extinguere. Talis lampas fuit ſponſa Cant.8.v.6. *lampades ejus lampades ignis atque flammarum, aquæ multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Octavum.* Inter ſymbola invenio ſcopulum inter undas cum hoc lemmate: *ſalit unda minantes in ſcopulos, ſed fracta redit &c. Nonum.* Adamantem ſub malleis & incude, cum epigraphe, *non cedit.* Tales ſcopuli, tales adamantes ſunt, qui unam Dei voluntatem reſpiciunt. *Decimum.* Pulchra eſt navis Alphonſi Regis Portugalliæ, nomen ejus fuit, *Bona fortuna,* in vertice mali radiabat ſtella cum hac epigraphe, *Hac duce,* uni velo inſcriptum erat, *Nil timeo mare.* In altero, *quia pretioſa fero.* In tertio, *quia regia ſum*, in quarto, *quia Deo navigo.* Felix navicula, quam bona comitatur fortuna, felicior, cui comes eſt optima. Et quænam optima? Voluntas Dei. Hac duce ſecura perges navicula,

Hac duce nil metuas ſyrtes, cæcasque charybdes
Hac duce fortunæ dulcia dona vehis.
Hac duce crede mihi, diceris Regia navis
Hac duce nulla ratem mortis imago premet.
Hac duce cum gemmis pretioſa monilia portas
Hac duce pro portu dives ad aſtra venis.

Vndecimum. Anno 1351. à Rege Joanne in Gallia inſtitutus fuit ordo ſtellatorum, inſigne vel ornamentum erat, aurea ſtella coronata Regia corona; inſcriptio, *Monſtrant regibus aſtra viam.* alluditur ad ſtellam &c. Sed talis ſtella potius eſt divina voluntas, &c. *Duodecimum.* In pulcherrima triremi, quam ſub Carolo V. contra Tunetum duxit Andreas Doria celeberrimus heros, ſupra malum radiabat ſtella circumdata ſagittis, cum his verbis: *Vias tuas Domine demonſtra mihi.* Sed quid opus hoc lemmate? an non melius illud, *vias tuas Domine demonſtraſti?* quas vias? vias tuæ ſanctiſſimæ voluntatis. Quod tibi placet mi Deus, placet & mihi; quod tibi diſplicet & mihi. O via ſecura! via regia! via recta planaque ad cœlum! *Decimum tertium.* Claudat agmen ſymbolum Ducíſſæ Mediolanenſium, quæ orbata viro & filiis pro ſymbolo

bolo pingi curavit phœnicem, hoc adjecto dicto: *facta ſola, ſolum Deum ſequor.* Gratias tibi refero pro hoc tuo ſymbolo Dux illuſtriſſima, hoc enim me meoſque inſtruis Auditores quid poſthac nobis faciendum, cum ſoli ſumus, cum derelinquunt nos ii, quibus maxime nitebamur amici, *ſoli ſolum ſequemur Deum*; cordi nobis erit hoc tuum monitum ſimul & exemplum cœleſte.

Tales phœnices, tales aquilæ Imperatoriæ, &c. non habent quod pertimeſcant in hoc mundo. Talis aquila fuit David, ideo dixit pſ.124.v.1. *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur.* pſ.75.v.3. de tali aquila ait: *factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* pſ.26.v.3. *Non timebit cor meum.* O David! quid? non pertimeſces? non etiam ſi tota conſurgant caſtra? non. Etiam ſi conjuret infernus in tuum unius caput? non. Etiam, ſi omnia in tuum unius ſinum confluunt infortunia? non, non pertimeſcam; *non timebit cor meum.* Cur obſecro? *quia cor meum & caro mea exultaverunt in Deo vivo*; hic illis præſidium, ſubſidium, auxilium, hic arma, hic robur, hic vires, hic felicitas, hic victoria. §.9. *Tales aquilæ nihil timent.*

Sed tempus eſt, ut vela orationis contraham, quod me facturum promiſi quinque pulchris corollariis. Mutuatus ſum illa ex Bloſio, cujus opinione 1. *qui veræ perfectionis amans eſt, non à Deo ſolatium internum, non hoc aut illud præcipue poſtulare, ſed ejus gratiſſimam voluntatem votis omnibus expetere debet.* Quiſque apud ſe ſæpe cogitet, an de ſe, per ſe &c. in omnibus fiat Dei voluntas. 2. *Quiſque hoc menti ſuæ alte imprimat, plane ſuper omnia Deus à nobis exigit, ut noſtram voluntatem illi penitus offeramus, permittamus ipſum facere, quicquid volet.* 3. *Multo acceptius Deo eſt, ut cum Apoſtolo,* Act.9.v.6. *ex animo dicamus, Domine quid me vis facere?* (vel cum leproſo Evangelico, *Domine ſi vis &c.*) *quam ſi mira alia pro illius amore faciamus: ſuper omnia namque, quæ vel dicere, vel facere poſſumus, hoc à nobis maxime expoſcit Deus, ut intus in corde dicamus, Domine fiat gratiſſima voluntas tua.* 4. *Quisquis ad hunc perfectionis gradum pervenerit, cum illo bene agitur, & de vita æterna obtinenda, quantam ſe ſentit habere certitudinem.* 5. *Talis* &c. *moderate, ſuaviter, & tranquille ferre novit omnia, cum perturbare nihil poteſt,* §.10. *Aliquot Corollaria.*

quia enim ex vero amore divinæ ſe permiſit atque reſignavit voluntati, & nullius mortiferi peccati conſcientia tenetur, (ecce duplicem fontem veri gaudii) *facile tolerat, quicquid &c.* cum in omnibus dicat, *Domine ſi vis, fiat voluntas tua, &c.* Nulla oratio eſt Deo acceptior, vel perfectior. Cum Sancta Mechtildis in feſto Purificationis B. Virginis, à Simeone Sene, per parvulum Jeſulum, quem in ulnis ſuis geſtaſſet, petiviſſet deſiderium pie moriendi, vox de cœlo illi allapſa reſpondit, *melius & perfectius eſt, ut Deo voluntatem tuam des, & velis, quicquid ipſe voluerit.* Hoc melius, hoc perfectius quæramus dum vivimus, ut æternum poſſideamus, dum morimur.

CONCIO IX.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Factus eſt motus magnus in mari.

Matth. 8. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN tempeſtatibus tribulationum, tentationum & omnium adverſitatum, per ardentem orationem invocandum eſt nomen Domini, divinumque auxilium, & fiet tranquillitas magna.

§. 1. *Bonum habemus Salvatorem.*

§. 2. *Deus permittit tempeſtates, ut illum invocemus.*

§. 3. *Deus percutit nos, ut ſanet.*

§. 4. *In ſpirituali pugna elevandus à nobis eſt clypeus orationis.*

§. 5. *Cum Iſaia Propheta.*

§. 6. *Fluctus ſunt tentationes, ſed oratione repelluntur, hoſtes vincuntur invocatione divini auxilii.*

§. 7. *Fluctus ſunt tribulationes, ſed ora. Orantes in tribulatione exaudit Deus.*

§. 8. *Quid in tribulationibus egerit David.*

§. 9. *Tem-*

§. 9. *Tempore belli invocandum eſt nomen Domini.*

§. 10. *Fructus orationis eſt tranquillitas.*

SI agnoſceremus & crederemus Chriſtum Salvatorem noſtrum talem eſſe, qualis in Evangeliis nobis deſcribitur præcipue, hinc ejus potentiam qua poteſt: inde bonitatem ac miſericordiam, qua vult ſuccurrere, magnam dubio procul ſpem atque fiduciam in eo, & potiſſimum cum adverſa nos premunt, poneremus, ſine dubio ferventer eum invocaremus; quæreremus ſine dubio eſſe cum illo, caveremus illum offendere: omnis conatus noſter ſine dubio ad illum amandum, laudandum, illique toto ex corde ſerviendum dirigeretur. Ante dies 14. in Evangelio ad ſolatium pauperum aquam ſolo nutu convertit in vinum, nunquid bene dico, *quam bonus, quam potens eſt Chriſtus Salvator noſter!* Ante octiduum in Evangelio paucis verbis mundavit leproſum, ſervum centurionis paralyticum etiam abſentem ſimili modo & facilitate ſanitati reſtituit, *quam bonus, quam potens eſt Salvator noſter!* In hodierno Evangelio diſcipulos è grandi tempeſtatis periculo vindicat, imperio ſuo tumentes irati maris fluctus componit momento; *quam bonus quam potens eſt Salvator noſter!* In ſequentibus Evangeliis per annum audiemus, quod ejecerit dæmonia, quod ſurdos, cœcos, claudos, aridos, hydropicos, & omnis generis homines à quacunque infirmitate curarit, quod ſuſcitarit mortuos, quod paucis panibus multa famelicorum millia ſaturarit, quod tactus fimbriæ ejus multis fuerit perquam ſalutaris, audiemus quod pro nobis in cruce ſit mortuus, quod reſurrexerit à mortuis, quod aſcenderit in cœlos, quod ibi ſedeat ad dexteram Patris in gloria ut non immerito exclamem? *Quam bonus, quam potens eſt Chriſtus Salvator noſter!* Ideo S. Ignatius quantus animarum zelator, tantus & honoris Chriſti amator frequenter cum lacrymis exclamare ſolebat, *O ſi homines te noſſent*, eodem deſiderio flagrat animus meus, O ſi ego, O ſi Auditores mei cognoſcerent Salvatorem, hæc enim eſt æternæ vita! Certe ex hodierno Evangelio diſcimus, ipſum adeſſe ſuis, eripere eum ſuos è periculis; ſed non niſi clamore vult excitari;

§. 1. *Bonum habemus Salvatorem.*

tari; Quiſquis tempeſtate aliqua jactatur, quæcunque demum ſit illa, reddat ſibi familiarem hodiernam diſcipulorum oratiunculam *Domine ſalva nos.* Hoc volo deducere hac concione, nimirum tempeſtatem eſſe tentationes, tempeſtates eſſe quaſcunque adverſitates, tempeſtatem eſſe bellorum motus, in quibus omnibus ut obtineamus tranquillitatem magnam, invocandum eſt Dei ter O. M. auxilium. Vos, ſi placet, tantiſper benevoli attendite.

§. 2. *Deus permittit tempeſtates, ut illum invocemus.*

Cujus navicula tempeſtate jactatur, illi occino verba gubernatoris navis, qua Jonas c. 1. v. 4. 5. per frementis maris fluctus ferebatur, *ſurge & invoca Deum tuum.* Tempeſtatem propheta ſic deſcribit: *Dominus miſit ventum magnum in mare. Et facta eſt tempeſtas magna in mari: navis periclitabatur conteri. Timuerunt nautæ & clamaverunt viri ad Deum ſuum.* Miſerunt vaſa in mare, inter hæc omnia, in tanto periculo, Jonas jacuit & dormivit, tum gubernator &c. idem vobis faciendum eſt Auditores, cum procellæ immittunt fluctus in navim, cum undique venti deſæviunt, cum ante oculos verſatur pallida mortis imago, cum nulla amplius humana proficiunt ſubſidia, cum naufragium minitatur tempeſtas atrox, cum deſperata videtur non corporis tantum, ſed & animæ ſalus; *ſurge* protinus, ſurge qui dormis, & *invoca Deum tuum*; vere Deum tuum, quia creator tuus, *Tuum*, quia Redemptor tuus, *Tuum*, quia glorificator tuus eſt. Clama cum Apoſtolis, ex hod. Evang. *Domine ſalva nos, perimus.* D. Aug. ad illa verba pſ. 49. v. 15. *Invoca me in die tribulationis, ad hoc enim permittit Deus diem tribulationis fieri* (ad hoc permittit, ut in mari fiat motus magnus) *ut invoces illum, qui forte, niſi tribularemur, non invocaremus illum.* Dum in hodierno Evangelio mare furit, dum procellæ urgent &c. alta voce, & quam poſſunt contenta clamant Apoſtoli, *Domine ſalva nos.* Hoc Deus immittendo tribulationes intendit.

§. 3. *Deus percutit nos, ut ſanet.*

Nimirum maris tempeſtates, tribulationes atque adverſitates Deus habet in manibus ſuis. Job. 26. v. 8. *qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorſum*; i. e. ligat continetque in nubibus ſuæ diſcretiſſimæ providentiæ aquas tribulationum, ut non erumpant, niſi velit. Job. 28. v. 25. *qui facit ventis pondus,* hoc eſt, *flatibus perſecutionum modum imponit,* inquit Caſſiodorus juxta illud,

Non

Non patitur vos tentari ſuper id, quod poteſtis. Apoc. 7. v. 1. S. Joannes vidit Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventes terræ, ne flarent. Nec minimus ventus ſine Dei voluntate poteſt turbare, ſine ejus nutu nec minimus fluctus exurgit. Suo tamen tempore ob cauſas bonas aperit portas, ſolvit habenas permittit flare ventos, ſæpe in pœnam, frequenter ad majus bonum, in quo cũ magno Myſterio, regius pſaltes pſ. 28. v. 6. Deum, cum affligit, aſſimilat unicorni, & non tauro. *Dilectus quemadmodũ filius unicornium.* Duas videtur hujus animalis proprietates obſervaſſe. Altera eſt, quod vulnerando ſanet, cornu enim ejus eſt medicinale, & antidotum veneni: cornua verò tauri ſunt letalia & venenata. Altera proprietas hujus animalis eſt, quod oculos habeat ſub cornu, ut videat, quem impetat; taurus è contra dum ferit, claudit oculos. Unicornem in immittendis tribulationibus imitatur Deus. Job 5. v. 18. *Ipſe vulnerat, & medetur, percutit & manus ejus ſanabunt.* in Hebr. *Ipſe vulnerans medetur:* plagæ Dei ſunt vitales non mortales &c. nec vulnerat clauſis oculis, ſed apertis; utilitatem noſtram intendit. Ita permittit motus in mari, ſolvit ſubinde vincula, quibus ligat nubes, ut erumpant fulgura fulminaque ut profluant imbres, laxant ſubinde ejus nutu habenas ventis Angeli, fiunt turbæ ac turbines, concitantur procellæ, fluctus inſurgunt, impetitur navicula, quatitur, verberatur, jam in altum extollitur, jam demergitur in abyſſum; mala omnia videntur conjuraſſe; quis denique finis? ad quid iſta permittitis boni ſuperi? Exurge, qui dormis Jeſu, loquere ventis, impera mari; periculum averte! Ita, ita avertam, inquit, Tu modo perge meum invocare nomen, perge divinam inclamare clementiam; perge ſubmiſſis inſtare precibus; hoc eſt quod amo, quod quæro, quod deſidero.

Joſue 8. v. 18. inclytus dux ibat ut oppugnaret Hai; & cum incolæ fortiter ad pugnam ſe compararent, ait illi Dominus. *Leva clypeum contra Hai.* alii legunt, *extende telum,* vel *haſtam.* Quamprimum Joſue clypeum, vel haſtam contra muros levavit, qua data porta, irruit miles. Senſu myſtico apud SS. Patres clypeus vel haſta eſt ſignũ crucis, quo cœleſtis Joſue Chriſt. Jeſ. infern. expugnavit, apud

§. 4. *In ſpirituali pugna elevandus eſt à nobis clypeus orationis.*

apud alios clypeus ille fuit ſymbolum orationis, id eſt, dum miles urbem expugnavit, Joſue ardentiſſimas orationis ſagittas vibravit. Regredior ad Evangelium Auditores, cum mare turbatur, cum procellæ inſurgunt, cum decidunt imbres tribulationum, cum Satan infernalis hoſtis vos oppugnat, quæſo, contra fluctus, contra ventos, contra procellas, contra diabolum, contra Principes tenebrarum levate clypeum; levate haſtam, dæmoni, & omnibus fluctibus terribilem, ad orationem confugite, cum Jona, cum Apoſtolis invocate Dominum &c. nec dubitate, imperabit Chriſtus Dominus mari, & ventis, & fiet tranquillitas magna. Ab invocatione nominis Domini, ab oratione pendet victoria vel tranquillitas in mari.

§.5. *Cum Iſaia Propheta.* Talem tempeſtatem expertus fuit Iſaias c. 21. v. 1. *Sicut turbines ab Africo veniunt*, addit una lectio, *de deſerto venit vaſtitas, de terra horribili viſio dura nuntiata eſt mihi.* D. Anton. Patav. ad hæc verba. *In turbine diaboli ſuggeſtio* (quales hinc motus in mari cordis humani.) *In vaſtitate cupiditas* (qualis hæc eſt ventus, quales ab illa procellæ) *in viſione dura carnis tentatio intelligitur.* Sed quo confugit Iſaias? quid fecit? ipſe reſpondet v. 3. *propterea lumbi mei repleti ſunt dolore, & anguſtia poſſedit me. conturbatus ſum cum viderem, emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me.* Sed in his tenebris exclamat v. 5. *Surgite Principes, arripite clypeum!* Advertitis jam Auditores, quid ſit, quod in tempeſtate noſtrum dormire videatur optimus Salvator? ah fallimur! non dormitat, ſed vigilat, obducti videntur oculi corporis, at aperti ſunt oculi mentis, non dormitat, ſed exſpectat, quid exſpectat? preces noſtras, ſuſpiria noſtra, gemitus noſtros, affectus noſtros. Itane? Ita profecto. Ergo mi dulcis Salvator, quoties poſthac miſellam animæ meæ naviculam gravior jactabit tempeſtas, faciam quod deſideras, clamabo, orabo, ſuſpirabo, dicam millies: *O Domine ſalva nos, perimus*; Salva animam meam, quam tanto ſanguinis tui pretio redemiſti.

§.6. *Fluctus ſunt tribulationes, ſed ora-* Hic locus Iſaiæ in memoriam mihi revocat, quod ſæpius apud SS. Patres & Interpretes legi, unam ex præcipuis, quibus vita humana, veluti navis jactatur, tempeſtatibus eſſe tentationes.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi ſimilibus fluctibus tua navicula jactatur, ſurge & invoca Deum tuum. Vix eſt aliud certius medium eluctandi. Hugo Cardinalis ad verba illa Eccleſiaſtis cap. 9. v. 18. *melior eſt ſapientia, quam arma bellica,* aliquot numerat ſtultitias, quas aliqui in bello ſpirituali contra tentationes committunt. Stultitia eſt contra hoſtem pugnare armis nimis ponderoſis, & ſupra vires, v. g. nimiis jejuniis, &c. Ob hanc cauſam David pugnaturus contra Goliath abjecit arma Saulis 1. Reg. 17. v. 30. *ſtultitia* in bello eſt, non armare ſe ante pugnam, *ſtultitia* eſt hoſtem non percutere dum parvus eſt, & debilis, *ſtultitia* eſt pugnare clypeo jam perforato, *ſtultitia* eſt hoſti nimium fidere, *ſtultitia* eſt hoſte inſtãte dormire *ſtultitia* eſt, objicere ſe gladio hoſtili, &c. Addo ego ſumma ſtultitia eſt contra tentationes velle pugnare ſine oratione. Stultus eſt, qui mari agitatur, & non orat. In pugna ſpirituali invocatione nominis Domini fortem illum armatum Goliath ſuperare oportet. Pſ. 143. ſic orditur David. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* laudat Deum, eique gratias agit, quod juvenis è paſcúis deviciſſet magnum illum & rerum bellicarum peritiſſimum Goliathum. Hic eſt enim pſalmi titulus. *Pſalmus David adverſus Goliath.* Sed quæ fuit illa ars, qua vicit? Arma Goliathi fuerunt caſſis ærea ſuper caput, lorica ſquamata, cujus pondus quinque millia ſiclorum æris, ocreæ æreæ, clypeus æreus, & haſtile ingens, cujus vel ſolum ferrum habuit ſexcentos ſiclos. David verò tulit ſolum baculum, & elegit quinque limpidiſſimos lapides de torrente. O quanta in armis diſparitas, & tamen David puer vicit gigantem, qua arte vicerit ex ipſo audite 1. Reg. 17. v. 45. ſic ait ad Goliath, *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini Exercituum, Dei agminum Iſrael, quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, ut ſciat omnis terra, quia eſt Deus in Iſrael.* Hanc artem diſcite, pulchre. Regredior ego ſemper ad hiſtoriam Evangelii, cum ſævit iratum mare, baculum crucis objicite, invocate nomen Domini.

tione repelluntur, hoſtes vincuntur invocatione divini auxilii.

Alii SS. Patres per tempeſtatem quaſcunque alias adverſitates

§. 7. *Fluctus*

ſunt tribulationes, ſed ora. Orantes in tribulatione exaudit Deus.

tates intelligunt, ſi his jactatur navicula cordis tui, ſurge & invoca Dominum, clama voce magna cum diſcipulis, *Domine ſalva nos perimus.* Titulus pſalmi 101. ſic habet: *Oratio pauperis cum anxius fuerit, & in conſpectu Domini fuderit precem ſuam.* Hebræa lectio ſic habet, *cum mœrore animi cruciabitur, vel operietur, vel involvetur, cum anguſtiis afficietur, vel torquebit ſe, cum conſtrictus fuerit, redactusque in anguſtias.* Cauſam triſtitiarum, timorum, anguſtiarum, &c. inſinuat David, cum v. 3. tam ardenter petit, *Non avertas faciem tuam à me.* Videtur Deus à nobis avertere faciem claudit Chriſtus oculos & dormit, cum ventis tribulationum permittitur, ut mare cordis noſtri nonnihil commoveant. Videtur Deus avertere faciem, dormit Chriſtus, cum variorum morborum procellæ in nos inſurgunt. Et quid tali pauperi faciendum? faciat, quod David fecit in eodem pſalmo, v. 1. clamate ad Deum in toto corde, dicite, *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* Diſcipuli in hodierno Evangelio cum mare turbatur, reſtituerunt fluctibus, remis, contis, funibus, &c. ſed dum ſe fruſtra laborare cernunt, voce magna excitant dormientem Jeſum, *Domine ſalva nos.* Idem & nos inter tribulationum fluctus facere debemus. Exaudit Deus tales clamores, ideo David ait eodem pſalmo v. 18. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum.* S. Hieron. legit. *Reſpexit in orationem cicadæ,* quæ magis occinit, quo magis uritur à ſole. Alii. *in orationem miricæ,* herbæ humilis & amaræ. Cajet. *In orationem ſuſpirantis.* Chald. *in orationem deſolatorum.* Tales ſunt, quas in adverſitatibus fundere ſolebat preces David.

§. 8. Quid in tribulationibus egerit David.

Idem fecit pſ. 68. v. 5. *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis, confortati ſunt inimici mei injuſte adverſum me loquuntur, qui ſedent in porta, Ego vero* (ait) *orationem meam ad te Domine,* ſupple, *dirigebam.* Cum fugeret à facie Abſolonis, oravit pſ. 3. *Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? multi inſurgunt adverſum me, multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo ejus,* id eſt, hac vice vix ſalvari potero, cum filius Abſolon me perſequebatur; in his anguſtiis David ad ſolitum ſeſe aſylum recepit, v. 5. *Voce mea ad Dominum clamabo, & exaudiet me de monte*

ſancto

ſancto ſuo, v. 5. quod & contigit, in illa perſecutione adeo quietus & ſecurus redditus eſt David, ut dixerit v. 6. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum*. pſ. 141. v. 3. *Effundo in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.* Omnibus ergo in adverſitate aliqua conſtitutis ſuggero conſilium S. Pauli Ap. 1. ad Tim. 5. v. 5. *quæ vere vidua eſt & deſolata* (pulchre) *ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte & die.* Et evigilabit Chriſtus, exaudiet has preces pſ. 31. v. 6. *pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno, veruntamen &c.* Alii ex hebræo verſum hunc ſic legunt, *Oret ad te quisquis ſanctus eſt, quamprimum anguſtiam ſenſerit, & jam non tanget eum inundatio aquarum multarum.* Inter quas aquas erat Jonas, ſed ait de ſe cap. 2. v. 3. *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, de ventre inferi* (de profundis viſceribus immanis piſcis) *clamavi: cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum, ut veniat ad te oratio mea.* Non minor fuit hodiernæ vehementia tempeſtatis. O boni diſcipuli; nolite animis cadere, dum Jeſus adeſt, ſalva ſunt omnia; non eſt naufragii periculum; cum tantum eſt in oculis præſidium: clamate tantum *Domine ſalva nos*; orate, nihil non poteſt humilis oratio. Amat orari Deus, cujus natura eſt, facillime exorari.

Denique alii SS. Patres & interpretes per tempeſtates intelligunt motus bellorum, rebellionum, ſeditionum. Hoc ſenſu dicere poſſumus: Germania à multis annis quale fuit mare? quales in illa fluctus? quanti motus? & needum horum finis; itaque ſurgite, O miſeri, invocate nomen Domini. 2. Paral. 20. v. 2. & 6. Congregati ſunt filii Moab, & filii Ammon ad Joſaphat, ut pugnarent contra eum, veneruntque nuntii & indicaverunt Joſaphat, dicentes, *Venit contra te multitudo magna &c.* quid faceret piiſſimus Joſaphat cum exiguis copiis? textus ait, Totum ſe contulit ad rogandum Dominum, levavit clypeum orationis; *Domine DEUS Patrum noſtrorum, tu es DEUS in cælo, & dominaris cunctis regnis gentium: in manu tua eſt fortitudo & potentia. In nobis non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos; ſed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus*

§. 9. *Tempore belli invocandum eſt nomen Domini.*

reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. Mox illum ſolatur Propheta, *Hæc dicit Dominus vobis, nolite timere, nec paveatis multitudinem hanc, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei,* quaſi diceret, antequam Rex veſter oraret, O Iſraelitæ, veſtra erat pugna, nunc eſt Dei, in neceſſitate ab oratione poſiti, opem ferendi, & quo conſtaret auxilium totum ſitum in oratione, ſubditur v. 21. *Et ſtatuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitum ac voce conſona dicerent, confitemini Domino, quoniam bonus. Cumque cœpiſſent canere, vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos, & mutuis concidêre vulneribus.* O quam ſæpe noſtris etiam temporibus renovari vidimus hunc belli ludum, cujus alea non minus infelix fuit, quam dubia. Venit (ecquis auſit negare) venit contra Imperium Romanum, venit contra patriam noſtram chariſſimam, Germaniam dico, venit contra nos ipſos multitudo non parva, *Deus venerunt gentes* (imo & Chriſtiani ô pudor!) *in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum,* & cum illis quid non venit dirum, acerbum, horridum? Loquuntur etiam me tacente rudera buſtaque: loquuntur cædes, devaſtationes, abominationes! Et quis tandem tulit rebus afflictis opem? Oratio. Quis hoſtem ejecit ex patria? oratio. Quis tantam armorum tempeſtatem, tam ſævam, tam diuturnam, tam miſerabilem ſedavit? Oratio, & ea quidem conſtans ac humilis. O quoties diximus, *Domine ſalva nos perimus!* audiit bonus Deus, *reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum.*

§. 10. *Fructus orationis eſt tranquillitas.*

Fructus hujus orationis & invocationis in omni adverſitate erit tranquillitas magna, dormit Salvator ad tempus, cum à nobis excitatus imperat vento & mari, fit neceſſario tranquillitas magna. Tob. 3. v. 22. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis.* Equidem exiſtimo Apoſtolos in hodierno Evangelio, cum viderent tempeſtate jactatum mare momento obedire imperio Chriſti, non modica perfuſos eſſe lætitia, pari plane ratione homines pii & ſancti per mare hujus mundi jactantur, nunc mare ſævit, nunc eſt tranquillitas. Act. 27. v. 20. Paulus tanta tempeſtate jactatus fuit, *ut neque ſole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, jam ablata eſſet ſpes omnis ſalutis eorum:*

eorum; verum enimverò meritis, atque orationibus S. Pauli omnes ſalvi ad littus appulerunt. Sunt ex pſalmis Davidicis, qui hunc præfecerunt titulum, *in finem, vel in victoriam.* illorum initium eſt triſte, finis lætus. v.g. pſ. 4. incipit, *cum invocarem &c.* finis eſt, *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* pſ. 5. ſic orditur, *verba mea &c.* finit autem, *& gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam, &c.* Idem ſperemus, idem dicamus, ſentiamus idem, idem cogitemus. Horreo, & toto corpore contremiſco, cum mihi feralem imaginem futuræ quondam tempeſtatis, quæ nos omnes ac ſingulos exſpectat, ante oculos conſtituo! Heu qualis tempeſtas incumbet nobis in hora mortis! O tempeſtas triſtis! ah quo medio evademus? quo nos convertemus? Neſcirem ego ſane, niſi bonus Jeſus tabulam naufragantibus oſtenderet, ſcimus, ſecunda poſt naufragium tabula eſt pœnitentia, ſed melior ante naufragium tabula eſt oratio. Finio, & cum SS. Apoſtolis iterum, iterumque precor, (vos idem quotidie ſæpius ingeminate, imo toties, quoties imminet calamitatis tempeſtas) *Domine ſalva nos, perimus.* Si hoc diligenter præſtiterimus nullum naufragii erit periculum, ſed ſecundis ventis cum Apoſtolis ad optatum perveniemus portum.

CONCIO X.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? unde ergo habet zizania.

Matth. 13. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUinam in ſacris literis vocentur filii nequam, filii Belial, filii diaboli, quos Chriſtus Dominus nominat zizania.

Digitized by Google

§.1. *Brevis expoſitio Evangelii.*
§.2. *Zizania ſunt filii nequam, quales ſunt in ſacris literis Sodomitæ.*
§.3. *Scelerati Iudices & Magiſtratus, à quibus opprimuntur viduæ & pupilli.*
§.4. *Superbi & arrogantes, avari, ebrioſi, &c.*
§.5. *Politici, & Machiavelliſtæ.*
§ 6 *Molles & fornicarii.*
§.7. *Iracundæ fœminæ.*
§ 8. *Qui nequam habent oculos.*
§ 9. *Quænam Zizania in ſacris literis vocentur filii Belial, ſive diaboli. v.g. impii ſacerdotes, &c.*
§.10. *Iudas proditor, mendaces, reluctantes veritati &c.*
§.11. *Quibus mediis zizania poſſint converti in ſemen bonum.*
§.12. *Vnde poſſimus colligere an ſimus zizania, an ſemen bonum.*
§.13. *Timeant filii nequam ob Tragicam Hiſtoriam.*

§.1. *Brevis expoſitio Evangelii.*

PArabolam hodierni Evangelii expoſuit idem, qui propoſuit Chriſtus Salvator. Ager, ait, eſt mundus, qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis. Bonum ſemen ſunt filii regni. Zizania ſunt filii nequam. Inimicus homo, qui illa ſeminat, eſt diabolus. Meſſis eſt conſummatio ſæculi, meſſores ſunt Angeli: ſicut ergo tempore meſſis triticum invehitur in horreum, Zizania verò colliguntur ut igni comburantur, ſic in conſummatione ſæculi mittet filius hominis Angelos ſuos, ut triticum, ſive bonos, invehant in horreum gloriæ, ſcandala verò & eos, qui faciunt iniquitatem, colligent, ut in caminum ignis æterni conjiciant: *ibi erit fletus & ſtridor dentium. Iuſti verò fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.* Ex qua Chriſti D. explicatione duæ ſunt nobis regulæ certæ, atque irrefragabiles. 1. Quemlibet, qui vivit in mundo, eſſe vel triticum vel lolium, id eſt, vel filium regni, ſeu juſtum, vel filium nequam, ſeu impium, quivis homo neceſſario eſt vel filius Dei, vel diaboli. Certum eſt 2. qui in morte ſua juſtus, vel filius Dei inventus fuerit, colligendum ab Angelis ad glorioſum Dei regnum, eum verò, qui inventus fuerit filius nequam, ab iiſdem Angelis colligendum & mittendum in infernum. Hæc generaliter certiſſima & infallibilia ſunt: illud in particulari valde incertum, quinam inter nos in individuo ſint Zizania, vel filii nequam. Itaque ex ſacris literis hanc

Digitized by Google

hanc aggredior materiam, dicturus, quinam ſint homines Zizania, vel filii nequam, vel filii Belial, vel filii diaboli; his enim modis loquendi utitur ſacra ſcriptura. Addam terribile exemplum divinæ vindictæ, qua ſubinde divina Juſtitia talia lolia eradicat, ut timore perculſi, conemur in agro cordis ſeminare ſemen bonum, & aliquando metamus gloriam in benedictionibus.

§. 2. *Zizania ſunt filii nequam quales ſunt in ſacris literis Sodomitæ.*

Zizania in agro Domini ſunt filii nequam. Eſt pronuntiatum æternæ veritatis & Chriſti Salvatoris; quos autem intelligat per filios nequam, melius explicari non poteſt, quam ex ſacris literis. Iſaias arguens Judæos c. 1. v. 4. ait; *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis.* Itaque in communi illi inter homines ſunt Zizania, qui gravia ſcelera committunt. In particulari pergit Iſaias; *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei veſtri populus Gomorrhæ.* Erant tempore Iſaiæ Jeroſolymis etiam inter primarios, qui patrabant ſcelera Sodomitarum; hos vocat ſemen nequam, filios ſceleratos, qui hodie talia ſcelera committunt, ſunt & ipſi ſemen nequam, ſunt Zizania, quæ reſervantur ad comburendum in inferno. Imo hi filii ſcelerati in hoc mundo digni ſunt combuſtione. Hinc Deus Sodomam & Gomorrham ſulphure & igne de cœlo combuſſit, Gen. 19. v. 24. Igne ſcelerata illa Zizania eradicavit. S. Paulus ad Rom. 1. v. 32. *qui talia agunt, digni ſunt morte.*

§. 3. *Scelerati Iudices & Magiſtratus, à quibus opprimuntur viduæ & pupilli.*

Pergit Propheta: *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones: pupillo non judicant, cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* Ecce ſemen nequam, ecce filios ſceleratos, facile intelligere poſſunt omnes an hodie inter Magiſtratus, Judices, Advocatos &c. creſcant talia Zizania. Creſcunt ad comburendum. Quod ſi filios nequam vocat Iſaias illos, qui tantum non judicant, qui non audiunt pupillos & viduas, dicite, quod nomen merentur, qui contra tales injuſtas urgent, procurant, pronuntiant ſententias? Et quid ii, qui viduas quotidie contriſtant, vexant, affligunt? quid ii, qui præter omne fas & æquum, involant in illarum bona, & ſubſtantiam diripiunt? cum interim & prophetæ ſacri in Antiqua, & ipſe Chriſtus in Nova Lege viduarum pupillorumq; curam, amorem ac benevolentiam tantopere inculcat? cum toties *Væ væ illis* ingeminat, qui viduas

vel premunt vel opprimunt! O zizania! nil aliud vos exſpectat quam ignis! ſed qualis ignis? non eſt meum hic modo illum deſcribere, vos ipſi penſitate, intellectum habetis.

§. 4. Superbi & arrogantes avari, ebrioſi &c.

Pergit Propheta cap. 3. v. 16. *Elevatæ ſunt filiæ Sion, ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant: ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.* Itaque ex ſenſu Prophetæ ſemen nequam & lolia ſunt fœminæ ſuperbæ, proc:-ces, libidinoſæ &c. O quantum ergo zizaniorum eſt in mundo. Pergit Propheta c. 5. v. 8. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, uſque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos ſoli in terra. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, cythara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris &c. propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum ſine ullo termino. & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, glorioſique ejus ad eum.* Itaque ſecundum mentem prophetæ Zizania ſunt, avari, uſurarii, guloſi &c. omnes ſervantur, & ſinuntur creſcere ad comburendum.

§. 5. Politici & Machiavelliſtæ.

Pergit Propheta v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis bonitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmet ipſis prudentes &c.* Secundum mentem Iſaiæ ſemen nequam, filii ſcelerati ſunt impœnitentes, & impii Machiavelli diſcipuli, qui Politici dici volunt. Et quis omnium finis? Iſaias, *propter hoc, ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flamma exurit; ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet*, ignis, ignis tales manet. Zizania colligabuntur ad comburendum.

§. 6. Molles & fornicarii.

Prolixior ſum in Iſaia, cum non deſint alia ſcripturæ loca, quæ pariter explicant Zizania, ſive filios nequam; Gen. 38. v. 7. primogenitus Patriarchæ Judæ, nomine Her dicitur fuiſſe nequam coram Domino, de quo interpretes conſentiunt, quod cum fratre ſuo Onan fuerit deditus mollitiei, & ita cum uxore copulam præſtiterit, ut conceptus ſequi non poſſet. Verum ideo uterque luit, per angelum malum ſive Aſmodæum, Deo ſic permittente

imo

Digitized by Google

imo & volente occiſus. Itaque qui modo tales ſunt, ſunt filii nequam. O quam timeo, ne ager Domini plenus ſit his loliis, præcipue in juventute, præcipue in libidinoſis conjugiis. Omnes hos filios nequam devorabit aliquando infernus. Clariſſime S. Paulus 1. Cor. 6. v. 9. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare! neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neq; maſculorum concubitores &c. regnum Dei poſſidebunt*, ſed colligabuntur ad comburendum. Eccleſiaſtici 19. v. 3. ait Spiritus Sanctus *qui ſe jungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes* (& ignis) *hæreditabunt illum, & tolletur de numero* (ſanctorum) *anima ejus*, colligabitur ad comburendum.

Eccleſ. 25. v. 22. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris, commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, & obcæcat vultum ſuum, tanquam urſus ſors peccatorum cadat ſuper illam.* Cogitate ſpiram eſſe agrum, tranſite & videte an diabolus non ſeminaverit, & ſeminet Zizania. O quales & quot erunt faſciculi nequam fœminarum! ſervantur modo quidem, ſed ad comburendum. *§. 7. Iracunda fœmina.*

Matth. 5. v. 29. ait Chriſtus, *ſi oculus tuus fuerit nequam.* ergo qui nequam habent oculos, v. g. invidos, ſanguineos, Matth. 20. v. 11. Oculum nequam habuit operarius murmurator. Sunt Zizania. Matth. 18. v. 32. ſervus debitor, miſericordiam à Domino conſecutus, & nolens dimittere conſervo, vocatur *ſervus nequam*, & traditur tortoribus. Itaque quicunque ſervat iram, fovet igniculos in proximum, & meditatur vindictam, filius nequam eſt, lolium eſt, pertinet ad torturam. Lucæ 11. v. 29. Judæi qui credere nolebant, niſi ſigna viderent à Chriſto, vocantur *generatio nequam.* Tales inveniuntur in agro Eccleſiæ, ſed ſunt Zizania, creſcunt ad ignem. *§. 8. Qui nequam habent oculos.*

Alia vocula Spiritus Sanctus filios nequam vocat filios Belial, ſive filios diaboli. Filii autem Belial vocantur Deuter. 13. v. 5. illi qui homines abducunt ab antiquo cultu Dei. Judicate an hodie in agro Chriſti creſcant zizania; 1. Reg. 2. v. 12. *filii Belial* vocantur filii Heli, impii ſacerdotes, abutentes ſacrificiis & fœminis *§. 9. Quænam zizania in ſacris literis vocentur filii Belial ſive diaboli.*

v.g. impii ſacerdotes &c. minis devotis, judicate, an hodie in agro Chriſti diabolus ſeminet Zizania 1.Reg.10.v.27. Filius Belial vocatur Nabal, homo dives, ſed immitis erga indigentes, judicate, &c. 3.Reg.15.v.36. Filii Belial vocantur duo falſi teſtes, qui innocentem Naboth juſſu Jezabelis accuſarunt. judicate &c. 1.Reg.1. v.16. filiæ Belial vocantur fœminæ, quæ ſe inebriant vino. Judicate an in agro Chriſti creſcant Zizania, an diaboli ſint inventuri faſciculos ut colligant ad comburendum.

§.10. *Iudas proditor, mendaces, reluctantes veritati &c.* Hi filii nequam, hi filii Belial, etiam vocantur filii diaboli. Judas ab ipſo Chriſto Domino Joannis 6. v.71. Itaque qui pecuniam præ Chriſto amant, & Chriſtum pro pecunia venalem habent, Zizania ſunt, pertinent ad ignem. Joann.8. v. 44. Judæis qui veritati nolebant acquieſcere, ſed impudenter mentiebantur, & quærebant Chriſtum perdere, dixit, *vos ex patre diabolo eſtis.* Itaque veritati non acquieſcentes, mendaces, minas ac necem ſpirantes, Zizania in mundo ſunt. Actor.13.v.8. S.Paulus Elimam Magum, & doctrinæ Pauli reſiſtentem, atque homines à fide, quam Paulus prædicabat, avertere quærentem, vocat *filium diaboli.* Judicate quinam hodie ſint tales! Denique Joann.8.v. 34. generaliſſime affirmatur, *qui facit peccatum ex diabolo eſt.* Auditis hoc impii? auditis peccatores? Ite jam & quærite quis vel quid ſit Cacadæmon, definitionem non Plato vel Ariſtoteles, ſed Chriſtus. *Qui facit peccatum diabolus eſt.* Venite ſuperbi, & ad hujus ſententiæ ſpeculum veſtram intuemini formam; Venite laſcivi & quis ſit veſter parens, addiſcite, venite avari, & novum nominis veſtri titulum cum opibus comparate. Qualem titulum? *Qui facit peccatum diabolus eſt.* Idem affirmat Chriſtus in explicatione hodiernæ parabolæ, cum ediſſerit, quinam in die judicii ab Angelis colligandi ſint ad comburendum. Colligent ait de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Itaque & illi Zizania ſunt, qui ſcandalizant alios: O Jeſu bone, quam ager tuus plenus eſt Zizaniis! O Salvator, quot deſcendent in infernum.

§.11. *Quibus mediis Ziza-* Niſi tales obediant Iſaiæ, qui cum c.1.v.4. dixiſſet. *Væ genti peccatrici,* &c. ſtatim ſubjicit, *lavamini, mundi eſtote, auferte malum*

cogita-

Digitized by Google

cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſe, diſcite nia poſſint
benefacere, & ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabun- converti in
tur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt. His ſemen bo-
modis Zizania convertuntur in ſemen bonum & triticum, 1. Cor. num.
6. v. 10. dixerat S. Paulus. *Neque fornicarii, neque avari, neque ebrio-ſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Et ſtatim tamen ait. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Hoc modo lolia converti poſſunt in ſemen bonum & triticum, quod tempore meſſis inferetur in horreum divinæ gloriæ. S. Paulus ad Gal. 6. v. 8. *Quæcunque ſeminaverit homo, hæc & metet: qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* 2. Cor. 9. v. 6. *qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet,* ſed his omnibus non obſtantibus quis eſt, qui certo ſciat, an triticum ſit an lolium? ah nemo, unus, nemo.

2. Timoth. 2. v. 19. *firmum fundamentum Dei ſtat, habens hoc* §. 12.
ſignaculum, cognovit Dominus qui ſunt ejus: & diſcedat ab iniquitate Unde poſſi-
omnis, qui nominat nomen Domini. Quaſi diceret, in Eccleſia Dei mus colli-
ſunt boni, ſunt mali, ſicut in agro eſt triticum, eſt lolium. Nos gere, an ſi-
diſcernere non poſſumus, quia permulti bonitatem ſimulant, mus ziza-
ſed Deum non latent; novit Dominus qui ſunt ejus, plena timore nia, an ſe-
ſententia. Sanct. Auguſt. ſer. 12. in Joannem. *Novit Dominus* men bonum.
qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam; novit in area ſua triticum, novit paleam: novit ſegetem, novit Zizania. Verbi gratia, ſunt in hoc mundo multi Principes! *Sed novit Dominus qui ſunt ejus.* Sunt multi Epiſcopi in hoc mundo, *novit Dominus, qui ſunt ejus.* Sunt inter vos multi eruditionis laude præſtantes, ſunt ſubtiliſſimi, expertiſſimi, clariſſimi, conſultiſſimi: *Novit Dominus qui ſunt ejus.* Sunt eximii & in ſacris literis viri verſatiſſimi: num ideo Sancti? *No-*

vit Dominus &c. ſunt, qui divitiis pollent, quibus eſt ad manum nutumque fortuna, qui abundant auro atque argento: *Novit Dominus qui ſunt ejus.* Sunt artifices opificeſque permulti, qui dies noctesque laborando conſumunt, non ut otium fallant, ſed ut alant familiam, *Novit Dominus qui ſunt ejus.* Fortaſſis complures, forte pauculi. *Novit Dominus &c.* Sunt juvenes ac pueri, Virgines ac puellæ, quas commendat ætas florida, florida forma, an & virtus florida? *Novit Dominus qui ſunt ejus.* Ille, ille novit lolium à tritico ſecernere, ille, ille diſtinguit inter roſas & ſpinas, inter aurum & lutum, inter margaritum & vitrum, *Novit Dominus qui ſunt ejus.* Nos quandoque, imo ſæpiſſime ludimur, fallimur, decipimur. Si vis eſſe Domini, audi Sanct. Paulum 2. Timoth. 2. verſ. 19. *Diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.*

§. 13. *Timeant filii nequam ob tragicam hiſtoriam.*

Habent alioqui filii nequam cur timeant. Permittit quidem Deus illos vivere inter bonos, ſed tandem terribili ſupplicio eradicabit hæc Zizania. Nemo cogitet, fiet hoc in conſummatione ſæculi, interim locus erit pœnitentiæ. Nemo fidat, frequenter Deus, dum minime putatur, in graviſſima ſcelera repente animadvertit. Terribile eſt quod Anno 1638. contigit in Polonia. Vir ibi alti ſanguinis & magnæ dignitatis vitam vixit impuriſſimam, verum lolium Aſmodæi. Vita exterior erat pia, ſed ſub ſplendido habitu plena fandis atque nefandis turpitudinibus, ſed nihil eſt occultum Deo! *Novit qui ſunt ejus.* Monitus ſæpe aures audiendi non habuit. Sanctiſſimis diebus etiam peccare illi volupe fuit. Itaque die Aſſumptæ in cœlos Virgini ſacro ad villam ſeceſſit, cum poſt cœnam ſolus eſſet cum Amaſia, tota domus ſecure dormit. Et ecce cum dormiunt homines, venit inimicus, non jam ad ſeminanda Zizania, ſed ad eradicanda, quæ prius ſeminaverat. Tota domo exauditæ fuerunt horrificæ voces luporum, porcorum, canum &c. Subducit ſe ocyus Amaſia è cubiculo, obvia habet ejuſmodi monſtra, oculis flammantia, hæc cum impetu irruunt in conclave Domini, illud ea vehementia claudunt, ut tota domus contremiſceret. Hinc increbeſcere ululatus & motus horrifici. Excitati

Digitized by Google

citati tumultu famuli accurrunt, ſed nec oſtium penetrare, nec horrorem ululatus ferre valentes diffugiunt. Illucente die ſilent omnia, & cum oſtium reſerari non poſſet, unus audacior ſcalas feneſtræ applicat, herum fruſtra inclamat, per feneſtram ingreditur, oſtium recludit, & mox omnis familia advolat. Pavimentum, parietes, lectum tabo conſperſa horrent. Corpus heri tandem ſub lecto invenitur in globum convolutum, caput intra imos pedes contritum, ſanguineum, atrum, fædum, horridum! Singula membra concuſſa & conquaſſata. Hic exitus infelicis lolii in medio tritici. Lolium fuit hic infelix, & quid illo factum eſt? eradicatum eſt. Infelicia illa membra peccatis aſſueta, oculi impudici, os impudicum, labia impudica in faſciculum damnatæ æternitatis ſunt convoluta. Etſi ſerico gemmiſque adornata ſplenderent, Zizania tamen fuerunt, & quid illis factum? Eradicata, collecta, & in globum convoluta, velut in faſciculum ad comburendum: ex infelici corpore extracta eſt infelix anima ad comburendum. Timete impii! Tardi ſunt ad puniendum ſuperi, ſed tremendi; *Dii laneos habent pedes*, ajebant *gentiles*; Deus noſter ſero, ſed ſerio punit; diſſimulat ad tempus, permittit ut creſcant Zizania cum tritico, ſed venit hora qua aliud ſecernit ab alio; venit hora, qua dicitur, colligate Zizania in faſciculos, & mittite ad comburendum! hoc à nobis exitium benigne avertat divina clementia.

CONCIO XI.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ite & vos in vineam meam,

Matth. 20. v. 7.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OCcaſione Evangelicæ parabolæ de vinea & operariis ad illam vocatis, tractatur celebris hoc tempore controverſia; an ad ſalutem ſufficiat gratia, quam Chriſtus Redemptor noſter nobis promeruit, an inſuper requiratur noſtra cooperatio. Sive an præter fidem in Chriſtum requirantur bona opera.

§. 1. *Proponitur occaſione hodierni Evangelii celebris controverſia.*

§. 2. *Gratia vocans & cooperans, excitans & adjuvans abſolute eſt neceſſaria.*

§. 3. *S. Auguſtinus declarat ſimili.*

§. 4. *Probatur teſtimonio Chriſti Domini.*

§. 5. *Cur Chriſtus Dominus innixus fuerit ſcalæ, quam Iacob vidit in ſomnio* Geneſ. 28. verſu 12.

§. 6. *Varia ſimilia.*

§. 7. *Aliud ſimile.*

§. 8. *Teſtimonium S. Pauli.*

§. 9. *Idem confirmatur ex titulo Redemptoris.*

§. 10. *Requiritur tamen noſtra cooperatio. Figura fuit Rebecca* Gen. 27.

§. 11. *Cur David tam ſollicite ſe defenderit contra Saulem.*

§. 12. *Cur S. Paulus ita caſtigaverit corpus ſuum.*

§. 13. *Cur ficulnea* Matth. 21. *mox aruerit.*

§. 14. *Sterilitas vineæ eſt damnoſa.*

Ho-

§. 1. Proponitur occaſione hodierni Evangelii celebris controverſia.

HOdiernæ nucleus parabolæ eſt, quod, ſicut non ſufficit, ut operarius in vinea veſperi denarium vel mercedem recipiat, ideo tantum quod à patrefamilias vocatus & inductus fuerit in vineam, ſed neceſſe eſt inſuper, ut debitum præſtet laborem atque operam: ita in vinea Eccleſiæ, ut operarius in hora noviſſima, ſive in fine vitæ, æternæ gloriæ denarium conſequatur, nequaquam ſatis eſt eſſe vocatum à Chriſto, non ſatis eſt ipſum Chriſtum pro nobis laboraſſe, imo mortuum eſſe & pretioſum ſanguinem effudiſſe, ſed opus eſt ut ipſi gratiæ vocanti & adjuvanti noſtris operibus reſpondeamus. Itaque ex hodierna parabola ab æquo judice facile dirimi poteſt celebris controverſia inter Romano-Catholicos & adverſarios, An ad ſalutem noſtram & juſtificationem ſufficiat ſola fides, & fiducia in Chriſtum; an verò præter fidem & fiduciam requiratur etiam noſtra cooperatio, quæ conſiſtit in actibus aliarum virtutum, in merito bonorum operum; ita ut ex parte Chriſti ſufficiat quidem ejus vocatio, gratia, ac merita, ex parte vero noſtra etiam opera requirantur, quæ ſint mercedis & denarii meritoria, hoc eſt, vitæ æternæ. Sæpius hodierna Dominica hanc pertractandam ſuſcipio controverſiam: nunc hanc concionem in duas diſtribuo partes. In quarum altera dicam certum eſſe Chriſtum Dominum eſſe Redemptorem noſtrum, ſine quo nil boni agere poſſumus. In altera verò oſtendam ſolum ejus auxilium, gratiam ſolam, ſolam ejus paſſionem non ſufficere, ſed requiri noſtram induſtriam, laborem & fructus bonorum operum. Sumus operarii in vinea Domini, pro denario æternæ gloriæ proinde eſt nobis cũ Chriſto laborandum.

§. 2. Gratia vocans & cooperans, excitans & adjuvans abſolute eſt neceſſaria.

Veritatem primi puncti hujus concionis, de vocatione ad vineam, ſive quod neceſſarium ſit ad ſalutem, & finis ultimi noſtri aſſecutionem, ut Deus nos vocet & per gratiam ſuam nobiſcum operetur, Concilia & Sancti Patres variis modis loquendi proponunt. Concilium Arauſicanum ait, *quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*. Conc. Trident. *Quia in omni opere bono nos non incipimus, niſi poſtea per miſericordiam Dei adjuvamur; ſed ipſe nobis nullis præcedentibus meritis fidẽ atq; amorem ſuiipſius inſpirat, ut poſt cum ipſius adjutorio, quæ ſibi placita ſunt adimplere*

plere poſſimus. Magiſt. ſent. *Quia voluntas noſtra nil boni agit, niſi divinitus adjuvetur.* Unde Ap. 1. Cor. 15. v. 10. *Non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Patet hoc in hodierni Evangelii parabola; in qua paterfamilias ſine ullo operariorum merito, eoſdem ad ſuam illam vineam invitavit.

§. 3. *S. Aug. declarat ſimili.* S. Auguſtinus declarat id pulcherrimo & obvio ſimili, *quemadmodum*, inquit, *oculus corporis pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere: ſic etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce divinæ Iuſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere.* Idem l. 2. de peccatis. *Quod à Deo nos avertimus, noſtrum eſt, & hac eſt voluntas mala* (quæ per ſeipſam ad malum eſt inclinata) *quod verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, & adjuvante, non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona.* Verum quia hic modus punctum hoc tractandi pertinet ad ſcholas, hoc unicum addo cum S. Aug. *Nec velle quisquam poteſt, niſi admonitus & vocatus.* Fortaſſis ob hanc cauſam Exodi 23. v. 19. Deus præcepit, *primitias fructuum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei.* Guilh. Pariſ. in Dom. 22. poſt Trinit. *In ſignum, quod inchoatio boni operis eſt à Deo, & ad Deum referenda, utpote ab eo principalius procedens, quam ab homine;* hoc poſito progredior ad ſacræ ſcripturæ loca, ut hoc ipſum luculentius exponam.

§. 4. *Probatur teſtimonio Chriſti Domini.* Certe ſat clare ſacro ſuo ore idipſum affirmavit ipſe Chriſtus Salvator. Joann. 15. v. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*, quaſi diceret, ſine me ſalvi fieri non poteſtis. Sicut enim palmes fructum affert (eſt ſimile à Chriſto quoque prolatum) ſi maneat in vite, non verò ſi ab illa ſeparetur; ita nemo proferet fructus gratiæ, & ſalutis æternæ, niſi per unionem charitatis unitus ſit viti, qui Chriſtus eſt; ſine quo ſalvari non poſſumus.

§. 5. *Cur Chriſtus Dominus innixus fuerit ſcalæ, quam Iacob vidit in ſomnio Gen. 28.* Latet hoc myſterium in myſtica illa ſcala, quam vidit Jacob c. 28. v. 13. Gen. in qua inter alia peculiariter obſervavit, *Dominum innixum ſcalæ.* Oleaſter putavit ideo filium hominis hoc modo repræſentatum fuiſſe, quod per gradus bonorum operum, per ſcalam virtutum & perfectionis, nemo ſurſum ad cœlum aſcendet, niſi Chriſtus illum adjuvet ſuſtentando ſcalam, nobisque ad cœlum aſcendere ſatagentibus, gratiam porrigat opportunam.

Sic

Digitized by Google

Sic ait cit. auctor. *Vt oſtenderet neminem ad eum venire poſſe, niſi ille tenuerit viam ejus, ſcalamque ſuſtentaverit.* Scala cœli eſt ſanctiſſima crux, per quam in altum eniti debemus. Sanguinea ſcala ſunt ſanctiſſima vulnera Salvatoris, nemo aſcendet per oſtia SS. Vulnerum cœlos, niſi ille, qui in cruce pro nobis mortuus eſt, nos adjuvet. Ob eandem cauſam Cant. 1. v. 3. Sponſa petiit trahi à dilecto ſponſo ſuo, *trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum*; quaſi diceret, ſecundum aliquos interpretes, Domine Jeſu Chriſte, video quod ex me non poſſum ad te pervenire, nec tuam deguſtare dulcedinem, ideo auxilium tuum implorando rogo, *trahe me poſt te.* Vel ſecundum S. Thomam de Villa Nova. *Non ipſa per me venire poſſum, ſed tu trahe, ſequar ſi traxeris me.*

Pulchra ſimilia addit S. Greg. Naz. orat. de ſeipſo. *Sine Chriſti ope omnes nos inania ludibria ſumus, & viva, ut ita dicam, cadavera ſceleribusque fœtida, ut enim nec avis ſine aere volat, nec delphinus ſine aqua natat, ita nec homo ſine Chriſti adminiculo pedem terra efferre poteſt.* Sine Chriſti Domini peculiari gratia nunquam Petrus defleviſſet ſuum crimen, ut pulchre obſervavit D. Ambroſ. *Negavit primo Petrus & non flevit. Negavit ſecundo & non flevit. Negavit tertio: Reſpexit Ieſus, & ille amariſſime flevit.* Idem plane frequenter nobis contingit. §. 6. *Varia ſimilia.*

Matth. 21. v. 19. ait Chriſtus ad ficum. *Nunquam naſcatur ex te fructus in ſempiternum. Et areſacta eſt continuo ficulnea.* Et quomodo? forte ſubito in radice natus eſt vermis qui rodendo medullam arboris depaſtus eſt? at tam ſubito id fieri non potuit. Fortaſſis ros aliquis aut humor venenatus ramos infecit? Sed de hoc nec ſcriptura, nec SS. Patres quidquam meminerunt. An forte ſubtractus eſt humor internus, in quo arboris vita, virorque conſiſtit? hoc, hoc videtur mihi perquam probabile Auditores: nam & Janſenius Auctor longe doctiſſimus idem mecum ſentit, atque ego cum illo. *Humore cœleſtis gratiæ ſubtracto ficus exaruit.* Tales ſumus & nos ficulneæ; tolle humorem divinæ gratiæ, jam vitam gratiæ, jam omnis boni fontem, jam omnis meriti principium tollis. §. 7. *Aliud ſimile.*

Intel-

Digitized by Google

§. 8. *Teſtimonium S. Pauli.*

Intellexit hanc veritatem S. Paulus cum ſcripſit ad Rom. 1. v. 8. *Primo quidem gratias ago Deo meo, per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis*, & nunquid ſatis erat dicere, *gratias ago Deo meo.* Cur addit: *Per Ieſum Chriſtum?* Cajetanus reſpondet, *quemadmodum Ieſus Chriſtus mediator eſt, dum conferuntur bona hominibus à Deo, ita mediator eſt in gratiarum actione.* S. Anſelmus reſpondet *Sacrificium laudis illi offero, non per me, ſed per magnum Pontificem Ieſum Chriſtum.* Ægid. Cardinalis reſpondet, *quod quia gratias Deo pro acceptis beneficiis referre, actio eſt bona, & meritoria, ideo Apoſtolus illis verbis demonſtrare voluit, illam à ſe minime fieri poſſe, niſi Chriſtus Dominus proportionatum ei concederet auxilium*: Reſponſio optima eſt S. Paulum iſta verba addidiſſe, ut oſtenderet omnia bona eſſe à Patre per Filium.

§. 9. *Idem confirmatur ex titulo Redemptoris.*

Omnia quæ ad confirmationem primi puncti meæ concionis afferri poſſunt, continet unicus titulus *Redemptoris*, quem quia illum eſſe credimus omnes Calv. Luth. & Catholici, credere debemus nos ſine illo ſalvari non poſſe. Me quod attinet, gaudeo illum eſſe Salvatorem, gaudeo me ſine illo nihil poſſe boni præſtare: injuriam facit Catholicis, quiſquis aliud illis affingit. In hoc convenimus omnes, ſed non in altero puncto concionis, an hoc ſufficiat, an verò noſtra cooperatio requiratur. An ſicuti in hodierna vinea, qui denarium acceperunt, ſed prius laborare debuerunt, ita & nos præter auxilium Chriſti, præter ejus merita laborare oporteat: ſive an opera noſtra habeant meritum gloriæ æternæ? Hoc noſtri adverſarii negant, nos affirmamus, quod paucis oſtendo.

§. 10. *Requiritur tamen noſtra cooperatio. Figura fuit Rebecca.*

Cum lege c. 27. v. 15. Geneſis, admiror induſtriam ſollicitæ Rebeccæ, dum ſollicita laborat, ut Jacobum veſtiat veſtibus Eſau, ut collum ejus & manus tegat delicatis pellibus, ut tangenti ſint piloſæ, ut veſtes faciat redolentes, ut in culina bene præſtaret carnes capreoli, quaſi eſſent ferinæ, ut inſtruat filium, quomodo reſpondere debeat patri; omnia eo fine, ut primus paternam poſſit benedictionem reportare: Sed nunquid promiſerat Deus, quod frater ſerviat minori, id eſt, Jacobum accepturum jus primogenituræ, ad quid ergo tanta induſtria Rebeccæ? timebatne, ne

Deus

Digitized by Google

Deus verbo ſuo deeſſet? reſpondere ego melius non poſſum, quam id fecerit S. Auguſt. in Gen. *Admonendi ſumus ex hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda ſunt ab hominibus in præſidium ſalutis, ne prætermittentes ea Deum tentare videmur.* Eodem modo de Chriſto Salvatore diſcurrere debemus. Per ſuam mortem obtinuit nobis omnibus jus ad hæreditatem æternam, quin & omnes nos ſalvos fieri deſiderat. Omnes vocat ad ſuam vineam, omnibus offert denarium gloriæ cœleſtis. Et Rebecca, mater Eccleſia ad quid tam eſt ſollicita, ut induat nos veſtibus virtutum, ut ſimus bonus odor Chriſti, ut piloſa veſtis noſtra ſit mortificatio? Ut paſcat nos carne non Capreoli, ſed innocentis Agnelli Jeſu? ad quid ita ſollicita laborat, ut nos inſtruat meditandi, orandi, ſuſpirandi modum? ad quid tot nobis præcepta, tot monita, tot quoque conſilia ſuggerit? Nunquid ſua nobis morte benedictionem promeruit Chriſtus? admonendi ſcilicet ſumus, ut quamvis ſciamus & credamus Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, licet ſperemus in illum, faciamus tamen in vinea quæ facienda nobis ſunt, ut laboremus. Non ſatis eſt cœlum nobis eſſe promiſſum.

David credebat certiſſimo ſe regnaturum poſt Saulem, imo jam Samuel unxerat eum in Regem in medio fratrum. 1. Reg. 16. v. 13. *Nihilominus, quamvis certitudinaliter credebat ſe fore Regem poſt Saulem, prout fuerat ſibi divinitus revelatum; ex hoc non tollitur quin faceret, quantum in ipſo erat ad ſalvandam animam ſuam & ſuorum.* inquit Burgenſis: ſic eſt, Chriſtus Dominus pro nobis mortuus eſt, ut ſalvemur, nobis promiſit regnum cœlorum &c. Sed ex hoc non tollitur, quo minus & nos faciamus quantum in nobis eſt, laborando in vinea, quantum poſſumus, ut ſalvemus animas noſtras. §. 11. *Cur David tam ſollicite ſe defenderit contra Saulem.*

De S. Paulo dixerat Dominus Ananiæ Actor. 9. verſ. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filiis Iſrael. Vas electionis*, ait Cajetanus hic, *in quo locanda ſunt omnes gratiæ, imò ſummæ gratiæ.* Vas ergo electionis dictum eſt vas divini nominis; & nihilominus S. Paulus quæ non ſcribit ad Corinth. quomodo caſtiget corpus, quo- §. 12. *Cur S. Paulus ita caſtigaverit corpus ſuum.*

modo illud redigat in ſervitutem, per famem, ſitim, labores &c. ille Paulus, qui ſciebat ſe vocatum & electum ad gloriam. Cur hoc? reſpondet Euſeb. Emyſſenus hom. 1. de init. quadrag. *Caſtigo corpus meum. Ecce beatus Apoſtolus jam Chriſti habitaculum, jam vas electionis effectus, intelligit ſibi non ſufficere ſolam gratiam, niſi gratiæ adjungat ſollicitudinem, vigilantiæ & laboris induſtriam.* Jam ſuam velim ſecum quiſque rationem ineat, Auditores, ſi Paulus hæc præſtitit, cur non & nos? Ille vas electionis ab ipſo nuncupatus Chriſto, nos non ita. Paulus in vinea Domini excolenda tam gnavum & ſedulum ſe præbuit operarium, quantumvis ſciret ſe vas electionis: nos, quibus iſtud nec per revelationem Dei, nec per angelum conſtat, in vinea Domini ſedebimus otioſi? nos illam ſudoribus laboribusque Chriſtiano dignis non excolemus? nos meliori non ſorte donandos, quam donatus fuerit Gentium Doctor non arbitrabimur? fallimur. Reſpondendum eſt acceptæ gratiæ; ſola non ſufficit vocatio, laborandum eſt pro denario, non otiandum.

§. 13. *Cur ficulnea Matt. 21. mox aruerit.*

Qui opera operumque fructus contemnunt, non cœlum exſpectent, ſed punitionem æternam. Regredior ad ficulneam, cujus antea ſubitam arefactionem fui demiratus. Die Palmarum poſt glorioſum triumphum Chriſtus Dominus in templo Judæis prædixit excidium urbis. Peracta concione egreſſus ex urbe, videns in via ficulneam propius acceſſit ficus decerpturus, cumque nihil præter folia reperiret, maledicto percuſſit arborem Matt. 21. v. 29. *Nunquam amplius ex te naſcatur fructus in ſempiternum.* Statimque arbor cum foliis & ramis exaruit, ut mirati diſcipuli dicerent, *quomodo tam cito aruit.* SS. Patres non mirantur ſubitam hanc arefactionem, quibus nota eſt verbi Dei potentia, quæ dicit Deus, fiunt. Sed hoc mirantur, quod S. Marcus ait, cap. 11. v. 13. *Non erat tempus ficuum*, erat enim Menſis Martius; quid ergo peccavit tunc ficulnea quod non habuerit fructus? ſatis fuiſſe videtur, quod tot jam tum abundaverit. Cur ergo Salvator erga illam tam fuit durus & ſeverus? ideo: arbor cum foliis ſine fructibus repræſentabat impiam Synagogam, ſive Judæos, qui ſolis foliis gloriabantur, in fide Abraham, de lege Moyſis, ſed ſine fructibus le-

Digitized by Google

bus legis, imo tranſgreſſores legis, rebelles luminis, contenti ſolis foliis exteriorum cæremoniarum, fructibus autem ſteriles. Maledixit ergo arbori, ſymbolo talis populi, majori maledictione ipſum percutiens, juxta maledictum Apoſtoli ad Hebræos 6. v. 7. *Terra ſæpe venientem ſupra ſe bibens imbrem &c. proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem.* Eſtne fortaſſis terra cordis noſtri talis vinea? non deeſt imber cœleſtis gratiæ, quam Chriſtus indies nobis offert, non deeſt ros cœleſtis doctrinæ, imo frequenter bibimus imbrem ſanguinis Chriſti in cœna Domini, neque deſunt decidentes guttæ aquæ Spiritus S. ubi ergo fructus Spiritus S. *charitas, gaudium, humilitas, continentia, caſtitas,* unde illæ ſpinæ, illi tribuli, tot ſcelera? Audi quid vir omni eruditionum genere inſignis Hieronymus de Lanuza hom. 15. §. 14. hac de re hunc in modum diſſerat. *Componit* (inquit) *Apothecarius medicinam efficaciſſimam, potionem pretioſiſſimam, qua mali humores efficaciter expellantur, & integra redeat valetudo.* Quo momento illam compoſuit, jam perfecta eſt ex ejus parte medicina, reliquum eſt ut & tu agas, quod tuum eſt, & illam ſumas: parum namque prodeſſet tibi, ſi ab ipſo compoſitam, vaſique infuſam pretioſo, tu ſolum intuereris, nec ſumeres, nec in ſtomachum demitteres. Audi D. Auguſtinum, *Poculum immortalitatis* (ait) *quod ex divina virtute & humana infirmitate confectum eſt, ſi non bibitur, non proficit.* An cum foliis fidei, ſpei, meritorum Chriſti &c. ſperas cœlum? timeo ne maledicto ſis proxima terra, timeo ne conſummatio tua ſit in combuſtionem. Hoc eſt, quod arbores ſteriles exſpectant.

E vinea ſynagogæ ejecti ſunt Judæi ob ingratitudinem, & ob ſterilitatem in operibus ſanctis. Timendum eſt, ne ob eandem cauſam nos ejiciamur ex vinea Eccleſiæ. Et quanta enim eſt differentia inter beneficia collata Judæis & nobis? illos de Pharaonis, nos de diaboli liberavit ſervitute. Illis bona terræ, nobis promittit cœlum. Illos per mare rubrum demerſis tranſvexit hoſtibus, nos per fluenta baptiſmi, deletis traduxit peccatis. Illis aquam de petra, nobis de corde ſuo, veniſque ſanguinem propinavit. Illis manna propoſuit in cibum, nobis carnem ſuam tradi-

§. 14. *Sterilitas vineæ eſt damnoſa.*

Digitized by Google

tradidit ſumendam. Illis timoris, nobis legem præſcripſit amoris. Illos in terram deduxit corruptibilem, nos regni ſui aſſumpſit hæredes. Et ubi Auditores noſtra gratitudo? ſumus in vinea, & quomodo laboramus? ubi ſunt fructus gratitudinis, ut mandata Dei ſervemus, & eum amemus? Hos ille fructus, hanc cooperationem, ad ſalutem per tot beneficia requirit. Sed 1. Reg. 12. v. 7. dicebat Samuel: *ſtate, & judicio contendam adverſum vos coram Domino de omnibus miſericordiis Domini.* State & vos Auditores mei, ſtate, priuſquam pedem ex hac æde ſacra moveatis, *judicio vobiscum contendam*; dicite nunc quid videtur? an ſufficit vocatum eſſe ad vineam? ad hoc, ut illa dulces æternæ vitæ fructus progerminet? *ſtate:* quid videtur? an ſola vocantis Dei gratia ad noſtram ſalutem requiritur, & non præterea cooperatio noſtra? *ſtate: quid videtur?* An mens Dei eſt, ut ſola fide ſine operibus legis ſalvemur Chriſtiani? Judicet hic quisquis æquo pollet judicio. Ego ex hac cathedra omnes meos Auditores ad vineam Chriſti, non ad otium, ſed ad laborem, virtutem, ac potiſſimum charitatem, iterum iterumque cum Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, cum Gentium Doctore Apoſtolo, cum Apoſtolorum Principe Petro, cum omnibus ſanæ fidei virtutibus Patribus Orthodoxis, cum Eccleſia denique univerſa catholica, invito.

CONCIO XII.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum.
Luc. 8. c. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit inprimis, cur Chriſtus Dominus verbum divinum comparaverit ſemini, deinde declarantur aliqui mirabiles hujus ſeminis, ſive verbi divini effectus.

§. 1. *Bre-*

§.1. *Breve Exordium.*
§.2. *Verbum Dei à Chriſto Domino comparatur ſemini.*
§.3. *Sacra ſcriptura illud comparat theſauro.*
§.4. *Catena Encomiorum verbi divini ex SS. Patribus.*
§.5. *Aliqui effectus hujus ſeminis.* 1. *mundat animas.*
§.6. 2. *Convertit peccatores.*
§.7. *Converſus Centurio ſub cruce.*
§.8. 3. *Impedit peccata.*
§.9. 4. *Diſponit ad ſalutem & vitam.*
§.10. *Iudicium de Auditoribus verbi Dei, & ejuſdem neglectoribus.*
§.11. *Epilogus.*

PArabolam audivimus & myſteriis, & pulcherrimis plenam documentis, ſed omnia hæc, ut, quis ſit ſeminator, quænam ſit terra petroſa, quænam ſpinoſa, quænam optima; quænam ſint volucres, quæ ſemen rapiunt, unde natum areſcat, unde opprimatur, & ſimilia, explicuit ipſe Salvator noſter, & præcipue de quo ſemine loquatur, ſcilicet de verbo Dei, *ſemen eſt verbum Dei.* Cum ampliſſima hæc ſit materia, pluribus præfari ſuperſedeo. Hac verò concione oſtendam. 1. Chriſtum Dominum apte uti hac ſimilitudine ſeminis. 2. quid de eo ſentiant ſacræ literæ & SS. Patres. 3. Aliquos ejus effectus. 4. Denique quid ſentiendum ſit de illis, qui raro audiunt verbum Dei, vel etiam contemnunt. Divina bonitas gratiam ſuam impertiatur, ut hæc grana cadant in terram bonam, in corda optima. *§.1. Breve Exordium.*

Ob multas cauſas cœleſtis Magiſter verbum Dei comparat ſemini. *Primo.* Semen quodcunque admirabilis eſt virtutis & fortitudinis. Videntur ejus granula parva, ſed virtute ſunt magna. Semini auctor naturæ vim quandam nativam indidit potentiſſimam, ut ſcholæ illud vocent miraculum naturæ. Similem, imò majorem vim & efficaciam habet verbum Dei, ut ex mox dicendis patebit. Per illud mira miranda operatur gratia. *Secundo*, ut ſemen germinet, & fructificet, debet projici in terrã ubi agit radices quibus terræ ſuccum neceſſarium ad ſeſe attrahit. Harum defectu perit ſemen, quod in viam vel petram cadit. Similiter verbum Dei neceſſe eſt ſepeliatur in terra cordis boni, ibique radices agat, ut ſucco gratiæ animetur. Ideo David pſ. 118. v. 11. *in corde meo abſcondi eloquia tua.* S. Chryſoſt. legit. *In cordis ærariis eloquia tua occultavi ne in peccata ruam.* Jerem. 31. v. 33. *dabo legem meam in viſceribus* *§.2. Verbum Dei à Chriſto Domino comparatur ſemini.*

bus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Prov.22.v.17. *Appone cor tuum ad doctrinam meam, quæ erit pulchra tibi, cum ſervaveris eam in ventre tuo,* id eſt, *corde. Tertio.* Semen indiget calore ſolis, influxu lunæ, aliorumque ſiderum, pluviis & imbribus. Verbum Dei calore Spiritus S. ejuſque gratia. *Quarto.* In ſemine eſt virtus, quæ illius materiam per certas diſpoſitiones præparat, ad recipiendam certam formam, v.g. roſæ, lilii, pyri, pomi &c. Eadem vis eſt in verbo Dei, diſponit animas ad nobiliſſimarum virtutum formas, &c. *Quinto.* Poſtquam ſemen radices egit, excreſcit in culmen, mox protudit folia, deinde flores, tandem fructus. Poſtquam verbum Dei in corde aliquo optimo egit radices fidei, excreſcit in culmen ſpei, inde germinant folia charitatis, ab hac flores pulcherrimarum cogitationum & affectuum, qui ad fructum omnis generis virtutum matureſcunt. Ut proinde Salvator noſter optime dixerit: *ſemen eſt verbum Dei.*

§.3. *Sacra ſcriptura illud comparat theſauro.*

Alias pulchras comparationes in ſacra ſcriptura, aliis ejuſdem locis reperio, Matth.13.v.44. comparatur theſauro abſcondito in agro; id eſt, verbum Dei tanti æſtimare debemus, & illo ſtudio inquirere, quo theſaurum quærimus, quantique illum æſtimamus. Ob eandem cauſam vocatur ibidem v.45. margarita, & à Davide *ſuper aurum & topazion.* Matth.4.v.4. confertur pani; *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Cauſam advertit S.Hier. *Si quis non veſcitur verbo Dei, non vivit,* ſcilicet vita gratiæ. Et S.Aug. *Certiſſime ſcitote, quia qualis eſt caro, quæ poſt multos dies percipit cibum* (vel panem) *talis eſt anima, quæ aſſidue non veſcitur verbo Dei.* Confirmatur Joan.6.v.64. *Verba, quæ ego locutus ſum, ſpiritus ac vita ſunt.* S.Paulus ad Hebr. 4.v.11. comparat gladio. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſq; ad diviſionem animæ ac ſpiritus,* Jeremias c.23.v.29. malleo & igni. *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram,* cauſæ comparationum ſunt. Hoc gladio à Concionatoribus debent jugulari & mactari vitia. Hoc gladio debent reſiſtere hoſtibus Eccleſiæ. Hic eſt ille gladius, quo ſolvitur non nodus Gordius, ſed vincula peccatorum inextricabilia; hunc gladium ſtringit Alc-

Digitized by Google

git Alexander, ſed Eccleſiaſtes & per illum Deus; hujus gladii aciem ipſi pertimeſcunt Spiritus infernales. Quin &, uti diximus, malleus eſt: Tundite, tundite zeloſi numinis operarii, tundite dura mortalium pectora, & contundite pertinaces duraſque mentes, quas ſi non divini amoris flammulæ, terribilis ſaltem inferorum ignis emolliet.

§. 4. *Catena Encomiorum verbi divini ex SS. Patribus.*

Ut mentem SS. Patrum vobis proponam, auream ex eorum dictis & verbi Dei encomiis nexui catenam, quot verba audietis, tot aureos cogitate annulos. S. Chryſoſt. comparat fonti, florido prato, paradiſo, Regiis armis contra diabolum, pluviæ, imbri, vineæ, frugiferæ arbori, ſoli. S. Aug. Oſtio, ſpeculo, ſpirituali menſæ. S. Greg. Epiſtolæ, fluvio, turri de qua mille pendent clypei, auro optimo. S. Ambroſ. Paſcuis, igni omnia conſumenti, uſuræ, qua nulla lucroſior. S Baſilius, Viæ regiæ. S. Hilarius, lucernæ. Theodoretus magneti. Salonius, igneo clypeo &c. ex quibus omnibus, quæ modo tantum inſinuo, facile concludere poſſumus, quanti hoc ſemen verbi Dei æſtimare debeamus.

§. 5. *Aliqui effectus hujus ſeminis.*

Effectus ſunt nobiliſſimi, v. g. quia verbum Dei imber eſt, quia fons, quia fluvius, mundat animas Auditorum à vitiis & peccatis. Habemus teſtimonium veritatis Joann. 15. v. 3. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* S. Bern. *Ergo qui hunc ſermonem non audiunt, immundi ſunt.* D. Ambr. in præf. pſ. 45. ſuper cit. verba. *Loquere Domine Ieſu, verbum tuum medicina eſt, verbum tuum lumen eſt, verbum tuum noſtræ colluvionis ablutio eſt, verbum tuum fons eſt, tu loqueris & culpa lavatur.* Ex hoc fonte profluunt lachrymæ contriti cordis, quæ ſæpe vi verbi Dei eliciuntur ex ſaxis duriſſimis.

§. 6. *Convertit peccatores.*

Alius fructus eſt, quod vi ſeminis verbi Dei ſæpe graves convertantur peccatores. Apoc. 14. v. 7. vidit Joannes Angelum volantem per medium cœlum, habentem in manu Evangelium; pauca grana vel verba ex illo deciderunt in terram, ait enim Angelus voce magna: *Timete Dominum, & date illi honorem.* Ceciderunt hæc grana ſuper impiam civitatem Babylonem, & momento funditus corruit, clamante altero Angelo, cecidit, *cecidit Babylon magna.* Babylon cor impium repræſentat, cor ſuperbum, avarum,

Digitized by Google

avarum, laſcivum &c. Volantes Angeli cum Evangelio ſunt concionatores ſpargentes ſemen verbi Dei, grana ſunt iſta: *Timete* Deum! juſtus eſt! *timete*, mors imminet! *timete*, poſt hanc, judicium! *timete*, eſt infernus! eſt æternitas, his granis veluti globis, vel voculis, ſæpiſſime fortiſſimi laſciviæ, ſuperbiæ, aliorumque ſcelerum muri funditus evertuntur, & notate quod refert Angelus, nimirum vi iſtarum vocum cecidit Babylon; idem nos ſæpe dicere poſſumus, vi hujus concionis converſus tandem eſt notus ille luxurioſus, virtute verbi Dei ille tandem emendavit confeſſiones ſacrilegas multorum annorum. Alius malæ fidei poſſeſſor, tandem aliquando urgenti ceſſit conſcientiæ, & ex Juſtitiæ legibus male parta ſuis quæque Dominis reſtituat: Et hæc verbi Dei virtus eſt; alius pravæ ſocietati, unde multorum traxit ſcelerum illicium, generoſa ſuiipſius victoria nuntium remiſit: ut hoc auderet, verbum Dei animos addidit. Alius cum hoſte ſuo, quocum ipſi diuturna plurium annorum inimicitia interceſſerat, redivit in gratiam; ut rediret, perſuaſit verbum Dei. O mira illius virtus! ô mira fortitudo atque potentia! Sed & hoc ex hoc loco notate. Concionatores, ut ſemen, quod ſpargunt, vim ſuam ſortiatur, Angelos, vel certe puriſſimæ vitæ homines eſſe oportet: debent volare in cœlo, non humi ſerpere, debent geſtare Evangelium non tantum in ore, ſed in manibus, id eſt, exequi illa, quæ aliis ſuadent. Debent eſſe lucernæ non lucentes tantum & prælucentes, ſed & ardentes: debent viam, quam aliis monſtrant, ſuis ipſi pedibus inire, debent virtutes, quas ſuis inculcant Auditoribus, ſuis ipſimet exemplis exhibere! debent medicinam (quam aliis præſcribunt) ſuis ipſi morbis impendere, ne merito occinatur illud vulgo notum, *medice cura teipſum*. Tales facile convertunt peccatores, cauſa eſt, quia verbo Dei inquietatur conſcientia peccatorum. Job. c. 6. v. 4. *Quoniam ſagitta Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum*. S. Aug. per ſagittas intelligit verbum Dei. 1. Verbo Dei concionator utitur quaſi ſagittis. 2. Acuit illas, accendit in fornace lateris Chriſti. 3. Hoc ſequitur, ſicut qui ſagittam habet in corpore, quieſcere non poteſt, pari modo. S. Aug. *ſagitta enim Domini in corpore meo, ſunt verba*

Dei,

Dei, quibus anima transfigitur, cum cogitur ad confeſſionem. Effectum hunc prædicat David pſ. 76. v. 17. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi. Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Per aquas S. Aug. intelligit peccatores, *& turbatæ ſunt abyſſi,* id eſt, conſcientiæ peccatorum, ſed quæ cauſa? Vocem dederunt nubes, id eſt, concionatores per verbum Dei, qui tonant, fulgurant &c. Verbum eſt fulmen, quod turbat. S. Aug. *Inde abyſſorum perturbatio.* Confirmatur ex ſequenti. *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt.* Scilicet ſupradictum verbum Dei ſagitta. Et tranſiens, id eſt, non hærens in auribus; Sed penetrans uſque ad cor. S. Aug. *quid eſt, pertranſeunt? non in auribus remanſerunt, ſed corda transfixerunt.*

Everſæ Babylonis, uti & converſæ Magdalenæ alibi in hac materia memini; miror modo converſionem Centurionis ſub cruce, cujus hæc præclara ſunt verba: *Vere Filius Dei eſt iſte.* hæc protulit, ut textus innuit exſpirante Jeſu; ſed cur ejus Deitatem non agnovit citius, cum terra tremuit, cum obſcurato ſole factæ tenebræ ſuper univerſam terram? Cauſam videtur innuere. S. Marcus c. 15. v. 39. *Videns quia ſic clamans exſpiraſſet, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.* S. Bernh. hom. 28. in Cant. *Ex voce agnovit Filium Dei, & non ex facie, erat enim fortaſſe ex ovibus ejus, quæ vocem ejus audiunt. Auditus invenit, quod non viſus; oculum ſpecies fefellit. Auri veritas ſe infudit. Oculus pronuntiabat infirmum, oculus fœdum, oculus miſerum, oculus morte turpiſſima condemnatum, auri Dei Filius, auri formoſus innotuit.* pſ. 59. v. 4. *Commoviſti terram, & conturbaſti eam, ſana contritiones ejus, quia commota eſt?* Unde v. 8. *Deus locutus eſt in ſancto ſuo &c.* pulchre. Conſtringam hæc paucis. Jeſus in cruce ferventiſſimus fuit concionator, ſanguine lachrymis, vulneribus peroravit, vox exſpirantis fuit quaſi ultima concio ad centurionem, qua permotus victas manus dedit. Idem multis contingit peccatoribus, ſæpe in eorum oculos incurrit aliqua imago crucifixi, vident oculis illud caput inter ſpinas, vident clavos, vident SS. vulnera &c. nec tamen moventur ad pœnitentiam, donec tandẽ accedat vox ferventis cujuſdam con-

§. 7. *Converſus centurio ſub cruce.*

Digitized by Google

illud maximum eſt, de quo nunc cæpimus loqui, *qui ex Deo eſt, verba Dei audit. In his ergo* (qui illa negligunt) *ſalutis ſigna non video, magis autem vereor, ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non ſunt ipſi ex Deo.* Denique præ omnibus nervoſe S. Paulus, Act.13.v.46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*; ut ipſi ſemen illud ſuſcipientes ſalvi fiant. Auditores amantiſſimi, videte, videte obſecro, ne & iſta D. Pauli verba in vos ullo unquam tempore cadant, nolite repellere verbum Dei, nolite illo vos reddere indignos. Germania, O infelix Germania! quid dicam de te? neſcio annon plurimis in locis indignam te feceris hac gratia verbi Dei! Translata eſt à te, ſi non omni, magna ſaltem ex parte, divini verbi virtus! Convertit ſe interim ad gentes bonus Deus, iiſque per Xaverios, Barzæos, alioſque egregios viros, tuam impertivit coronam.

Sed venio ad quartum punctum concionis. Ex dictis facile colligere poſſumus, quid ſentiendum ſit de illis, qui conciones & verbum Dei negligunt, de iis, quibus illud curæ ac cordi eſt. Ego has formo maximas. 1. Salvator noſter illud comparat pani, qui ergo frequenter illo veſcuntur, fortes ſunt in via mandatorum Dei, alii ob ejuſdem defectum debiles & languidi. 2. Verbum Dei eſt ignis, hoc qui ſæpius calefiunt, plerumque ferventes ſunt Chriſtiani, inflammati amore Dei, & zelo ſuæ ſalutis; Econtra qui raro, forte nunquam ſacras conciones accedunt, tepidi ſunt, imo frigidi, & nomine Chriſtiano indigni. 3. Verbum Dei eſt frænum concupiſcentiæ & peccatorum, qui illo utuntur, vitam vivunt ſanctam, in virtutum omnium exercitio, hoc frœno qui carent, plerumque inter ſceleratos ſunt computandi, dico hoc libere cum multis graviſſimis concionatoribus, quorum verba alias in medium adduco. 4. Verbum Dei lux eſt & lucerna, qui verbum Dei amant, ambulant in luce, ſunt filii lucis. Alii, ambulant in tenebris, filii tenebrarum. 5. Audientes verbum Dei, ſunt oviculæ Chriſti; illud negligentes hædi diaboli: in quibus, ut verba S. Bernardi repetam, nulla videmus ſigna ſalutis. 6. Audientes verbum Dei licet gravibus maneant contaminati peccatis,

§.10. *Iudicium de audientibus verbi Dei, & ejuſdem negligentibus.*

catis, tamen quia illud audiunt, ejus vi tandem convertuntur, agunt pœnitentiam, & turpes eluunt maculas. Contemptores verbi Dei plerumque viginti, triginta annos, uſque ad finem vitæ in graviſſimis ſceleribus perſeverant.

§.11. *Epilogus.* Denique finio verbis celebris concionatoris: *eorundem periculoſiſſimus eſt ſtatus, & damnationi proximus, & vix unius pedis intervallo ab inferno remotus.* Retrahamus pedem dum tempus eſt, & ad divini illius ſeminis Dominum toto corde convertamur, audiamus verba vitæ cum gaudio, nec audiamus tantum, ſed & cuſtodiamus, ut in nobis optatum vitæ ſempiternæ fructum progignant.

CONCIO XIII.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt de filio hominis.

Luc. 18. c. v 31.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUomodo pii, quomodo impii vivant triduo Bacchanalium; qualis utrorumque finis & exitus.

§. 1. *Impii triduo Bacchanalium edunt, bibunt, ludunt.*

§. 2. *Pii lugent, orant, accedunt ſacram ſynaxin.*

§. 3. *Aliter hoc triduo vivunt pii, aliter impii.*

§. 4. *Applicatio.*

§. 5. *Voluptatum finis.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *Explicatur pars altera, ſive vita piorum hoc triduo.*

§. 8. *Solatia piorum hoc triduo ſub arbore crucis.*

§. 9. *Triſtitia piorum vertitur in gaudium.*

§. 10. *Pulcher locus de Abſolone in quercu, & Chriſto in cruce.*

§. 11. *Apoſtrophe ad Auditores.*

§. 12. *Amor crucifixi facit nos oblivisci vanitatum.*

Dum

Digitized by Google

DUm mundus & diabolus hoc triduo fatalia celebrant convivia, atque in ruinam animarum directa, Eccleſia & Societas Jeſu ad alias nos invitant epulas. Priorum conviviorum figuram & deſcriptionem invenio, Exod.32.v.6. *Surgenteſq; mane* (filii Iſrael) *obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Rupertus ibi. *in gloriam ſimilitudinis vituli, comedentis fœnum, comederunt & biberunt, ac idcirco luſibus obſcœnis continuo ſe commoverunt, traditi in reprobum ſenſum, ut facerent ea, quæ non conveniunt.* pulchrius ego bacchanalia hujus mundi deſcribere non poſſum. §.1. *Impii triduo Bacchanalium edunt, bibunt, ludunt.*

Alterius convivii fit mentio 1.Reg.1.v.9. *Surrexit autem Anna poſtquam comederat, & biberat in Silo, & oravit ad Dominum flens largiter.* Per hanc menſam intelligo epulas Euchar. in quibus pii hoc triduo refecti, corpore & ſanguine Chriſti, ſurgunt, ut ſanctis precibus lachrymiſq; indulgeant, præcipue dum accedunt triſtia ſpectacula, quæ proponit Evang. uti eſt flagellatus, illuſus, damnatus ad mortē Jeſus. D. Chryſ. h.1. de Anna. *Vbi enim precatio, & gratiarũ actio, eo S. Sp. advenit gratia, abiguntur dæmones, & omnis adverſaria poteſtas diffugit.* Hanc itaq; Conc. in duas dividam partes, quarum altera oſtendam, qualē agant hoc triduo vitā impii, altera qualem pii: ex utraq; colligere poterimus quales nos his feriis eſſe oporteat. §.2. *Pii lugent, orant, accedunt ſacram ſynaxin.*

Plerumque hæ feriæ Bacchanalium ſacræ ſunt partim Deo & Chriſto Salv. noſtro, partim, atq; utinam non etiam magis diabolo & aſſeclis ejus. Profert ſuum vexillũ infernalis Lucifer, ſub carne, mundo & Baccho; explicat quoq; ſuum Eccleſia labarum S. Crucis ductore Chriſto. Sub diverſis ducibus & vexillis, diverſiſſima militantium eſt vita. Ut differ. illam clare vobis proponam, oculis mentis veſtræ proponite hinc urbis Jeroſolymæ templum, non jā veri Dei cultui, ſed infamibus idolis ſacrum, hinc aſperum Calvariæ collem, in quo Chriſtus Redemptor noſter affixus fuit cruci: c.8. v.3. ait Ezech. *Manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me Spiritus inter cœlum & terram, & abduxit me in Ieruſalem*; poſitus autem fuit Propheta ad oſtium templi, ubi vocem de cœlo audivit, *fili hominis, putaſne, vides tu, quid iſti faciunt? fode parietem & vide.* effoſſo pariete vidit vir Dei, 1. fœdiſſimas §.3. *Aliter hoc triduo vivunt pii, aliter impii.*

 picturas

picturas & imagines falſorum Deorúm per parietes & columnas, vidit fana, lucos, altaria. 2. Vidit abominationes, quas idololatræ faciebant in abſcondito, & quas ne nominare quidem licet. 3. Audivit illos clamantes, *non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* facile cogitare poſſumus qualem vitam duxerint, ſi athei fuerunt. 4. De cœlo vero hanc audivit vocem, *replentes terram iniquitate, converſi ſunt ad irritandum me,* iniquitate in luxuriis, iniquitate in compotationibus, iniquitate in blaſphemiis &c.

§ 4. *Applicatio.* Talia templa ſunt ædes impiorum in urbe aliqua. Agnoſcere vultis incolas? vel illorum vitam? videtis, quid iſti faciunt? ite Auditores, fodite parietes horum ſacerdotum, horum conjugatorum, harum viduarum, harum Virginum; fortaſſis videbitis picturas & imagines veneris, imagines Sodomæ, quas non artificioſus pictor, ſed Satan depinxit in corruptelam juventutis, & ruinam animarum, fodite parietes, fortaſſis videbitis abominationes, & quales abominationes? quid ſi virilis ſexus mentiatur fœmineum permutando veſtes? *abominatio eſt.* Quid ſi ſoror in veſtibus fratris, & in veſtibus ſororis incedat frater? *abominatio eſt.* Quid ſi horum bene conſcii parentes diſſimulent atque conniveant? quid ſi etiam laudent atque arrideant? *abominatio eſt.* Quid ſi quæruntur arcana loca, latebræ atque anguli, in quibus nulla niſi tenebrarum opera patrantur? ſileo plura, ut caſto calamo, & caſtis ſimul oculis auribuſque parcam, *abominatio eſt.* Sed quid ſi ſub choreis ac ſaltibus extinguantur candelæ? ah cum candelis extinguitur & pudor, honeſtas, caſtitas! Regredior iterum: ſatis intelligunt ſi quæ ſunt hic conſcia mali pectora, peccatur libere, quia ad judicem non reflectitur oculus, libere quia horum omnium ſi non lingua ſaltem vita clamat, *Non videt nos Dominus*; Sed ego clamo cum voce de cœlo, O impii repletis urbem iniquitate, converſi eſtis ad irritandum Deum & Jeſum, editis, bibitis, luditis, ſed Deum irritatis. Evangelium proponit Jeſum ſubjectum flagellis, ut mentes noſtræ convertantur ad amorem, vos amorem convertitis in odium: Evangelium proponit irriſionem atque contemptum, ut commiſeratione tangantur corda noſtra; Vos irriſum irridetis magis, contemptum magis

Digitized by Google

magis contemnitis: nonne hoc eſt irritare Deum; nonne hoc eſt deſtruere, quod pia Mater Eccleſia conabatur erigere; illa Deum placare intendit, vos exacerbare, illa exorare clementiam, vos provocare Juſtitiam.

Talis eſt impiorum vita his bacchanalibus, ſed quis exitus? quænam clauſula & cataſtrophe? adverſemus ex tribus, quæ idem Propheta in eodem templo præter dicta advertit. 1. ait, ſe in multorum manibus vidiſſe thuribula, ideo ſic habet v. 11. cit. cap. *Vapor nebulæ de thure conſurgebat.* 2. ait v. 14. *Et ecce ibi* (ſcilicet in templo) *mulieres ſedebant plangentes Adonidem,* ſive repentinam mortem, ſpecioſiſſimi Juvenis in flore juventutis extincti. 3. v. 13. ait, *Ecce applicant ramum ad nares ſuas.* Omnia hæc ſunt ſymbola vaniſſimæ voluptatis. Quid enim eſt omne gaudium hujus mundi his feriis? Vapor nebulæ? quid riſus, quid epulæ, quid choreæ? quam diu durant hæc omnia? quam diu vapor nebulæ! deinde lugent mortem Adonidis, id eſt, gaudium ipſorum eſt permixtum fletu & triſtitia, juxta illud Jobi c. 4. v. 7. *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores.* juxta illud Prov. 14. v. 13. *riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* S. Chryſoſt. h. 78. ad populum. *Tale peccatum eſt, donec fuerit patratum, nonnullam affert voluptatem; poſtquam vero fuerit conſummatum, tunc brevis voluptas elabitur, ſuccedit autem triſtitia & ſæpe longa, quæ in omnem durat æternitatem!* Exponat hujus mundi convivia tragicus ille qui Pariſiis, ante annos ſcilicet 14. circiter contigit eventus. Nobilis Juvenis nobilem pariter Virginem duxerat conjugem. Acerbe id tulit alter adoleſcens, quare vindictam meditatur, nec meditatur tantum, ſed ipſo etiam nuptiarum feſto exequitur. Nimirum adeſt cum tribus ſociis larvatis omnibus, ipſe etiam larva vultum occultans, offerunt ad nuptialis augmentum lætitiæ operam ſuam, choream feſtivam adornaturi. Laudantur, admittunturque at ecce ſponſum prius ad vicinum conclave aliis id non advertentibus abducunt, quaſi in aurem dicturi aliquid; abducunt, & quorſum hoc Auditores? heu ferale facinus! incautum ſtrangulant ſponſum, mox veſte induunt mortuali, faciem ejus atra mortis larva contegunt, inferunt deinde illum ad menſam, & circa

§. 5. *Voluptatum finis.*

Digitized by Google

& circa illum, velut ex condicto mortem ſimularet, choreas agunt feſtivas. Heu quid dico feſtivas! paulatim verò alius ex alio ſe ſubducit, finitur chorea, ſaltatores non comparent; jacet exanimis ſponſus, truditur, vellitur, trahitur, inclamatur: fruſtra omnia, jacet exanimis, cadaver eſt. O quantus tum ſponſæ luctus! heu quanta omnium complotatio! Vos id cogitatione melius, quam ego vel lingua, vel calamo, aſſequimini. At ecce ad divinum animarum ſponſum me recipio. An non animarum ſponſus pulcherrimus, longeque dulciſſimus eſt Jeſus noſter! quot ſunt Animæ Chriſtianæ, totidem ſunt & ſponſæ illius: acerbe id ſentiunt dæmon, mundus, caro. Quid faciunt? Larvas, larvas conquirunt, choreas proponunt, ex his qualis Tragœdia! O miſera anima! tuum, tuum hic luſus ſpectat exitium, feralis te manet exitus, cataſtrophe luctuoſa.

§.6. *Proſecutio.* Sub ramo, quem naribus admovent, pulchrum latet myſterium. Equidem exiſtimo fuiſſe ramum de arbore, quæ dicitur Colos, cujus folia ſuaviſſimum exhalant odorem, ſi non tangantur, ſi verò manibus apprehenduntur, odor ille momento exſpirat; qui hoc advertit, præ ſtupore admovet naribus, quaſi diceret, ubi eſt ille odor? quonam abiit tam cito? talis arbor eſt deliciarum, tales ſunt roſæ hujus mundi, tales flores creſcunt in hortis & pratis voluptatum, vix delibatæ ſunt, & quæri poteſt, quonam abierunt illæ voluptates? quonam evolavit omnis ille decor roſarum? ubi ſunt nunc illa blanda colloquia? illi attactus impuri? illi actus obſcœni, opera tenebrarum? ubi illa voluptas, quam Venus ſuis obtulit mancipiis? hæc ſcilicet eſt clauſula vitæ, quam impii vivunt in bacchanalibus.

§.7. *Explicatur pars altera, ſive, vita piorum hoc triduo.* Sed venio ad pios ad milites crucis Chriſti, egredior templo abominationum, & pergo ad montem Calvariæ, vel potius Eccleſiam, in qua publico cultui, & venerationi expoſitum eſt Venerabile Sacramentum, putatiſne videtis illa quæ pii hic faciunt? fodite parietes, & videbitis devotiſſimas picturas, vel Chriſti orantis in horto, vel flagellati ad columnam &c. depingit illas hodiernum Evangelium. Videbitis ad crucifixi pedes proſtratam pœnitentem animam lachrymantem Magdalenam; fodite parietem,

Digitized by Google

tem, videbitis armatam non gladio, ſed crucifixo dexteram, videbitis manantes oculis lachrymas. Videbitis Hieronymum in antro ſenile tundentem pectus præduro ſaxo: fodite parietem, audietis gemitus atque ſuſpiria, reſonabunt querulæ unius voces, Luc. 17. v. 13. *Deus propitius eſto mihi peccatori*, & alterius, pſ. 50. v. 1. *Miſerere mei Deus*: Hic Rex, ille publicanus. Ibi Manaſſes ſuſpirabit in vinculis, ibi filius prodigus jacebit provolutus in genua coram Patre amantiſſimo; videte quam ſint hæc pulchra & digna curioſitate Chriſtiana, digna tempore, digna templo, imo & cœlo digna ſpectacula! Fodite parietem, videbitis etiam ramos in manibus eorum. Sed de arbore crucis, de myrrha pœnitentiæ, ſed ramos in faſciculo, de quo ait ſponſa, Cant. 1. v. 12. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus* (in cruce) *mihi, inter ubera mea commorabitur*. Videbitis ramos, ſed inter illos ſpinas de corona Salvatoris, vel unum ex clavis, quibus crucifixus eſt amor noſter. Sed quis vitæ hujus exitus? quamdiu illa durat? reſpondeo ex Evangelio, venditus eſt, mortuus eſt &c. Sed poſt triduum reſurrexit, id eſt, paſſio Chriſti non diu duravit, ſed mox converſa eſt in gaudium. Pari ratione vita pœnitentium ſi cum æternitate comparemus, etiam triginta, ſexaginta annorum eſt triduum, triduo cum Chriſto ſuſtinete, & æternum cum illo gaudebitis.

Sed hoc ipſo triduo inter luctum & pœnitentiam non deſunt ſolatia de cœlo. Elegantem hujus invenio figuram l. 3. Reg. c. 19. verſ. 4. ubi fatigatus Elias in deſerto, *ſedit ſubter unam juniperum, projecitque ſe & dormivit ſub umbra juniperi. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit, ſurge, & comede, & ecce ad caput ejus ſubcinericius panis & vas aquæ. Comedit ergo & bibit & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem DEI.* Per Eliam intelligo illos omnes, qui hoc triduo, per deſertum pœnitentiæ, per colles myrrhæ fugiunt inſequentem Jezabelem ſive blandientem carnem, in hac fuga, in aſpera hac via non eſt umbra vel quies, niſi ſub junipero, id eſt, arbore crucis. O amaram arborem! radix eſt amara, lignum, cortex, medulla, ſuccus, folia, fructus, verbo omnia amara ſunt. Sed ſub hac arbore ſolantur nos ſancti Angeli, ſub hac arbore reficimur ſub-

§. 8. Solatia piorum hoc triduo ſub arbore crucis.

cinericio pane pœnitentiæ, pane lachrymarum, imo pretioſo corpore & ſanguine Chriſti, ſub hac arbore ſuaviter dormivit ſponſa, ſub illa invenit ſponſum, hinc mille ſolatia. Eia animæ piæ, ſub umbra hujus arboris hoc triduo quieſcite, ſi fatigatæ eſtis in deſerto hujus mundi, en locus quietis, en umbra, en lectulus Salomonis. Ite, quieſcite, ſedete ſub arbore crucis, aſpicite pretioſum ejus fructum, imò & apprehendite & guſtate, *quoniam ſuavis eſt Dominus univerſis timentibus eum.* Hoc triduum, quietis eſt triduum, deliciarum eſt triduum, jucunditatis eſt triduum. Invito vos, venite, accurrite, ſedete, quieſcite, comedite & bibite, divinus amor regalem inſtruxit menſam, divinus amor cœleſtes apparavit delicias. Advertite quam longe ſuavius ſit, hoc triduo ſervire Chriſto, quam diabolo.

§. 9. *Triſtitia piorum vertitur in gaudium.*

Si quæ crux eſt, non diu durat, tranſit æque cito ac voluptas. Sed cum hac differentia, voluptas brevis eſt, & vertitur in luctum non aliquot dierum, ſed totius æternitatis. Et tribulatio vel pœnitentia juſtorum brevis eſt, ſed commutatur in gaudium & gaudium ſempiternum. De ligno ſanctæ Crucis ajunt SS. Patres, portandam ab Angelis in extremo judicio ante faciem Judicis, illoque finito reportandam in cœlos, ubi radiabit æternum pro admirabili ſolatio & gaudio electorum. Idem dico de cruce pœnitentiæ, triduo portamus, ſed parebit ante Judicem, & ejus fructus in æternum erunt amabiles. Arbor voluptatum mittetur in ignem, & ardebit in æternum.

§ 10. *Pulcher locus de Abſolone in quercu & Chriſto in cruce.*

Ut denique differentiam hanc clariſſime intelligatis, & præcipue exitum ſive clauſulam vitæ piorum & impiorum, duas vobis arbores ob oculos ponite: hinc ingentem & floridam quercum in amœna ſylva, inde aridum lignum in monte Calvariæ. In quercu crinibus affixus pendet infelix Abſolon. In ligno crucis pendet Jeſus amor noſter affixus clavis. Lancea percuſſum fuit pectus & cor Salvatoris à Longino. Mortuus eſt in arbore Abſolon, mortuus eſt in eadem Filius Dei, ſed notate differentias. Abſolon periit in arbore florida, Jeſus in arido ligno, ille capillis ſuſpenſus hæſit, hic clavis affixus, ille periit vulnere triplici, Joab *tres lanceas infixit in corde Abſolon.* hic unico, *unus militum lancea aperuit*

Digitized by Google

ruit latus ejus. Abſolon etiamnum poſt aliquot millia annorum jacet in ſepulchro, forte inter ignes in inferno: Chriſtus Dominus poſt triduum revixit & reſurrexit, mors illius terribilis, mors hujus amabilis.

Ite impii, vivite hoc triduo cum Abſolone, ſuſpendite, & religate vos ad quercum voluptatum; ſed timete, inſtat Joab, urget Nemeſis triplici armata lancea, unam vibrat mors, alteram Judex, tertiam infernus: O infelicem mortem impiorum! & tamen vita fuit florida. Sed moriuntur cum Abſolone! Vos verò pii, ite, affigite vos cruci cum ſponſo veſtro, nec opus eſt vel clavis ferreis, vel funibus aut vinculis. Vincula dabit amor, quot affectus pii, tot vincula, quot actus contritionis, totidem ſunt funes amoris. Ite ligate vos, & religate, ferreus eſt clavus patientia, ferreus eſt clavus manſuetudo, ferreus eſt clavus heroica ſui ipſius Victoria. His pulchre crucifixo vos Jeſu adſtringite. Dicite cum S. Paulo, *mortuus ſum mundo,* Chriſto crucifixus; dicite *Ieſu tibi vivo, tibi morior &c.*

§. 11. *Apoſtrophe ad Auditores.*

Amor crucifixi faciet nos hoc triduo oblivifci omnium vanitatum. Experta fuit ſponſa. Cant. 1. v. 5. *Nolite me conſiderare &c.* S. Anton. de Padua Dom. 3. quadr. *Sol eclipſin,* id eſt, *defectum patiens omnia decolorat. Sic verus ſol Chriſtus eclipſin mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates debet decolorare. Ideo dicit anima pœnitens, Nigra ſum. Dum enim oculo fidei Deum meum, ſponſum meum Ieſum Chriſtum in cruce pendentem, clavis confixum, felle & aceto potatum, corona ſpinea coronatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis pompa tranſitoria in pallorem vertitur, & à me nihil æſtimatur.* O quam multa nobis dura, quam multa indies occurrunt importabilia! Quicquid ſuſtinetur pro Chriſto, quicquid ſuadet divinus amor, quicquid lex Dei imperat videtur importabile. Bone Jeſu, ô ſi tua nos Paſſio confortaret! O ſi intra tua nos vulnera abſconderes! ſic nihil amplius durum, nihil importabile videretur. Eia agite animæ piæ eamus ſimul, properemus ad crucifixum Salvatorem, dicamus, rogemus, obſecremus, dulcis Jeſu poſthac in te uno ac ſolo lætari, in te uno quieſcere, in te uno & vivere, & mori deſideramus.

§. 12. *Amor crucifixi facit nos oblivisci vanitatum.*

EXHORTATIO.

DIE CINERUM.

Memento homo quia pulvis es &c.
Gen.3.v.19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit varias cauſas, ob quas Eccleſia, initio quadrageſimæ, utatur aſperſione Cinerum.

§.1. *Prima diſpoſitio ad pœnitentiam eſt cinis, ſive, memoria mortis.*

§.2. *Eccleſia, hoc die, ſunt domus luctus.*

§.3. *In coronationibus Regum olim fuit uſus cinerum.*

§.4. *Mos Aegyptiorum in conviviis.*

§.5. *Quomodo Ieremias prædicaverit pœnitentiam.*

§.6. *Idem initio quadrageſimæ faciendum eſt concionatoribus.*

§.7. *Memoria mortis eſt fundamentum humilitatis.*

§.8. *Cinis deprimit ſuperbos.*

§.9. *Quid ſit mors ſive incineratio hominis.*

§.1. *Prima diſpoſitio ad pœnitentiam eſt cinis, ſive memoria mortis.*

VSitata phraſis ſcripturæ eſt, ut pœnitentes dicantur ſedere in cinere, aut cinere operire caput. Dicitur id feciſſe Judith c.4. v.16. & Eſther c.14. v.2. quæ non unguentis variis, ſed cineribus delibutum voluit caput. Job pœnitentiam acturus ait c.42. v.6. *Agam pœnitentiam in favilla & cinere.* LXX. ſic legunt, *putavi me terram & cinerem.* Aquila. *Conſolatus ſum in cinere.* David pſ.101. v.10. *Cinerem tanquam panem manducabam.* Et Jeremias c.6. v.26. ſuadens pœnitentiam, conſulit indui cilicio, cinereque aſpergere caput, & ſine cinere nunquam

Digitized by Google

nunquam peccata plorabant. Audiamus, quid de Ninivitarum Rege ſacra teſtatur pagina. Jonæ.3.v.6. *Et pervenit verbum ad Regem Ninive: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* En Regis exemplum! ajunt,

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Certe Ninivitæ omnes, quin & jumenta, & boves & pecora (ut eædem ſacræ teſtantur literæ) non guſtarunt quicquam, & ad pœnitentiam ſeſe generoſe compararunt. Sciebant enim ſine propriæ vilitatis cognitione, ſine profunda humilitate ſe nec Deum placare, nec divinam ejus miſericordiam poſſe conſequi. Primus ergo ſtatus, ſeu primum limen pœnitentiæ eſt cinis, humilitas ſcilicet ſuique cognitio, & memoria mortis. Hoc primum in ſe ſentire debet pœnitens quod ſit cinis, ut veros pœnitentiæ fructus operetur. Humilitas prima eſt, quæ veniam obtinet. Sanct. Chryſoſt. *Mulier &c.* (loquitur de Magd.) *ſimul atque ad Chriſti pedes ſe abjecit, ſalutem conſecuta eſt.* Ex quibus pulchram advertimus cauſam, ob quam hodie Eccleſia nos aſpergat cineribus, cur dicat *Memento &c.* ut ſcilicet per noſtri cognitionem, perque humilitatem profundam digne nos ad inſtans quadrageſimæ tempus comparemus. Animos advertite.

De Catholicorum Eccleſiis hodierna die dicere poſſumus cum Eccleſiaſt. c.7.v.3. *Melius eſt ire ad domum luctus* (videte an non talis domus ſit præſens Eccleſia, triſtis, ſqualida, horrida, ſine omni ornatu &c.) *quam ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum ſit.* Qui cæremonias Eccleſiæ non æſtimant, mirantur cum hodie vident etiam Principes & Reges coram ſacerdotibus ſubjicere capita & excipere cineres. Non mirarentur, ſi meminiſſent hos Reges cogitare viventes, quid futurum ſit olim, ſcilicet quod reverſuri ſint in cineres. *Memento homo quia pulvis es.* §.2. *Eccleſiæ hoc die ſunt domus luctus.*

Olim in ſolenni Regum inauguratione aureæ menſæ præter Coronam, Sceptrum, Regium diadema, annulos, &c. apponebatur pelvis cum cineribus, ut Rex jam coronatus, nihilominus in illis veluti ſpeculo, quid futurum eſſet, animadverteret, §.3. *In coronationibus Regum olim fuit uſus cinerum.*

 ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet omnem regiam pompam convertendam in cinerem. & proinde ſciret, humilem ſe eſſe debere tanquam mortalem. In inauguratione Pontificum ſtupa comburitur, & convertitur in cineres, cum hac voce: *ſic tranſit gloria mundi.* Similes cineres Mater Eccleſia hodie non tantum imponit altari, ſed diſpergit in capita noſtra, ut initio ſtatim quadrageſimæ in illis quid futurum ſit cogitemus, ſcilicet mortalem eſſe vitam noſtram, quæ tandem in pulverem cineremque deſinat.

§. 4. *Mos Ægyptiorum in conviviis.*

Hæc cogitatio alias quoque generat & ſanctiſſimas: apud Ægyptios in more fuit poſitum, ut in convivio menſæ imponeretur effigies argentea cadaveris, ita ut cum quis vellet bibere, aſtans ei famulus diceret, *in hunc intuens pota, & oblectare, talis poſtea futurus.* Domitianus in cœnaculo ſuo plane inaurato & ornatiſſimo, tamen de tholo voluit pendere calvariam hominis, ut omnes convivæ mortis meminiſſent. Summa apud omnes nationes ſemper fuit dignitas ſacerdotum, apud varias moris fuit, ut ante ſacrificandum ſe lavarent aqua & cineribus, ut meminiſſent quales eſſent, ſcilicet mortales, id eſt, pulvis & cinis. Apud Chriſtianos ait S. Chryſoſt. *hodiernus cinis debet eſſe ſpeculum, quod nobis oſtendit, quales ſumus, & quod futuri ſumus, ſcilicet cinis.* Carolus V. quinquennio ante mortem ſecum duci juſſit ciſtam (putabant alii latere theſaurum) ſed inerat ſarcophagus & mortualis ſupellex. Philippus II. Caroli V. filius in abaco inter ſupellectilem aureum repoſuit cranium. Taceo nationes plane barbaras, apud quas convivæ hauſtus lætiſſimos faciebant ex calvariis, ut ſe quoque brevi fore tales meminiſſent. Quod ergo ab immemorabili tempore, quod apud tam varias nationes, in tam variis occaſionibus, modis etiam tam variis fuit uſitatiſſimum, ingenerare memoriam mortis; hoc idem hodierna die facit Eccleſia Rom. Catholica per hanc cæremoniam cinerum, ut noſſe noſmet ipſos addiſcamus, atque adeo ad veram pœnitentiam diſponamus.

§. 5. *Quomodo Ieremias prædicaverit pœnitentiam.*

Non eſt inelegans, quam reperio Jerem. c. 19. v. 2. figura: nam ubi mittitur propheta, ut impio populo prædicet pœnitentiam, tria præterea jubet Deus. 1. Exire in vallem Ennon. 2. per portam ſterquilinii. 3. Ut ibi ante concionem in conſpectu populi confrin-

confringeret teſtaceum vas, & contereret in minutos cineres. *Egredere ad vallem filii Ennon, quæ eſt juxta introitum portæ fictilis, & prædicabis verba, quæ ego loquar ad te.* Pulchra latent myſteria. Vallis Ennon fuit locus plenus ſepulchris, quaſi cœmeterium. Eo vocantur pertinaces Judæi, an forte aſpectu ſepulchrorum & memoria mortis converti poſſint ad pœnitentiam. Ob eandem cauſam ante eorum oculos vas teſtaceum in cineres fuit contritum, ut ſcirent ſe brevi in pulverem redigendos. Ennon præterea ſignificat vallem ejulatus & vallem gratiæ, ut ſcirent ſe memores mortis per luctum, per lachrymas, per pœnitentiam conſecuturos gratiam; Deus enim propitius eſt lachrymis.

Hodierna die, quæ prima eſt in quadrageſima, mittuntur concionatores ut prædicent pœnitentiam; bene habet initium, prima Concio habeatur in valle Ennon; fiat mentio ſepulchri, inculcetur memoria mortis, aſpergatur populus cineribus, provocetur ad luctum &c. Memoria mortis diſponet populum ad ſeriam vitæ converſionem. Hæc eſt pia intentio Matris Eccleſiæ. Inter primas ſerpentis deceptiones in paradiſo erga primos parentes & hæc fuit, hæc mellea verba, *nequaquam moriemini.* Eadem hodie filiorum hujus ſæculi eſt cantilena, Non moriemur tam cito. Hoc occinit florida juventus, non tam cito aderit mors. Ipſi impii hac cogitatione ſeſe paſcunt, ut ille in Evangelio, *age anima mea, vive, habes multa bona in annos plurimos,* hinc ruinæ in ſcelera graviſſima, hinc impœnitentia. S. Hieron. ep. ad Cypr. *nihil ita decipit humanum genus, quam quod dum ignorat ſpatia vitæ ſuæ, longiorem ſibi hujus ſæculi poſſeſſionem adpromittat.* Sed aliam cantilenam hodie opponit Eccleſia, *Memento &c.* §. 6. *Idem initio quadrageſimæ faciendum eſt concionatoribus.*

Hæc memoria mortis debet eſſe ſolidum fundamentum noſtræ humilitatis, unde Sapiens clamat Eccleſiaſt. 10. v. 9. *Quid ſuperbit terra & cinis?* S. Aug. de verbis Domini. *Agnoſcat ſe homo mortalem, & franget elationem.* O ſenſuales, agnoſcite vos mortales! mementote, quia pulvis eſtis, quia moriemini, fortaſſis brevi: libenter jejunabitis. O qui fovetis odia, quæſo agnoſcite vos mortales. Hoc ubi feceritis, ſponte ſua concidet vindicta, concident odia, concidet iracundia. Et Tu laſcivæ Veneris immunda §. 7. *Memoria mortis eſt fundamentum humilitatis.*

munda ſoboles; ſi non ad ignes illos inferni tremendos Iubet proficiſci, hodie ſaltem ad cineres te confer; memento quis es & quis eris, memento homo luxurioſe, *quia pulvis es & in pulverem reverteris*. Memento, quid olim tuæ tibi proderunt voluptates! Et hæc eſt intentio Eccleſiæ.

§ 8. *Cinis deprimit ſuperbos.* Alexander M. dicitur habuiſſe pretioſam gemmam, parvam, ſed inſoliti ponderis, aſperſa cineribus erat leviſſima, ſic cinis deprimit inflata corda, imo dura emollit. Hæc eſt intentio Eccleſiæ.

§ 9. *Quid ſit mors ſive incineratio hominis.* Incinerationem autem mortis, ſive quid ſit mortem convertere hominem in cinerem, varia phraſi explicat ſacra ſcriptura: Eſt enim *deperditio & amiſſio omnium rerum, quæ fit in morte.* Eſt enim mors *privatio* omnium rerum, divitiarum, voluptatum, temporis, ſociorum, amicorum &c. verbo privatio vitæ. S. Job appellat c. 14. v. 10. hanc incinerationem, *Nudationem. Homo cum mortuus fuerit, atque nudatur, ubi quaſo eſt.* divitias, voluptates &c. omnia mors aufert quaſi veſtem. Job. 1. v. 21. *Nudus egreditur homo de utero matris, nudus revertetur ad matrem ſuam.* Eccl. 5. v. 14. *Nihil homo aufert ex labore ſuo.* Veſtem mortualem Saladinus Sultanus Rex Ægypti voluit in lancea per urbem circumferri cum voce præconis; *hoc ſecum aufert Saladinus.* Incineratio mortis eſt quoddam *latrocinium*, unde Chriſtus Dominus toties mortem comparat furi. Incineratio mortis eſt quaſi *extinctio* alicujus lucis. Eccl. c. 22. v. 10. *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus.* Hæc incineratio eſt quædam *diviſio & ſeparatio*, ſecundum illud morientis Regis, *ſiccine ſeparat amara mors.* Denique hæc incineratio eſt quædam exæquatio omnium perſonarum, Pontificum, Cæſarum &c. Diogenes ſciſcitanti Alexandro, quid mortuorum oſſa ita intueretur, reſpondit, *oſſa parentis tui Philippi quæro, ſed inter hæc non diſcerno.* Agnitio harum veritatum ſanctiſſimas ſine dubio generat cogitationes de NN. hæc eſt intentio Eccleſiæ. Huc ſpectat illa ſacra cinerum diſtributio; perinde ac ſi diceret pia mater Eccleſia: O homo, rebellis Deo & ſuperis Creatura, ſi mentem tuam à tot vitiis non avocant inferni ſupplicia, ſi non movent tot Dei tui pro te incarnati, pro te paſſi, pro te in cruce mortui, be-

Digitized by Google

tui, beneficia, moveat ſaltem cinis tuus & pulvis. *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

CONCIO XIV.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Cum jejunaſſet quadraginta diebus & noctibus.
Matth. 4. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit obſtinatis peccatoribus hanc maximam; niſi convertantur hac quadrageſima; fortaſſis veræ pœnitentiæ non fore locum in omnem æternitatem, ob plurima impedimenta, quæ in agone impie morientium, illam ut plurimum ſolent impedire, v.g. nimius terror, timor, &c.

§. 1. *Tempore quadrageſimæ ſæpe graves peccatores convertuntur.*

§. 2. *Scit, & poteſt Deus nivem & gelu convertere in ignem.*

§. 3. *Hæc fortaſſis ultima erit quadrageſima, qua Chriſtus Dominus gratiam neceſſariam offert peccatori pro ſeria pœnitentia. Poſt illam volent pœnitere & non poterunt.*

§. 4. *Obſtinati peccatores in agone ſunt indiſpoſiti, & inepti ad pœnitentiam, ob nimios timores, quos expertus fuit Abſolon, pendens è quercu.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Quam varia occurrant impedimenta pœnitentiæ in agone impii.*

§. 7. *Eſau, cum voluit, vere tamen non pœnituit.*

§. 8. *Salutare monitum S. Bernhardi.*

§. 9. *Tragica Hiſtoria ex S. Petro Damiano.*

§. 10. *Deſcribitur ulterius ex Daniele, miſerabilis ſtatus in quem tandem conjiciuntur obſtinati peccatores, in quo non eſt tempus pœ-*

pus pœnitendi.

§.11. *Apoſtrophe ad obſtinatos peccatores cum acribus minis.*

§.12. *Alius locus ex c.7. Danielis, quam in agone terrendi ſint impii.*

§.13. *Esther fuit territa aſpectu Aſſveri: multo magis impii in agone terrebuntur aſpectu Iudicis. Qui timor non dabit locum pœnitentiæ.*

§.14. *Ionas prorepta̅s in ſcopulos fuit figura Chriſti Domini aſcendentis in crucem.*

§.1. *Tempore quadrageſimæ ſæpe graves peccatores convertuntur.*

EX intimo corde gaudeo adeſſe rurſus gratiſſimum ſanctæ quadrageſimæ tempus: nam prout hodie legimus in epiſtola ſacri, ex ep.2. Corinth. c.6. v.2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Variæ afferri poſſunt cauſæ, ob quas tempus quadrageſimæ dici poteſt acceptabile. (Hæc dum eloquor, videre mihi videor aliquos moventes capita ſua, & audio dicentes: Quadrageſima! & quomodo illa dici poteſt acceptabilis? in qua tam rigido jejunio macerandum eſt corpus, in qua in Eccleſiis vix aliud auditur, quam triſtis leſſus, *Miſerere mei Deus &c* in qua Joel clamat, c.1.v.14. & c.2.v.15. *Sanctificate jejunium,* Iſaias, *pœnitentiam agite &c.* Verum talia qui cogitant, animales ſunt, ut cum S. Paulo loquar, neque modo multis cupio reſpondere) Dico, tempus quadrageſimæ eſſe acceptabile, eo quod ſingulis fere annis magni aliquot peccatores moveantur ad veram pœnitentiam. Neque enim aliquis homo tam ſceleſtus inveniri poterit, cujus emendatio, vel pœnitentia in ſancta debeat quadrageſima deſperari. In quo ingens eſt differentia inter Angelos reprobos, qui ſemel tantum lapſi ſunt in peccatum, & inter homines, qui in gravia frequenter ſcelera prolabuntur. Nam, ſunt ferme verba Jobii Monachi l. de Incarn. 9. c.43. Diaboli, *confirmata ſua voluntate, nullam de ſe ſpem reliquam fecerunt, in nobis inopinata fit è malo in melius mutatio.* Nullus, nullus in hoc mundo eſt peccator, de quo ſperari non poſſit per pœnitentiam mutandum in melius. Fieri poteſt, & fit in quadrageſima frequentiſſime, ut qui in ſervitio divino totus eſt frigidus, & veluti conglaciatus, ad inſtar ignis cœleſtibus amoris flammis inardeſcat.

§.2. *Scit, & po-*

Et hoc eſt quod S. Job videtur inſinuare cap.38. v.22. ubi ait, *Nunquid*

Digitized by Google

Nunquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? Sed quid eſt in ſenſu myſtico, Deum in ſuo theſauro habere nivem, vel aliquam gelu particulam? id eſt, Deus noſter potens eſt, ut cor alicujus peccatoris, frigidius gelu & nive mutare poſſit in ignem, & flammas divini amoris, id eſt, Deus ſæpe, ſed præſertim in quadrageſima, magnis peccatoribus dat gratias efficaces, ut agant pœnitentiam, ut ex Saulo fiat Paulus. Mecum ſentit S. Greg. M. l. 29. mor. c. 11. *Nix, vel grando fuit Saulus per frigidam inſenſibilitatem. O qualem theſaurum in nive & grandine habuit Deus quando illum inter pravos poſitum, jam tum electum latenter vidit.* Et deinde, *hanc in manu ſua grandinem ſumpſit, ad ferienda adverſariorum pectora, per quam tot ſibi reſiſtentia corda proſtravit. Nemo deſperet illos, quos adhuc frigidos videt, quia theſauros Dei in nive & grandine non videt.* Mi amantiſſime Jeſu! quis ſcit, annon in theſauro dulciſſimi tui cordis lateant aliqui ex his meis Auditoribus, graves peccatores, quorum corda, frigida inſtar nivis cogitas hac quadrageſima in ignem commutare, quibus ex infinita miſericordia cogitas impertire gratiam ut convertantur. Mi Jeſu! Ecce me! ecce grandinem & ſilicem! immerge me in vulneratas & ſanguineas manus, ad ferienda illorum pectora, per me! Salvator mi! reſiſtentia tibi proſterne corda; Auditores amantiſſimi, dummodo & nos velitis, non deſpero, afferam hac concione aliqua, quæ omnibus ſeriam poterunt pœnitentiam perſuadere.

Deus gelu & nivem mutare in ignem.

Terra, terra, terra! audi ſermonem Domini, ait Jerem. c. 22. v. 29. Dicam ego, peccator, peccator, peccator! niger, ſicce, dure, inſtar terræ, audi hanc concionem meam, niſi plane ſis ſaxum, poterit illa ferire aures tuas, & cor licet duriſſimum proſternere. Audi breviter, ſed ſerio ad cor tuum tibi loqui cupio: niſi per hanc, quam incepimus, quadrageſimam agas pœnitentiam, fortaſſis non ages in æternum; his paucis adhuc ſeptimanis Salvator tuus vulneratas porrigit manus ut ſalvet te, ut ſanet te, ut eruat te, ut faciat potentiam in brachio ſuo; fieri poteſt ut à tempore finitæ hujus quadrageſimæ porrigat nunquam. Jam, jam offert neceſſarias gratias, niſi ante proximum Paſcha acceptes, deinceps non offeret. Jam impii in illo ſunt ſtatu, in quo

§. 1. *Hæc fortaſſis ultima erit quadrageſima, qua Christus D. peccatori gratiam neceſſariam offert pro ſeria pœnitentia Poſt illam volent pœnitere & non poterunt.*

apti ſunt, ut per ſeriam pœnitentiam, per veram Confeſſionem &c. ſe convertant ad Dominum ſuum, ſi ultra differant, veniet hora, qua pœnitere volent, ſed non poterunt. De Juda ait S. Matth. c.27.v.3. *Pœnitentia ductus, palam dixit, peccavi! tradens ſanguinem juſtum*, nihilominus *receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit:* quia ſceleſtus, tempore ultimæ cœnæ, in qua piiſſimus Salvator lavando illi pedes, alloquendo ſuaviſſimis verbis, porrigendo illi corpus & ſanguinem ſuum, pœnitentiam perſuadere voluit, ſed ipſe pœnitere non voluit, conſummato graviſſimo ſcelere, intravit in eum Satanas, adeoque impœnitens cor occupavit, ut prout oportuit, dolere & pœnitere non potuerit, ob cauſam, quam Cajetanus advertit in cit. cap. S. Matth. *Pœnitentia ſera, dilata, coacta abſorbet hominem abundantiori triſtitia, & deſperationem inducit. Talem fuiſſe pœnitentiam Iudæ, talis exitus comprobavit.* Ite peccatores! permittite rurſum hanc quadrageſimam tranſire ſine pœnitentia; dicite iterum cras! Cras! iterum cum Juda vendite & prodite Chriſtum, per ſacrilegas Confeſſiones ac Communiones, pergite in veſtris fornicationibus & impudicitiis, etiam in hac quadrageſima, qua idem Jeſus vobis offert balneum ſui ſanguinis &c. Veniet hora, qua pœnitentia ducti agnoſcetis veſtra ſcelera, & tamen ſerio pœnitere non poteritis. Nimius terror, horror præſentis mortis, metus inſtantis judicii abſorbebit veſtras cogitationes, nihil cogitare poteritis de Deo, de Chriſto, de ejus paſſione &c. deſperabitis! niſi hodie, niſi hac quadrageſima pœnitentiam egeritis. Hodie, hodie cum audieritis vocem Domini, nolite obdurare corda veſtra. Infeliciſſima mors Judæ comprobavit, quomodo moriantur obſtinati peccatores. Juſto Dei judicio ad illum rediguntur ſtatum, in quo pœnitere non poſſunt.

§.4. Obſtinati peccatores in agone ſunt indiſpoſiti & inepti ad pœnitentiam, ob ni-

Horreo, quoties cogito infeliciſſimam mortem 2. Reg. 18. verſ.9. Abſolonis, ſcio me alias, meminiſſe hujus circumſtantiæ, quod in tantis anguſtiis, quod pendens ex arbore, dum vidit approperantem Joabum cum triplici lancea, obmutuerit, quod nullum fuerit verbum locutus, quod ab amiciſſimo Joabo, ſuo alias patrono apud iratum patrem, non petierit condonari ſibi vitam; Ah cur non dixit; O Joab peccavi! parce! Nihil tale dixit, ſed mutus,

mutus, ſine ulla voce lethalem ictum excepit. Memini inquam, me alias facere mentionem hujus circumſtantiæ; ſed neſcio, an tum addiderim elegantiſſima verba, S. Petri Damiani ad Blancam cap. 6. ubi de morientibus impiis ait, *Intolerabili terrore concutiuntur, repentini impetus violentia turbantur, præcipitantur, invaduntur, ac de miſeræ carnis ergaſtulo violenter evelluntur, ut ad æterna ſupplicia pertrahantur.* Hæc omnia contigere Abſoloni. Quamprimum vidit militem ſuum in fugam ſe dare, multo magis cum in fuga, inque tanto vitæ periculo animadvertit, ſe propriis capillis alligatum quercui, & proinde ulteriorem fugæ locum prohibitum: multo magis! cum de arbore pendulus, præ oculis vidit armatum Joab, intolerabili terrore fuit concuſſus, repentini & improviſi caſus violentia & infortunio adeo fuit conturbatus, adeo præcipitanter invaſus, ut nec verbulum fuerit elocutus; nihil prorſus de impetranda venia cogitaverit. Nimirum tales cogitationes à nimio animi terrore fuerunt abſorptæ.

mios timores, quales expertus fuit v.g. Abſolon pendens à quercu.

§. 5. Proſecutio.

Pathetice ut ſolet S. Chryſoſt. t. 1. hom. de Abſ. *Reſpice jam ſceleſtiſſime hoſtis, ac nefande, jam reſpice parricida, reſpice inquam uſquequaque in te cuncta converti, reſpice in te ab ipſa natura pugnari, & quamvis contra te dimicet cælum, moveatur terra, exercitus pugnent, tamen aliud te ignotum & inopinatum ſuſtinet bellum, aliud jam prælium eſt, quod fugientem excipiat, properantem interimat, feſtinantem occidat. Adeſt, inquam, arbor in campo, ramorum telis ornata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, Patris injuriam in parricidam defendat. Adeſt, inquam, arbor, quæ nec Patrem, ut tibi parcatur, audivit, & juſſa Dei conſtanter implere contendit. Iam adeſt Divinæ Iuſtitiæ ſatelles Ioab, ut te perimat.* Idem S. Chryſoſt. in pſ. 7. hujus quoque meminit circumſtantiæ. *Abſolon non ſtatim è medio ſublatus eſt, ſed tanquam in judicio prius ſuſpenſus eſt, & ligno affixus, Deo ferente ſententiam, longo tempore pependit, à conſcientia flagellatus:* inter quæ flagella talis illum conſternatio invaſit, ut nihil cogitaverit de pœnitentia. Sic infelix anima ex corporis ergaſtulo violenter extracta, & ad æternos rapta fuit ignes & Tartara. O infelix Juvenis! O infortunate Abſolon! diu ante! ante prælium, hos angores, hos timores, hanc infelicem mortem prævidere debuiſſes:

buiſſes: tum erat tempus pœnitendi, tempus reconciliandi patrem, tempus gratiæ.

§.6. *Quam varia occurrant impedimenta pœnitentiæ in agone impii.*

Abſolon, Abſolon! te compello obſtinate peccator, hac quadrageſima cogita de ſeria pœnitentia, ne forte poſt Paſcha in eum devenias ſtatum, in quo comprehendaris ſubito ab anguſtiis mortis, time, ne repentino aliquo impetu turberis, ne præcipitanter invadaris, ne repentina mors violenter animam tuam incipiat evellere, multi cogitarunt, ſe tum velle loqui, confiteri, & non potuerunt. *Penſandum namque eſt*, (inquit cit. S. Petrus Dam.) *cum jam peccatrix anima, vinculis incipit carnis abſolvi, quam amaro terrore percutitur, quantis mordacis conſcientiæ ſtimulis laceratur, recolit vetita, quæ commiſit, videt mandata, quæ implere contempſit; dolet indulta pœnitentiæ tempora* (unam quadrageſimam poſt alteram) *ſeſe inaniter percepiſſe, plorat immobilem diſtrictæ ultionis articulum inevitabiliter imminere, manere ſatagit, ire compellitur, recuperare vult perdita, non auditur, poſt terga reſpiciens totius anteactæ vitæ curſum, velut unum reputat breviſſimum itineris ſpatium, ante ſe oculos dirigit, & infinita perennitatis ſpatia deprehendit, & tandem concludit: O ſi redivivum pœnitentiæ tempus mereri poſſet! quam dura converſationis iter arriperet, qualia & quanta promitteret* &c. Sed fruſtra! juſto Dei judicio, in agone non dantur illa efficacia auxilia, quæ acceptabili tempore quadrageſimæ ſolent offerri. *In agone* (S. Gregor. M. l. 18. Mor. c. 13.) *flagella inchoant, & in æterna percuſſione perdurant*: ſub qua in æternum non pœnitebunt.

§.7. *Eſau cum voluit, vere tamen non pœnituit.*

Contingit ſic morientibus in agone, quod S. Paulus ad Hebr. c. 12. aſſerit, contigiſſe Eſau, poſtquam frater ejus Jacob primam à Patre accepit benedictionem: v. 17. *Cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt, non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Sic vivimus! pro viliſſimo edulio, pro modica voluptate vendimus diabolo jus noſtrum ad æternam hæreditatem. Indigna res eſt, vel ſanguineis deploranda lachrymis, quod hoc potiſſimum tempore tot, & tam enormia fiant peccata, quibus omnium facimus bonorum cœleſtium jacturam, nec cogitamus de pœnitentia, cujus vel ipſum nomen ingratum eſt auribus noſtris. O Laſcivi, laſcivi! Væ vobis, qui pœnitenda cum

Digitized by Google

da cum facitis, pœnitentiam differtis! An divitias bonitatis divinæ & miſericordiæ contemnitis? In agone vellent aliqui jus illud recuperare, ſed reprobantur, non inveniunt pœnitentiæ locum. Lachrymæ pœnitentiæ ſeræ non ſunt cordis, ſed carnis. Difficillimum eſt, ut peccator diu pertinax, obſtinatus de quadrageſima in quadrageſimam in illo articulo effundat veras lachrymas. S. Ambr. in pſ. 1. n. 1. *An ignoramus quod tantam vim habeat inveterata conſuetudo peccandi, ut excludat naturam, quæ cum ſit medicabilis ad ſalutem, tamen corroborata tempore, paſſionibus immedicabilis invenitur.*

§. 8. *Salutare monitum S. Bernardi.*

Sed audiamus Clarevallenſem Præſulem in pſ. 75. *Noli ergo huic tam periculoſæ exſpectationi credere temetipſum, unde ſcis, quod tunc tibi ſubvenire velit, quem tu interim* (etiam hoc acceptabili tempore quadrageſimæ) *ſic repellis. Benignus quidem eſt ſpiritus ſapientiæ, ſed non liberabit maledictum à labiis ſuis, audi quis ſit ille maledictus! qui peccat in ſpe.* Auditores mei; cavete, ne hac quadrageſima incurratis hanc maledictionem.

§. 9. *Tragica Hiſtoria ex S. Petro Damiano.*

Pœnitentiam differentes moriuntur infeliciter. Eo miſeriæ prolapſus eſt infelix ille religioſus in Peruſino Monaſterio S. Salvatoris, ut diaboli, ad ſuperandos æmulos, patrocinium imploraret, quin etiam ejus ſeditioni corporaliter manciparet; cui tamen ſeductor ſpiritus exigenti ante promiſit, quod tertio priuſquam moreretur die, ipſum de inſtante vitæ termino eſſet moniturus. Credidit infelix; vixit peſſime. Tandem in ægritudinem delapſo adeſt fidei cuſtos iniquus, & poſt tres dies, uti ſpoponderat, futuram mortem denuntiavit. Protinus advocatis ille fratribus, cuncta hæc, quæ cum nequiſſimo ſpiritu pepigerat, per ordinem exponit; cumque illi inſtarent dicentes, ut pœnitentiam & confeſſionem faceret, repente ille obdormivit, & ſive pulſantibus, ſive clamitantibus evigilare non poterat: ſi vero vel illi conticeſcerent, vel aliquid præter pœnitentiam loqui vellent, mox ille expergefactus loquebatur; ſed rurſus audito nomine pœnitentiæ obrigeſcebat inſenſibili ſopore correptus, donec horrendo morbo traditus, ad eum cui devotionem fecerat, fuit infeliciter devolutus. Hæc Damianus. *Sic moriuntur peccatores, qui pœnitentiam differunt.* Putavit

Digitized by Google

tavit miſer, non defuturam ſibi pœnitentiam & contritionem, ſi diem ſciret mortis, ſi triduum temporis ſupereſſet, hinc in eum vitæ articulum diſtulit pœnitentiam. Non dubito ipſummet diabolum perſuaſiſſe ipſi, pœnitentiam ipſius fore magnam, confeſſionem ſeriam &c. Sed accidit illi juſto Dei judicio, quod de Juda dixit S. Chryſoſt. ſer. 3. de paſſ. *Ubi pœnitentia feſtinavit ad portum* (aperiens peccata ſua &c.) *ibi incidit in æternum, & ſine reparatione naufragium.*

§. 10. *Deſcribitur ulterius ex Daniele miſerabilis ſtatus, in quem tandem conjiciuntur obſtinati peccatores, in quo non eſt tempus pœnitendi.*

Verum quare ego in medium affero tam tremenda, tam horribilia, hoc tempore, quo memoria Paſſionis Chriſti omnes, etiam graves peccatores excitat ad magnam ſpem & fiduciam? cur tam difficilem facio pœnitentiam? Sic eſt, Auditores: ſed doleo hanc ipſam ſpem & fiduciam fundatam in meritis Chriſti Domini & infinita ejus miſericordia, obſtinatis peccatoribus eſſe cauſam, cur pœnitentiam differant, cur audacter peccatis peccata accumulent, his cupio ſalutarem incutere terrorem, & quidem hac maxima: niſi convertantur hac quadrageſima, fortaſſis Chriſtum Dominum Crucifixum fore illis terrori, non ſolatio. Aſpectus Crucifixi illos cauſabit timores, qui non promoveant, ſed impediant veram pœnitentiam. Danielis c. 10. v. 8. Propheta varia phraſi deſcribit, quanto fuerit terrore concuſſus. *Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc; & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium, & audivi vocem ſermonum ejus, & audiens jacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.* Non puto elegantioribus verbis poſſe deſcribi miſerabilem ſtatum, & anguſtias, in quas tandem conjiciuntur obſtinati peccatores: inter quas tandem, ah utinam non ſero nimis de pœnitentia cogitant! Sic demum, dum mors pulſat fores, dum animæ exeundum eſt è corpore, jacent miſeri relicti ab amicis, relicti à mundo, relicti à carne, & vanitatibus, ſoli! dum in porta ſtant æternitatis. Soli! dum comparendum eſt coram judice. Soli! inter manus dæmonum: præ timore immutatur facies, immutantur oculi, immutantur labia: præ metu marceſcunt. Vobis hæc dico, impii, & putatis tum fore tempus & vires pœnitendi? Ah nihil.

nihil remanet virium, vel fortitudinis; jacent conſternati, nam ut Iſaias ait, c. 2. v. 29. *Introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini:* Sed, unde ille terror in Daniele? unde illa formido? tanta exinanitio & depreſſio? Vidit viſionem grandem, ut ait, id eſt, ex multorum interpretum opinione, angelum in ſpecie hominis, *cujus facies fuit velut ſpecies fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens, & brachia ejus, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum ejus, ut vox multitudinis.* Hunc Angelum vidit Daniel, ejus vocem audivit, hinc terror, hinc virium defectus, hinc anguſtiæ, hinc conſternatio.

§. II. Apoſtrophe ad peccatores cum acribus minis.

Ite obſtinati peccatores! etiam hac quadrageſima nihil cogitate de pœnitentia, ego verò de vobis cogito horrenda, tremenda, fortaſſis! tremenda ſunt Dei judicia! niſi convertamini hac quadrageſima, nec deinceps de converſione ad Deum cogitaturi ſitis, donec repentina vos mors obruat, donec obruamini timore, in quo pœnitere non poteritis. Neque enim Angelum videbitis, ſed viſionem grandem, id eſt, Judicem veſtrum, Chriſtum crucifixum, & facies non erit tum talis, qualem modo cernitis, ſed ſicut ſpecies fulguris, oculi non ſtillabunt lachrymis & ſanguine, ſed erunt ut lampas ardens; brachia non erunt clavis affixa cruci, ſed armata fulmine; grandem viſionem videbitis! Patula crucifixi vulnera, caput ſpinis coronatum, clavos. Voces & ſermones ſimul audietis terribiles, quibus hæc vulnera, hæ ſpinæ, hi clavi, hic ſanguis clamabunt vindictam; & tum putatis fore locum pœnitentiæ? O ſtolidi! modo! jam! hodie! hac quadrageſima accedamus crucifixum; modo viſio eſt grata, viſio amabilis, viſio jucunda: modo comparet iris divinæ miſericordiæ, unica cauſa ſpei & fiduciæ noſtræ. Hodie hæc vulnera non crudelitatem clamant, ſed pietatem, patent non ad iram, ſed gratiam, pacem, pacem volunt, non bellum. Hodie confiteri licet, hodie ſalutares ſunt lachrymæ, ſalutaris dolor, gemitus, affectus, ſuſpiria. Ecce jam tempus acceptabile, ecce hi dies Quadrageſimæ, dies ſalutis. Ergo dum tempus eſt, operemur bonum, hoc qui negligit, ſuam ſalutem, ſuam animam, imo cœlum, imo ipſum negligit bonorum omnium fontem Deum.

Digitized by Google

§ 12. *A hoc locus ex cap. 7. Dan. quam in agone terrendi ſunt impii.*

Cap. 7. v. 9. ait Daniel: *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit; thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accenſus, fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Terribilis majeſtas, tota ignea, flammarum globis cincta, thronus ignis flammarum, rotæ ignis accenſus, facies non ſolum ignea, ſed emanatio ignium. Cauſam addit S. Hier. ibi. *Vt peccatores pertimeſcant.* Talia videbunt impii in tremendo agone. Scio literam citati verſus loqui de externa majeſtate, in qua illo die tremendo tremendus Judex veniet in Vallem Joſaphat; ego applico judicio particulari, in quo coram morientis oculis ponetur thronus. Thronus erit ſanctiſſima crux, vobis ſceleſti, tota ignea! in cruce apparebit antiquus dierum, Filius Dei, qualis aliquando pependit in cruce, in monte Golgatha, non ut jam ex ſanctiſſimis Vulneribus fluat divinus ſanguis in veniam & miſericordiam. Sed, ô impii! fluvii ignei, rapidique egredientur à facie ejus, ſuper capita veſtra! Ex vulneribus SS. pedum emanatio ignea, ſuper veſtras blaſphemias, ſuper veſtras impudicitias! ſuper odia &c. *ut peccatores pertimeſcatis*! accuſabit vos dæmon, *ut pertimeſcatis*, aperietur vobis liber conſcientiarum, *ut pertimeſcatis*, ſub pedibus veſtris hiabunt fauces inferni, ut pertimeſcatis, & cogitatis vos tum velle agere pœnitentiam? rogo vos per ſalutem animarum veſtrarum, per vulnera Jeſu Salvatoris, hac quadrageſima convertimini ad Dominum Deum veſtrum. Fortaſſis ab hac quadrageſima in æternum non erit amplius tempus pœnitendi. Nimius metus & terror non permittet vos in agone pœnitere.

§. 13. *Eſther territa fuit aſpectu Aſſveri: multo magis impii in agone terrebuntur in aſpectu Iudicis. Qui timor non dabit locum pœnitentiæ.*

Scitis quid acciderit Reginæ Eſther? nam cum c. 15. v. 9. 10. admiſſa fuiſſet ad colloquium Regis Aſſveri, cum ingrederetur regiam aulam, elevavit Rex faciem ſuam, & ardentibus oculis furorem peccatoris indicavit, & Regina ſtatim exanimata corruit, *reſidebat enim Aſſverus ſuper ſolium Regni ſui indutus veſtibus regiis, auroq; fulgens, & precioſis lapidibus, & ideo erat terribilis aſpectu*, ut Eſther deinde dixerit, *vidi te Domine, quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ, valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum*, quod dicens rurſus corruit in terram. Ergo aurum, precioſi lapides, Angelus, & facies plena gratia-

gratiarum Reginæ, Eſtheri! fuerunt cauſa tanti timoris? Qualem quæſo tunc, cum in agone Chriſtus Rex de throno crucis impium aſpiciet, cum illis oculis, (impii elevate oculos in crucifixum, ut videatis de quibus oculis loquar, illis ſcilicet, quibus aliquando in cruce tua peccata deflevit.) Cum illis inquam oculis furorem peccatoris indicabit? qualem inquam tunc timorem majeſtas illa de cruce incutiet; non auro & gemmis; ſed vulneribus, & ſanguine, id eſt, igne circumdata, ſpirans flammas, igneoſq; vibrans globos, & non angelus, ſed angelorum Rex, faciem contra peccatores, non plenam gratiarum, ſed minarum, ſanguineam, cruentatam, ſputis horridam, contra impios inflammatam ſuccenſamque habens, oculis ardentibus eoſdem aſpiciet? Nonne tunc corruent? nonne decident? nonne conturbabuntur? & cogitatis ſceleſti tum agere pœnitentiam? Rogo, obteſtor vos hac quadrageſima convertimini ad Dominum Deum veſtrum, obſecro ne iterum hoc acceptabili tempore contemnatis Salvatorem veſtrum.

§. 14. *Ionathas reptans in ſcopulos, fuit figura Chriſti Domini aſcendentis crucem.*

L. 1. Reg. c. 14. v. 13. aſcenſurus Jonathas ad caſtra hoſtium in vertice montis, ait ſcriptura, *aſcendit manibus & pedibus, reptans*, cum Philiſtæi hoc viderunt, ridentes & contemnentes eum dixerunt, *Aſcende ad nos*. Et aſcendit, reptans, humilis, magno cum labore. Poſtquam aſcendit, & elevans ſe, hoſtibus faciem oſtendit, terribiliter illos fuit intuitus, &, *alii cadebant ante eum, alios armiger ejus interficiebat*: non potuerunt ſuſtinere faciem humilis Jonathæ. Hoc idem facit cœleſtis Jonathas noſter; ut irrepat in cor obſtinati peccatoris, factus eſt in cruce vermis; *Per hoc* (inquit Lyra in gloſſa) *quod Ionathas aſcendit ſcopulos, ſignificatus fuit aſcenſus Chriſti in cruce per clavos*: ideo deridetur ab impiis. Væ vobis obſtinati peccatores, in iride Majeſtatis ſuæ conſpicuus, elevabit quandoque faciem ſuam, & horrendo vos obtutu terrebit: præ timore expalleſcetis, corruetis, contremiſcetis. Et cogitatis modo, tum vos velle agere pœnitentiam. Non fiet! hac quadrageſima agite pœnitentiam. Mi Jeſu, cum veneris nos judicare, ah noli, noli nos condemnare. Peccavimus omnes: Tuam heu! offendimus majeſtatem, quid reſtat, niſi ut ſacrum hoc quadrageſimæ tempus conſecremus pœnitentiæ, dolori, ſuſpiriis? Ita, ita,

Digitized by Google

fiat mi Jeſu! tu modo tuam aſpira gratiam, ſine qua vel infructuoſi vel plane nulli ſunt noſtri conatus, ſtudia, labores, affectus.

CONCIO XV.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Miſerere mei Domine, fili David, filia mea male à dæmonio vexatur.

Matth. 15. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EST continuatio concionis ultimæ habitæ ante octiduum. Vera pœnitentia, per hanc quadrageſimam operatur, 1. Veram mutationem. 2. Excitat timorem Dei & horrorem peccati. 3. Accendit pœnitentem & ardentem orationem: præcipuum motivum timoris, eſt ſecuritas æterni Patris, & rigor Juſtitiæ erga Unigenitum Filium propter peccata aliena.

§.1. *Occaſio pœnitentiæ non eſt negligenda.*

§.2. *Vera pœnitentia incipit à mutatione, quam in impio operatur dextera Dei.*

§.3. *Mutatio hæc, v.g. in pio latrone fuit perfectiſſima.*

§.4. *Et talis debet eſſe in pœnitentibus.*

§.5. *Effectus alii hujus mutationis.*

§.6. *Vere pœnitentes timent, & ardenter orant.*

§.7. *Conſideratio hujus ſeveritatis patris cæleſtis erga Filium ſuum, excitat in nobis hunc timorem.*

§.8. *Deus rigorem ſuæ Juſtitiæ non potuit magis declarare, quam id fecerit in Filio ſuo.*

§.9. *Exempla ſeveritatis parentum erga filios.*

§.10. *Quæ tamen cum illo rigore comparari non poſſunt.*

§.11. *Si ita caſtigavit Filium, quomodo caſtigabit ſuos hoſtes.*

§.12. Tan-

§. 12. *Tantus rigor, ſive illa, quæ Chriſtus Dominus pati debuit, debent nos deterrere à peccato.*
§. 13. *Quantum Deus horreat peccatum, cum affectu admirationis quod nihilominus peccemus.*
§. 14. *Timori conjungenda eſt humilis & ardens oratio.*
§ 15. *Cur alter latronum ſalvatus, alter damnatus.*
§. 16. *Epilogus.*

DE pio latrone, converſo in cruce, ad latus Chriſti Salvatoris crucifixi, ait S. Gregorius Nyſſ. orat. 2. de quadragesima, *Nactus occaſionem vitam rapuit.* & ſer. de latrone. *Alii latrocinio vitam perdunt, hic latrocinio vitam rapuit ſempiternam. Nactus ſcilicet occaſionem.* S. Chryſoſt. hom. de cruce & latrone, *Furatur hic latro cæleſte imperium.* Sedulius Poeta: §. 1. *Occaſio pœnitentiæ non eſt negligenda.*

Abſtulit ille ſuis cælorum regna rapinis.

S. Athanaſius ſer. contra hær. *O beatum latronem, rapuiſti in mundo latrocinando, rapuiſti item regnum cælorum.* Nactus occaſionem, id eſt, quamprimum in cruce agnovit, ſocium martyrii Chriſtum Dominum eſſe innocentem, eſſe Dominum, eſſe mundi Salvatorem, ſtatim in illum credidit, ſtatim exclamavit: *Domine memento mei*, & miſericordiam obtinuit. S. Aug. ſer. 120. de t. *Nec ſalutis tempora diſcuſſit, nec redemptionis ſuæ ſpem in deſperationis noviſſimum reſervavit.* D. Ambr. ſer. 45. *Certus de Divinitate, & ſecurus de voluntate.* Idem in hodierno Evangelio fecit mulier Cananæa, nacta occaſionem alloquendi Chriſtum, petendi ab illo ſanitatem filiæ; quamprimum audivit adeſſe illum magnum Prophetam, cujus audiverat miracula, ſtatim exiit è finibus ſuis, & venit ad Chriſtum, magnis vocibus exclamans, *Ieſu Fili David, miſerere mei.* Nacta illam occaſionem, non ceſſavit importunis vocibus illum urgere, ad exhibendam miſericordiam; Eo collimavit mea Concio Dominicæ præteritæ, ut peccatores hac ſancta quadrageſima nacti occaſionem agendi pœnitentiam, confitendi, reconciliandi ſe cum Chriſto, id facere non differant, ob graviſſimum ſcil. periculum, dum tales procraſtinatores pœnitentiæ tandem in illũ conjiciuntur ſtatum, in quo pœnitere non poſſunt: ſed violente ex hoc mundo abſtrahuntur & ad æterna Tartari ſupplicia rapiuntur; hæc

Digitized by Google

dixi, ut peccatores pertimeſcant. Si fortaſſis in aliquorum cordibus excitaſſem igniculos, & pium deſiderium per hanc quadrageſimam agendi pœnitentiam, æquum eſſe judico, ut in hac concione, quænam ſint illis agenda proponam.

§. 2. *Vera pœnitentia incipit à mutatione, quam operatur dextera Dei*

De eodem latrone, cujus in Exordio feci mentionem, dixit S. Aug. tr. 38. in Joan. *Ubi convictus, ibi damnatus*, ſcilicet à Pilato ad crucem, *ſed ibi liberatus, ubi mutatus.* De hac mutatione inquit S. Proſper, *Cum aliquamdiu blaſphemaſſet in Ieſum Chriſtum, repente eſt mutatus, & dixit, Domine memento mei.* S. Cypr. de cœna D. *in momento, impietas religionem, crudelitas induit pietatem.* Et Chriſtus Dominus mox liberavit eum, non quidem à morte temporali, ſed æterna, Et non potero dicere cum S. Leone Papa ſer. 2. de Paſſ. ex pſ. 76. v. 11. *Hac mutatio dexteræ excelſi* (addo ex dextera Filii Dei, quæ affixa eſt cruci, quæ ſanguine madet) & ex pſ. 117. v. 2. *à Domino factum eſt iſtud.* Quid eſt, iſtud? iſtud? talem peccatorem in fine vitæ converti iſtud, cum tanta perfectione, tanta fide, tanta ſpe, tanta dilectione, iſtud! tam repente. Et à quo factum eſt? à crucifixo! *hoc eſt mirabile in oculis noſtris*, pergit S. Leo; *mira utique mutatio, inſidiator viarum uſque ad crucem reus, fit Chriſti repente Confeſſor, & inter illos acerrimos corporis, animique cruciatus, quos ſimul & difficultas mortis augebat, mira converſione mutatus, memento mei ait.* Et hæc quaſi in momento, ut contigerit, quod deinde dixit S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 19. *Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut ſtatim quandam perfectionem Iuſtitiæ aſſequatur.*

§. 3. *Mutatio hæc verbi gratia in pio latrone fuit perfectiſſima.*

Tam perfecta fuit hæc mutatio latronis, ut bene dixerit Arnoldus Carnotenſis de 7. Verb. Dom. *Non huic pœnitenti multorum annorum jejunia imponuntur, non nudipedalibus, vel ſacco afficitur, ſimul & confitetur, & juſtificatur, & glorificatur. Vide horam: nota perſonam; ultima hora, peccatrix perſona: multa antiquaque peccata illico abolet gratia, nec progreſſus moraque temporis indulgentia limat, corroditque culpæ rubiginem: Sed ibi repente facto cœlitus ſono* (addamus hic, cum terra tremuit, cum tenebræ factæ ſunt &c.) *Spiritus S. illabitur, quidquid immaduerat peccati tabe, ſiccatur, nec ſupereſt ullum fœditatis veſtigium vulneri, quod miſericordiæ abluit lavacrum.*

Facile

Digitized by Google

Facile intelligitis de quo miſericordiæ lavacro loquatur Arnoldus, nimirum de pretioſo ſanguine Jeſu crucifixi.

Illi itaque in ſancta quadrageſima convertuntur, & veram agunt pœnitentiam, qui v.g. hactenus blaſphemarunt, mutantur, ut non blaſphement amplius, qui vixerunt in impudicitiis, mutantur ut deinceps vivant caſte, qui flagrarunt malis ignibus odii atque vindictæ in proximum, mutantur, ut ignoſcant amore crucifixi: qui ſtuduerunt epotandis, ut ſacra ſcriptura loquitur, calicibus, potentes ad bibendum, mutantur, ut ſibi ipſis vel omnem, vel certe immoderatum vini uſum interdicant, qui aliorum famæ detrahere conſueverunt, mutantur, ut non niſi de omnibus bene loqui addiſcant. Hæc mutatio dexteræ Excelſi; à Chriſto crucifixo fit iſtud; ſi obſtinati peccatores, mira converſione ita mutentur. Miraculum gratiæ efficacis eſt, quando, ſubito, repente Spiritus S. animam talis impii movet, ut multa & antiqua peccata (peccata diu in Confeſſionibus ſilentio tecta) aboleantur in lavacro ſanguinis Chriſti. Hæc mutatio eſt fundamentum veræ pœnitentiæ. §. 4. *Et talis debet eſſe in pœnitentibus.*

Mutationis hujus effectus in latrone, Arnoldus Carnotenſ. ante cit. ſic exponit; *Chriſtum Dominum in cruce fatetur, ibi orat, ibi adorat, multa ſimul pietatis officia complectitur, credit, timet, compungitur, & pœnitet, confitetur & prædicat, amat, confidit, orat: fide illuminatur, timore ſubditur, compunctione mollitur, pœnitentia concutitur, confeſſione purgatur, prædicatione zelatur, dilectione dilatatur, confidentia ſperat, oratione impetrat.* Latronis orationem ſic exponit Drogo ſer. de ſacr. Dom. Paſſ. *Memento mei! cujus mei? mei inquam tam indigni peccatoris: iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt, confundor oculos meos ad te levare. Tibi ſoli peccavi, tu ſolus potes me à peccato mundare: malum contra te feci, latro ſum anima mea, miſerere mei, miſerere mei; merito in hanc miſeriam deveni. Secundum miſericordiam tuam memento mei, propter bonitatem tuam Domine* (pſ. 24. v. 7.) *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* S. Aug. ſer. 82. de temp. *Non propter meritum meum ſed propter bonitatem tuam Domine.* Ex his verbis SS. Patrum ego in præſenti materia has formo propoſitiones. §. 5. *Effectus alii hujus mutationis.*

Pœni-

Digitized by Google

§.6. *Vere pœnitentes timent & ardenter orant.*

Pœnitentiam in hac quadrageſima agit, qui mutatus Chriſtum in cruce fatetur, qui ſancto hoc tempore, varia pietatis officia complectitur, qui credit, pœnitentiam agit, cujus cor compungitur, pœnitet & confitetur, cum fiducia & amore, pœnitentiam agit, qui corde contrito & humiliato ardenter orat. Pœnitentiam agit, qui ſancto timore concutitur, ut Deum & Chriſtum Dominum diſtrictum Judicem pertimeſcat.

Verſus 24. pſ.8. *Dulcis & rectus Dominus.* Gloſſa Hugonis Cardinalis. *Dulcis, quia perire non patitur, rectus quia punire non obliviſcitur.* Hinc ille Poeta:

Vbera matris habet, verbera patris habet.

Nullum prorſus peccatum committunt impii, quod Deus non ſevere caſtiget, niſi nos prævertamus per pœnitentiam. Itaque hac concione in iis, qui hac quadrageſima ſeſe in meliorem vitæ frugem recipere cupiunt, timorem ſimul & orationem ardentem requiro.

§.7. *Conſideratio ſeveritatis Patris cæleſtis erga Filium ſuum excitat in nobis hunc timorem.*

Concutiemur verò timore, ſi hoc ſacro tempore Paſſionis conſideremus, quam rigide juſtus Deus in proprio & unigenito Filio puniverit peccata aliena. *In quo* (ut ait Angelicus Doctor S. Thomas 3.p.q.47.a.3.) *oſtenditur & Dei ſeveritas, qui peccatum ſine pœna dimittere noluit; & bonitas ejus in eo, quod cum homo ſufficienter ſatisfacere non poſſet, per aliquam pœnam, quam pateretur, ei ſatisfactorem dedit.* Nam (ad Rom.8.v.32.) *proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Iſaias c.53.v.6. *Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum,* quæ verba alii ſic legunt, *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Super verba illa Chriſti Domini in cruce Matth.27.v.46. *Deus meus ut quid dereliquiſti me,* ait S. Aug. *dereliquit. Quia ſcilicet poteſtati perſequentium eum expoſuit.* Iterum per Iſaiam dicit Dominus c.53.v.8. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* S. Thomas de Villa Nova Conc.3. de Nat. Dom. *O inæſtimabilem divinæ Iuſtitiæ rigorem. Quia homo peccavit, occiditur Deus; & pro hominis culpa Filius Dei unigenitus morte mulctatur. Quid hac ſeveritate ſeverius? quid hac juſtitia humano ſenſu rigidius?*

§.8. *Deus rigo-*

Idem S. Thom. de V.N. citato loco. *A ſæculo non eſt auditum, neque*

Digitized by Google

neque audietur impoſterum talis Juſtitia rigor, qualis in hoc opere monſtratus eſt, monſtratur tremenda ſeveritas in Angelorum punitione, ſed non ſic me hæc ultio turbat, non ſic conſternit, ſicut ea, quæ in hominis delicto facta eſt. Dicam audacter, & licet cum ſtupore, & tremore, tamen cum magna fiducia dicam; ſeverior mihi Domine, parcendo, quam ulciſcendo viſus es, atque plus me hominis pia Redemptio, quam Angeli dura perditio terret. Severiſſimam Dei juſtitiam & rigorem in puniendo peccato, nihil declarare poteſt magis, quam paſſio Chriſti.

rem ſuæ Juſtitia non potuit magis declarare quam id fecerit in Filio ſuo.

§. 9.

Aliqua exempla ſeveritatis parentum erga filios.

Obſtupuit antiquitas aliqua ſeveritatis exempla; Epaminondas Thebanus, ſuum filium ſecuri percuti juſſit, quod contra voluntatem Patris pugnaſſet cum Lacædemoniis, licet Victor triumphaſſet. Ob ſimile crimen Titus Manlius Torquatus Filii ſui Manlii caput ferro præſcindi voluit. Lucius Junius Brutus, cum filiis Tito & Valerio crimen proditionis objectum fuiſſet, ad illos dixit, *age Titi! age Valeri!* ad crimina hæc quid reſpondetis? cum tacerent, dixit ad lictores, *jam reliquæ veſtræ partes ſunt*; mox diræ flagellati, dein ſecuri percuſſi ſunt. Illachrymatus fuit triſti ſpectaculo populus Romanus; ſolus Brutus, Pater, immobilis & ſiccis oculis illud ſpectavit; *Exuit enim Patrem* (inquit Val. Maximus) *ut Conſulem ageret. Orbusque vivere, quam publicæ vindictæ deeſſe maluit.* Ante annos circiter centum, tota Europa obſtupuit factum Philippi II. Regis Hiſp. qui unicum filium Carolum, tot regnorum hæredem morte mulctavit, qua de re conſule inſignem illum Hiſtoriæ de bello Belgico ſcriptorem Famianum Stradam.

§ 10.

Quæ tamen cum illo rigore comparari non poſſunt.

Horribilia ſunt hæc exempla; nihil tamen ad rigorem, quo Deus Filium ſuum morti tradidit, filii illi Conſulum & Regum fuerunt puri homines, fuerunt rei, fuerunt parentibus inobedientes & rebelles, fuerunt pernicioſi populo, ingentia regna, urbes, & provincias conjecerunt in gravia pericula, Chriſtus homo Deus, innocentiſſimus, Patri obedientiſſimus, mundi ſalus, ſine culpa, ſine crimine, ob ſcelera aliena ita fuit percuſſus, itaque (idem S. Thom.) *non mihi inundantem mundum, flagrantes civitates, abſorptos homines* (non pœnas Ægypti, non ſubmerſum Pharaonem &c.) *non infernum, & omnes ejus pœnas objicias, nam ſi mille proponas*

Digitized by Google

gehennas, non ſic expaveſco & contremiſco, ſicut videre Deum pro peccato morientem, & peccati reatum morte ſolventem. S. Auguſt. *Satis aperte conſtat, graviſſimam eſſe malitiam peccatorum pro quibus Deo talis rependitur ſatisfactio.* S. Bern. *Agnoſce O homo, quam gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum Dominum vulnerari.* Origenes. *Filius Dei, pro peccatis mortuus eſt, O Chriſtiane, & te peccare delectat? Deum, O homo, pro peccato conſputum, flagellatum, laniatum, crucifixum vides & peccas?* Et etiam hac quadrageſima non cogitas de pœnitentia.

§ 11. *Si ita caſtigavit ſuum filium quomodo caſtigabit ſuos hoſtes.*

Repetite quæſo ex hactenus dictis illa verba, quibus ſacra ſcriptura & SS. Patres conati ſunt exprimere vindictam, quam Pater cœleſtis ob peccata aliena expertiitâ filio ſuo, non pepercit illi, tradidit illum, contrivit illum, dereliquit illum, expoſuit furori perſequentium, percuſſit illum, occiſus eſt Chriſtus, morte mulctatus eſt. Perpendite hæc quæſo, & animis veſtris præcipua patientis Chriſti myſteria percurrite; videbitis ſudantem, homo propter tua ſcelera! videbitis flagellatum acerrime, O peccator propter tuam luxuriam! videbitis ſpinis coronatum acutiſſimis! O mortalis propter tuam ſuperbiam! propter te O homo, Tu tu in cauſa es, ſi tu non peccaſſes, non hæc & plura alia tormenta ſubeunda fuiſſent innocentiſſimo Salvatori! ſed pergite ulterius, ſi in viridi ligno hęc facta ſunt, quid fiet in arido: niſi pœnitentiam agatis, quomodo Deus parcet; quomodo vos conteret, ſi in cruce dereliquit filiũ ſuum, quare vos in anguſtiis mortis non derelinquet? S. Paulus ad Rom. 4. v. 24. *Filium ſuum propoſuit Deus propitiatorem, in ſanguine ſuo, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ:* nobis quid fiet, niſi pœnitentiam agamus, niſi peccata caveamus impoſterum.

§. 12. *Tantus rigor, ſive illa quæ Chriſtus Dominus pati debuit, debent nos deterrere à peccato.*

Inter cauſas, ob quas SS. Patres ſuadent memoriam Paſſionis Chriſti, pulchram invenio apud Euſebium Gallicanum hom. 2. de ſymbolo. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non ſolum divinitatem, ſed etiam crucem & mortem ſuam poſt futuris ſæculis, voluit celebrari, ut à peccatis, propter quæ moriebatur, non ſolum nos Dei mandata revocarent, ſed illata pro nobis ſupplicia & vulnera deterrerent.* Nolite itaque mirari Auditores, ſi per hanc quadrageſimam, ſi cum S. Paulo mentionem faciam Chriſti crucifixi, nam ſi dicam ſudaſſe ipſum

ipſum ſanguinem, cupio ut ſanguineus ſudor à peccatis vos deterreat; ne & vos aliquando comprehendant anguſtiæ mortis. Cũ in mediũ adduco columnam illam marmoream, cui nudus alligatus fuit Jeſus & crudeliſſime flagellatus, deſidero ut hæc cruenta flagella vobis horrorem luxuriæ injiciant. Cum conſiderãdas offero ſpinas, quid aliud deſidero, niſi ut, dum acumina, puncturaſque miramini, miremini etiam ſcelerum veſtrorum ac potiſſimum ſuperbiæ enormitatem atque crudelitatem, unde hi dolores &c. *Accedat obſtinatus peccator*, ait Tilmannus in Alleg. *& videat Chriſtum Dominum propter ſe mulctatum morte, turpatum cruce, ſputis illitum, plagis lividum, ſpinis coronatum, lancea perforatum, & eſſe adverſarius erubeſcat*; Addo ego, & pertimeſcat. S. Cyprianus de Paſſ. Dom. *ſine hoc holocauſto poteras Deus tantum condonaſſe peccatum, ſed ne facilitas veniæ laxaret habenas, peccatis effrenibus, quæ etiam Chriſti vix cohibent Paſſiones, quæ vix ſceleratos animos à voluptatum face evellunt, tanta pati voluit.* Utinam hodie non invenirentur tales peccatores! omnibus ſceleribus laxantes habenas, etiam in quadrageſima, effrenes! Vulnera Chriſti, immania ejus tormenta &c. non ſatis ſunt efficacia, ut illorum ſcelera cohibeant &c. quid medii? tentare debent Concionatores, an timore pœnæ tales concutere poſſint! optarem hoc apud ſe cogitarent, ſi juſtus Deus ſcelera aliena in filio ita caſtigavit, quid nobis fiet?

§. 13. *Quantum Deus horreat peccatum cum effectu admirationis, quod nihilominus peccamus.*

Tantum enim Deus abhorret peccatum (S. Bonav. in ſtim. d. am. 1. p. c. 7.) *ut potius mortem filii, quam peccatum ſuſtineret; magis illi placuit filium tradi cruci, quam dedecus peccati ſuſtinere.* Voluit effundi omnem ſanguinem filii ſui, dummodo à culpa peccati homo mundaretur; quia corpus peccati deſtrui non potuit, niſi per mortem filii, ut homo viveret, voluit filium mori. Quid dicis peccator? agnoſcis ex Chriſti Paſſione, quantum Deus horreat peccatum, & quantæ ſit malitiæ; Luciferum deturbavit ex cœlo; primos parentes ejecit ex paradiſo, mundum fere totum delevit diluvio, accendit Sodomam &c. quid amplius? cauſa fuit, quod Filius Dei tam atrocia debuerit tormenta ſuſtinere. *Mirum eſt, mirum eſt!* exclamat Sanct. Bonavent. *quomodo homo nimio ti-*

more non continuo tremit coram Deo, quem offendit, ſicut tremit populeum folium, quod à magno vento movetur, deberet quaſi in cinerem & terram præ timore reſolui. S. Ephrem Syrus de Paſſ. Dom. *Contemplaris, O homo, immaculatiſſimum Dominum in cruce ſuſpenſum, audesque, O impudens & infelix homo, in deliciis ac riſu univerſum vitæ tuæ tempus in terris tranſigere? An neſcis, O miſer & impudens, quod de his omnibus negligentiis, atque deſpicientiis rationem abs te exiget crucifixus pro te Dominus?* Miſer peccator! hinc conſcientia tua te flagellat, ob tuam ſuperbiam: hinc ob oculos tuos obverſatur Chriſtus pendens in cruce, hic rogat, orat, ut hac quadrageſima convertaris. Niſi id facias, minatur dira &c. Mirum eſt, mirum eſt! quod timore non concutiaris.

§. 14. *Timori conjungenda eſt humilis & ardens oratio.*

Si per Dei gratiam aliquis ex meis Auditoribus telo ſalutaris hujus timoris percuſſus eſſet, is mox cum Cananæa confugiat ad Chriſtum, & ferventer oret; ſancta & ardens oratio, eſt optima diſpoſitio ad pœnitentiam, & unus ſimul ex præcipuis ejuſdem effectibus. Quicunque gravitatem ſcelerum agnoſcunt, & periculoſiſſimum ſtatum, in quo verſantur; in timore & anguſtiis, ne iratus Deus ſtatim nos tradat inimicis noſtris, dicere poſſunt cum ſanctiſſimo Rege Joſaphat 2. Paral. 20. v. 2. *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus reſiſtere huic multitudini, quæ irruit ſuper nos.* (Dicamus nos: ex nobis pro tantis ſceleribus ſatisfacere non poſſumus, in nobis non eſt illa fortitudo, ut peccata imposterum caveamus &c.) *Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* De S. Dominico ait ejus vitæ Auctor. *Sæpe coram crucifixo ſe proſternebat in terram, exemplo Chriſti orantis in horto, & in corde ſuo compunctus, ſe ipſum erubeſcens, aliquando etiam alte dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori.* *Quæ oratio ut efficax ſit, duo oranti ſunt neceſſaria* (inquit S. Thomas) *ſcilicet, fervens affectio, item dolor & gemitus.* Et Chriſtus Dominus orans in horto hæc duo habuit, nam preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſalvum facere à morte, obtulit, cum clamore valido, & lachrymis. Hoc Chriſtus Dominus fecit, quam diu vixit in terris, ſed præſertim in fine vitæ, in cruce. Meditantur SS. Patres, pium latronem jam converſum & mutatum

tum in corde ſuo, ſtatim elevaſſe oculos ſuos ad Chriſtum in cruce, uſumque voce triſti, lamentabili cum ſingultibus, ſuſpiriis, & calidiſſimis lachrymis, Et in ſignum emolliti cordis, contriti & humiliati Spiritus, pronuntiaſſe ſuam oratiunculam: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.*

Hic mihi iterum occurrit dictum S. Aug. ſer. 45. *Poſitus in patibulo verus arbiter in medio damnatorum, negantem latronem repulit, ſuſcepit confitentem. Hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Per hoc ergo credamus in majeſtate judicaturum, quem jam in cruce videmus, & miſericordiam exercere, & judicium.* Verum cur hic deſtinatus fuit ad gehennam, alter ad paradiſum? Huic quæſtioni melius reſpondere non poſſumus, quam ſi dicamus cum S. Paulo ad Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum*; addunt tamen aliqui SS. Patres, alter perſeveravit in blaſphemiis ſuis, blaſphemus obiit in cruce, ideo ardet in inferno. Pius latro mutavit mentem ſuam, timuit & ardenter oravit. Sic humili oratione ex contrito corde promeruit paradiſum. *§. 15. Cur alter latronum ſalvatus, alter damnatus.*

Soli Deo notum eſt, quinam ex meis Auditoribus re ipſa in infelici ſtatu peccati mortalis verſentur. Ante omnium oculos in cruce pendet omnium arbiter & Judex. Spero aliquos per hanc quadrageſimam acturos ſeriam pœnitentiam, & proinde recipiet illos Chriſtus Dominus, & deſtinabit ad paradiſum. Sed ah! timeo, ne aliqui etiam perſeveraturi ſint in malo, hos idem Chriſtus fortaſſis deinde reprobabit, repellet, & detrudet ad tartara. Si, Auditores amantiſſimi id ſolatium deſideretis, ut ſperare poſſitis vos ſalvandos; ſi contra cauſam percipere cogitandi & timendi vos æternum damnandos, ad hæc tria attendite: An timeatis Deum? an abhorreatis ab omni peccato mortali? an ferventer orationi vacetis? Hoc, hoc demum eſt, veros dignoſque facere fructus pœnitentiæ. Ite nunc ſuam quiſque domum Auditores, ſed non ſine pœnitentia: in exitu è templo ſalutate morientem in cruce Jeſum, ſed non ſine pœnitentia ſalutate, in via domum verſus cogitate de acerbiſſimis filii Dei doloribus patientiſſime toleratis, ſed non ſine pœnitentia cogitate: ſic utilis, ſic efficax, ſic ſalutaris mea erit hæc Concio. *§. 16. Epilogus.*

CONCIO XVI.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Ieſus ejiciens dæmonium.

Luc. 11. c. v. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DIabolus eſt, qui obſtinatis peccatoribus ſuadet procraſtinationem pœnitentiæ, in ſuprema deinde lucta, cum moriendum eſt, acriter illos oppugnat, cum manifeſto periculo æternæ damnationis.

§. 1. *Obſtinatio peccatoris eſt clavus, Chriſtum denuo affigens cruci.*

§. 2. *Quem Auctor hac concione conatur evellere.*

§. 3. *Quod Satan conatur impedire, aſtuta vulpes, deinde ſævus leo.*

§. 4. *Elegans dictum S. Siviardi Ab. in agone.*

§. 5. *Diabolus morientibus duplicem ponit laqueum.*

§. 6. *Diabolus eſt vulpes, variis utitur fraudibus.*

§. 7. *Periculoſa eſt procraſtinatio.*

§. 8. *Cur mare rubrum præbuerit tranſitum Iſraelitis? non Aegyptiis.*

§. 9. *Dies craſtinus eſt incertus: multi improviſo moriuntur.*

§. 10. *Futura omnia ſunt incerta & dubia.*

§. 11. *Obſtinatos peccatores in agone acriter oppugnat diabolus.*

§. 12. *In agone morientis impii, infernalis corvus, mutat ſuam cantilenam.*

§. 13. *Et illum aggreditur tentationibus inſolitis. Etiam impios.*

§. 14. *Diabolus aſtat morienti impio, veluti ferociens leo.*

§. 15. *Apoſtrophe ad peccatorem.*

§. 16. *Ita-*

Digitized by Google

§.16. *Itaque oportet illas tentationes prævenire.*
§.17. *Etiam electis in agone apparet viſibiliter diabolus: qualis non apparebit impiis? ſtultus eſt, qui ante illum agonem non agit pœnitentiam.*

IN meditatione pſ. 21. quem omnium opinione Chriſtus Dominus oravit pendens in cruce, & præſertim ſuper illa verba, ſive verſum jam citati pſalmi, *Deus, Deus reſpice in me, quare me dereliquiſti*; v. 20. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me*, & ſuper verſum 12. pſalmi ejuſdem, *Ne diſceſſeris à me, quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt, qui adjuvet.* Hugo Card. per tribulationem intelligit Judæorum *blaſphemias*. Dion. Carth. *totam paſſionem*. Bellarminus, *inſtantem mortem*. S. Auguſt. *ingratitudinem populi*, nominat tribulationem, in hæc verba refert S. Thereſia, perſonæ cuidam Religioſæ, quod cum illa perpenderet non ſine affectuoſa quadam compaſſione, & ſollicitudine pia an non ſit modus conſolandi & adjuvandi Jeſum in tanta tribulatione conſtitutum, apparuerit illi Chriſtus Crucifixus, & his ipſam Virginem fuerit allocutus; *Filia mea! ſi vis me conſolari, ſi meis doloribus condoles, tolle hos tres clavos, quibus ingrati mortales meas manus & pedes denuo cruci affigunt. Mi Ieſu! quinam ſunt illi clavi, quos me vis tollere?* Reſpondit piiſſimus Salvator, *unus clavus eſt, quod mortales, quos adeo dilexi, pro quibus tanta paſſus ſum, me non redament. Alter clavus eſt ingratitudo illorum pro tantis beneficiis, quæ in illos contuli. Tertius clavus graviſſimus & acutiſſimus eſt obſtinatio quorundam peccatorum in malo. Filia mea, hos clavos, ſaltem quod te concernit, tolle ex meis Vulneribus, Ama me, eſto grata, & age pœnitentiam.* §. 1. *Obſtinatio peccatoris eſt clavus Chriſtum denuo affigens cruci.*

Ex his adverto Spiritum S. quia initio hujus quadrageſimæ ſanctam mihi injecit mentem prædicandi pœnitentiam, velle, ut ego indignus terræ vermiculus, meos Audit. adhorter, ut (ſi tamen compatiantur tribulationi Chriſti patientis) hos clavos tollant ex eius manibus & pedibus, id eſt, ut illi, qui hactenus Chriſtum Dominum non amarunt, hac quadrageſima incipiant ardentem exhibere §. 2. *Quem Auctor has concione conatur evellere.*

hibere amorem, ut qui hactenus ingrati fuerunt, pro beneficio humanæ Redemptionis, hac quadrageſima gratitudinem oſtendant, ut qui hactenus vixere obſtinati in malo, hac quadrageſima ad veram denique pœnitentiam convertantur. Advertitis Auditores? Impœnitentia eſt clavus, quem jam binis Concionibus conatus ſum evellere ex pedibus Jeſu mei crucifixi; quia quantum potui, adhortatus ſum omnes, ne cum tanto ſalutis periculo hanc quadrageſimam ſine vera pœnitentia præterire permittant.

§. 3. Quod impedire conatur Satan aſtuta vulpes, & deinde ſævus leo.

Verum cum non neſciam, opponere ſe meis conatibus, potentem adverſarium, quem S. Lucas in hodierno Evangelio appellat *dæmonium mutum: Principem dæmoniorum Beelzebub, Satanam*, Chriſtus autem Salvator noſter ipſum *fortem, armatum, immundum Spiritum, cum aliis ſeptem nequioribus ſe*; qui omnes laborant ut atrium humani cordis, quod ſemel poſſederunt, cuſtodiant, ut in eo permaneant ſine damno, conabor hac concione oſtendere meis Auditoribus, hanc eſſe unam ex fraudibus & dolis aſtutiſſimi diaboli, ut impediat pœnitentiam, ut ſic illis, qui in gravia ſcelera prolapſi ſunt, & prolabuntur, quotidie perſuadeat illius dilationem; qua in parte Diabolus eſt infernalis ille corvus, qui conſueta ſua cantilena, *cras, cras*! de menſe in menſem, de anno in annum impios lactat inani ſpe ſeræ & ſeriæ pœnitentiæ, quam tamen juſto Dei judicio agunt nunquam. Hoc oſtendo.

§. 4. Elegans dictum S. Siviardi in agone.

Ante biduum prima Martii celebravimus feſtum S. Siviardi Abbatis, qui in mortuali lectulo ad circumſtantes dixit, *in hoc articulo videbit quivis, quam bene nobis voluerit Deus*! ſed arbitror ego id futurum cum hac differentia; Boni illud agnoſcent cum gratiarum actione, cum actibus intenſiſſimi amoris erga tantum benefactorum, illa cognitio illis erit cauſa magni ſolatii, ſpei, fiduciæ, & lætitiæ. Impii, & procraſtinatores pœnitentiæ idem agnoſcent quam bene illis voluerit Deus, quam bene Chriſtus Dominus, ſed nimis ſero; ſimul agnoſcent, quam fuerint ingrati, quam enormiter illum offenderint, & eadem cognitio ingentem illis timorem, ac deſperationem injiciet. O ſi hodie omnes mei Auditores, O ſi hac quadrageſima agnoſcerent, quam bene nobis velit

Digitized by Google

velit Chriſtus Dominus Salvator noſter! ſed ne id agnoſcamus, dum occaſio eſt pœnitendi, omni ſtudio allaborat diabolus.

Et hoc eſt, quod nos pulchre docet D. Fulgentius. l. 1. de remiſſ. pec. his verbis; *Bicipiti laqueo frequenter diabolus captivat incautos, ut aut ſpe vana futura remiſſionis obtuſi* (elegans eſt hæc vocula, *obtuſi*, quia eleganter depingit illos, qui in periculoſiſſimo ſtatu peccati mortalis, licet audiant ardentem concionem de morte &c. licet oculis illorum proponatur Chriſtus pendens in cruce, licet adhibeantur obteſtationes per vulnera & ſanguinem Chriſti, ut hac quadrageſima agant pœnitentiam, licet illis explicentur, & monſtrentur laquei diaboli; nihil moventur, obtuſi & immoti manent ut ante, in quadrageſima peccant ut in Bacchanalibus, hac una ſpe lactati, quod velint adhuc reſipiſcere) *ut ita inſtigante diabolo obtuſi nolint juſtitiæ timore converti; aut remiſſionem omnimodis deſperantes, converſionem negligant, & habenas iniquitatibus relaxantes, dum deſperant pœnitentiam, currant præcipites in gehennam. Ac ſic ille callidus humani generis inimicus, alios deſperationis temeritate præcipitat, alios autem fallacis ſpei deceptione ſupplantat.* Sic contingit, ut immundus ille Spiritus atrium cordis, quod poſſidet, cuſtodiat fortiter. Vocat in auxilium ſodales immundos, adhibet proximas peccandi occaſiones, adhibet quaſcunque poteſt illecebras, illas potiſſimum, quæ ex impura Veneris & Aſmodæi officina proveniunt; Tunc illas omnes machinas tam cito, tam facile, tam dextre eludes? & tunc eludes, cum hæres ipſo in limine æternitatis tremendæ? tunc eludes, cum mille tibi tremores, curæ, ſcrupuli, anxietates frigidum mortis ſudorem expriment? O miſer, falleris, falleris! nunc, nunc age, nunc dies ſalutis, nunc tempus acceptabile. §. 5. *Diabolus morientibus duplicem ponit laqueum.*

Lyſander (ipſiſſimus aſtutiæ pullus) dicere fuit ſolitus teſte Plut. in Lacon. ubi quod vellet, non aſſequeretur leonis exuvium; ibi vulpinum applicandum eſſe; ſignificans, quod honeſtis rationibus perſuaderi non poſſet, id fraude doliſque perficiendum eſſe. Hæc regula prodiit ex ſchola Satanæ, ipſe enim in oppugnandis hominibus jam leo, jam vulpes eſt. Leo, cum palam impios ad malum provocat. Vulpes eſt, cum illos, quos aperta fallacia non §. 6. *Diabolus eſt vulpes, variis utitur fraudibus.*

poteſt ſubruere, fallacia id tentat, ſatis bene armatus, quando pulchris ad ſpeciem argumentis, perſuadet nocitura; quale eſt, cum denique à flagitioſis hominibus id impetrat, ut converſionis ſuæ initia rejiciant in finem vivendi, aut ſaltem in ſequentes dies, in ſequentem quadrageſimam, qua fortaſſis non amplius vivent, ſed jam tum ardebunt in gehenna. D. Anſ. ep. 1. *Qui differt in futuram, & forſitan non futuram ætatem, ſuam vitam corrigere, certum bonum dimittit pro dubio* (jam v.g. certum eſt, quod per Dei gratiam, quæ non deeſt, poſſis confiteri &c. dubium verò eſt, an in agone illam occaſionem ſis habiturus.) *Et ita contemnendo, quod perdit, probat ſe non amare, quod exſpectat, & meretur non accipere.* Quod cum non lateat diabolum, ſuadet omni modo dilationem pœnitentiæ.

§ 7. Periculoſa eſt procraſtinatio.

Auditores! faciendum eſt cito, quod ſemel faciendum eſt pro æternitate! Periculoſa eſt procraſtinatio; peſſima eſt hæc conſecutio, & à Magiſtro dæmone profecta; aliqui, per omnem vitam ſceleſti, reſipuerunt in fine vitæ, in ſenectute, & flammas inferorum evaſerunt, igitur pari facilitate & fortuna non diſſimili, poterimus cras, poterimus olim in ſenio, in ægritudine, poſtrema ætate, ultima horula, uno momento ad mentem & Deum redire, poterimus confiteri & Salvatoris pretioſo in ſanguine lavari, ſed heu! non ſemel talia conſilia & cogitationes funeſtum habent exitum, quia quem tandem conantur evadere interitum, in fuga tandem, in anguſtiis inveniunt, pari cum Ægyptiis infortunio.

§. 8. Cur mare rubrum præbuerit tranſitum Iſraelitis, hauſerit Ægyptios?

Hi, ut in Pentateucho meminit Moyſes Exod. 14. v. 25. cum fugitivos è terra ſua Judæos, uſque ad maris rubri initia, hoſtilibus copiis premerent, novoque ac plane inſolenti miraculo, aquæ in diverſa abeuntes, viam Iſraeli patefacerent, ſtatuerunt concordi ſententia, elapſos per idem maris vadum perſequi; rati, non ſibi minus, quam illis fluctus propitios fore, & in ſtatione ſua perſeveraturos, donec erupiſſent, ſed decepit ſpes ſua Ægyptios. Quod Hebræis ſingulari beneficio à Numine conceſſum fuit, ipſis negatum eſt. Et tum demum ſe perperam concluſiſſe viderunt, quando aquis undique involuti, animam diris execrationibus plenam in pelagus exſpuerunt. Sic eſt, multi peccatores in rubro mari ſanguinis Chriſti, per ſacramentum pœnitentiæ abluti ſunt à culpis

ſuis;

Digitized by Google

ſuis, evaſere periculum æternæ damnationis feliciter, ſed unde tu ſcis, quod ſolus Deus ſcit, an in tua morte ſis futurus Hebræus, vel Ægyptius?

Quod faciendum eſt pro æternitate, faciendum eſt cito & ſerio: ſine induciis, quas ſuadet diabolus. Magni ponderis cauſam affert D. Ephrem. orat. de iis, qui in Chriſto dorm. *Multi dum multa ſecum ſtatuerunt, ad craſtinum non pervenerunt. Subito rapti ſunt* (ſcilicet à repentina morte) *ſicut pſſerculi ab accipitre, & velut agni* (vel dicamus hirci) *à lupo, & quaſi captivus à latrone, nec loqui prorſus valentes, nec vocem ullam edere.* Diabolus qui antea fuit ſuaſor induciarum, momento fit accipiter, lupus & latro. *Alii veſperi cubitum ſani & incolumes concedentes craſtinum mane non viderunt. Alii ad menſam accumbentes exſpirarunt.* Miſer! ſceleſte, obſtinate peccator, quid ſi hac adhuc quadrageſima juſto Dei judicio id contingat? dum Beelzebub habitat in atrio cordis tui, ſi bonus Jeſus hac quadrageſima permittat ita te mori in actuali tua luxuria, in actuali tuo odio &c. Ille accipiter, ille infernalis lupus & latro quid faciet?) *alii inter ambulandum & ludendum repente ſunt mortui, alii in conviviis ſubito atque inopinato abrepti ſunt.* Quo aſtantium ſtupore atque terrore? horreo, contremiſco toto corpore, quoties memini miſerandi ſpectaculi, in quo dum vir in dignitate conſtitutus aſtanti (aſtiti & ego) vitrum voluit propinare in ſanitatem magni Principis, apoplexia tactus corruit, intra unum miſerere exanimis. Vir tamen pius, & zelator divini cultus. Miſer! obſtinate peccator! conſidera an in illo ſis ſtatu, ut ſi Deus permitteret te hac quadrageſima ita mori, ſalvum te fore exiſtimes. Si verò mors te occupet, dum diabolus poſſidet atrium cordis tui, quid fiet?

§. 9. *Dies craſtinus eſt incertus. Multi improviſo moriuntur.*

Serio & cito agendum eſt, quod ſemel faciendum eſt pro æternitate! quia ut bene monet Seneca ad Paulinum de brevitate vitæ; *maximum bene vivendi impedimentum eſt exſpectatio, quæ ex craſtino pendet. Perdis hodiernum quod habes* (ſtulte! hanc quadrageſimam vis perdere?) *& quod in manu eſt fortunæ, diſponis? quod vero in tua eſt, dimittis? quid exſpectas? quo tendis? omnia quæ ventura ſunt, in incerto jacent.* Hoc certum eſt; modo dum acriter oppugnamur à diabolo; licet modo circumeat ut rugiens leo, per Dei gratiam illi poſſumus reſiſtere: hoc quoque certum eſt;

§. 10. *Futura omnia ſunt incerta & dubia.*

ſupremum agonem fore illud tempus, quo calcaneo noſtro totis viribus & aſtutia ſua nobis inſidiabitur. Apoc.12.v.12. *deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet.* Hæc certa ſunt, illud incertiſſimum, an nos habituri ſimus illas vires, illam gratiam, illa efficacia media, quæ neceſſaria ſunt ad victoriam.

§. 11. *Obſtinatos peccatores in agone acriter tentat diabolus*

Dionyſ. Carthuſianus piiſſimus Auctor, ut oſtendat, quam periculoſam olim ſit ſubiturus aleam, amator flagitiorum, ſceleriſque inveteratus ſectator, in 1. l: de 4. Noviſſ. hoc argumentum tractandum proponit; *quod mors ſit vehementer, ac jugiter metuenda propter periculoſiſſimas, atque graviſſimas tentationes diaboli, quas habere ſolent agonizantes, mox morituri. Nam callidiſſimi, atque nequiſſimi hoſtes animarum noſtrarum dæmones, agnoſcentes mortem eſſe terminum merendi ac demerendi, & animas in ea affectione, in qua per mortem recedunt à corporibus, immutabiliter permanere, in ipſa hora mortis acerrime tentant agonizantes.*

§. 12. *In agone morientis impii infernalis Corvus mutat ſuam cantilenam.*

Pergit deinde Dionyſius eleganter deſcribere genium aſtutiſſimæ vulpis. *Dum homo eſt ſanus, perſuadet ei diabolus, quod Deus vere & infinite miſericors eſt, & pœnitentiam hominis etiam in fine vitæ acceptet, interim non eſſe tam grande, ut fertur periculum. Sed hora mortis imminente (*aſtuta vulpes fit rugiens leo*) ſuggerit homini Deum inflexibilem, ac prorſus juſtiſſimum eſſe; nullumque peccatum manere inultum, & pœnitentiam ex timore procedentem eſſe inutilem. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriam univerſa peccata, quæ fecit, & quanta bona amiſit, ſcelera vero exaggerat vehementer, & præſertim quæ homo confeſſus non eſt, ſicque multos ad deſperationis pertrahit laqueum, quos ante ad præſumptionem, ſecuritatem, negligentiamque induxit.* Hæc illa eſt tentatio, quæ complures in illa hora graviſſime vexat, ſicut & quidam à morte reſuſcitati teſtati ſunt, *quod abſque ſpeciali, & gratioſo Dei auxilio, nequeat ſuperari.* Fare obſtinate peccator, quis tibi promiſit hoc auxilium? hanc gratiam?

§. 13. *Et illum aggreditur tentationibus inſoli-*

Memini me ante annos viginti aliquot adfuiſſe agoni viri Chriſtiani, & pii. Horrenda viſu fuere terribilia ſigna in corpore exteriore, fremitus dentium, agitatio capitis, gyratio oculorum, erumpens undique ſudor, horrendum fuit audire ſingultus &

Digitized by Google

ſuſpiria, ex quibus colligimus morientem & luctantem cum morte vexari à Satana tentatione non modica, cum certe loqui, licet ſibi præſens, non poſſet, tandem creta in nigra tabula aliquos formavit characteres, ex quibus Confeſſarius poſt varias conjecturas & quæſtiones collegit, à dæmone illi objici, non eſſe baptizatum, & proinde ſalvari non poſſe, ſublato hoc ſcrupulo vir pius piiſſime obiit. Et vos obſtinati peccatores! cum in veſtro agone diabolus vobis objiciet infandas veſtras luxurias, tot occultas libidines &c. quid reſpondebitis? Cito & ſerio, hac quadrageſima cogitate de ſeria confeſſione & pœnitentia. In illo agone infernalis Beelzebub ſuum atrium fortiter cuſtodiet. Tentationes illius erunt terribiles. *tis. Etiam pius.*

Obverſatur hic mihi ille leo, qui in Hollandia exaſperatus à ſuo Magiſtro, aſſuetæ manſuetudinis oblitus, herum ſuum non cogitantem, valido ictu humi afflixit; ſed non valuit notus Poetæ verſus, §. 14. *Diabolus aſtat morienti impio veluti ferociens leo.*

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.

Enim vero ut vidit beſtia ante pedes ſuos hominem in terra effuſum, & conſternatam mentem, & triſtem vultum, nihil tamen miteſcere cœpit bellua, ſed inter ſcintillantes oculos, jubas in horrorem arrigere, ſubjectum cauda ſolum flagellare, nudare dentes, hiare faucibus, & totus in rabiem armari viſus fuit, cum ingenti horrore circumſtantium. Interim miſer homo, ſolo timore exanimatus, in ſingula momenta exſpectavit mortem; fuerunt ex aſtantibus, qui ante leoninas fauces & ad beſtiæ pedes projecerunt canes, agnos; ſi modus eſſet leniendi feram, & abſtrahendi ab intentatis minis. Sed nullam illa præter humanam carnem viſa fuit eſurire; ita ſtetit pertinax, irretortis in magiſtrum ſuum oculis, & jam jam invaſuro ſimilis. Quia unica hæc ſpes liberandi hominis ſupererat, ſi leo occubuiſſet, inſignis jaculator beſtiæ caput feliciter certoque ictu trajecit; ſed illa cadens ſimul pectus moderatoris ſui, infixis crudeliter unguibus in partes dilaceravit; factumque eſt, ut cadaver cadaveri ſuperincumberet confuſo ſanguine, belluino & humano.

Digitized by Google

§. 15. *Apoſtrophe ad peccatores.*

O obſtinate peccator, heus miſer! cave ne tecum olim ſimilis ludatur Tragœdia; non fruſtra monuit S. Petrus ep. 1. cap. 5. v. 8. *Fratres ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.* Et profectò, ſi hoc accidat, ut diu & moroſe impius, denique inter flagitia, in ſupremo agone, juſto Dei judicio incidas in ungues hujus leonis, cum hæc beſtia unice id aget, ne rictũ ſuum, faucesq; effugias: Miſer! cum ſtygius hic leo, minitabundis oculis inſtabit, terroribus urgebit, cum infernalibus ſuis dentibus, tuam conſcientiam mille ſcelerum ſibi conſciam, dilacerabit, dilaniabit, cum omnibus modis tibi ſuadebit deſperationem! peccata tua fuiſſe nimis grandia, numeroſa, enormia, divinæ bonitati intolerabilia, nihil reſtare, niſi ignes inferni, & miſerandam æternitatem! Inter ejuſmodi tentationes, quis pallor occupabit morientis frontem? quantus fluet ſudor? quali trepidatione fluctuabit animus? quæ perturbatæ mentis erit confuſio? O terribilem leonem! O miſeram animam trepidantem exire è corpore! O lanienam conſcientiæ! O Judicem! O Infernum! Ex his concludite, ſi ſanæ eſtis mentis, periculoſum admodum eorum fore mortalium ultimum cum Satana luctum, quibus dum pœnitendi occaſio oblata fuit, v. g. hac quadrageſima, verſipellis vulpes, non prius agere pœnitentiam, quam ſenium fuerint aſſecuti, perſuaſit.

§. 16. *Itaque oportet illas tentationes prævenire.*

Certe res eſt plena metu, tunc cum hoſte ſtygio confligere velle, & congredi pro ſumma rei, totaque adeo æternitate, homines imbelles, inexcitatos, multis annis graviſſimis ſceleribus velut vulneribus ſauciatos, dudum ſervos & mancipia diaboli. Profectò optarem monitum Dionyſ. Carth. quod mox ſubjiciam, aureis characteribus omnium Auditorum meorum cordibus inſcribi. *Itaque* ait, *contra omnia tentamenta, oportet agonizantem eſſe munitum; & niſi ante infirmitatem ſuam fuerit contra hæc armatus virtutibus, & uſu ac arte pugnandi, contra inviſibiles hoſtes inſtructus & exercitatus, aut vix aut non prævalebit tempore mortis: niſi forſan, ex valde ſpeciali & gratioſo Dei auxilio, & Angeli ſui ſancti, ſeu glorioſæ Virginis, ſeu Matris ejus Beatiſſimæ Annæ, aut aliorum ſanctorum præſidio.* Etenim Deus piiſſimus & Angeli ejus ac ſancti, in hora tantæ neceſ-

Digitized by Google

neceſſitatis non deſunt Electis, ſed (notate quæſo ſubſequentia verba) prout ante aliquo modo promeruerunt agonizantes, ſic eis ſubveniunt. Sic ego hæc verba intelligo. Neminem eſſe puto, qui ante mortem non cupiat ſinceram facere confeſſionem, itaque dum ſani ſumus, aſſuefaciamus nos, ut ſubinde per annum, præſertim in quadrageſima talem Confeſſionem inſtituamus. Neminem eſſe puto, qui in illa lucta non optet latere in Vulneribus Salvatoris: Itaque nunc ad illa nos recipiamus; nunc in illis noſmet & animas noſtras, & corpora, & quicquid eſt in pretio, occultemus, nam ſi cum bellum pertimeſcitur, in vicinam artem, munitumve caſtellum theſauros ſuos convehunt ſolliciti mortales, cur nos non idem faciamus, cum inſtet crudelis animarum hoſtis, crudele parans bellum, ſalutis direptionem crudelem. S. Elzearius Comes. *Magna eſt*, inquit, *dæmonum vis, ſed eam penitus enervant virtus & merita Paſſionis ſacroſanctæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Quod ſi ſanctos Patres conſulo, illud compluribus indubitatum eſſe comperio, etiam electis in ultimo agone viſibiliter dæmones apparere. Dion. Carth. part. 1. de morte art. 3. *Et id mortem reddit vehementer terribilem, quod unicuique morienti malignus ſpiritus in ſua turpiſſima ſpecie creditur apparere, cujus aſpectus quam ſit terribilis ſatis exprimi non poteſt.* S. Martinus diabolum ſibi aſtantem vocavit cruentam beſtiam! O leonem! O draconem! Florentio cuidam morituro, terrifica ſpecie apparuit Satan, viſuſque eſt ore vaſtam flammam, naribus fumum ſulphureum fundere. B. Opportunæ jam animam efflaturæ, adfuit ferociens cacodæmon nigerrimi Æthiopis habitu, capillis & barba quaſi liquidam & accenſam picem ſtillantibus; oculis ferrum ignitum mentientibus. S. Odilo poſt mortem ſocio certum oſtendit angulum & dixit, *hic in ipſa deceſſionis meæ hora, vidi figuram quandam trucem nimis, atque terribilem, quæ mihi teterrima ſuæ viſionis horrorem, atque formidinem tentavit incutere. Sed Chriſti confortante virtute, nulla potuit mihi infeſtatione nocere.* Si talis permittente DEO Satan appareat electis in agone, ad tentandum illos, qualis apparebit reprobis, ſceleſtis? Age dic peccator obſtinate! ſi

§. 17. Etiam electis in agone viſibiliter apparet diabolus: qualis apparebit impiis. ſtultus eſt, qui non ante illum agonem agit pœnitentiam.

justo

juſto Dei judicio, jam jam, hoc momento, in hac quadrageſima, repentina te mors occuparet, qua ratione tam terribilis beſtiæ evades ungues? in actuali peccato! Idcirco (S. Chryſ. t. 2. hom. 54. in c. 16. S. Matth.) Idcirco terribiles viſiones narrare ſolent morituri; quarum ſpeciem nullo modo ferentes, & lectulos plerumque ipſos, magno jacentes impetu concutiunt; & torvis eos, qui adſunt, aſpiciunt oculis: vel quia vi reſcinditur à corpore reluctans anima; vel quia ſpirituum ſpeciem perferre non poſſunt. Si enim terribiles intuiti homines, metu concutimur, quid faciemus cum minaces angeli, & reſcindentes animam à corpore virtutes, nos invadent? Tumne erit tempus agendi pœnitentiam? cum infernales larvæ, lectulum morientis oberrantes, jam formidabilem urſum indutæ, jam ſævum leonem, jam ferocientem lupum, jam draconem venena ſpuentem objicient? ſileo! equidem ſpero, hac concione graviſſimas rurſum protuliſſe me cauſas, quæ movere vos jure meritiſſimo debeant, ut hac quadrageſima dignam ſcelerum pœnitentiam agatis. Nemo credat, nemo nimium fidat vulpi Tartareæ.

CONCIO XVII.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Abiit Ieſus trans mare.

Joan. 6. c. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit periculoſum ſtatum ſacrilege confitentium. Vivunt in poteſtate diaboli; qui fauces illis occludit: decipiunt ſe miſere & Confeſſarium: nullo bono opere merentur gratiam & gloriam, denique infeliciſſime moriuntur.

§. 1. *Com-*

Digitized by Google

§.1. *Communionem Paſchalem debet præcedere digna Confeſſio.*
§.2. *Admiranda converſio magni peccatoris, diu conſtituti in poteſtate diaboli.*
§.3. *Duplex Apoſtrophe: ad Ieſum, & obſtinatum peccatorem.*
§.4. *Diabolus eſt lupus, vulpes, & milvus, nos Agni.*
§.5. *Pulli & columba.*
§.6. *Hiſtoria declarans miſerum ſtatum ſacrilege confitentium.*
§.7. *Idem declarat alia Hiſtoria ex c.10. Ioſue.*
§.8. *Ejuſdem applicatio ad ſacrilege confitentes.*
§.9. *Ante Confeſſionem fodiendus eſt paries cordis.*
§.10. *Quam miſere ſe decipiant ſacrilege confitentes.*
§.11. *Sacrilegi tales nihil merentur quocunque bono opere.*
§.12. *Tandem infeliciter moriuntur & damnantur. Tres Hiſtoria. Prima.*
§.13. *Secunda.*
§.14. *Tertia.*
§ 15. *Epilogus.*

§.1. Communionem paſchalem debet præcedere digna confeſſio.

QUinque hordeacei panes, quibus Salvator noſter inaudito miraculo aliquot hominum millia in deſerto cibavit, figura fuerunt cœleſtis mannæ, ſive panis Angelici in ſanctiſſimo Sacramento Altaris, quo innumera fidelium multitudo, in univerſali Chriſti Eccleſia, pretioſo corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti cibatur & potatur. Hodie poſt dies quatuordecim incipiet Paſchale tempus, quo omnes Chriſtianos Catholicos grave præceptum Eccleſiæ ſub obligatione peccati mortalis ad ſacram jubet ſynaxin accedere. Verum non ſine myſterio Evangeliſta meminit, Chriſtum Dominum antequam ſuos Auditores his panibus reficeret, abiiſſe trans mare. Mare enim in ſenſu myſtico ſymbolum eſt ſacramenti pœnitentiæ, ſive Confeſſionis, in quo veluti ſalutifero balneo vi pretioſi ſanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI lavamur, emundamur, dignique, qui ad divinam illam menſam accedamus, efficimur. Ob quam cauſam Eccleſia alio præcepto circa idem tempus paſchalem præcipit Confeſſionem. Loquar clare, ut omnes intelligant: Paſchalem Communionem præcedere debet Confeſſio ſeria, cum dolore & contritione, cum propoſito emẽdationis; ut autem talis ſit, requiritur ejuſdẽ integritas, quæ in

Digitized by Google

hoc conſiſtit, ut pœnitens omnia peccata mortalia nullo prorſus excepto per ſacram exomologeſin deponat. Hæc Confeſſio eſt illa pœnitentia, quam prædico hac quadrageſima. Proinde hac concione audietis, in quam periculoſo ſtatu, in qua ſervitute diaboli vivant, qui confitentur ſacrilege: etiam hac quadrageſima, poſt quam confitendi occaſionem non habebunt amplius.

§. 2. *Admiranda converſio magni peccatoris, diu conſtituti in ſervitute diaboli.*

Mirabilem hiſtoriam refert S. Brigitta lib. 5. revel. c. 97. quæ ſcopum, quem in meis Concionibus hujus quadrageſimæ intendo, veſtris oculis clariſſime proponet. S. Brigitta ait, ſe oraſſe ad Chriſtum Dominum Salvatorem, pro graviſſimo peccatore. Et bonus Jeſus, ad illum jam graviter infirmatum, cum de peragenda confeſſione nihil prorſus audire vellet, ipſum qui S. Brigittæ a ſacris Confeſſionibus erat, deſtinavit, qui ex divina revelatione ægrum his verbis fuit allocutus. *Chriſtus Filius Dei vivi, & diaboli Dominus, dicit tibi. Tu habes in te ſeptem dæmonia. Primus ſedet in corde, ligans illud, ne de peccato compungaris. Alter ſedet in oculis, ne videas, præterita, præſentia, futura. Tertius ſedet in membris tuis, ideo omnem impuritatem dilexiſti. Quartus in manibus & pedibus tuis, ideo gravia ſcelera perpetrare veritus non es. Quintus in gutture, ideo fuiſti guloſus. Sextus in anima tua, & ita ubi Deus ſedere deberet, ibi modo ſedet diabolus inimicus tuus. Septimus denique ſpiritus nequiſſimus, quem Chriſtus Dominus ante octiduum vocavit dæmonium mutum, ſedet in ore tuo & lingua tua, ne loquaris ea, quæ ſunt ad honorem Dei & ſalutem tuam.* Proinde ait vir religioſus ex inſtinctu Spiritus Sancti, *pœnitere citius, quia adhuc Deus propitiabitur tibi.* Tunc infirmus cum lachrymis reſpondit, *Quomodo mihi perſuadere poteris veniam, qui tot ſceleribus ſum irretitus? homagium feci diabolo, jam ſexagenarius ne vel unam integram Confeſſionem peregi, & mihi loqueris de pœnitentia? Iuro tibi,* ait Confeſſarius, *etiamſi graviora feciſſes, ſalvaberis.* Rem miram! brevi hac concione commotus æger, quater uno die confeſſionem repetiit, deinde ſacro refectus epulo ſexto poſt die piiſſimum vitæ finem impoſuit. Et Chriſtus Dominus de illo dixit S. Brigittæ. Videtis Auditores, ut homo iſte ſalutem conſecutus eſt propter contritionem, quam habuit in fine! At enim percontaberis forſitan, quo-

modo

modo contritionem promeruit homo tot ac tantis ſceleribus involutus? Reſpondeo tibi, hoc mea fecit dilectio.

O mi dilectiſſime Jeſu! O ſi ſcirem illas obſecrationes & obteſtationes S. Brigittæ, quibus pro miſero illo peccatore uſa fuit! Mi Jeſu! per tua Vulnera, per pretioſum tuum ſanguinem, & ego oro te, atque obſecro, miſerere obſtinati hujus peccatoris. Audi homo miſerabilis! non unum eſt, ſed plurima, quæ arcem cordis tui occuparunt dæmonia, audi homo peccator! reſidet in te immundus ſpiritus luxuriæ, audi homo peccator! cor tuum inſedit ardens ſpiritus vindictæ, audi homo! dominatur in anima tua inflatus Luciferi ſpiritus! quid agis, quid cogitas? Tempus eſt, audi monentem, pœnitentiam age, expelle ſtygios hoſtes, & cito; quia adhuc Deus propitiabitur tibi. Scio, à decem, à ſedecim annis non feciſti bonam Confeſſionem; in juventute commiſiſti peccata muta, & hactenus ſemper fuiſti mutus; diabolus eſt, qui obſidet linguam tuam, & fauces præcludit.

§. 3. *Duplex Apoſtrophe ad Ieſum & obſtinatum peccatorem.*

Nam lupus eſt, vulpes eſt, milvus eſt, quæ ſunt beſtiæ aſtutiſſimæ; cum lupus invadit agnum, vulpes gallinam, milvus columbam, omni quo poſſunt robore prædam apprehendunt, in collo potiſſimum, ne v.g. agnus ſuo balatu invocet opem paſtoris. O miſer peccator! eſtne qui reſideat in ore & lingua tua cacodæmon? tu es talis agnus! lavit te bonus Jeſus in ſanguine ſuo; paſcit te carne ſua, deducit te ad paſcua optima, ſi placet, dormire & quieſcere potes in ſinu ejus; in latere, in vulnere ſuaviſſimi illius cordis; non me fugit, erraſti à recta via, iviſti poſt amatores alios, incidiſti in dentes infernalis, lupi, hoc ſaltem cave, ne fauces tibi occludat, ne te mutum reddat in ſacro tribunali; hac quadrageſima, hoc Paſchali tempore, quod appropinquat, aperi os, loquere, quæ loquenda ſunt, & clamando cum rugitu cordis tui, implora auxilium & auxiliares manus amantiſſimi tui paſtoris. Pœnitentiam age! juro! propitiabitur tibi Dominus.

§. 4. *Diabolus eſt lupus, vulpes, & milvus, nos agni.*

Nos ſumus illi pulli, de quibus Salvator noſter ait Matth. 23. v. 37. *Ieruſalem, Ieruſalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas?* Gallina hæc eſt Filius Dei pendens in cruce; alæ ſunt ſanguinolenta & expaſſa

§. 5. *Pulli & columba.*

 brachia

brachia, quibus nos protegit. O felices pullos, qui hoc tempore quadrageſimæ habitant ſub umbra alarum tuarum. Sed O te miſerum, ſi aſtuta vulpes, ſi diabolus per peccatum te abduxit ab hac umbra, O te miſerum, ſi factus es præda hujus vulpis; hoc ſaltem cave, ne hoc tempore paſchali in confeſſione tibi fauces occludat; quam diu mutus eris, quam diu dæmonium hoc mutum hærebit in lingua tua, Chriſtus Dominus tibi non ſuccurret. Animæ noſtræ in ſtatu gratiæ ſunt illæ columbæ formoſæ, quæ habitant in cavernis maceriæ, in vulneribus Salvatoris. O te infelicem columbam, ſi propter peccata hæreas in unguibus milvi infernalis! Hoc ſaltem cave, ne fauces præſtringat.

§ 6. Hiſtoria declarans periculoſum ſtatum ſacrilege confitentium.

Dentes hujus lupi, ungues hujus milvi expertus eſt Mercator Armuzianus divitiis quidem, ſed magis vitiis celebris. Hic poſtquam multos jam annos in confeſſionibus gravia ſcelera ſilentio preſſiſſet, tandem ad agendam pœnitentiam commotum ſe ſenſit in ferventi concione è Societate Jeſu Concionatoris ferventiſſimi P. Gaſparis Barzæi. Ergo nocte proxima acriter infixos ſibi ſtimulos percipit. Occurrunt inquieto animo, quæ audierat de morte, judicio, & inferno: intuetur velut præſentem periculoſiſſimum illum ſtatum, in quo viveret; cooperatur his cogitationibus & motibus Gratia & miſericordia Jeſu, ut poſt multam luctam hoc denique propoſitum conceperit: Cras ſummo mane ſeriam & integram peragam confeſſionem: in hoc propoſito animadvertit collo ſuo injici armatam fortemque manum, animadvertit & ſe ſuffocari, donec inclamatis ſanctiſſimis nominibus Jeſu & Maria liberatur. Summo mane peracta apud P. Gaſparem integra & ſeria confeſſione, ab eodem edocetur dæmonem fuiſſe, qui ante confeſſionem ſuffocaſſet, niſi Miſericordiæ Jeſu, & benignitati Matris miſericordiæ aliud placuiſſet. O ſacrilegi pœnitentes, advertite quis collum vobis occludat in mutila confeſſione, dæmon occludit. Quis linguam cohibeat, diabolus cohibet. Quis vos mutos faciat, Satanas facit. Quænam ſit armata illa manus? diaboli manus eſt. Si ab hoc monſtro liberari vultis, mox, confeſtim, ſine mora Jeſum & Mariam invocate. Mox, ſtatim, hodie adhuc accurrite ad Confeſſarium, coram hujus pedibus latentes

Digitized by Google

tentes à multis annis bufones, ſive abſcondita peccata una cum dæmonio muto ejicite, facite ſerium propoſitum integræ confeſſionis: Ecce me! ex hac cathedra accurram ſtatim ad confeſſionale, peccator ſum ſicuti vos, non eſt cur quenquam ullius peccati pudeat. Et fatebor veritatem Auditores, exultat cor meum, quoties etiam graviſſima peccata vere pœnitentis excipio, excipio & amplector talem in viſceribus Jeſu, ſed tum præcipue ſuperabunde gaudeo, cum Agnellum aliquem, cui forte decem vel viginti annis collum occluſum fuit, ex dentibus infernalis lupi vindicare poſſum. O Jeſu! hanc mihi quæſo gratiam impertire, ut hoc paſchali tempore multi tales agnelli vindicentur. O me felicem! ſi multas ejuſmodi prædas lupo illi tartareo eriperem! venite pulli, ſub alis crucifixi Jeſu voſmet abſcondite. Venite, quibus vulpes verſipellis fauces præcluſit hactenus, venite columbæ; evadite diros ungues accipitris, aſpirate tandem aliquando in veram Filiorum Dei libertatem: Venite, venite omnes qui laboratis & onerati eſtis præduro ſcelerum pondere, ſub quo jam aliqui viginti, triginta, forſan & aliqui quadraginta annos gemunt; Venite, & ego reficiam vos pretioſis Jeſu meritis & ſanguine pretioſo.

Caveant obſeſſi à dæmonio muto, ne illis accidat, quod Joſue c.10.v.18. accidit Regi Amorrhæorum, & ejus confœderatis, Regi Hebron, Regi Jerimoth, Regi Lachis, & Regi Eglon. Victi fuſique à Joſue, in fuga abſconderunt ſe in ſpelunca, urbis Maceda, quod cum nuntiatum eſſet Joſue, præcepit militibus, *volvite ſaxa ingentia, ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui clauſos cuſtodiant*; ibi ergo latuerunt, donec Joſue redux à perſecutione hoſtium, dixit, *aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinq; Reges, qui in ea latitant, cumq; educti eſſent, ſuſpenſi ſunt omnes in patibulo.* Advertendum eſt, nomina horum Regum in hebraica lingua ſignificare gravia vitia. Jerimoth, idem eſt, quod gula & ebrietas, cũ ſorore Luxuria. Lachis, idem, quod avaritia, graviſſimorũ ſcelerũ radix; Hebron ſignificat odium; Eglon iram. Rex Amorrhæorũ, eſt Satan, Hic eſt ille Tyrannus, qui ſibi confœderatos per luxuriã, gulam, iram, avaritiam, peccatores educit contra cœleſtem Joſue

§. 7. *Idem declarat alia hiſtoria ex c. 10. Ioſue.*

Digitized by Google

contra Regem Regum, Chriſtum Dominum, hoc autem agit, ut poſtquam in graviſſima illos protraxit ſcelera, cum contra Jeſum ſtare non poſſint, adverſo Deo, ut ſe cum illis vitiis abſcondat in ſpelunca cordis: ipſe eſt fortis armatus, qui per dæmonium mutum ingens advolvit ſaxum; ſub quo ſcelera tam gravia, tam turpia, decem, viginti annis latent, apponit Satan fortes cuſtodes, Verecundiam, pudorem, timorem alicujus confuſionis, cum periculo manifeſto ſuſpenſionis ad patibulum infeliciſſimæ æternitatis. Fare obſtinate peccator; nunquid à viginti & amplius annis, cor tuum fuit talis ſpelunca turpiſſimorum bufonum? an negare potes?

§. 8. *Ejuſdem applicatio ad ſacrilege Confitentes.*

Sed audi! talia Cœleſtis Joſue loquitur de cruce. Miſeri! aperite os ſpeluncæ, producite Regem Amorrhæorum; ejicite tandem hac quadrageſima tam crudelem tyrannum. Latent cum illo in vobis peccata luxuriæ? producite, ſat diu latuerunt in ſpelunca. Prodeat Rex Hebron, vindictæ ſtudium. Prodeat Eglon, implacabilis ira; prodeat Rex Lachis, avaritia. Prodeat Jerimoth, gula atque ebrietas, prodeat & luxuria, quæ maxime delectatur tenebris; prodeat, ſic enim imperat Joſue cœleſtis, prodeat demum quicquid miſellam animam tuam in occulto cruciat atque exagitat. Peccator! ſic jubet Joſue, ſic Deus imperat, crucis, crucis ſuæ patibulo omnia veſtra etiam enormia ſcelera vult affigere. Producite, quid moras trahitis, producite hos Reges. Prov. 31. v. 8. *Aperi, aperi os tuum, mute, & diſcerne, quod juſtum eſt, judica.* Hoc peccatori relapſo, ad agendam veram pœnitentiam abſolute eſt neceſſarium. Teſte S. Paulo 2. ad Cor. cap. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti.* Talis debet eſſe confeſſio Paſchalis, Manifeſta. Græcus textus ſic habet. *Perlucidos ſive tranſparentes eſſe oportet inſtar vitri.* Talis debet eſſe Confeſſio paſchalis, perlucida, tranſparens, clara ſicut cryſtallus. Qui ad talem Confeſſionem hac quadrageſima ſeſe vult diſponere, dicat cum regio pſalte pſ. 76. v. 7. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.* Campenſis legit. *Excutiebam ſpiritum meum.* Verſio He-

Digitized by Google

Hebraica ait, *ſcrutabatur ſe ſpiritus meus.* Chald. *Inveſtigabat.* LXX. *ſarriebam.* Euthymius, *fodiebam ſpiritum meum.*

§. 9. *Ante confeſſionem fodiendus eſt paries cordis.*

Verbum hoc fodiebam ducit me ad cap. 8. Ezechielis, ubi vox de cœlo dixit Prophetæ, v. 8. *Fili hominis, fode parietem. Ingredere & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic. Et ingreſſus vidi, & ecce abominatio, vidi, quæ fecerunt in tenebris, unusquisq; in abſcondito cubiculi ſui, replentes terram iniquitate, ad irritandum Dominum.* Tum iterum Propheta audivit vocem Domini. v. 18. *Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miſerebor, & cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Talia exigit pœnitentia & paſchalis Confeſſio. Fili mi! fode prius, & perfode parietem cordis tui, ingredere domum conſcientiæ, vide abominationes, quas feciſti &c. produc in conſpectum ſolis &c. Eccleſiaſt. c. 4. v. 24. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Joſue 7. v. 19. *Confitere & indica, quid feceris.*

§. 10. *Quam miſere ſe decipiant ſacrilege confitentes.*

Hoc dum quo poſſum fervore propono, non poſſum non etiam atque etiam rogare vos Auditores, ut hac quadrageſima caveatis *ſimulatoriam pœnitentiam,* qualis ex mente S. Bernardi, eſt ſacrilega Confeſſio, per quam talis pœnitens tum ſibimetipſi, tum Confeſſario ſuo miſere imponit. Dum enim ſacerdos poſt audita peccata profert verba Abſ. putat ſe illis ſolvere vincula atque catenas peccatorrm. Eheu! per illa verba pœnitenti nova injicitur catena graviſſimi peccati mortalis, injicitur novum vinculum ſacrilegii: Confeſſarius putat per Verbum *Abſolvo* ſe lavare pœnitentis animam in balneo pretioſo ſanguinis Chriſti; eheu, talis anima de novo pedibus conculcat ſanguinem Chriſti: Sacerdos putat ſe per illa verba vulneribus animæ infundere pretioſum oleum & balſamum gratiæ: eheu, quam decipitur, illi animæ novum, lethale, & periculoſiſſimum vulnus infligitur. Eadem plerumque putant ſacrilege confitentes, ſed O miſeri, dum ſacerdotem & Deum, (quod tamen non poteſtis) decipere vultis *ſimulatoria pœnitentia,* & confeſſione, vobiſmetipſis miſerrime illuditis. Apprehendite hæc ſtolidi, per talem confeſſionem novis voſmet catenis conſtringitis. Per talem confeſſionem ſanguinem Chriſti conculcatis. Per illam novum Vulnus vobis infligitis. Sanguis

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti non lavat vos, ſed vindictam contra vos clamat. Denique ſimulatis vos honorare ſanctiſſimum ſacramentum pœnitentiæ, ſed graviſſima injuria afficitis.

§. 11. Sacrilegi tales nihil merentur quocunque bono opere.

Sed mittamus iſta: nam & alia de cauſa ſacrilege confitentes ſunt miſerrimi: plerumque enim aliis bonis operibus ſunt addicti, in preces incumbunt, audiunt ſacra, inſcripti ſunt albis variarum congregationum, dant eleemoſynas &c. Sed quod dolendum eſt, omnia hæc opera quoad gratiam & gloriam nullius ſunt meriti. Etſi diſtribuerint 1. Corinth. 13. v. 3. in cibos pauperum omnes facultates ſuas, etſi tradiderint corpora ſua, ita ut ardeant, quamdiu tamen peccatum aliquod grave in confeſſione celabunt, vel nolent confiteri, nihil illis proſunt univerſa. Interea vero tale peccatum quod ex pudore tegunt, in orationibus, in templo, coram Venerabili Sacramento, eſt graviſſimus lapis, quo premuntur, eſt ſpina, qua cor compungitur, & pugio, quo conſcientia dies noctesque perfoditur ſæpe decem, viginti annis &c. Unde poſtquam tandem per Dei gratiam ſe vicerunt & dæmonium mutum ejecerunt; ſolent dicere, ah pater, quo pondere me liberum ſentio, ah quam mihi modo eſt bene. Hoc gaudium, hæc pax, hæc quies ſunt effectus ſeriæ & integræ Confeſſionis.

§. 12. Sacrilege confitentes tandem infeliciter moriuntur & damnantur. Tres Hiſtoria. Prima.

Tales ſacrilegi ſi ad integram confeſſionem moveri non poſſunt, tandem infeliciter moriuntur, ſolet hæc veritas plerumque à Concionatoribus tragicis hiſtoriis declarari. Duas paucis delibabo. Vixit in Italia, Matrona vidua, quoad exteriora piiſſima: unicam, quam habuit filiam, ad omnem pietatem & virtutem educavit. Cum hæc poſt obitum matris cubiculo incluſa, ardentes preces pro defunctæ anima Deo offerret, ecce tibi, oranti ſe ſiſtit horribile monſtrum, ingens excoriatus porcus, diſcurrens per angulos conclavis, inſiliens de menſa in menſam, de ſcamno in ſcamnum, terribili omnia perterrefaciens grunnitu. Fugientem Virginem terrore plenam, beſtia his verbis alloquitur: *Siſte gradum, intelligas eheu! me eſſe infelicem, & maledictam matrem tuam, vixi in mortali vita, quantum mundus judicare potuit, pie & ſancte, ſed quia commiſſa in juventute ſcelera, pudore victa, ſemper in Confeſſionibus celavi, ah, ultima ante agonem Confeſſio etiam ſacrilega fuit;*

fuit, ideo juſto Dei judicio æternum ſum damnata, infelix, maledicta Mater! ceſſa filia, deſine pro me orare, ex inferno nulla eſt redemptio. Quid cogitatis Auditores? ſi quis talis ſacrilegus vel ſacrilega eſt præſens, hanc per Deum obteſtor, hanc in nomine Jeſu adjuro, ut proferat, num tali morte ex hac vita velit diſcedere, num peccatum tale, tale &c. adhuc celare & æternum damnari. Avertat hoc malum benigniſſimus Jeſus.

Talis ſacrilega fuit quædam monialis; Agnello, pullulo, columbæ cœleſtis ſponſi multis annis diabolus fauces occluſerat, & ſic è vivis exceſſit. O infelicem! poſt mortem Deo jubente apparuit alteri ſorori, nuntiavitque ſe ob celata in ſacro tribunali peccata à tremendo Judice æternis flammis addictam; *licet ipſa Deipara Filii ſui pedibus advoluta ſuis precibus interceſſiſſet.* Poſt hæc triſti voce aliquoties ingemuit, *peccantem me, quotidie, & non pænitentem, timor mortis conturbavit me, in inferno autem nulla eſt redemptio.* Hæc dicens evanuit; Quæſo vos Auditores imaginamini vobis judicium illius Monialis. Ecce ipſa agonizans jacet in lecto inter anguſtias mortis; Ecce Chriſtum judicem in tribunali, cui ſiſtitur, ecce dæmones & conſcientiam à quibus accuſatur. Aſpicite in aſtantis mortis manu clepſydram, ex qua ultimæ fluunt arenulæ, ultima vitæ momenta, in his peccatorum refugium, miſericordiæ Mater, Maria, forte ob aliqua roſaria pie quondam recitata, Advocatam agit, ecce filii pedibus advoluta pro miſera intercedit, ſed non eſt exaudita; Judex protulit ſententiam, & infelicem æternis Tartari flammis adjudicavit. Cauſam in hiſtoriæ decurſu audiviſtis, ſacrilega fuit in Confeſſionibus. Si peccata fuiſſet confeſſa, facile veniam obtinuiſſet, ſed quia id noluit, merito æternum luet. Ite, ite ſacrilegi, manete in poteſtate dæmonii muti. Veniet hora, qua vos circumſiſtent mille dolorum, mille curarum agmina! O quot & quales anguſtiæ! ô quot & quales timores! quid tum dicetis? quo tandem fugietis miſeri! ah, nunc nunc reſipiſcite, nunc nunc dum tempus eſt gratiæ, ſapite alieno damno, non proprio; *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

511. Secunda.

Digitized by Google

§.14. *Tertia.* Terruerunt vos ſine dubio hæc exempla; itaque tertio volo vos conſolari. Fuit in Hiſpaniis Vir nobilis, a dæmonio tali muto obſeſſus. Ejus Confeſſarius, P. Cornelius è Soc. Jeſu aliquoties advertit, ex titubante lingua præ pudore peccatum aliquod celari: ergo aliquando ſumpto animo pœnitenti dixit: *Ferdinande, per ſalutem tuam, per vulnera & ſanguinem Salvatoris tui, ejice latentem beſtiam, quam adverto, aperi, detege fœtidum vulnus cordis tui, ejice dæmonium mutum, quod linguam cohibet*, improviſa hac oratione Confeſſarii motus Ferdinandus diu tectum peccatum detegere voluit, ſed dum linguam movet, ex confeſſionali ad pedes Confeſſarii ſine omni ſigno vitæ corruit exanimis. Non mors, ſed extaſis fuit, in illa Ferdinandus vidit Chriſtum Judicem, qualis in glorioſa Reſurrectione pingi ſolet, cum vexillo crucis, ſed irato vultu: audivit præterea ſe graviſſime à dæmone accuſari, jamque eo res devenerat, ut Judex ſententiam pronuntiare decerneret, & pronuntiaſſet, niſi P. Cornelius eum inflexiſſet. Dum enim Ferdinandus corruit, mox ipſe coram cadavere procumbit in genua, & ardentiſſimis ut poteſt vocibus inclamat, *Miſericordia, miſericordia mi benigniſſime Ieſu!* his ſuſpiriis commotus judex juſſit animam Ferdinandi redire in corpus, ad agendam ſcilicet pœnitentiam, quod & ſtrenue factum.

§.15. *Epilogus.* Si illis, quæ hactenus dixi, ſacrilege confitentes ad pœnitentiam non permovi, parum penſi habent hærere ſe in unguibus infernalis lupi, ſi non curant ſe ſanguinem Chriſti pedibus conculcare, ſi non timent infelicem mortem & æternam damnationem, hoc unicum mihi modo ſupereſt remedium, procumbam in genua (procumbite una mecum & vos dilecti Auditores) tendam ſupplices ad Deum palmas, (protendite mecum) clamabo, ſuſpirabo, (clamate, ſuſpirate & vos.) Jeſu, O dulcis Jeſu! Miſerere, ah, miſerere Jeſu! en pereunt animæ tam caro emptæ pretio! Miſerere Jeſu, O dulcis Jeſu miſerere.

CON-

Digitized by Google

CONCIO XVIII.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato.
Joan. 8 c. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRiplicem atrocem injuriam Chriſto Domino tempore Paſſionis illatam. 1. Alapam coram Anna à Malcho inflictam. 2. Sputa Judæorum in os Chriſti injecta. 3. Fel & acetum, ſanguini mixtum, in ſiti crucis illi oblatum: triplicem inquam, hanc injuriam renovant ſacrilege communicantes.

§. 1. *Exordium ſumitur à certo modo pingendi crucifixum.*

§. 2. *Coram Anna crudelis Chriſto Domino fuit inflicta alapa, cum gaudio & riſu miniſtrorum.*

§. 3. *Quam cæli, terra, & Angeli obſtupuerunt.*

§. 4. *Chriſtus Dominus vero cum ſumma manſuetudine pertulit.*

§. 5. *Terribilis Hiſtoria.*

§. 6. *Sacrilege Communicantes infligunt alapam Ieſu.*

§. 7. *Cum horrore cæli, terræ, & Angelorum.*

§. 8. *Et nihilominus tales tolerat Chriſtus Dominus ob immenſam ſuam clementiam: cum Proſopopæia umbra Malchi.*

§. 9. *Proſecutio.*

§. 10. *Acris invectiva & minæ in ſacrilegos Sacerdotes.*

§. 11. *Altera atrox injuria Chriſto Domino tempore Paſſionis illata, fuit, quod exſpuerint in faciem ejus.*

§. 12. *Imo inſtigante diabolo inſpuerunt in benedictum ejus os.*

§. 13. *Idem faciunt ſacrilege Communicantes.*

§. 14. *Affectuoſa ad illos Apoſtrophe.*

§. 15. *Eheu! Ieſus lilium eſt, Roſa eſt fragrantiſſima, & conſpuitur.*

§.16. *In ſiti crucis morienti Ieſu, Iudæi obtulerunt fel & acetum.*

§.17. *Spongia, in qua obtulerunt, fuit prius tincta ſanguine Chriſti. Affectuoſus locus.*

§ 18. *Renovant hanc injuriam & crudelitatem ſacrilege communicantes.*

§.19. *Vehemens motus.*

§. 20. *Brevis Apoſtrophe ad Auditores.*

§.1. Exordium ſumitur à certo modo pingendi Chriſtum Crucifixum

ANgelicus Doctor D. Thomas de Aquino refert in opuſc. 58. cap. 31. moris fuiſſe, ut pictores multas Chriſti in crucem ſuffixi imagines hunc in modum depingerent, ad dexterum latus ſub cruce depicta fuit ſpecioſiſſima Virgo, ornata gemmis, floribus, & auro, cratere aureo ſanguinem ex Vulneribus corporis Chriſti de cruce profluentem, magna cum devotione, amore, & copioſis lachrymis excipiens. Ad latus vero ſiniſtrum fœminam vetulam, pallidam, luridam, depinxerunt, quę ſordidiſſimo vaſe eundem ſanguinem ex aliis vulneribus ſtillantem excepit, & mox in terras effuſum & abjectum pedibus conculcavit: Mater illorum, qui ex mente S. Pauli ad Hebræos c.10. v.29. Filium Dei conculcant, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt. Imaginem Chriſti crucifixi omnes palam oculis cernimus; agite mei Auditores, ad dexterum ejus latus recedite, vos ut ſpero, illi eritis, qui per pœnitentiam & ſeriam confeſſionem lavabitis ſtolas veſtras in ſanguine Agni, ut calice mundo, id eſt, corde mundo in Paſchali communione, ex vulneribus Jeſu Chriſti, ex aperto ejus latere hauriatis ſanguinem ejus in remiſſionem peccatorum. Verum mi Jeſu! quæ monſtra cerno ad latus ſiniſtrum? quas furias? quas vetulas? quæ pretioſiſſimum tuum ſanguinem immundo excipiunt corde, & in terras effuſum polluunt & pedibus conculcant! Ne quis ex meis Auditoribus hoc paſchali tempore his furiis ſe aſſociet, quod fit per ſacrilegas Confeſſiones & Communiones, hac concione vobis proponam, quam atrox ſcelus & crimen tales pœnitentes & communicantes committant. Conabor tamen, ut propoſitionem nimis univerſalem nonnihil contraham, quod fiet, ubi vobis oſtendero tales ſacrilegos præ aliis peccatoribus cum impudentia renovare quaſdam atroces injurias & tormenta acerba, quibus Judæi decurſu Paſſionis Chri-

Chriſtum Dominum contriſtarunt. Præparate aures & corda, de re magni momenti ad ſalutem animarum cupio agere ſerio. Cor meum & linguam meam, ut ſpero, illuminabit & diriget gratia Spiritus Sancti, quam ut certius obtineam dicite mecum ad matrem gratiarum: *Ave Maria &c.*

Puto omnes præſentes Auditores ſcire Chriſto Domino coram Anna à quodam ejus famulo fuiſſe inflictam alapam. Ut Taulerus ait in Medit. de Paſſione Domini, *Alapam horribilem.* S. Bernhardus putat illam fuiſſe inflictam, *dextera ferrea chirotheca armata*; tanta vehementia, ut non tantum aſtantes coram ſummo Pontifice, ſed & alii miniſtri in atrio, & inter illos S. Petrus ſonum inde exortum audiverint. Addit S. Vincentius Ferr. ſer. de paſſ. *partim ob impetum percutientis manus, partim ob nimiam defatigationem ex moleſtiſſimo itinere ex monte Oliveti in urbem, Cecidit Chriſtus in terram & ex ore ſanguinem emiſit: & in veneranda maxilla digitorum impreſſio manſit cum lucido colore.* Addit P. Salmeron notabilem circumſtantiam; *ingens hæc alapa excitavit Chriſto Domino confuſionem & dolorem ob riſum & gaudium quod tum Pontifici, tum aſſiſtentibus Judæis* (hic nequam famulus) *concitavit, qui omnes talis contumeliæ irrogatione oblectati ſunt.* Cardinalis Vigerius ait, *dedit alapam Ieſu, ut dolore, terrore, aut ſaltem indignatione per iram, ac ulciſcendi deſiderium à ratione dejiceret ſapientiam, & aliquid pœna dignum coram Pontifice dicere aut facere inſtigaret.*

§. 2. Coram Anna Chriſto Domino crudelis fuit inflicta alapa cum riſu & gaudio circumſtantium.

S. Joannes Chryſ. cum hom. 28. conſideraret hæc verba, *Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu*, exclamavit, *Quid hoc impudentius? Exhorreſcat cœlum! contremiſcat terra de Chriſti patientia! de ſervi impudentia!* Mi Deus! eo pervenit hominum nequitia! eo proceſſit Judæorum rabies, ira, odium, & furor, ut homo Deo, creatura creatori, mancipium Regi colaphum infligat! ut alapa percutiat pulcherrimam faciem Filii Dei, ſpecioſi forma præ filiis hominum! O inſolentiam diabolici miniſtri! O Jeremia! jam exclama ex c. 2. v. 17. *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer,* & obſtupuerunt. S. Ephrem Syrus de Paſſ. Domini. *Contremuerunt cœli, inhorruerunt fundamenta orbis terrarum. Angeli & Archangeli obſtupuerunt. Gabriel & Michael vultum*

§. 3. Quam cœli, terra, & Angeli obſtupuerunt.

ſuum contexerunt. Cherubim in throno ſub rota ſe abſconderunt. Seraphim in ſe mutuo alas in illa hora concuſſerunt, quando ille impietatis ac tenebrarum miniſter, alapam dedit Domino Majeſtatis & gloriæ.

§. 4. *Chriſtus Dominus vero cum ſumma manſuetudine pertulit.*

Non volo ego ut hæc præſens concio ſit concio Paſſionis; unicam adhuc referam circumſtantiam hujus alapæ, ex ſancto Ephrem Syro, & veniam ad ſacrilege communicantes. *Res* (ait) *admiratione digniſſima eſt fratres, videre Chriſti Regis, ac Domini noſtri clementiam, alapa quippe à ſervo percuſſus, prudentiſſime, cum omni manſuetudine ac reverentia reſpondit, Indignatur ſervus, tolerat Dominus. Servus ira concitatur, Dominus in ſua benignitate permanet. Et quis iram, animique tumultuantis perturbationem* (accepta alapa) *& occaſione oblata reprimat? Dominus noſter hæc omnia benignitate ſua ſuſtinuit. Quis igitur O Domine poterit manſuetudinem tuam enarrare.*

§. 5. *Terribilis Hiſtoria.*

Abſolvi quæ modo dicere volui de alapa inflicta meo Jeſu. Sacrilegi! habete patientiam, jam jam vos alloquar; ubi prius audieritis hiſtoriam ex Baronio ad annum Chriſti 513. In Inſula Cypro in quodam Monaſterio Philoxeme, vixit quidam Iſidorus ſemper triſtis, afflictus, & plorans, rogatus cauſam reſpondit, *ah non plorem peccatorum maximus, non fuit ab initio ſæculi tam enormis peccator ac ego: nullum majus eſt delictum quam meum, & ſi ſcire vultis quodnam ſit illud, edicam hunc in finem, ut mei in precibus veſtris memores eſſe dignemini. Audite cum eſſem in ſæculo, conjugem habui, quacum Severiani dogmatis tenax cum viverem, accidit quadam die ut ipſam domi non invenirem, intelligerem verò illam ſe ad vicinam Catholicam contuliſſe, ut cum illa ſacra menſa accumberet. Illud pro viribus impediturus ocyus approperavi. Verum ſerius adveni, quippe jam ſacroſanctam ipſa hoſtiam ſuſceperat. Quamobrem mox ira furoreque* percitus! (*Heu quo non mortalia pectora cogis infrænate furor!*) *guttur ejus apprehendi, & conſtringendo fauces, ut uxor* (horreo dicere) *ſanctiſſimam illam hoſtiam rurſus evomeret, effeci, quàm deinde ſacrilegis manibus huc illuc jactatam, in lutum denique conjeci. Mox tamen à coruſcatione quadam, bonus utique Angelus is fuerit, ſanctiſſimam hoſtiam reverenter ablutam perſpexi. Biduo abhinc elapſo adſtitit horrendus ſpecie vir Aethiopem referens vultu nigro torvoque, qui his me ver-*

Digitized by Google

me verbis compellavit. Ego & Tu ad unum eundemque ſupplicii locum ſumus condemnati. *Perterrefactus ego voce tremula ſic ex illo percontor. Tu ergo quis es?* Reſpondit: *Ego ſum, qui conditorem omnium Dominum Ieſum in maxilla percuſſi tempore Paſſionis. Et non fleam ego! væ mihi, væ mihi! ah ſi qua vobis pietas, orate pro me.*

Et quid cogitatis ſacrilegi, cum in Confeſſione Paſchali, Deo, Chriſto, & Spiritui S. eſtis mentiti, ob grave aliquod ſcelus, quod præ pudore noluiſtis confiteri, & nihilominus ad ſacram menſam acceditis, ut manducetis corpus & bibatis ſanguinem Jeſu Chriſti? tantumne fuit ſcelus S. Hoſtiam projicere in lutum, quale erit crimen abjicere in cloacam turpiſſimi cordis! hoc cogitate. Acceditis, ut alapam, & alapam horribilem illi infligatis. Hoc cogitate; infernalis umbra maledicti & condemnati Malchi vos comitatur; hæc vos exagitat, hæc inſtigat, ut colaphum, quem ipſe coram Anna Salvatori veſtro inflixit ſuis manibus, vos in hoc templo, in aula Dei, coram ſanctiſſimo Sacramento Altaris, per veſtras ſacrilegas Confeſſiones & Communiones repetatis. Hoc cogitate; hanc Erebi umbram, damnatam & ardentem animam Malchi, ex inferni profundo, ex mediis flammis ad vos clamare, ite date Jeſu veſtro alapam, ſed ego & vos ſimul in uno ſupplicio æternum ardebimus. Ego ſum qui conditorem omnium Dominum Jeſum Chriſtum in maxilla percuſſi tempore Paſſionis; ideo crucior in hac flamma & cruciabor æternum. Quia vos, O ſacrilegi, tanti mei ſceleris eſtis ſocii, ſocii quoque eritis in pœna. O Animæ piæ! juvate me, orate pro talibus peccatoribus. §. 6. *Sacrilege Communicantes infligunt alapam Ieſu.*

In ſtatu peccati mortalis, velle manducare corpus & bibere ſanguinem Chriſti! O mortales! quid impudentius? O ſacrilegi! hæc cogitate, cum ſanctiſſimum hoc ſacramentum, cum ſacroſanctam hoſtiam polluto ore & impuro corde ſumitis, contremiſcunt cœli, horrent fundamenta terræ, Angeli & Archangeli obſtupeſcunt, ſpiritus veſtri tutelares, qui vobis aſſiſtunt, contegunt vultus ſuos; Cherubini ſub ſuis rotis ſe abſcondunt; Seraphini concutiunt alas ſuas; quando tenebrarum miniſtri, vos, vos ô ſacrilegi compello, per tam immane ſacrilegium Regi Majeſtatis & gloriæ, alapam infligitis, miror ego infernalem Malchi umbram § 7. *Cum horrore cœli, terræ & Angelorum.*

Digitized by Google

bram non ſtatim ab Altari vos rapere in infernum. Animæ piæ juvate me, orate pro illis ne fiat.

§. 8. *Et nihilominus tales tolerat Chriſtus Dominus ob immenſam ſuam clementiam. Cum Proſopopœia umbra Malchi.* Sed res eſt admiratione digniſſima videre & conſiderare Chriſti Domini Clementiam! Ergone tanti ſceleris enormitatem in his ſacrilegis cum manſuetudine ſuſtinet? ita ſuſtinet. Impii, ſcelerati colaphos infligunt, ipſe in ſua benignitate permanet, ſuſtinet cum patientia. Adeſto! redi huc ex inferno infernalis Malchi umbra; cupio ut ex te hodierna die, ſi qui ſacrilegi adſunt in hoc auditorio, brevem ſed ſeriam audiant admonitionem. Hanc ergo ſic loquentem accipite. Væ væ vobis peccatores, qui meis inſiſtitis veſtigiis! ſacrilega olim fuit dextera mea, ſacrilega modo ſunt ora veſtra, linguæ veſtræ, corda veſtra. Væ vobis, niſi pœnitentiam egeritis, ad unum omnes peribitis. Socius in culpa erit & ſocius in pœna. Mei, mei eritis in ultimis Tartari flammis (heu quantis flammis!) conſodales.

§. 9. *Proſecutio.* Ego (cogitate adhuc loqui umbram Malchi) ſummo Pontifici Annæ & circumſtantibus Judæis, mea audacia & impudentia, illa alapa quam inflixi, riſum movi & gaudium; hoſtes Chriſti hujus contumeliæ irrogatio blande affecit. O ſceleſti! O ſacrilegi! Si ſciretis quale vos gaudium, qualem riſum inter dæmones concitetis in inferno, cum vobis conſcii gravium ſcelerum ſine Confeſſione ad Paſchalem acceditis communionem, quam oblectatur Lucifer, quam oblectantur omnes damnati, qui ex deſperatione aliud non optant, quam ut Deus maledicatur; ut Jeſu ſanguis, cujus participes eſſe non poſſunt, pedibus conculcetur. Sile tandem, ah ſile triſtis umbra, neminem eſſe puto ex præſentibus meis Auditoribus, qui hac tua concione indigeat. Quare redi ſub orcum: conticeſce feralis umbra.

§. 10. *Acris invectiva in ſacrilegos Sacerdotes.* Tu vero ô Jeſu Crucifixe, nam quid denuo video? quænam eſt illa furia, crudelis, atrox, quæ non lingua tantum & dentibus, ſed manibus & unguibus ſanctiſſima tua vulnera dilacerat? quæ pollutas manus, quibus colaphum tibi inflixit, lavat in ſanguine tuo? longe crudelior quam fuerit Malchus? exhorreſce cœlum; contremiſce terra; Seraphini hic concutite veſtras alas, tegite vultus, fugite de cœlo ſtellæ, fugite lucidiſſima firmamenti ſidera; ne vi-

Digitized by Google

ne videatis ſceleratos, ſacrilegos ſacerdotes! calidos adhuc à libidinibus ſuis, impudicis oculis, impudicis manibus, impudico corde ſine prævia confeſſione, offerentes in ſacrificio agnum immaculatum Jeſum. Sceleratiſſimi mortalium! ſacrilegi ſacerdotes! vos vos eſtis illæ furiæ, quæ non lingua tantum & ore, quo ſumitis ſanctiſſimum Sacramentum, ſed manibus & digitis, quibus in altari attingitis & contrectatis puriſſimam Jeſu carnem, illius vulnera dilaceratis. Et an audaciæ veſtræ non ſufficit, ut colaphum Salvatori veſtro infligatis? ſed furor veſter vos exagitat, ut eaſdem manus roſeo Chriſti ſanguine polluatis. Si ingens eſt Chriſti Domini clementia ſacrilegium laicum tolerare? qualis eſt bonitas tolerare ſacrilegos ſacerdotes! Hi nimirum riſum movent diabolo, imo & tripudium & ſummas delicias, hic eſt cibus ille electus, quo ſic gloriatur in contemptum boni Jeſu. Ah ſatis, ſatis illuſum eſt Deo; revertimini ſacrata Deo capita, revertimini, quorum munus eſt alios in viam ſalutis dirigere, revertimini, ecce nunc dies ſalutis, ecce nunc tempus acceptabile, revertimini, Jeſus erit propitius. Ni facitis; Væ vobis: terribilis vos manet umbra ſacrilegi Judæ ducis veſtri, atque anteſignani. Scitis, quis & qualis ille fuerit Sacerdos? ſcitis Tragicum illius finem: ſcitis damnationem horrendam? cavete, exhorreſcite.

§. II. *Altera atrox injuria Chriſto Domino in Paſſione illata, fuit, quod exſpuerint in faciem ejus.*

Alteri contumeliæ Chriſto Domino in paſſione illatæ, licet & illa ſatis atrox, non tamen tam diu immorabor. De Judæis tempore Paſſionis ait Taulerus; *diabolus erat in medio illorum, ideo malignus ille, intus eos ad omnem crudelitatem, malitiamque inſtigavit. Rabies quædam ad omnis generis injurias illi inferendas eos provocavit,* ait S. Hier. *proinde eo pervenere, ut etiam coram Caipha non tantum plurimas inflixerint alapas & colaphos in faciem ejus, ſed in eandem etiam exſpuerint.* S. Thomas. *In ſignum contumeliæ & deſpectus.* Dion. Carth. *reputantes eum tam indignum, ut ſine peccato illum quilibet poſſet perſequi, quod inſtigante diabolo feciſſe creduntur.* Non agam ego modo in communi de tam atroci injuria, de ſputis in faciem conjectis: inter hos exſpuentes Judæos unum temerarium, audacem, impudentem quæro, qui facto atroci nobis ponit ob oculos impudentiam & audaciam illorum, qui ore ſacrilego corpus & ſanguinem Chriſti ſuſcipiunt.

§.12. *Imo inſtigante diabolo inſpuerunt in os benedictum.* S. Albertus M. dicit aliquos petulantes Judæos, non exſpuiſſe tantum in exteriorem faciem, ſed magna vi, ſceleratis digitis, & manibus aperuiſſe os, & labia, & dentes Chriſti, & inſpuiſſe fœtidiſſima ſputa, quo verbo utitur verſio & lectio græca. Quid ignominioſius, quid turpius, quid ſceleratius poteſt excogitari? *In os exſpuerunt:* ut lingua Chriſti fuerit immerſa ſputis. Taulerus. *Sentire nobis licet, cruciatum hunc Domini ipſa morte, non fuiſſe minorem.* B. Virgo dixit S. Brigittæ, *Filius meus adeo conſputus apparuit, quod quaſi leproſus apparebat.*

§.13. *Idem faciunt ſacrilege communicantes.* O ſi ego, (ſi tamen ſacrilegi aliqui communicantes ſint præſentes) O ſi ego inquam ex inferno alicujus ex his nebulonibus umbram inter infernales flammas excitare poſſem; Nunquid exclamaret, vos ſacrilegi, ſimul mecum ad unum condemnabimini ſupplicium. Sed quis es tu? Ego, dicet, ſum ille qui aperui os Jeſu & inſpui in illud. Veſtræ vero communiones, ſacrilegi, quid ſunt, niſi fœtidiſſima ſputa ex cordibus veſtris fœtidiſſimis ejecta, inter quæ ponitis corpus & ſanguinem Filii Dei. Ah miſeri! diabolus eſt in cordibus veſtris, ille malignus ſpiritus ad hanc crudelitatem & malitiam vos inſtigat. Rabies eſt, quæ vos provocat ad inferendam Chriſto Salvatori veſtro tam atrocem injuriam. Communicatis quidem, ſed in ſignum contumeliæ, & deſpectus erga Chriſtum Jeſum; adeo enim reputatis indignum, ut ſine peccato, in peccato mortali, putetis vos poſſe comedere corpus & bibere ſanguinem ejus. Adeo vobis videtur indignus, ut putetis vos ſine peccato poſſe ſanctiſſimam Hoſtiam imponere impuriſſimæ linguæ, & trajicere in cor, quod fœtidius eſt omni ſputo. Verum faceſſat & hæc feralis umbra inferni, mitius ego tecum mi homo.

§ 14. *Affectuoſa ad illos Apoſtrophe.* Ah fili mi! loquar tibi ſuaviter, ſi in animo habes hoc Paſchate communicare ſacrilege; prævidit hoc Jeſus cum pependit in cruce: itaque hoc perpende. Hæc ſacrilega communio tum magis cruciavit tuum Redemptorem, quam cruciaverint ſpinæ ſanctiſſimum ejus caput. Hoc cupio, ut ſentias in corde tuo, ſacrilegam tuam communionem illum tum plus ſenſiſſe, quam clavos & injuriam. Sputa injecta in os Chriſti, adhærentia faucibus & gutturi

gutturi inter ejus ſanguinem fœtidam illi cauſarunt mephytim; ſed fœtidiorem tua ſacrilega communio. Cogita quænam fuerit commixtio in ore Chriſti, inter divinum ejus ſanguinem, & ſputa Judæorum! Cogita talem fieri in ore tuo, in lingua tua, in corde tuo, in anima tua, quæ exhalat odorem turpiſſimorum ſcelerum, & tu audes imponere SS. Sacramentum. Nunquid hoc eſt exſpuere in faciem Chriſti?

Rupertus Abbas ait, *ejus rei quam conſpuimus*, præſertim cum aliqua indignatione, & execratione, v. g. in aliquam herbam, in aliquem florem, in aliquam medicinam, in aliquam beſtiolam, quam caſu contrivimus; *odorem nobis fœtere ſignificamus:* quis enim vidit aliquem conſpuere in candidum lilium, vel purpuream roſam, aut hyacinthum ſimilesque flores. Chriſtus Salvator noſter fuit ille flos campi, illud lilium convallium, illa roſa, Judæis tamen tam exoſa, ut oſtenderent illius odorem ſibi fœtere, in pulcherrimum hunc florem exſpuerunt, cum indignatione, cum fremitu, cum ſtridore dentium, cum exſibilationibus & innumeris blaſphemiis. His encomiis ſuum ſponſum in Euchariſtia compellat ſponſa, quod ſit flos, ſive roſa campi, quod ſit lilium convallium, fragrans folium eſt divinitas, fragrans folium ſanctiſſima Anima, fragrans folium humanitas, pulchra folia, guttæ roſei ſanguinis; quinque folia, roſea quinque vulnera. Animæ ſacrilegæ iterum ſuaviter vos alloquar, adeone vobis fœtet hic floſculus, ut in illum velitis exſpuere. Hæc folia projicietis inter ſordes & ſputa cordis veſtri. Cito hac quadrageſima cavete, abſtinete à tanta injuria, parcite Redemptori, ne aliquando in ſupremo agone ad latus veſtrum ſe ſiſtat infernalis aliqua umbra ex illis, qui tempore paſſionis conſpuerunt faciem Chriſti, & dicat, nos & vos in unum ſumus condemnati ſupplicium. Simul omnes conſpuimus faciem Chriſti, nos ſputis, vos ſacrilegiis, omnes ſimul æternum ardebimus.

§. 15. Eheu, Ieſus lilium eſt, roſa eſt fragrantiſſima & conſpuitur.

Horreo & contremiſco, dum conſidero crudelitatem Judæorum, qui aſtantes cruci, dum audiverunt Chriſtum Dominum in tantis tormentis conqueri de ſiti, in arundine illi porrexerunt ſpongiam plenam felle & aceto. S. Laurent. Juſtinian. *A ſæculo*

§. 16. In ſiti crucis morienti Ieſu, Iudæi obtulerunt fel & acetum.

culo non eſt auditum, ut homini ſitienti, laſſò, vulnerato, ac morienti, pro ſitis refrigeratione acetum hyſſopo & felle daretur mixtum, excedit totius crudelitatis limites iſta crudelitas. Ingrati, ſceleſti, ſine pietate, abſque miſericordia! quod brutis impenditur, ſitienti Dei Filio denegatur.

§.17. *Spongia, qua obtulerunt, fuit prius madida ſanguine Chriſti. Affectuoſus locus.*

Horreo & contremiſco magis dum lego, quod refert Baronius ad an. 34: moris fuiſſe apud Hebræos, ut ad ſiſtendum ſanguinem defluentem ex vulneribus eorum, qui clavis affigebantur cruci, uterentur ſpongia plena aceto & hyſſopo; ait enim Dioſcorides l.5.c.14. *Acetum erumpentem undiq; ſanguinem ſiſtit.* Plin. l.31. Hiſt.nat.c.11. Veteres ſpongiæ conglutinant vulnera, & ſanguinis profluvium ſiſtunt, ex aceto vel frigida. Probabile itaque eſt, cum crucifixores viderunt, v.g. ex vulneribus manuum profluere tam copioſum ſanguinem; quod ſpongia cum aceto & hyſſopo conati fuerint illum ſiſtere ad majus & longius tormentum; idem contigit in affixione pedum, unde certum eſt has ſpongias ſimul imbibiſſe multum ſanguinis Chriſti, qui cum felle, aceto, & hyſſopo permixtus fuit. Ideo de ſpongia, quæ hodierna die adhuc aſſervatur Romæ in Eccleſia S. Joan. Lateran. ait Baronius; *Quaſi aliquando ſanguine tincta fuiſſet, ruborem quendam adhuc retinet, quem ſemel imbibit, ſicque putamus madidam prius ſanguine ſpongiam, atq; preſſam aceto poſtea, & hyſſopo ſuperinfuſam, ſacratiſſimo ori Domini propinatam.*

§18. *Renovant hanc injuriam, & crudelitatem ſacrilegè communicantes.*

Sine compaſſione erga meum Jeſum, ſine horrore ob tantam malitiam Judæorum, talia cogitare non poſſum, ſed multo minus hoc; quod hodierna die Chriſtiani Catholici illud committant ſcelus, nimirum ſacrilegam communionem, quæ ſitientem & morientem in cruce Jeſum multo cruciavit amplius, quam ſitis, & fel, & acetum. Qualis crudelitas? qualis rabies? ſceleſti, ingrati, ſine pietate abſque miſericordia, quod fel aſpidum, fel draconum, fel veſtræ ſuperbiæ, fel veſtræ luxuriæ, vinum & abſynthium de Sodoma & Gomorrha, prius in ſacrilega confeſſione velitis miſcere ſanguini Jeſu veſtri Salvatoris, ut ita potus, quem ſumitis in ſacra communione vobis ſit in damnationem! Jeſu veſtro ad majorem cruciatum, in ſignum contumeliæ & contemptus. Excedit totius

totius crudelitatis limites iſta crudelitas. Lingua veſtra ſpongia eſt plena ſanguine Chriſti & veneno ſcelerum. Labia veſtra ſpongiæ ſunt madidæ ſpuma libidinis. Rabidi veſtri dentes, ſpongiæ ſunt ſtillantes felle iræ & odii; Ecce ſanguinea vulnera pedum Jeſu Crucifixi, agite canes, lingite ſanguinem! Ecce vulnera manuum huc veſtras ſpongias, veſtras linguas, venenati aſpides, bibite; ut magis in cruce ſitiat Jeſus. Ecce vulnus lateris, & dulciſſimi cordis! O fœtentes hirci, veſtrarum linguarum ſpongiis cogitatis ex fonte vitæ haurire divinum ſanguinem.

Hiate abyſſi terræ! Inferi aperite portas veſtras, huc, huc! hic ſiſtite aliquam terribilem umbram vel animam ex illis Judæis, & crucifixoribus, qui ſitienti & morienti Jeſu porrexerunt talem ſpongiam! Quid? non hiat terra? non aperiuntur inferi? talis umbra non comparet? Tu es mi amantiſſime Jeſu, cujus clementia hoc non permittit. Sed ſceleſti; niſi cito, niſi hac quadrageſima, niſi intra quatuor ſeptimanas, pœnitentiam agatis, & ſerio atque integre peccata veſtra confiteamini; veniet hora, qua triplex monſtrum Malchus, qui alapam inflixit Jeſu! unius umbra ex Judæis, qui inſpuerunt in os Chriſti! Tertia larva alicujus ex crucifixoribus, vos terrebunt & dicent, vos una nobiſcum ad unum ſupplicium condemnati eſtis. Nos alapas dedimus! nos Regem gloriæ conſpuimus! nos felle & aceto cum ſanguine ejus, illum potavimus; vos gravius commiſiſtis ſcelus, vos ſacrilege communicaſtis. §. 19. *Vehemens motus.*

Animæ piæ, rogo vos per amorem Jeſu, juvate me! procumbite mecum in genua, & una mecum pro his peccatoribus dicite unum Pater & Ave, vel cum S. Franciſco Xaverio *Aeterne rerum omnium effector Deus, &c.* §. 10. *Brevis Apoſtrophe ad Auditores.*

CONCIO XIX.

DOMINICA PALMARUM.

Dicite filiæ Sion; Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.
Matth. 21. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de ineffabili amore, quem Chriſtus Dominus demonſtravit pro genere humano redimendo, tam atrocia tormenta patiendo: quæ charitas & dilectio movere nos debet ad ſeriam pœnitentiam.

§. 1. *Exordium eſt brevis repetitio præcedentium concionum.*

§. 2. *Beneficia, & tolerantia cruciatuum, produnt amorem.*

§. 3. *In Chriſto Domino fuit exceſſus doloris & amoris. De utroq; Chriſtus Dominus libenter fuit locutus.*

§. 4. *Quomodo S. Paulus dicat charitatem Chriſti Domini fuiſſe nimiam.*

§. 5. *Propter nimiam charitatem dedit pro nobis ſanguinem ſuum. Pulchra Teſtimonia Sanctiſſimorum Patrum.*

§. 6. *Crux Chriſti eſt aureum ferculum amoris.*

§. 7. *Ob nimiam charitatem Chriſtus Dominus putavit eſſe levia quæ pertulit. Locutus fuit de Electis, non tanquam à ſe redemptis, ſed datis à Patre.*

§. 8. *Eodem modo loquendi uſus fuit in colloquio cum duobus diſcipulis euntibus in Emaus.*

§. 9. *Quanta ſit charitas liberare hominem ex magno periculo.*

§. 10. *Chriſtus Crucifixus totus fuit incenſum & holocauſtum amoris.*

§. 11. *Symbolum de monte Aetna, evomente flammas. Pia digreſſio ad vulnera Chriſti.*

Cona-

Digitized by Google

COnatús ſum hactenus aliquot concionibus per hanc quadrageſimam peccatores adhortari ſerio ad ſeriam pœnitentiam: quæ in ſcelerum agnitione, Dei timore; contritione & dolore, in integra peccatorum omnium coram ſacerdote Confeſſione, cum firmo propoſito emendationis, in ſatisfactione, & quod caput, in vitæ mutatione conſiſtit. Uſus ſum variis argumentis, præſertim quod in hoc negotio omnis mora & dilatio ſit periculoſa. Terrui etiam obſtinatos gravioribus minis; Juſtus enim eſt Dominus! qui poſtquam multis annis ſine fructu fuit longanimis & miſericors, poſtquam diu fruſtra exſpectavit pœnitentiam, poſtquam longo tempore in bonitate, & benignitate permanſit, qua impios toleravit, tandem iraſcitur, & amor ejus convertitur in furorem. Ne hoc fiat, hac ultima quadrageſimali concione hanc vobis proponam propoſitionem. Amor Chriſti Domini, quem in ſua paſſione erga nos oſtendit, eſt ineffabilis. Pro tanto amore à nobis aliam non petit mercedem, quam ut ſerio convertamur ad Dominum, & veram agamus pœnitentiam. Si meminiſſe vultis eorum, quæ dixi in concionibus duabus ultimis de ſacrilega Confeſſione & Communione, hæc erit propoſitio concionis. Qui infinitum illum amorem, illum exceſſum amoris perpendit, ex quo Salvator noſter pro nobis mori voluit ignominioſiſſima morte crucis, hic talem ac tantum amatorem tam atroci ſcelere, quale eſt ſacrilega Communio vel Confeſſio, nequaquam offendet. Dabo operam ut affectuoſa ſimul myſteria de Paſſione Chriſti interſeram.

§. 1. Exordium eſt brevis repetitio priorum concionum.

Eleganter & breviter dixit Romanæ eloquentiæ Princeps Cicero lib. de amicit. *Duo ſunt quæ amantem produnt; amato benefacere; & ejus causa cruciatus ferre; & hoc majus eſt.* *Itaque conſiderate* (ait S. Chryſol. ſer. 69.) *cœlos tam formoſos, tam ſplendide ornatos, ſole, luna, ſtellis. Diſcurrite per terram diſtinctam fluviis, montibus, vallibus, hortis, ſylvis, ornata omnia floribus, fœcunda fructibus, repleta tot animalibus. In aere quot volucres? in mari quot piſces, quot gemmæ, quot uniones? Ab igne quæ & quantæ utilitates? Omnia hæc produxit Divinus amor ex amore infinito erga nos homines. Tot in nos collata beneficia produnt amantem. Sed adhuc* (cit. S. Chryſol.) *parum eſſe:*

§. 2. Beneficia, & tolerantia cruciatuum pro alio, probant amorem.

eſſe credidit, ſi affectum ſuum erga nos, præſtando proſpera tantum, & non etiam adverſa ſuſtinendo, monſtraret. Itaque deſcendit Deus in hunc mundum, factus eſt homo in utero Virginis, natus ex illa fuit in ſumma paupertate, in laboribus à juventute ſua uſque ad annum trigeſimum tertium; in fine vitæ perpeſſus horrenda, mortuus denique in cruce; *Vt tarda mens hominis, & intelligentia ſatis pigra, vel morte in ſe Dei probaret affectum, quæ prædictis & innumeris Dei beneficiis, Dei erga ſe non intellexerat, non ſenſerat charitatem.* Angelicus Doctor S. Thomas. *Per hoc enim homo cognoſcit, quantum Deus diligat hominem, & per hoc provocatur ad eum diligendum, in quo perfectio humanæ ſalutis conſiſtit.* Rogo itaque meos Auditores, ut & ipſi, cum his diebus intelligant, quæ & quanta Chriſtus Dominus paſſus ſit pro nobis ex puro amore, ut ſimul perpendant, an non æquum ſit, ut provocemur ad eum redamandum, ut inquam hac ſeptimana ſeriam agamus pœnitentiam, & à creaturis ad Deum convertamur benefactorem & Redemptorem noſtrum.

§. 3. *In Chriſto Domino fuit exceſſus doloris & amoris. De utroque libenter fuit locutus.*

Narrat S. Lucas expreſſe cap. 9. v. 31. quod Moyſes & Elias in transfiguratione Domini, cum in monte Thabor in præſentia Petri, Joannis & Jacobi, ſpecies vultus immutata eſt, & veſtitus ejus albus & refulgens, cum lucida nubes obumbraret illum, cum vox facta eſt de nube dicens, *Hic eſt filius meus dilectus*; tum inquam Moyſes & Elias loquebantur *de exceſſu ejus, quem completurus erat in Ieruſalem.* Sed quis fuit ille exceſſus? an fuit exceſſus profundiſſimæ humilitatis, & obedientiæ, quod mori voluerit in cruce ex mente S. Bonaventuræ? an fuit quidam exceſſus inauditæ paupertatis, quod nudus voluerit pendere in cruce, ſine refrigerio, vel guttula aquæ in ardentiſſima ſiti, inter anguſtias mortis? An vero locuti fuerunt de exceſſu, ſive magnitudine dolorum, quos pertulit. Sic ſenſit S. Cyrillus in cat. aurea. *Dicebant exceſſum ejus, videlicet myſterium diſpenſationis in carne, nec non ſalutiferam Paſſionem completam in cruce.* S. Bonav. *fuit exceſſus doloris*, ſed addit; *fuit etiam exceſſus amoris.* de quo Dion. Carthuſ. *dicitur Paſſio, ſeu mors Chriſti exceſſus, quia in ea oſtenſus eſt exceſſus ſummæ dilectionis, & pietatis ejus ad nos, & propter exceſſivum ejus dolorem pro nobis.* Ea-

Digitized by Google

bis. Eadem fuit mens S. Bonav. in medit. de paſſ. Chriſti in v.21. c.11. Sap. *Omnia in menſura diſpoſuiſti.* & v.36. c.4. l.4. Eſdræ. *In ſtatera ponderavit ſæculum, & menſura menſuravit tempora, & numero numeravit tempora. Quamvis* (ait S. Bonav.) *O benigne Ieſu! omnia in menſura feceris, hoc ſolum,* ſcilicet *diligere* (addo ego pati) *nunquam in menſura feciſti: nec mirum, quia ſpiritum ad menſuram non accepiſti, ſed hodie maxime in fervore charitatis exceſſiſti.*

§ 4. *Quomodo S. Paulus dicat charitatem Chriſti Domini fuiſſe nimiam.*

Merentur hæc dicta SS. Patrum, ut confirmentur ex ſacris literis & quidem à S. Paulo Apoſtolo ad Eph.2. v.4. *Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Chriſto.* S. Bern. ſer.4. hebd. ſ. *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos. Vt ſervum redimeret, nec Pater Filio, nec ſibi Filius ipſe pepercit. Vere nimiam! quia & menſuram excedit, modum ſuperat, plane ſupereminens univerſis.* S. Cyrillus l.9. in Joann. c.23. *Vides novum atq; inauditum dilectionis modum? nequaquam ad noſtram humilitatem deſcendiſſet, nequaquam tam acerbum pro nobis crucis patibulum ſuſtuliſſet, niſi dilexiſſet, niſi nimis nos amaſſet.*

§.5. *Propter nimiam charitatem pro nobis dedit ſanguinem ſuum.*

S. Auguſtinus in ſoliloq. c.13. exclamat, *O bone Ieſu, in tantum dilexiſti me, ut ſanguinem tuum in pretium dares pro me. Dilexiſti me Domine plus, quam te, quia mori voluiſti pro me.* Pulchre dixit S. Raphael ad Tobiam, c.6. v.5. *Exentera hunc piſcem, & cor ejus, & fel &c. Cordis ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Pulchre Hugo Card. *quia non ſufficimus totum amorem meditari & cogitare, ideo dicitur de cordis particula &c. & ſi hoc ſuper carbones imponatur id eſt, ſi quis de hoc vere, & efficaciter meditetur, fieri non poteſt ut non renuntiet dæmoni, & revertatur ad Chriſtum.* S. Thomas de Villa Nova Conc.3. in Nat. Domini. *Quis enim, ne dicam hominum, ſed neq; Angelorum, qui à ſæculo vident te, amoris tui immenſū pondus, & ardentiſſimā vim perfecte cognoſceret? Quis eorum, vel ſuſpicari poſſet à longe tanta charitatis ardorem? Quod ſi amares, ita diligeres, ut te ipſum cruci & morti exponeres pro vermiculis? excedit! exſuperat ſupra modum hæc charitas tua Domine, quam in noſtra redemptione monſtraſti; omnem ſcientiam, & omnem ſenſum non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum.* Et S. Bonav. in ſtim. div. am.

Non credo quod Angeli de paradiſo poſſent ſuis intelligentiis capere hanc vehementiam charitatis, qua Dominus noſter Ieſus voluit talia pati, pro nobis viliſſimis ſervis, imo nequiſſimis inimicis. Ecquid facimus obſecro? ſi amor amorem deſiderat, ubi latet noſtrorum amor cordium? Si oculum pro oculo, dentem pro dente requirimus, cur non pro vita vitam, pro ſanguine ſanguinem refundimus? O frigida corda noſtra, quæ divinum amatorem tam parum redamant! ingrata corda noſtra, quæ tantis, tamque immenſis Dei beneficiis tam parum reſpondent.

§ 6. *Crux Chriſti eſt aureum ferculum amoris.*

Cap. 3. v. 9. Cant. ait. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon, de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtravit, propter filias Ieruſalem.* Plane affectuoſa eſt explicatio Interpretum, qui dicunt, *in medio ferculi* (in medio currus) *depingi, aut ſculpi, aut ſcribi fecit Rex Salomon, tanquam verus amator, hiſtoriam amorum ſuorum,* id eſt, ex mente Lud. Bloſii, *Omnem acerbiſſimam paſſionem ſuam, quam ex amore puriſſimo ſuſtinuit.* Tale ferculum fuit crux Chriſti Salvatoris, in illa legere poſſumus hiſtoriam amorum, &c. Hiſtoriam illorum tormentorum quæ ex amore pro nobis pertulit. Opto, ut corda quoque noſtra ſint talia quoque fercula, vel picturæ, quibus cupio inſcriptam eſſe v. g. Chriſti Domini flagellationem, aut coronationem ſpineam &c. ut ſimus veri amatores Chriſti crucifixi.

§. 7. *Ob nimiam charitatem Chriſtus putavit levia eſſe quæ pertulit. Locutus fuit de electis non quaſi à ſe redemptis, ſed tanquam ſibi donati eſſent à Patre.*

Ex alia pulchra circumſtantia exceſſum amoris, quem Chriſtus Dominus nos redimendo declaravit, exponit Richardus de Sancto Victore in cap. 20. in Cant. & quidem ex illis verbis Chriſti Domini apud S. Joannem c. 17. v. 11. *Pater ſancte! ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. Et qua ratione, vel quo ſenſu Chriſtus Dominus dicere potuit, illos ſibi datos, vel donatos, pro quibus, ut illos redimeret, tam atrocia ſuſtinuit tormenta! nunquid melius dixiſſet, Pater ſerva illos, pro quibus factus ſum homo, pro quibus ſanguinem ſudavi &c. Veriſſima hæc ſunt,* reſpondet citatus auctor, *ſed de electis loqui voluit, quaſi ſibi dono donati eſſent. Vt incomparabilem demonſtraret charitatem: quæ charitas circa eorum ſalutem tanta fuit, quod cum eos pretio ſuæ mortis redemiſſet, non tam redemptos à ſe, quam à Patre ſibi datos commemorat, in tantum de ipſorum Redemptione exultat, ut*

Digitized by Google

tat, ut non putaret magnum id, quod pro eis pertulit; ſed videatur eos, quos accepit, datos ſibi potius in munere, quam emptos pretio vel recompenſatione. Dionyſius Carth. miratus modum loquendi, quo cap. 29. gen. v. 20. ait, Jacobo, paucos viſos fuiſſe dies, ſeptem annos, quibus ſervivit pro formoſa Rachele, ait, Jacobum hoc putaſſe, quod licet ſeptem annis debuerit ſervire, in æſtu & gelu, his laboribus emerit *rem tam amabilem*, dignam omni amore, etiam magnitudine amoris. Hic idem amor fuit in Chriſto Domino, & in gradu longe ſublimiori, quam fuerit in Jacobo erga Rachelem. *Nam* (Hugo Card.) *brevia & levia reputavit omnia, quæ pro electis ſuſtinuit.* Suſtinuit in monte Oliveti agoniam? amori brevis & levis fuit agonia licet ſanguinea. Suſtinuit funes & vincula? catenas & compedes! Breves & leves amori ſunt catenæ, licet ferreæ. Suſtinuit alapas, & colaphos! Breves & leves colaphi, licet ferrea chirotheca impacti. Suſtinuit ſcuticas, virgas, & flagella? Suſtinuit falſas accuſationes, detractiones, mendacia, blaſphemias? Suſtinuit illuſiones, contemptus? Suſtinuit crucem, & mortem denique crucis amariſſimam! Brevia omnia & levia fuerunt amanti.

Die glorioſæ Reſurrectionis, circa veſperum in via Chriſtus Dominus in forma peregrini ſeſe duobus diſcipulis euntibus in Emaus adjunxit, & ut fieri aſſolet, ex illis quæſivit, quis eorum eſſet ſermo; cumque inſtar peregrini ſimularet, nihil ſe de iis, quæ contigerant circa Chriſtum Dominum intellexiſſe, quidam ex diſcipulis dixit, *Tu ita peregrinus es, ut neſcias quæ his diebus acciderunt?* ait Chriſtus Dominus, *Quæ*? Luc. 24. v. 18. Mi Jeſu! quæ quæſtio eſt iſta? nonne tu ipſe es, cum quo Judæi tam crudelem luſerunt tragœdiam? nonne tu es, in quem flagellis horrendum in modum deſævierunt? nonne tu es, de quo veriſſime Propheta, *vidimus eum, & non erat aſpectus, noviſſimorum virorum, &c.* Nonne tu es, in quem, velut ſcopum, omnia invidiæ, nequitiæ, furorisque tela collimarunt? Ah, quid interrogo? Tu tu ipſiſſimus es ille, & non eſt alius præter te! Tu, tu ille es, qui hæc toleraſti univerſa. Et adhuc interrogas, Quæ? perinde acſi vel nulla, vel ludicra forent, quæ ſuſtinuiſti tormenta. Nimirum ita eſt, vel nulla vel lu-

§. 8. Eodem modo loquendi uſus fuit in colloquio cum duobus diſcipulis euntibus in Emaus.

Digitized by Google

dicra forent, quæ ſuſtinuiſti tormenta. Nimirum ita eſt, vel nulla vel ludicra fuerunt tuo amori hæc omnia. Amor non ſatiatur pœnis. Pulchre S. Bern. de duobus diſc. eunt. in Emaus. *Non eſt interrogatio neſcientis, ſed & quædam reciprocatio doloris.* Id eſt Chriſtus Dominus libenter audivit illos loqui de doloribus, quos perpeſſus fuerat; ideo quærendo, *Quæ;* voluit illis præbere anſam loquendi de myſteriis Paſſionis. Didacus Stella putat Chriſtum D. hac particula, *Quæ,* voluiſſe ſuis diſcipulis inſinuare, omnia tormenta reſpectu gloriæ, qua jam fruebatur glorioſum ejus corpus, eſſe quaſi nihil, vel exiguum quid. Quaſi diceret, dicitis Magiſtrum veſtrum eſſe flagellatum, ſed quid eſt hoc reſpectu gloriæ, qua jam fruitur. Dicitis illum coronatum ſpinis, ſed quid eſt hæc corona ſpinea præ illo gloriæ diademate, quo jam redimitus triumphat? Dicitis illum ludicra purpura veſtitum, & joculari arundine illuſum? Sed quid ſunt iſti contemptus præ ſceptro Majeſtatis, præ purpura gloriæ? Dicitis illum irriſum à Judæis, nunc honoratur ab Angelis; dicitis illum Barabæ poſtpoſitum; nunc omnium Dominus creaturarum eminet illuſtris victoria. Quæ ſunt illa, quæ paſſus eſt, præ illis quæ conſecutus eſt? Si verò hunc locum applicare velimus immenſo amori Chriſti, de quo ago in hac concione, citata verba, vel particulam, *Quæ,* idem Didacus Stella ſic exponit. *Sic nos Chriſtus diligit, ut totum, quod pro nobis fecit, & paſſus eſt, parum ei videatur, ſi cum amore, quo nos afficit, appenderetur. Ideo dicit, quæ? parum enim id eſt, præcipue cum pro vobis ſuſtinuerim, parvi facio omnia. Et quidem ſi opus eſſet, iterum mori pro vobis, equidem morerer.* Quod Ludovicus de Granada confirmat, Concione 6. in Paraſc. *Si pro unoquoque noſtrum, mors illi ſubeunda eſſet, nullo modo charitas deeſſet, qua tot mortes, pro ſingulis quibusque ſubiret.* Fierine poterit, ut aliquis peccator hac ſeptimana magnitudinem & immenſitatem hujus amoris perpendat, & non cogitet de pœnitentia. Fili! adeo te diligit Jeſus, ut paratus ſit, pro tua anima, tanquam pro re amabili, iterum flagellari, iterum coronari ſpinis, iterum crucifigi; ſed petit, ut convertaris ad Dominum tuum &c. Et hic tuus amator non tibi videtur tam amabilis, ut in gratiam ipſius ſeriam agas confeſſionem? Aliud mihi perſuadeo.

Quin-

Digitized by Google

Quintilianus in declam. 2. facit mentionem filii, qui ut parentem liberaret ex incendio, inſiliit in ignes, patremq; à flammis vindicavit, verum cum utriuſq; oculi jactura, quam hiſtoriam præ oculis habuiſſe videtur S. Chryſoſt. hom. 6. fer. 5. Paſſ. *præſtet quis beneficia, largiatur dona, ſit benefactor, in proſperis diligat obſequentes; nunquid illi poterit comparari, qui in ſe ſuorum ſuſcepit neceſſitates, qui ſe periculis anteponit ſuorum? qui ſe pro ſuis dat pœnis? corpus objectat morti? ut illos neci ſubtrahat, ut illos reſervet ad vitam? adverſis probatur amor, affectio penſatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur.* Notiſſima ſunt beneficia, quæ Chriſtus Dominus nobis exhibuit, & exhibet etiamnum, largitur nobis dona innumera, eximius fuit benefactor, & liberaliſſimus amator, ſed hoc inſuper fecit, ut nos neci ſubtraheret æternæ, ut peccatores reſervaret ad vitam, pro nobis pati & mori voluit. Sanguineo ſudore, flagellis, ſpinis, clavis, cruce, vulneribus, effuſione ſanguinis probatus fuit ejus amor: ex ejus doloribus, penſate affectionem, examinate dilectionem, & videbitis quam perfecta fuerit ipſius charitas. Finem ſuo diſcurſui his aureis verbis imponit S. Chryſ. *Hinc eſt quod Chriſtus ſubit contumelias paſſionum, pœnarum genera percurrit* (non unum tormentum ſuſtinere voluit, ſed varia) *mortem ſuſcepit peramaram; quod fecerit*, cauſa eſt, *quia ſic amavit.* Quæro ego ex vobis Auditores, annon putetis, æquum eſſe, viciſſim ex amore & dilectione, erga talem benefactorem, erga talem Redemptorem, ut hac quadrageſima impius agat pœnitentiam, ut convertatur ad illum, ut integram peragat confeſſionem, & hoc paſchali tempore puro quantum fieri poteſt corde, diviniſſimo epulo accumbat? Eia peccatrices animæ! en ipſe ſic vos amavit, ut totum ſe dederit vobis in cruce, vos viciſſim ſic amate: ut totos vos ipſi conſecretis in amore! ipſius amor talis fuit, ut cum vita ſanguinem expenderit omnem, vos ſi non ſanguinem (quod tamen longe æquiſſimum eſſet) amorem ſaltem veſtrum expendite, quid minus poteſtis tanto amatori rependere?

§. 9. Quanta ſit charitas liberare hominem ex magno periculo cum ſuæ vitæ periculo.

Gaudeo bene eſſe S. Iſidoro in cœleſti gloria, ob pulcherrimum diſcurſum, quem mihi ſuggerit, ut declarem immenſitatem amoris Chriſti in ſua ſanctiſſima Paſſione, ait lignum dici ab igne; *quia incen-*

§. 10. Chriſtus Crucifixus totus fuit incenſum & holocauſtum amoris.

incenſum in lucem vertitur & in flammam. Quis hic non cogitet, ô ſanctiſſimum lignum crucis, mi Jeſu! quæ cauſa fuit, quod in cruce volueris mori? quod in altari hujus ligni, cœleſti Patri volueris offerre holocauſtum tuæ mortis? puto regium pſaltem reſpondiſſe quæſtioni pſ.19.v.4. *Et holocauſtum tuum pingue fiat.* holocauſtum, id eſt, *totum incenſum.* Agnus v.g. qui in Veteri Teſtamento fuit oblatus pro holocauſto, totus debuit comburi: in cruce ergo, in ligno Chriſtus Dominus voluit mori, ut totus verteretur in flammam amoris. Cap.21. Numer. v. 8. dixit Deus Moyſi, *fac tibi ſerpentem aneum*, textus hebraicus ait, *fac tibi ſerpentem ignitum.* Figura fuit hic ſerpens Chriſti Domini ardentis, & combuſti in cruce. S.Paulus ad Hebr. c.13.v.12. *Ieſus ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Hugo Card. *Extra caſtra. Et ſua paſſio dicitur combuſtio. Igne enim dilectionis, vel tribulationis, coctus eſt in craticula crucis.*

§. 11. *Symbolum de monte Ætna evomente flammas Pia digreſſio ad vulnera Chriſti.*

Ut quidam amator exprimeret dilectæ ſponſæ ardorem ſui amoris, curavit depingi Ætnam, evomentem undique flammas cum hac inſcriptione: *foris apparet.* Eia aſcendite montem Calvariæ; conjicite oculos in crucifixum, manuum, pedum, & amantiſſimi cordis vulnera poſtes ſunt, rimæ ſunt, ex quibus erumpit flamma immenſi amoris. Thren.1.v.11. *Omnes qui pertranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Quoniam de Excelſo miſit ignem in oſſibus meis.* His verbis Chriſti pendentis in cruce reſpondit S.Bonav. in ſtim. d. am. p.2.c.18. *Imo Domine attendam, & videbo, ſi eſt amor ſicut amor tuus, imo ſi eſt amor, niſi amor tuus. Et ideo nihil niſi te, & propter te volo amare.* Utinam hac ſeptimana hæc faciant mei Auditores; hoc ſpero, vos indurati peccatores, quæſo propter illum, qui ita vos dilexit, agite pœnitentiam (eſt locus pro pulchro affectu) aſpicite hanc imaginem! legite hanc ſcripturam, attendite, videte; in profunditate horum vulnerum, legite altitudinem charitatis, qua dilexit nos. In copia erumpentis ſanguinis legite abundantiam amoris; mors Salvatoris vobis proponit vitam amoris. Foris apparent radii tantum amoris, intus in corde, eſt charitatis incendium. Ut bene exclamaverit S.Bonav. in ſtim. div. am. *O bone Ieſu, quid feciſti? quod me tan-*

me tantum amaſti! Quare Domine? Quare? Quare Domine Ieſu! Quid ſum ego? quisquis hoc quærit, illi ſuadeo, ut dicat cum S. Auguſtino ex c.10. Manual. *Amo te, Deus meus amo te! & magis atque magis amare volo. Da mihi Domine Deus meus, ſpecioſe præ filiis hominum, ut deſiderem te, ut amem te, quantum volo, & quantum debeo.* In Seraphico S. Franciſco talis fuit ardor amoris, ut ſuſpiraverit, *Da Domine mihi mori amore amoris tui, qui amore amoris mei dignatus es mori.* S. Petrus Martyr. *Da Domine mihi mori pro te, qui mori voluiſti pro me.* Finio, ſed quod ſæpius hactenus dixi, nunc iterum dico. Amor amorem exigit, ure Domine Jeſu, ure igne amoris tui corda noſtra, & renes noſtros, ut amore amoris tui ſuccenſi, poſthac non amemus ſordida, non caduca, non temporalia, ſed te ſolum atque unum, qui omnis boni compendium eſt, amorem divinum. Amen.

CONCIO XX.

DE PASSIONE D. N. JESU CHRISTI.

De Trihorio Crucis.

Clamans voce magna Ieſus ait, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: & hæc dicens, Expiravit.

Luc. 23. c. v 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEcem Punctis agit de trihorio crucis, agonia & morte Chriſti. 1. eſt, de prima hora trihorii. 2. De tenebris & terræ motu. 3. De lachrymis Chriſti in cruce. 4. Pependit medius inter duos latrones. 5. De altera hora trihorii. 6. De ſanctiſſimis Vulneribus Crucifixi. 7. De copioſa effuſione ſanguinis.

guinis. 8. De tertia hora trihorii, & agonia Chriſti in cruce. 9. De ejus morte, & apertione lateris. 10. Epilogus concionis.

§.1. *Pia deſideria Autoris, figendi in auditorum cordibus imaginem crucifixi.*

§.2. *Propoſitio concionis.*

§.3. *Trihorio, Chriſtus vivus pependit in cruce.*

§.4. *In altum elevatus, æterno Patri, obtulit ſacrificium crucis.*

§.5. *Deinde oravit pro inimicis.*

§.6. *Orando pro inimicis, oravit pro omnibus peccatoribus, etiam hodie exiſtentibus.*

§.7. *Ignoſcamus exemplo Chriſti, & nos noſtris inimicis. Quam id placeat Chriſto D.*

§.8. *Iudæi blaſphemarunt Chriſtum pendentem in cruce.*

§.9. *Quam terribiles fuerint tenebræ.*

§.10. *Variæ illarum cauſæ.*

§.11. *De commotione & conturbatione aliarum creaturarum, cum apoſtrophe ad obſtinatum peccatorem.*

§.12. *Chriſtus D. in cruce ferventiſſime oravit.*

§.13. *Variæ cauſæ ob quas Chriſtus D. flevit in cruce.*

§.14. *Proſecutio.*

§.15. *Filii lachrymarum crucifixi non poſſunt perire.*

§.16. *Chriſtus D. pependit inter duos latrones medius.*

§.17. *Circa initium horæ ſecundæ, fuit allocutus Matrem & Diſcipulum.*

§.18. *Immenſi dolores Chriſti D. in trihorio crucis.*

§.19. *In pedibus & manibus.*

§.20. *Ob extenſionem omnium membrorum.*

§.21. *Per totum corpus.*

§.22. *Ingentem dolorem cauſavit ſpinea corona.*

§.23. *Quibus verbis ſacra ſcriptura explicet dolores cordis Chriſti D.*

§.24. *Præ nimio dolore, clamavit Eli, Eli, &c. Cor agonizantis Chriſti ſudavit ſanguinem.*

§.25. *Chriſtus in cruce vulneratus eſt.*

§.26. *Crucifixus vulneratus eſt templum Divinitatis.*

§.27. *Chriſtus vulneratus cælum in terra.*

§.28. *Veneramur Vuln. Crucifixi.*

§.29. *Quam copioſum Chriſtus D. effuderit ſanguinem.*

§.30. *Quam nobilem & precioſum ſanguinem.*

§.31. *Quod probatur affectuoſa hiſtoria.*

§.32. *Invectiva in peccatores qui ſangui-*

ſanguinem Chriſti, pedibus conculcant.
§.33. *Conqueritur de ſiti, potatur aceto.*
§.34. *Amati à crucifixo, illum redamant.*
§.35 *Signa agoniæ Chriſti morientis in cruce. Primum lethalis ſudor.*
§.36. *Alterum ſignum. Fracti oculi Chriſti crucifixi.*
§.37. *Tertium ſignum. Tumor pectoris.*
§.38. *Quartum ſignum, quia ait, Conſummatum eſt.*
§.39. *Quintum ſignum agoniæ. Inclinatio capitis.*
§.40. *Sextum ſignum.*
§.41. *Vltimum verbum & Mors Chriſti in cruce.*
§.42. *Quomodo debeamus lugere mortem Chriſti.*
§.43. *Longinus lancea aperit latus Chriſti.*
§.44. *Cur Chriſtus D. voluerit latus ſuum ita aperiri.*
§.45. *Piũ facinus Braſilæ Virginis.*
§.46. *Aliud B. P. Franciſci Borgiæ.*
§.47. *Aliud Benedicti Palmis quomodo magnum peccatorem converterit.*
§.48. *Hic eſt ſcopus hujus concionis, ut peccatores convertantur.*
§.49. *Ieſus crucifixus benedixit S. Hedvvigi.*

VT hodierna die Paraſceves, meam de paſſ. Chriſti concionem, audiatis cum fructu, peto à vobis, Audit. amantiſſimi, ut cum ſponſa imaginem crucifixi, veluti faſciculum myrrhæ ponatis inter ubera veſtra, ſive ut imaginemini vobis, vivaciſſime adeſſe vos in monte Calvariæ tremendo myſterio crucifixionis, cogitate vos videre illum in illo ſchemate, in quo pro nobis pependit in cruce: illas manus ligno trabalibus clavis affixas, illa extenſa brachia, perforatos pedes, caput horrẽdis ſpinis coronatũ, ſemimortuos, & lachrymis, ſanguini, ſputisq; imẽrſos oculos, innumera in toto corpore vulnera. Talia piiſſimis verbis nobis ſuadent S. Bern. & S. Auguſt. Ille, ſuper cantica, *depinge tibi quaſi ante oculos, Dominum in cruce pendentem.* Vult S. Pater nos eſſe pictores, ut in cordibus noſtris, veluti in tela S. Veronicæ, depingamus imaginem crucifixi; S. Auguſtinus in Manuali c. 21. ait, *Hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus eſt in cruce.* Verbum hoc *figere*, in memoriam mihi revocat viſionem in qua B. Claræ de monte Falcone, dũ myſterium crucifixionis meditaretur, apparuit Angelus in ſpecie formoſiſſimi juvenis cum aurea cruce, & his verbis Virg. fuit allo- §. 1. *Pia deſideria Autoris, figendi in auditorum cordibus imaginem crucifixi.*

Digitized by Google

cutus: *Filia mea, quæſivi locum ſolidum, in quo hanc crucem plantarem, & inveni cor tuum, ibi in corde tuo eam figere volo.* Hoc fecit Angelus; & poſt Claræ obitum, aperto pectore in corde pulcherrima imaguncula Jeſu crucifixi fuit reperta. Elevate oculos, animæ piæ, ecce imaginem crucifixi; telam quæro, in qua illam poſſim depingere: quæro marmor, cui poſſim inſculpere. Ecce! *faſciculum myrrhæ*; ubera quæro, inter quæ illum reponam; Ecce ſignaculum ſponſi, quæro ceram, cui imprimam. Ecce arborem vitæ! deſidero hortum, in quo poſſim plantare. Ecce theſaurum omnium divitiarum, date vos mihi ſcrinium, cui includam. Loquar clarius. Corda veſtra præparate, Auditores, extendite illa veluti mundiſſimam telam, ut in illis depingam Jeſum crucifixum. Et vos, O impii, parate corda veſtra; licet ſint marmor, conabor tamen inſculpere illam imaginem. Penicilli, cultri, aliaque inſtrumenta, erunt flagella, ſpinæ, clavi, lancea. Aperite mihi ubera cordium, præſertim ſi hodie plena ſunt lacte teneræ devotionis, inter illa reponam hunc faſciculum myrrhæ. Parate corda veſtra, id eſt, flammulis & ignibus piorum affectuum, compaſſionis, doloris, amoris, ita illa liquefacite, ut ſint veluti cera, tum ego imprimam ſignaculum crucis. Non quæro hortos vel ſylvas, ut in illis plantem hanc arborem vitæ, ſed corda veſtra; illa cupio eſſe ciſtulas & ſcrinia aurea, quibus hunc theſaurum includam. Verbo, in cordibus veſtri cupio figere Jeſum crucifixum.

§. 2. Propoſitio Concionis. Antequam id faciam, vos paucis moneo, hanc meam concionem de paſſione Chriſti, eſſe ordine quintam. Prima agit de myſteriis Horti in monte Oliveti, uſque ad ſudorem ſanguineum. Secunda, de Captivitate, & reliquis myſteriis triſtiſſimæ noctis, quæ diem Paraſceves præceſſit. Tertia, De Accuſatione coram Pilato, illuſione in aula Herodis, de flagellatione, & ſpinea coronatione. Quarta, de ſententia mortis, bajulatione crucis, & modo crucifixionis. Hujus quintæ objectum, ſive materia erit Trihorium, quo Chriſtus Salvator noſter pependit in cruce, donec exſpiravit. Ad obtinendam neceſſariam gratiam, rogo vos, ruite una mecum in genua, & coram crucifixo dicite mecum devotum *Pater & Ave.*

Punctum

Punctum I.
De prima hora trihorii.

SUppono ex textu Evangeliorum, veriſſimum eſſe, quod Chriſtus D. tribus integris horis, vivus pependerit in cruce. Nam de Jeſu exſpirante ait S. Matthæus c.27.v.46. *Circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens Eli, Eli lamma ſabachthani.* Et paulo poſt v.50. *Iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum*, id eſt, hora nona, quæ ſecundum noſtrum computum, fuit tertia pomeridiana. De initio verò crucifixionis ait S. Marcus c. 15. v. 25. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* S. Joannes quidem dicit, fuiſſe quaſi ſextam, quando Pilatus Judæis tradidit Jeſum crucifigendum; quæ ita ſunt componenda, ut ſexta fuerit finiens, ſeu ultima pars horæ ſecundæ, vel ſecundæ partis diei, quæ durabat uſque in meridiem, à qua inchoabatur hora tertia, quæ noſtro modo fuit duodecima promeridiana, circa quam in cruce fuit erectus, & vivus in illa pependit tribus horis. In quo myſterio admiror hinc ſeveritatem Patris erga Filium; hinc immenſum Jeſu Chriſti erga genus humanum amorem. Unicum momentum, quo in cruce pependit, ſufficiens fuit, ad redimendum mille mundos, ſed ad oſtenſionem divinæ juſtitiæ, ad oſtenſionem malitiæ peccati, ad oſtenſionem infinitæ charitatis & ut copioſa apud eum eſſet redemptio, voluit rigor divinæ juſtitiæ, ut tribus integris horis, tam atrocia in cruce pateretur tormenta, & ob infinitum ſuum amorem, libentiſſime Chriſtus D. id fecit. Cui diſcurſui modo non inhæreo, moneo tantum, cum conſideratis abyſſum æternitatis, nolite mirari, quod impii arſuri ſint in ignibus inferni, in æternum, ſi enim Deus ad oſtenſionem rigoris ſuæ juſtitiæ permiſit Filium ſuum innocentiſſimum ob peccata aliena, tribus horis pendere in cruce, quid miramur, quod hoſtes, ob ſcelera propria, velit æternum ardere in inferno. §. 3. *Trihorio, Chriſtus vivus pependit in cruce.*

Quamprimum itaque Salvator noſter in cruce in altum erectus & exaltatus fuit; erectis in cœlum oculis, expaſſis brachiis, in infula ſpineæ coronæ, in purpurea veſte pretioſi ſui ſanguinis, cum §. 4. *In altum elevatus, æterno Patri, obtulit*

 ſacer-

Digitized by Google

ſacerdotalibus annulis trabalium clavorum, cum baculo crucis, ad aram crucis, verus & ſummus ſacerdos, ſuam crucifixionem æterno Patri in holocauſtum ſuavis odoris obtulit, his aut ſimilibus verbis. Suſcipe S. Pater hoc ſacrificium ſanguinis in altari meæ crucis! in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam, ut tribus horis in cruce, immanes perferam dolores, O Deus meus volo! Voluntas tua eſt, ut in cruce moriar, volo. Ut omnem ſanguinem ad ultimam guttam effundam! Volo mi Pater, ut circumſtantes mei hoſtes me blaſphement, gaudeantque mihi eſſe male, volo. Opinio eſt SS. Patrum, Chriſtum D. initio trihorii ſat longo tempore continuaſſe hanc orationem cum variis verſibus ex pſalmis, præſertim ex vigeſimo primo, aliiſque qui pœnarum Chriſti meminerunt, idque cum clamore valido, triſtiſſimi cordis, & tenerrimis lachrymis.

§ 5. *Deinde oravit pro inimicis.* Hanc orationem excepit altera, cum actione plane heroica, imo divina. Inclinans de alto caput, apertis oculis quantum præ copia defluentis è vulnerato capite ſanguinis, & lachrymarum abundantia illos aperire potuit, circumſpexit aſtantes cruci Phariſæos, ſcribas crucifixores, pendentes utrimque latrones, qui tum quoque illum blaſphemabant & elatis rurſum in cœlum oculis, paucis verbis ait; *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciant.* Mi Jeſu! potatus es myrrha, & vox tua tamen dulcis eſt, Cant. 4. v. 11. *Favus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua.* O mellea verba! O dulcem linguam! O admirabile organum! O cytharam delectabilem, cujus dulciſſima melodia, ſicut in vita ſolata eſt mœſtos, curavit ægrotos, excitavit mortuos, compeſcuit maria, refecit eſurientes, fugavit dæmones, ita in cruce dixit pro inimicis, *Pater! ignoſce illis.* Vide Salvator! adeſt Pilatus, qui te condemnavit ad mortem! adſunt Principes populi & Phariſæi, qui te accuſarunt; circumſtant multi, ex illis, qui clamarunt, *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Pater! ignoſce illis.* Mi Jeſu! Ecce illos, qui te flagellarunt, qui ſpinis coronarunt, qui cruci affixerunt. Pater ignoſce illis. Audi amantiſſime Domine! hi actu movent capita ſua, hi te irrident, hi blaſphemant; hi exſpuunt in crucem! *Pater ignoſce illis.* Quod Matthæi 5. cap. verſ. 44. ore docuit, *Orate pro perſequen-*

quentibus vos, hoc in cathedra crucis exemplo & facto comprobavit, ferventiſſime, in tantis doloribus, inter tantas anguſtias orando pro inimicis. Orationi addidit voces lachrymarum, & clamorem copioſiſſimi ſanguinis, qui non vindictam, ut ſanguis Abel, ſed veniam petiit & miſericordiam.

Pro ſolatio peccatorum, placet mihi obſervatio Tauleri de paſſ. c. 40. Chriſtum D. hanc orationem obtuliſſe patri, non tantum pro illis, qui actu, qui manibus & linguis illum crucifixerunt, ſed omnibus illis qui hodie illum per graviſſima ſcelera oſtentui habent, & rurſum crucifigunt, quod ſpem magnam in nobis excitare debet, ut cum fiducia thronum gratiæ accedamus, certi, obtenturos nos, ſi velimus, peccatorum omnium veniam & remiſſionem, ex merito ardentiſſimæ illius orationis. Hic monendos judico meos auditor. nolle me in hac concione inhærere ſeptem verbis in cruce ab illo prolatis, exigunt illa propriam concionem proinde hic tantum rogo meos auditores, ut hodierna die, exemplo Chriſti, actione heroica & eximia, ex toto corde ignoſcant ſuis inimicis. Non fiet id ſine fructu. §. 6. *Orando pro inimicis, oravit pro omnibus peccatoribus etiam hodie exiſtentibus.*

Contigit, ut duo lethaliter ſibi inimici, die paraſceves ſibi occurrerent in plateis. Alter mox ruit in genua, his verbis hoſtem ſuum allocutus. Amice mi, per illum amorem, quo Chriſtus Jeſus hac die pro nobis mortuus eſt in cruce, ignoſce mihi, & condona injuriam, qua te offendi; motus alter improviſa hac demiſſione, in adverſarii ruit amplexus, ignovitq; ex animo. Paulo poſt proſtratus in templo coram crucifixo, ut ab illo viciſſim peteret remiſſionem ſuorum ſcelerum, vidit Chriſtum D. inclinato capite ſuis precibus annuere, imo imago crucifixi, ſoluto è cruce dextero brachio, hominem ſuaviſſime eſt amplexata. Si ſimiles amplexus hodie deſideratis auditores, per Chriſti vulnera, & ſanguinem per mortem crucis obſecro & obteſtor, ignoſcite inimicis, dicite ſtatim cum Salvatore veſtro, *Pater ignoſce illis.* §. 7. *Ignoſcamus exemplo Chriſti, & nos noſtris inimicis. Quam id placeat Chriſto D.*

Talia de cruce loquebatur Chriſtus D. Phariſæi verò & Judæi, quia aliud tormenti genus, quo corpus ejus affligerent (Joannes Taulerus de paſſ. cap. 40.) excogitare non potuerunt, manibus deficientibus, linguis ſuis blaſphemare, convitiari, & excruciare cœperunt. O malitia ineffabilis! O livor inauditus! O intem- §. 8. *Iudæi blaſphemarunt Chriſtum pendentem in cruce.*

perans crudelitas! itaque ceu furioſi & dæmoniaci moverunt capita ſua, allatrarunt crucem ut canes, ſibilarunt ut ſerpentes, rugierunt ut leones; *Audi rem miſerabilem, & compatere mihi* (dixit Chriſtus D. viro ſancto) *cum ſuſpenſus coram hoſtibus meis hærerem in cruce, miſerandum in modum, multivaria anguſtia, & mortis doloribus circumſeptus, ſtabant illi contra me, ſcommatibus & ſannis me affligentes, meq; irridentes.* Orig. hom. 35. in Matt. *Opus eorum fuit Ieſum blaſphemare.* Theophylactus ait, orat. de cruce apud Gretſerum t. 2. *Omne genus blaſphemiæ, maledicentiæ, & injuriæ in ipſum exprompſerunt*; S. Chryſoſt. orat. in Paraſc. *Dicebant, ſi filius Dei es, ſalva te ipſum, ipſe verò elaborabat, quomodo illos ſalvaret, illos inquam à quibus opprobria perpetiebatur, illudebatur, & opprobriis proſcindebatur.*

Punctum II.
De Tenebris.

§. 9. *Quam terribiles fuerint tenebræ*

POſt *omnia vero* (S. Chryſoſt. hom. 10. de paſſ.) *quæ per inſaniam & furorem fecerunt, factum eſt quando jam ipſe furor ceſſavit, quando deridendo ſaturati ſunt, quando contumeliando animum ſuum expleverunt, quando denique omnia ab eis dicta ſunt, quæ volebant, tunc tenebræ apparent, ut ſaltem tunc ira depoſita nonnihil ob hoc ſignum conquieſcerent.* Textus ait Luc. 23. v. 44. *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram:* cum tam terribili eclipſi, ut Dionyſius Areopagita adhuc gentilis, longe à Judæa exiſtens, exclamaret; *aut auctor naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur:* certum eſt, ab orbe condito ſimilem non extitiſſe; Phlegon Mathematicus Adriani Imperatoris ait: *Dies, hora ſexta* (id eſt, circa noſtram duodecimam) *ita in tenebroſam noctem verſus eſt, ut ſtellæ in cælo ſint viſæ, & ipſæ viſu atque aſpectu terribiles.*

§. 10. *Varia illarum cauſa.*

Varias cauſas harum tenebrarum invenio apud SS. Patres. 1. Cum Princeps, vel Rex aliquis moritur, palatii parietes teguntur nigris pannis; in cruce moritur Rex Regum, & omnium creaturarum; creator ſolis & ſiderum; ut luctum oſtendant, ſol, ſubtracto lumine, nigro ſirmate omnes veſtivit. 2. Terribiles ludi

& tra-

Digitized by Google

& tragœdiæ, principum neces, Thyeſtis epulæ, plerumque repræſentantur noćte, ut ſpećtatorum animi ad lućtum magis moveantur. Qualis tragœdia! Dei Filius pendet & moritur in cruce! ut major ſit lućtus, lugent ſidera, & univerſæ creaturæ. 3. Claudit ſol oculos, ne tam immane cogatur ſpećtare patricidium, renuunt & refugiunt creaturæ videre tam immane ſcelus. 4. Pergit ſol cœli in occaſum, quia occidit ſol juſtitiæ, in occaſu crucis. 5. Fuerunt hæ tenebræ imago excæcationis Judæorum. D. Leo ſer. 10. de paſſ. *Sceleſti Iudæi ſol, ſideraque indignos vos ſuo miniſterio proteſtantes, terribili motu inſolitoque defećtu, tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtendunt.* 6. Tunc ſol, tanquam verus Chriſti typus, ſimul cum Chriſto, ejus miſerens eſt paſſus, & cum in cruce deficeret ſol juſtitiæ; defecit ſol in cœleſti ſuo corpore firmamenti. 7. Euthymius in S. Matthæum. *Vniverſaliter autem, quæ facta ſunt, divinæ iræ ſigna erant, Iudæorum inſenſibilitatem reprehendentia, horumque perditionem prædicantia.* 8. Fuerunt umbræ tenebrarum exteriorum, &c.

Inter tenebras totus quoque orbis concuſſus eſt, terra tremuit, & petræ ſciſſæ ſunt. S. Chryſologus ſer. 74. *Movetur chaos, diſſiliunt ima terrarum, montium tremunt pondera, cuncta turbantur elementa, & quia creatoris mortem, voce deteſtari non poſſunt, faciunt id inſolita & terribili concuſſione.* S. Leo ſer. 6. de paſſione. *Pendente in patibulo creatore, univerſa creatura congemuit, & crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt.* S. Ambroſius lib. 10. in Lucam. *O duriora ſaxis Iudæorum pectora! ſcinduntur petræ, ſed horum corda durantur; horum immobilis duritia manet orbe concuſſo. Et tu quoque obſtinate peccator!* (Taulerus citatus) *cur adeo crudeli, adeo furibundo es animo in Deum creatorem tuum? cur adeo lapideus & ſaxeus es, ut hos clavos non ſentias, ut calidus hic ſanguis, quem inſtar aquæ ex ſanctiſſimis toto corpore vulneribus, in terram decurrere vides; quo & ſaxa ſcinduntur, ferreum tuum pectus emollire, nec ipſum calefacere, poſſit? En elementa inſenſibilia, & irrationales creaturæ, ſignum quoddam triſtitiæ præ ſe ferunt, compatiuntur creatori, & tu ſaxum manes?* Obſecro, compatiamur ergo & nos; aut certe ſaxa duriſſima, & elementa ipſa, nos condemnabunt. Sed redeo ad meum Salvatorem, pendentem in cruce.

§. 11. *De commotione & conturbatione aliarum creaturarum; cum apoſtrophe ad obſtinatum peccatorem.*

Phariſæi

Digitized by Google

§.12. *Chriſtus D. in cruce ferventiſſime oravit.*

Phariſæi, Principes ſacerdotum, Judæi, crucifixores, his tenebris, terræque motu, adeo fuerunt territi, ut gravi motu & terrore concuſſi altum ſiluerint, itaque faventibus tenebris, in alto circumſtantium ſilentio, ſedato tumultu, Chriſtus D. ferventiſſimæ ſe dedit orationi. Communis eſt SS.Patrum ſenſus, quod orarit multa ex pſalmis, præſertim ex vigeſimo primo, cujus hic eſt titulus; *In finem, pro ſuſceptione matutina pſalmus David.* Germanica verſio ſic habet. **Creützhirſch/ gefangen von der göttlichen Lieb.** Totius pſalmi, hoc eſt breviſſimum compendium; ſive, ſic oravit Chriſtus D. *Deus, Deus meus, reſpice in me.* v.7. *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*.v.8. *Omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput.* Deus meus, reſpice me v.12. *Quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt, qui adjuvet.* Pater mi! tu me reſpice. v.13. & 14. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea, factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens, aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, in pulverem* (id eſt, in anguſtias) *mortis deduxiſti me. Deus meus reſpice in me. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi conſideraverunt & inſpexerunt me, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Idem pſalmus continet actus nobiliſſimarum virtutum, humilitatis, obedientiæ, patientiæ &c. Pſalmi 19. titulus in germanico ſic habet, **traurige Pilgerfarth.** Vigeſimi ſeptimi, **Prophetiſche Seufftzer/** Trigeſimi noni, **Gebet deß Gecreutzigten.** Quadrageſimi, **Anhang deſſelbigen.** Quinquageſimi ſexti, **Hertzeitter.** Sexageſimi octavi **trauer Klag.** In his & ſimilibus pſalmis, piiſſimos reperietis affectus, quibus Chriſtus Dominus cum ſacrificio crucis, orationem ſuam obtulit patri.

Pun-

Digitized by Google

Punctum III.

De lachrymis Chriſti in Cruce.

§.13. *Variæ cauſæ ob quas Chriſtus D. flevit in cruce.*

VT oratio illa eſſet efficacior miſcuit lachrymas. Flevit bonus Jeſus triginta trium annorum decurſu in terris ſæpiſſime: ſilevit in paſſione, cum Judæ lavaret pedes, flevit in monte Oliveti, flevit in nocturno carcere, flevit in flagellatione ad columnam, flevit in ſpinea coronatione, in bajulatione crucis, cum occurreret Matri, ſed copioſiſſime in trihorio crucis. Ita lachrymis rigavit ſtratũ ſuum, cum Davide non ob unum, ſed innumerabilia ſcelera. S. Hilarius lachrymas vocavit, *ſudorem mœrentis animæ*. Ex lachrymis Chriſti in cruce agnoſcite, quam triſtis ſit anima ejus. S. Macarius illas vocat, *pretioſas margaritas*. O pretioſiſſimas! quæ fluunt ex oculis crucifixi. S. Chryſoſtomus ait, lachrymas contriti cordis eſſe, *fontem paradiſi*; accurrite animæ piæ! ecce ex vulneribus ſtillat ſanguis, ex oculis lachrymarum aqua, utrobique invenietis fontem paradiſi. Idem S. Chryſoſt. in pſ. 50. ait. *In codice ſcripta ſunt peccata tua, ſpongia peccatorum tuorum, lachrymæ tuæ ſunt. Effunde lachrymas, & poteris ea delere.* Confidite peccatores, multo magis id facient lachrymæ crucis. Illæ ſunt ſpongia, qua momento delere poſſumus omnia peccata, balneum ſunt & lavacrum in quo ſuper nivem dealbamur. Actor. 20. c. v. 21. ait de ſe S. Paulus, quod per triennium die ac nocte non ceſſaverit, cum lachrymis monere unumquemque, ut ſaluti ſuæ conſuleret. Quæſo Auditores, cogitate quare Chriſtus D. in cruce tam amaras profuderit lachrymas, illis vos rogat ut ſaluti veſtræ conſulatis.

§.15. *Proſecutio.*

Plorat Jeſus in cruce, in vere plorant vites; cum hodie incipiat ver miſericordiæ, merito plorat, qui de ſe dixit, Joan. 15. v. 1. *Ego ſum vitis*. Ex vulneribus ſtillant guttæ ſanguinis, Ex oculis aqua; utraque hæc pluvia palmitibus erit ſalutaris. Plorat in cruce! Narrat Maffeius, Braſilos poſſe flere, cum volunt: ideo advenam amicum ſic excipiunt: collo injiciunt brachia, caput appri-

apprimunt pectori, alte ſuſpirant & effuſiſſime plorant, idem faciunt, cum abeunti amico valedicunt. O peccatores! vos eſtis amiciſſimi Jeſu! O quantum vos amat! ut diſceſſurus ex hoc mundo vobis valedicat; brachia extendit, ut vos amplectatur; caput inclinans offert labia, ut vos oſculetur; præ anguſtiis cordis, & amoris abundantia ſuſpirat, & copioſe plorat. Eia animæ piæ! valedicite viciſſim Jeſu veſtro! extendite brachia ut amplectamini; ponite facies ſupra faciem ejus, oculos admovete oculis, labia labiis, pectora pectori, corda dulciſſimo cordi: addite lachrymas; ſuſpirate, ingemiſcite, & morienti optimo veſtro amico valedicite. Cum lib. 2. Regum cap. 15. v. 23. David aſcenderet clivum olivarum, nudis pedibus incedens, & flens, omnis populus qui erat cum eo, aſcendebat plorans. Bonus Jeſus, non tantum nudis pedibus aſcendit montem Oliveti & Calvariæ, ſed nudis pedibus affixus eſt cruci, flens & plorans: quæſo qui eſtis hic, ſi illum amatis, & vos flete. Ex noſtris lachrymis colligent angeli, quam mœrens & triſtis ſit anima noſtra, ob triſtiſſimum hoc ſpectaculum Chriſti trihorio pendentis in cruce.

§. 15. Filii lachrymarum crucifixi non poſſunt perire.

Cum S. Monica multis lachrymis defleret Filium ſuum Auguſtinum, S. Ambroſius dixit, impoſſibile eſſe, filium tot lachrymarum perire: gratulor amatoribus Jeſu crucifixi, & præſertim piis ſodalibus Chriſti in cruce agonizantis, cum ſint filii lachrymarum, & piiſſimæ matris, & piiſſimi Salvatoris, impoſſibile eſt ut pereant, non, non fiet! ut mala morte moriantur.

Punctum IV.

Pependit in Cruce medius inter duos latrones.

§. 16. Chriſtus D. pependit inter duos latrones medius.

VNa ex præcipuis circumſtantiis crucifixionis eſt, quod medius inter duos latrones, veluti eorum princeps è cruce pependerit filius Dei; felix, beatus ille fuit latro, qui pependit ad dexteram! infeliciſſimus fuit alter ad ſiniſtram! hic filium Dei uſque ad extremum ſpiritum impœnitens, obſtinato corde blaſphemavit; ille brevi, ſed efficaci oratione miſericordiam imploravit & obtinuit! alter è cruce deſcendit in infernum! alter è cruce evo-

lavit

Digitized by Google

lavit ad paradiſum! nimirum hoc quoddam velut præludium, & ſimulachrum eſt ultimi judicii, in quo quicunque damnabuntur, ad lævam judicis ſtabunt, qui vero ad dexteram, ſalvabuntur. Per latronem qui dexterum latus ſtipat, omnis vere pœnitens exprimitur: in malo latrone, qui Chriſti lævam tenet, deſignatur pertinax peccator, qui è cruce hujus mundi ad ſtygem rapitur. Verum cur huic obtigit læva, alteri dextera? cur huic doloris ac contritionis gratiam diſpertiit, non alteri? cur uni Chriſti ſanguis profuit, non utrique? hoc ego non inquiro, nam monet me S. Auguſt. tr. 26. in Joann. *quare hunc trahat* (exaltatus à terra in cruce) *illum non trahat, noli inveſtigare, ſi non vis errare. an Dei conſiliarius es*? præſtat exclamare cum S. Paulo ad Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, & Jeſu crucifixi! fateor tamen, ut frequenter inſinuo, hoc me, ô piiſſime Jeſu, ſæpius ſolicitum habet; in cruce lectuli doloris & agonis mei, ſtabone ad dexteram tuam vel ſiniſtram? audiamne, *hodie mecum eris in paradiſo*, vel, *diſcede à me maledicte in ignem æternum*? quemcunque ex meis Auditoribus eadem cura angit, videat ut frequenter cum latrone dicat, *Domine memento mei*, ſed cum fide, ſpe, charitate, cum contritione & humilitate, cum oblatione ſui; ego impoſterum quotidie dicam aliquoties, O Jeſu crucifixe miſerere & memento mei! per tuos in cruce dolores, per tua vulnera, memento mei. Jeſu in te credo, memento mei &c. (fac p. affectum.) De infinita Jeſu bonitate & liberalitate, donantis ſtatim latroni paradiſum ago alibi.

Punctum V.

De altera hora trihorii.

Cum tranſiiſſet hora duodecima diei, circa initium primæ, prout nos modo horas numeramus, de cruce & ex alto piis oculis aſpexit Matrem, illique dixit, *Mulier ecce filius tuus*! Taulero teſte Chriſtus D. inclinavit prius caput verſus Matrem, ceu valedicens, vel diſcedendi petens veniam; & ob eandem cauſam, roſeos oculos, ſed calidis plenos lachrymis & ſanguine amicabi- §. 17. *Circa initium horæ ſecundæ, fuit allocutus Matrem & Diſcipulum.*

 liter

liter ad eam convertit. *Ecce filius tuus!* quaſi diceret, O dilectiſſima Mater, adeſt definita hora, qua ad Patrem ex hoc mundo diſcedere debeo; O Mater! paulo poſt moriar! itaque alium filium tibi trado, ſcilicet Joannem, & cum illo omnes homines, ſed præcipue peccatores, hos tuæ fidei & tutelæ committo. O inæqualem mutationem, loco dilectiſſimi Jeſu ſervum! loco amantiſſimi Filii, peccatorem! nihilominus non renuit Maria; prout ſub cruce Mater dolorum, ita quoque facta eſt Mater viventium, Mater miſericordiæ, & refugium peccatorum. Joanni vero dixit Jeſus de cruce, *Ecce Mater tua.* O liberalitatem Salvatoris! qui peccatoribus non tantum peccatorum veniam, non tantum vulnera & ſanguinem, non tantum paradiſum, ſed quod in hoc mundo poſt Patrem habebat cariſſimum & pretioſiſſimum, ſcilicet Matrem donavit. Verum cum mens mea non ſit, ut antea inſinuavi, modo inhærere verbis à Chriſto in cruce prolatis, aut doloribus triſtiſſimæ Matris, clepſydra me monet ut conſiderandos vobis proponam immanes dolores, quos Filius Dei trihorio crucis perpeſſus eſt.

§. 18. *Immenſi dolores Chriſti D. in trihorio crucis.*

Dira, atrocia, immania, crudelia, nefanda tormenta his tribus horis, paſſus eſt Filius Dei in cruce. Pati! fuit una ex præcipuis actionibus, triginta tribus annis, quibus vixit in hoc mundo, ſed maxime ultimo trihorio; in cruce verò dicere potuit cum Jeremia Thren. c. 1. v. 12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Nunc egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem in throno crucis, ſed ſimul, *Virum dolorum*, Iſaiæ 53. cap. v. 3. Animæ piæ, inſpiciamus præcipua membra totius corporis.

§. 19. *In pedibus & manibus*

In pedibus! caro, nervi, venæ, arteriæ, quas immanes clavi perforarunt, & lacerarunt, intumeſcunt, contrahuntur illæ, aliæ diſtenduntur! lata & hiantia jam Vulnera ob pondus corporis dilatantur magis! O mi Jeſu, tuos dolores! O animæ piæ, quantum vos dilexit ſponſus veſter! quantum paſſus eſt! In manibus, præ doloris magnitudine, languent & ſtupent digiti, contremiſcunt articuli; fractos nervos, laceras carnes, avul-

avulſas particulas carnis, clavi ſecum per foramen ligni ad alteram uſque crucis partem pertraxerunt, inter clavos & lignum nervi horribili dolore comprimuntur; O Jeſu, tuos dolores, quis illos explicare poterit. Experientia docet; vulnera recentia, ob calorem recentis ſanguinis, non infligere dolorem tantum, quantum infligunt, poſtquam frigefacto ſanguine intumeſcunt; præcipue ſi non ligentur, vel emplaſtris foveantur. O afflictiſſimum, & ab omnibus derelictum Jeſum in cruce! Vulnera ſunt immania, in manibus, in pedibus, in capite, in toto corpore, ſed ligamenta & emplaſtra ſunt clavi & ſpinæ. Senſit in flagellatione, immanes ictus & verbera; ſed multo magis trihorio crucis, ſenſit vulnera & ſulcos, quos in dorſo fecerunt ferreæ catenæ; multo magis in cruce. Senſit in ſpinea coronatione ſpinas, ſenſit alapas, colaphos; multo magis in cruce. [illegible] [illegible]

Omnes dolores in immenſum auxit membrorum omnium extenſio, quæ tanta fuit, ut oſſa ejus potuerint dinumerari, & licet non fuerint fracta, omnia tamen, cum immani dolore è naturali ſitu & loco fuerunt mota. Cum verò unici membri disjunctio in corpore humano, propter magnitudinem doloris hominem faciat alta voce implorare auxilium, O mi Jeſu, tuos dolores, qui toto corpore in cruce, veluti equuleo, vel rota fuiſti extenſus; alligatus non vinculis, ſed ferreis clavis, de tuis doloribus quid dicemus? Affectuoſe ait S. Brigitta cap. 15. in revel. *§.20. Ob extenſionem omnium membrorum.*

Aliquando conabatur Ieſus, extenſiones facere in cruce, præ amaritudine nimia, quam ſentiebat intenſiſſimi doloris, tum dolor de membris ejus, & venis perforatis, aſcendebat ad cor, & vexabat eum crudeliter. Hoc conatu, manus, brachia, pedes, totum corpus, omnia membra, paulatim magis, & magis extenſa ſunt, quod ſi devota mente cogitares, & quomodo manus ſint disjunctæ per extenſionem, & vulnera ampliata, & quomodo in alto pendens, ſolis vulneribus manuum & pedum ſuſtentabatur tribus horis in cruce, non eſſet mirum, quod præ doloris compaſſione, ſcinderetur cor tuum.

§.21. *Per totum corpus.*

Cum ſubinde ex valde ægris quærimus, qua parte corporis maxime doleant, ſi dolor ſit vehemens, etiam in unico membro, v.g. capite, vel latere, reſpondere ſolent ſe dolere toto corpore. O mi Jeſu! cum compaſſione & gemitu cordis, aſſiſtimus tuo lectulo doloris; fare dilectiſſime, quod membrum maxime dolet? an pedes? an manus? an caput? an vertex? an cranium? an ſaturæ? an frons? an oculi? an labia? an aures? an collum? an dorſum? an latera? an pectus? an tibiæ? heu quid quærimus? toto corpore dolet; in capite dolores, in labiis & genis dolores: in dorſo dolores, &c.

§.22. *Ingentem dolorem cauſavit ſpinea corona.*

O filiæ Sion, quo receditis? an nimius dolor vos jubet recedere? ſtate adhuc parumper. Doloroſa Mater indiget veſtris ſtrophiolis, niſi ipſæ illis uti malitis. Qua enim ratione, ſiccis oculis aſpicere poteſtis, Regis, Domini, ſponſi veſtri caput in ſpineo diademate, quo eum coronavit noverca impia, ſceleſta Synagoga ſenſit Jeſus illas ſpinas, in ipſa coronatione, ſed immaniorem longe dolorem illi cauſarunt in trihorio crucis. Meminiſtis hauddubiè ex myſterio coronationis, quaſdam ſpinas, non manibus tantum, ſed ferreis chirothecis & baculis ſanctiſſimo capiti altum fuiſſe impreſſas; jam in cruce illæ pungunt delicatiſſima illa membra. Meminiſtiſne, ſpinas illas fuiſſe ex junco marino, longas, acutas, fortes? ſentit bonus Jeſus cum immani tormento, quales illæ ſint, ſentit, quomodo pungant. Meminiſtiſne nefarium carnificem, divino vertici, cum in coronatione ob gravem lapſum jaceret humi, ſpinas aliquas pedibus fortius intruſiſſe? meminiſtiſne filiæ Sion, idem contigiſſe in bajulatione crucis, quoties in terram corruit, & ſuper caput ſpinis coronatum grave & ponderoſum lignum crucis? jam illas ſpinas ſentit bonus Jeſus! Meminiſtiſne ſpinas, non carnem tantum, ſed nervos, oſſa, ipſumque cerebrum penetraſſe? meminiſtiſne in uno vulnere concurriſſe ſpinas plures, ut ſpina ſpinam, tractoſque ſpinarum aculeos profundius capiti immerſerit? jam in cruce intumeſcunt, jam ſeſe vertunt & volvunt, verbo ſpinæ immanem Christo D. cauſarunt dolorem. Cum heri veſperi abreptus aliquo fervore ruerem in oſculum capitis ſpinis coronati, caſu frontem ſpinæ alliſi, cum

Digitized by Google

cum non modico dolore, ut cum lachrymis cogitaverim, O ſpinæ, ſpinæ! quantum afflixiſtis caput mei Salvatoris, præſertim trihorio crucis. Ut merito Chriſtus D. per S. Bernardum ad nos dicat; *O homo, homo! vide quæ pro te patior, non eſt dolor, ſicut quo crucior, ad te clamo, qui pro te morior, vide pœnas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior, vide in capite ſpinas, quibus pungor, & cum tantus ſit dolor exterior, exſtat interior planctus gravior.* Quæ circumſtantia in doloribus Chriſti pendentis in cruce, maxime eſt conſideranda, ſcilicet dolores internos animæ longe fuiſſe majores, intenſiores, & atrociores, quam fuerint externi dolores corporis. Sancti Patres illos vocare ſolent, dolores cordis Jeſu in cruce Agonizantis.

§. 23. *Quibus verbis ſacra Scriptura explicet dolores cordis Chriſti D.*

De his ait David pſ. 24. v. 17. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt.* pſ. 33. v. 19. *qui tribulato ſunt corde.* pſ. 37. v. 9. *A gemitu cordis mei.* pſ. 39. v. 13. *Cor meum dereliquit me.* pſ. 60. v. 3. *cum anxiaretur cor meum.* pſ. 72. v. 26. *Defecit cor meum.* pſ. 93. v. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo.* pſ. 101. v. 5. *Aruit cor meum.* pſ. 106. v. 12. *In laboribus cor meum.* Iſaias c. 65. v. 14. *clamabit præ dolore cordis.* Jeremias Thren. 1. v. 20. *Subverſum eſt cor meum.* Ex his & ſimilibus locis S. Scripturæ intelligere poſſumus dolores cordis Chriſti in trihorio crucis. Vere dicere poſſumus: tribulationes diviniſſimi cordis in cruce multiplicatæ ſunt, triſtis fuit anima ejus in monte Oliveti, uſque ad mortem, triſtis fuit in flagellatione &c. longe triſtior in agonia crucis. Dicere poſſumus cum S. Bern. lib. de paſſ. *O bone Ieſu, magna pateris exterius in corpore, ſed multo majora, interius in corde?* Tribulato fuit corde! ingemuit, ſuſpiravit corde, præ magnitudine doloris. Cor ejus dereliquit eum, fons ille gaudii & lætitiæ defecit, exaruit, exſiccatus eſt. Anxiatum fuit cor Jeſu; Multitudo dolorum in corde ejus, & reliquorum omnium collectio, atque aggregatio. In capite ſunt ſpinæ, ſed ſimul fodicant cor. In manibus & pedibus clavi, ſed ſimul lacerant cor. In toto corpore innumerabilia vulnera, omnium dolor ſimul eſt in corde. Vulneratum eſt cor Jeſu, eſt in laboribus, palpitat in deliquio; agonizat; Animæ piæ, ſubverſum eſt cor ſponſi veſtri, ſed ubi compaſſio veſtra? ubi dolor? ubi

Digitized by Google

ubi lachrymæ? auditiſne hanc concionem tribulato corde?(hoc modo fiat affectuoſa apoſtrophe ad Auditores.)

§. 24. *Præ nimio dolore, clamavit Eli, Eli &c. Cor agonizantis Chriſti ſudavit ſanguinem.*

Unus adhuc locus ſupereſt ex illis, quos paulo ante citavi, quod Iſaias dixerit, ſe clamaſſe præ dolore cordis, idem in cruce fecit Salvator noſter. Tanta fuit anguſtia divini cordis, tanta triſtitia animi, mœſtitia, tædium, tanta deſolatio, tanti dolores in corpore, ut S. Matth. dicat cap. 27. v. 46. Clamavit Jeſus voce magna dicens, *Eli, Eli lamma ſabachthani, id eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Iterum moneo, me modo non velle explicare verba à Chriſto D. in cruce prolata, moneo tantum triſtiſſimam Matrem, ſtantem juxta crucem, adeo motam fuiſſe hoc clamore Filii ſui, ut S. Brigittæ revelaverit, lib. 4. cap. 70. *Se hujus vocis, quam diu in terris fuit, donec ad cælos venit, oblivisci non potuiſſe.* O triſtiſſima mater, hanc hodie mihi & meis Auditoribus impetra gratiam, ut dum vivimus, præſertim in agone noſtro, non obliviſcamur trihorii crucis: Et anguſtiarum benedicti cordis, quæ tantæ fuerunt, ut SS. Patres meditentur, divinum cor præ triſtitia ſudaſſe delicatiſſimum ſanguinem. Filiæ Sion, nunquid heri veſperi in horto vidiſtis faciem ſponſi veſtri plenam ſanguineo ſudore? tali ſudore rubrum eſt cor agonizantis Jeſu! Vidiſtis heri guttas vel globos cruoris, quæ de facie & toto corpore Chriſti decurrerunt in terram? tales guttæ decurrunt de corde ejus in agonia crucis, ſudavit heri ſanguinem ob metum, pavorem, timorem, tædium, triſtitiam; multo magis jam timet, jam metuit, jam pavet, ita timet, ita pavet, ut cor ſanguinem ſudet.

Punctum VI.

De SS. Vulneribus Chriſti Crucifixi.

§. 25. *Chriſtus in cruce Vulneratus, eſt. Liber vitæ.*

NUnc cupio ut Vulnera Chriſti Crucifixi, nonnihil inſpiciatis. Iſaias de illo dixit cap. 53. v. 5. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* Jeſus vulneratus, id eſt, liber vitæ, ſcriptus intus & foris, clauſus ſigillis ſeptem, in quo ſcripta ſunt nomina Electorum. Charta eſt ſanctiſſimum corpus, calami, flagra, ſpinæ, clavi,

clavi, color, ſanguis, literæ, innumera vulnera. Chriſtus in cruce vulneratus; hoc eſt, fons vitæ, ex quo cum ſanguine, effluunt rivi gratiarum. S. Aug. *Quidquid ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini mei, quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per qua effluant.* S. Cypr. ſer. de Reſur. Dom. *De latere tuo, Domine Ieſu,* (de manibus, de pedibus) *fons egreditur, ex hoc non ſolum ablutionis prima, baptiſmi ſcilicet venas haurimus, ſed & compunctionis, & lachrymarum perennes effluunt rivi, miſericordiarum tuarum teſtes.* Miramur ſubinde unde fiat, pœnitentem peccatorem, coram crucifixo prorumpere in lachrymas &c. in vulneribus crucifixi, eſt prima ſcaturigo. Utinam locum non habeat querela D. Greg hom. 20. in Ezech. *Quærere deberemus miſericordia fontes, etſi clauſi eſſent, patent modo in vulneribus Salvatoris, & tamen à nobis negliguntur.* Chriſtus Vulneratus, id eſt, advocatus generis humani, pro quo apud Patrem, coram tribunali divinæ juſtitiæ, non tantum ore, & verbis, ſed vulneribus loquitur, & perorat. Sic olim dixit S. Mechtildi, *ſicut hoſtiam in ara crucis, me aliquando obtuli, ſic adhuc eodem amoris affectu, aſſiſto Deo Patri pro peccatoribus. Crucifixus Vulneratus*; id eſt, favus mellis plenus dulcedine, plenus foraminibus, per quæ melleus ille liquor cœleſtium voluptatum, copioſiſſime ſtillat. S. Aug. *Suge, O apicula, ſuge, ſuge & bibe dulcoris ſui inenarrabilem ſuavitatem. Immergere, & replere, ſume & fruere.*

Fons vitæ. *Advocatus* *Favus mellis.*

Crucifixus Vulneratus! id eſt, templum Divinitatis, in quo habitat plenitudo divitiarum corporaliter: per Vulnera, apertæ ſunt fores, per quas electis licet intrare: per hoc templum per has portas, patet aditus ad templum gloriæ. CHRISTUS Vulneratus, id eſt, Hortus & Paradiſus ſponſæ, inter flores pulcherrimos, pulcherrimæ ſunt roſæ, tot roſea Vulnera: decerpite quot lubet, ut faciatis faſciculum, & ponatis inter ubera veſtra. Crucifixus Vulneratus! id eſt, aula divini amoris, ut amoris flammulæ erumpant apertæ ſunt valvæ & feneſtræ; hiant in toto corpore ſanctiſſima Vulnera, quæ ſimul ſunt ardentia ſpecula, ut iiſdem ignibus nos accendant. CHRISTUS Vulneratus! id eſt, Pelicanus amoris,

§. 26. Crucifixus Vulneratus eſt templum Divinitatis. *Paradiſus.* *Aula amoris.* *Pelicanus*

Digitized by Google

amoris. amoris, qui non pectus tantum, ſed manus & pedes, ſed totum corpus innumeris locis aperit, ut effluat cruor, quo nutriuntur & ſuſtentantur pulli, Jeſu crucifixi; ut effluat ſanguis, quem lambunt aquilæ. O animæ piæ! eſtote aquilæ, eſtote pulli, hunc ſanguinem ſugite. Chriſtus Vulneratus! id eſt, Mater plena uberibus, *Mater.* quæ non lacte tantum, ſed ſanguine turgent. S. Bernhardus epiſtola 351. *Suge non tam vulnera, quam ubera crucifixi: ipſe erit tibi in Matrem, tu eris illi in Filium.*

§. 27. *Chriſtus Vulneratus, cœlum in terra.* Chriſtus vulneratus, id eſt, cœlum in terra, ſi enim in terra cœlum reperiri poteſt, illum ego æſtimo reperire, qui habitat in vulneribus Salvatoris. Ideo monet S. Bonaventura, 1. p. ſtim. cap. 5. *Faciamus hic tria tabernacula in vulneribus Salvatoris, unum in pedibus, unum in manibus, & unum in latere ac corde Ieſu, in quibus plane bonum eſt nos eſſe, omnia opera noſtra peragere, & cœlo in terra frui.* Bloſius in Marg. Sp. cap. 19. *Ore ad patulum vulnus lateris ejus appoſito, cæleſtem ſuavitatem ex corde ipſius manantem guſtato; revera enim torrens voluptatis, illinc erumpens te abundanter ſatiare poteſt.* *Speculum felicitatis.* Crucifixus Vulneratus! id eſt, ſpeculum felicitatis, quod elogium ita intelligo. Refert Pauſanias ſpeculum ad templum Cereris fuiſſe expoſitum, in quo quiſque, poſtquam odores accendiſſet, & rite Deam precatus fuiſſet, eventuram ſibi ſortem, felicem vel infelicem intueretur. Fabula eſt, & inſanum dæmonis ludibrium. Veriſſima tamen talia ſpecula, nobis exhibent ſacra Salvatoris vulnera, in quibus infelicitas nulla, ſed omnis felicitas demonſtratur. Ludovicus Bloſius in Marg. Spir. cap. 19. *Melliflua Redemptoris noſtri vulnera, revera mundiſſimum ſpeculum ſunt, ſi quis illa cum Apoſtolo penetrare ſciret, inveniret in eis, quidquid Divinitas exhibere poteſt, quod eſt beatitudinis ac felicitatis complementum.* Prætereo innumera SS. Vulnerum elogia, quod ſint medicina animarum, lux & theſaurus cordium, ſcholæ cœleſtis ſapientiæ, ſpes bonorum, terror malorum, viæ ad cœlum, pignora & arrhæ ſalutis, ſigilla, magnetes, teſtes, ſpicula amoris, & plura talia, quibus modo diutius inhærere non poſſum; hoc per vulnera crucifixi à vobis peto, ut ſemper peculiari cultum illa proſequamini.

§. 28. *Veneratur* Veneratur vulnera Chriſti, qui frequenter illorum recordatur; de

tur; de

tur; de hac memoria ait Bloſius inſtit. ſpir. c. 6. *Vel unicam humilem atq; amoroſam converſionem ad dulcia vulnera Salvatoris, ipſi gratiorem eſſe, quam ſit omnis vocum, ſonorumque muſicorum harmonia ac ſuavitas.* De ſe dixit Godefridus piiſſimus Epiſcopus Herbip. a primis ſe annis ſemper dilexiſſe Salvatoris vulnera, ſibique bene fuiſſe, quando illorum recordaretur, non bene dum obliviſceretur. Chriſtus D. revelavit viro pio nullum ſibi gratius obſequium ab hominibus exhiberi poſſe, quam ſi ejus vulnerum recordantur imo ſi quis ſemel tantum de die recordetur, &c. ſalutem & magna beneficia obtinebit hoc promiſit Chriſtus D. Lud. Bloſius id faciebat ſuaviſſimis ſalutationibus, *Saluto Dom. Ieſu roſea, ac ſuaviſſima vulnera tua, quæ ſuſcepiſti pro me, & in quibus deſcripſiſti me. Salvete, ſalvete, ſalvete vernantes & ſalutiferæ plagæ Redemptoris & amatoris mei.* Multi id faciunt piis & ſuavibus oſculis, nunc pedum &c. In quibuſdam devotio hæc adeo Chriſto Domino placuit, ut revulſis è cruce manibus illos fuerit amplexatus. Alii ſanctiſſimorum Vulnerum frequenter recordantur per ferventes preces & obteſtationes, quibus per vulnera Chriſti petunt neceſſarias gratias. Hæc erat oratio S. Franciſci Xaverii in omni neceſſitate, *O Ieſu, per quinque vulnera, quæ noſtri amor in cruce tibi inflixit, ne deſeras tuos famulos,* id faciunt ſodales Agoniæ, quoties per Vulnera Chriſti felicem horam mortis efflagitant, id faciunt, qui quotidie dum decumbunt, ſe committunt vulneri lateris Chriſti, ut in illo illa nocte cuſtodiantur; idem faciunt mane, ſed præcipue ante confeſſionem ut in illo balneo maculas ſuas prius eluant. In communione verò ſolent cum Magdalena flectere ad pedes crucifixi &c. Admiranda fuit pietas cujuſdam Patris; manus ille ſibi pedesque perforavit, latus verò aperuit candenti ferro &c. ut ob graves dolores recordaretur vulnerum Chriſti idem fecerunt alii, tantum à vobis non peto, ſed hoc, ut dum vobis male eſt, ut tribulationes in memoriam vulnerum Chriſti feratis patienter. Joannis Regis Luſitaniæ devotio fuit, ut nihil negaret, quod per vulnera Chriſti peteretur, ſi hæc devotio vobis placet, hoc rogo, hoc mihi date, veneramini & vulnera Chriſti.

Vulnera Crucifixi per frequentem memoriam.

Per pias ſalutationes.

Per oſcula Crucifixi.

Per ardentes preces.

Digitized by Google

Punctum VII.

De pretioſo ſanguine, qui ex Vulneribus Crucifixi, trihorio Crucis effluxit.

§. 29. Quam copioſum Chriſtus D. effuderit ſanguinem.

INſpexiſtis Vulnera Chriſti, nunc ſanguinem, qui ex illis defluit, conſiderate: & præcipue hæc tria puncta, quod ſit copioſus, nobilis, & efficax. Non enim Salvator noſter guttas aliquot effudit, ſed innumeras; ſanguinem dedit, non ex uno tantum membro, ſed ex toto corpore. Botrus cypri fuit cœleſtis ſponſus plenus ſucco pretioſiſſimi ſanguinis, ſed variis torcularibus ita preſſus fuit, ut nec guttula remanſerit. Primum torcular fuit Agonia in monte Oliveti, in qua omnes pori ſanctiſſimi corporis ita fuerunt aperti, ut non guttas tantum, ſed rhombos & globos ſanguinis ſudarint. Alterum torcular, fuerũt flagra, virgæ, ferreæ catenæ, quibus ad columnam adeo fuit dilaceratus, ut ex vulneribus, teſte Landſpergio, triginta millia ducentos quinq; guttæ ſanguinis effluxerint. Tertium torcular, ſub quo ſic botrus compreſſus eſt, fuit ſpinea corona, quæ omnem ſanguinem ex capite extraxit, hinc totus vultus inductus eſt ſanguine. Quartum torcular fuit detractio veſtium, per quam quia multa vulnera renovata fuerunt, neceſſe eſt ut novus ſanguis effluxerit. Quintum torcular fuerunt clavi, qui non manus tantum & pedes, ſed nervos & venas ita aperuerunt, ut quaſi rivi ſanguinis ex quatuor fontibus effluxerint. Ultimum torcular fuit lancea, quæ ipſum latus & cor ſedem optimi & calidiſſimi ſanguinis aperuit, ut nec guttula in toto corpore remanſerit. Petrus Calentinus narrat, Chriſtum D. in tota paſſione, ſive ſeptem effuſionibus ſanguinis effudiſſe nonaginta ſeptem millia, trecentas quinque guttas. De numero ego nihil certi affirmo; hoc dico, illo trihorio quo Chriſtus pependit in cruce, ex tot vulneribus magnam copiam ſanguinis effluxiſſe: non quidem opus fuit balneo ſanguinis; unica gutta ſufficiebat, ſed demonſtrare voluit amor abundantiam ſuæ liberalitatis & benevolentiæ.

De pretio, & dignitate & efficacia hujus ſanguinis monet nos S. Pe-

Digitized by Google

S.Petrus ep.1.c.1.v.18. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento, redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* S.Paul.1.Cor.6.v.20. *Empti ſumus pretio magno* S.Joan.ep.1.c.1.v.7. *Sanguis Ieſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato. Habentes itaq; fratres fiduciam in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam & viventem, hanc tenemus ad regnum.* Col.1. v.20. *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt.* S.Aug. *Poſtquam intellexi me pretioſo Chriſti ſanguine eſſe redemptum, nolui me amplius exhibere venalem.* §.30. *Quam nobilem & pretioſum ſanguinem.*

Si qui ſunt ex meis Audit. qui forte hactenus Deum graviter offenderunt illi ſoliciti ſint ut à Chriſto Jeſu crucifixo, præcipue per interceſſionem doloroſæ matris, unicam guttam hujus ſang. obtineat. Gravi peccatori, (Virg. tamen cultui nonnihil dedito) hæc fuit objecta viſio: vidit dæmones ad ſtaterã occupatos, in altera lance magnis cumulis ſua ſcelera conſtipare: in alteram à Dei genitrice collocari precatiunculas, & ſimilia obſequia in honorẽ Virginis oblata, ideo ſcelera ſuo pondere prævaluerunt. cum ecce tibi ſolicita mater de ſalute clientuli periclitantis apud tribunal, inclinante jam ad vindictam juſtitia, ſupplicabunda procumbit ante pedes filii & judicis Chriſti, rogatque, ut quia ex ſuo utero, parvulus infans virgineum traxiſſet ſanguinem, quem adultus deinde (præcipue in cruce fudit) unicam ejuſdem ſanguinis ſibi guttam permitteret. Fecit Filius, quid enim negaret matri? itaq; mater ex vulneribus Chriſti, unicam guttam ſanguinis extraxit, quæ indurata in carbunculum, & minutis meritis appoſita, ſtatim pondere tam ſancto molem evicit graviſſimorum ſcelerum. (Invoca gratiam Sp.S. ut tibi ſuggerat ex hoc loco pulchrum affectum.) §.31. *Quod probatur aſſertio ſa hiſtoria.*

Itaq; Chriſtus D. pendens in cruce copioſiſſimum effudit ſang. ſed hoc doleo, inveniri multos, ubi illum pedibus conculcant, ſimiles Serviæ filiæ Tullii, quæ ſuum currum, ſuper cadaver occiſi Patris juſſit provehi, licet auriga inclamaret, *ſiſte Regina, ecce ſanguineas exuvias regis*, ipſa tamen reſpondit, *Perge, calca patrem,* quo ruis impie? quo ruis ſuperbe &c. quo curris; Ecce Jeſum in cruce ſanguine plenum, ſiſte, quaſi pedibus velis conculcare. Surdo fabula, pergunt, ruunt &c. Et divinum ſang. pedibus calcant. §.32. *Invectiva in peccatores qui ſanguinem Chriſti pedibus conculcant.*

Digitized by Google

Sed ſi talis es leo, & leæna ſitiens ſanguinem Chriſti in ara crucis pro te effuſum, perge, bibe! Tomyris Regina Scytharum, caput Cyri in utrem humano ſanguine plenum injecit, hoc dicto: *ſanguinem ſitiſti, ſanguinem bibe.* Cuidam latroni larva & umbra occiſi à ſe pueri longo tempore ſe objecit, cum calice pleno ſanguine, dicens, *Bibe, bibe,* O impii! ecce ſanguinem, qui fluit ex vulneribus pedum &c. bibite, bibite, ſed in perditionem, in ruinam, in æternam damnationem. Sanguis ejus ſuper vos. Sed & vos bibite animæ piæ, bibite, ſed in æternam ſalutem. Super vos hic ſanguis, ut vos emundet, ſuper vos, ut vos ſanctificet &c. (pone aliquos pulchros effectus hujus ſanguinis)

§. 33. *Conqueritur de ſiti, potatur aceto.*

Ob tam atrocia tormenta, ob tantam totius corporis extenſionem, ob tot vulnera, ob tantam ſanguinis effuſionem, ob anguſtias cordis vires Chriſti paulatim magis & magis defecerunt, hinc tanta illius fuit ſitis, ut publice de illa conqueſtus fuerit, *ſitio.* Breve verbum, ſed plenum myſteriis. & primo poteſt accipi juxta literam, ita enim à natura comparatum eſt, ut qui extremum agunt ſpiritum, vel ſunt in laboribus & anguſtiis, vel in caloris alicujus exareſcunt ſitiant & potum deſiderent. Filius Dei per trihorium in terribili pendet agonia, eſt in laboribus & anguſtiis, ob flammam dolorum, ob incendium charitatis veluti teſta exaruit, ideo ſitit. In ſenſu myſtico ſuaviter de hoc verbo ait Laur. Juſtin. l. de agone c. 19. *Sitis hac de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine naſcitur caritatis, ſitiebat nos, & dare ſe nobis ſitiebat.* S. Bernhardus. *Sitio* inquit *Chriſtus. O Domine quid ſitis? fidem veſtram, gaudium veſtrum, plus animarum veſtrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet, etſi non mei, ſaltem veſtri miſeremini.* & iterum *O bone Ieſu, coronam ſpineam ſuſtines, de tua cruce, & de tuis vulneribus taces, & pro ſola ſiti clamas, ſitio, quid ergo ſitis. certe ſolam redemptionem hominis, & gaudium humanæ ſalutis,* fuit hæc Chriſti ſitis vel centuplo acrior, ac vehementior ſiti illa naturali. Ingens illa fuit, ſed licet Judæi eum jam in ipſo mortis articulo poſitum viderent, tamen ab illius cruciamentis ſibi temperare non potuerunt, ſed acerbiſſimam Chriſto confecere potionem, ex felle & aceto: erant corda illorum acida ac fellea vaſa, odii ac livoris plena, ex quibus

non

Digitized by Google

non poterant niſi fel & acetum depromere, hæc invidia & inclementia plus Dominum torſit, quam ipſa potus amaritudo. Et vos Auditores quem offertis potum veſtro Salvatori pendenti in cruce? Cavete, fel eſt ſuperbia, fel eſt luxuria &c. lachrymas veſtras, animas veſtras, &c. ſitit.

Punctum VIII.

De tertia hora trihorii & agonia morientis Chriſti.

Vltima nunc reſtat hora, qua Chriſtus pependit, & mortuus eſt in cruce; de illis qui illam cum devotione meditantur, & morti Chriſti, ultimæque ejus agoniæ præcipue ſunt devoti, ait Richardus tr. de grad. caritatis: *Admirantes & amplexantes in Chriſto illum amoris exceſſum, quo ſuſtinuit crucem, vicem non rependere confunduntur, atque paſſionibus & ludibriis Chriſti, quaſi quibuſdam aculeis incitati feruntur effrenes, in abyſſum amoris, in profundum caritatis, id omnino & ſolummodo queritantes, quid retribuam Domino* (eſt locus pro pulchro affectu) *ſic quadam ſana & ſancta inſania, mente translati, parum amare ſe reputant, ſic amati.* Talis amatrix fuit B. Magdalena de Pazis, quæ æſtu amoris abrepta, ſæpe arrepto crucifixo diſcurrebat per monaſterium, monſtrabat illum ſororibus, & exclamabat. *O amor! O amor! O amor! O ſorores, amate amorem veſtrum.* Interim crucem amplectebatur, oſculabatur, apprimebat pectori, rigabat lachrymis, ſubinde ad crucem converſa dicebat, *Domine Ieſu tam ſonoram vocem mihi concede, ut audiatur ab Oriente in Occidentem, à meridie in Aquilonem, in toto mundo, imo in inferno, & hoc clamabo. Amate amorem, amate illum qui ex infinito amore pro nobis dignatus eſt mori in cruce!* Macarius Archiep. Philadelph. or. de exalt. Crucis. *Nihil eſt ex omnibus quod nobis modo tam admirando, & tam perſpicue benevolentiam, & humanitatem Chriſti proponat, oculisq; ſubjiciat, quam crux* (dico ego, quam trihorium quo pependit in cruce, &c.) Sed in labyrintho hujus amoris in aliis concionibus per annum ſæpius me perdo.

§. 34. *Amati à crucifixo, illum redamant.*

Eleva-

§. 35. *Signa agonia Chriſti morientis in cruce. Primum Lethalis ſudor.*

Elevate denuo oculos animæ piæ; ultima agonia eſt in propinquo. Id colligo 1. ex mortuali ſudore, qui ex toto corpore, & præcipue in ſanctiſſima fronte erumpit. Qui moribundo aſſiſtunt, ſolent illos ultimos ſudores, illas guttas quas metus mortis, & ultima naturæ lucta exprimunt, linteo aliquo detergere; non dubito, filiæ Sion, ſi cum S. Magd. vel Veronica aſtitiſſetis Chriſto in cruce morienti, hoc feciſſetis. facite id modo piis affectibus & deſideriis. hoc Deus revelavit S. Brigittæ, *quicunque filio meo pro extremis doloribus, quos in cruce pertulit, gratias egerit, rem illi tam gratam faciet, veluti ſi ſacras illius plagas pretioſiſſimo unguento inunxiſſet, qui ejus ardenti in cruce ſiti condoluerit, tanti faciet ac ſi tunc ejus ſitim extinxiſſet, qui gratias ei egerit pro clavis, ita eum oblectabit acſi de cruce depoſuiſſet.* addo ego, qui Chriſti agoniam pie & frequenter recolit tantum facit acſi letalem ſudorem, ei deterſiſſet.

§. 36. *Alterum ſignum: Fracti oculi Chriſti crucifixi.*

Ultima agonia Filii Dei in propinquo eſt; id colligo 2. ex ſemimortuis ejus oculis! quid jam videtis in illis ſpeculis? eheu! imaginem inſtantis mortis, jam jam beati illi oculi feſtinant ad mortem; jam ultimum ſe retorquent, & diriguntur nunc ad Patrem, nunc ad Matrem, nunc ad aſtantes, nunc in pectus ſuum, ut luctam cordis ipſe aſpiciat. Jam jam mors incipit illos frangere & claudere, jam ab illis ſe incipit anima abſtrahere, jam ultima exſtillat lachryma! O mi Jeſu, in meo agone, &c. unico ex illis ultimis tuis obtutibus, miſeram meam animam reſpice.

§ 37. *Tertium ſignum: Tumor pectoris.*

Ultima agonia Filii Dei in propinquo eſt! id colligo 3. ex tumore pectoris! in hoc ſpeculo quid videtis? cor divinum plenum anguſtiis! in hoc ſpeculo cernitis, ultimos aſſultus, quibus mors divinum cor aggreditur & oppugnat.

§. 38. *Quartum ſignum, quia ait, conſummatum eſt.*

Ultima agonia eſt in propinquo! id colligo 4. ex illis verbis, quibus morti appropinquans dixit, *Conſummatum eſt*! id eſt, jam ebibi calicem paſſionis, quidquid à Juſtitia & Patre definitum fuit ut paterer, jam paſſus ſum! quæ figuræ & ſacrificia præfigurarunt, omnia quæ Prophetæ prædixerunt, impleta ſunt. 3. Eſdræ c. 1. *conſummata ſunt, quæ pertinebant ad ſacrificium Domini.* Opus redemptionis conſummavi; ſatisfeci amori &c.

Mors

Mors Chriſti appropinquat, id colligo 5. ex ultima capitis inclinatione. Caput autem inclinat, in ſignum ultimæ obedientiæ erga Patrem. 2. in ſignum paupertatis, quia aliud pulvinar, in quod illud inclinet, non habet. 3. collum & caput ejus inclinat, perdita ovicula, quam tandem inter ſpinas in cruce invenit, & humeris impoſuit, ut ſecum ferat in paradiſum. 4. ultimum inclinat caput, ut diſceſſurus ex hoc mundo nobis offerat oſculum pacis. 5. ut omnibus valedicat. 6. ut annuat noſtris poſtulatis, eia animæ piæ, jam eſt tempus petendi, clamanti &c. in his anguſtiis nihil negat, hoc nutu & capitis inclinatione ad ſe vocat peccatores, ut illis offerat pretium ſuæ mortis & ſanguinis. Denique pie ait S. Athanaſius: *Impletis omnibus quæ pati debuerat, ſola mors adhuc reſtabat, atque hac quidem ſibi metuens appropinquare non audebat, ideo Chriſto illam inclinato capite vocavit.* §. 39. *Quintum ſignum agoniæ. Inclinatio capitis.*

Illa tandem appropinquat, id colligo 6. ex ultimo clamore Chriſti in cruce, *clamavit voce magna, iterum clamans, &c.* illum clamorem ad literam expreſſit ultima anguſtia cordis, congeries dolorum. & metus inſtantis mortis, in ſenſu myſtico pulchre ait S. Bernhardus ſer. 29. in Cant. *Aſcendit Chriſtus in altum ut ab omnibus videretur, alta voce clamavit, ut ab omnibus audiretur, clamori fletum admiſcuit, ut homo compateretur: qui ad vocem non concutitur, terra gravior eſt, & petra durior, ſepulchro fætidior.* § 40. *Sextum ſignum.*

Punctum IX.

De morte Chriſti, & apertione lateris.

IN his anguſtiis, in hoc ſudore, in hac lucta, ſub hoc clamore, Jeſus ultimum, benedictum ſuum os aperuit, dicens, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Quotquot Chriſtum diligitis, adeſte obſecro & tota devotione ac compaſſione illius diſceſſum attendite. Videte quis mœror, quæ anguſtia, qui cruciatus & preſſura fuerit, cum Anima illa excellentiſſima, à digniſſimo corpore, in quo triginta tribus annis, tam dulciter, pacifice, jucunde & ſancte, quieverat, jam jam diſcedere coge- §. 41. *Ultimum Verbum & Mors Chriſti, in cruce.* *vide Ba. t. 2. in En. t. 2. l 6 c. 4 §. 4. f. 44.*

cogeretur; quam ægre divellantur ab invicem, inter quæ tam admirabilis fuit unio. Secundum Philoſophum, *omnium terribilium maxime terribilis eſt mors.* Similiter inter terribilia tormenta & dolores, quos Chriſtus ſuſtinuit, in flagellatione &c. maxime illi terribilis fuit mors. ah videte filiæ Sion, jam omnia membra Chriſti ad mortem ſe accommodant, pedes, manus, brachia, caput, labia &c. totum corpus, jam verus Jacob in ſuo agone expaſſis brachiis filios benedicit, & in lectulo crucis in ſomnum mortis ſe componit; ah video mi Jeſu, video ultimum motum cordis, video, tenduntur labia, palpitant nervi, totum corpus tremit, riget lingua, video, extremos ducis halitus, jam moreris, Vale mi Jeſu, Jeſu vale; Jeſu benedic filiis tuis. O Jeſu da nobis ultimum oſculum pacis.

§. 42. *Quomodo debeamus lugere mortem Chriſti.*

Peracta eſt tragœdia! filius Dei in cruce emiſit ſpiritum, S. Eliſabetha Regina Hungariæ, audita mariti morte, elatis in cœlum manibus dixit; *quandoquidem mihi dilectiſſimus mortuus eſt, jam mihi mundus eſſe deſiit, nullæ voluptates miſeræ Eliſabethæ reliquæ ſunt.* Dicamus nos, quandoquidem dilectiſſimus noſter ſponſus, noſter amor, noſtrum gaudium, noſter Jeſus in cruce mortuus eſt, vale munde, valete voluptates, &c. aliud ſolatium non ſupereſt, quam gemere & flere. Cum Joſeph Gen. 46. v.30. vidit patrem emittentem ſpiritum, ruit ſuper faciem ejus, flens & deoſculans eum; poſuit quoque manus ſuas ſuper oculos patris. id eſt, clauſit illi oculos; hæc facite filiæ Sion, ruite ſuper faciem emortui Jeſu, flete, deoſculamini, claudite, premite, comprimite, condite, operite, ſigillate, ſignate ejus oculos. 2.Reg.18. v.33. allato nuntio de morte Abſalonis Rex David *aſcendit ſuper cænaculum portæ, & flevit, & ſic loquebatur vadens, fili mi Abſalon, fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te.* hoc facite filiæ Sion! mortuus eſt Jeſus, includite vos ſolitudini cordis, flete, gemite, dicite, O Jeſu mi, mi Jeſu, quis mihi det, ut moriar tecum; quis mihi det ut aliquando in tuis brachiis, inter tuas manus, inter tuos amplexus moriar! O Jeſu mi! 2.Paral.cap.35.v.25. cum viderunt percuſſum Joſiam, jacentem in curru ſuo pleno ſanguine, luxerunt eum, cum cantatorum & cantatricum triſti leſſo; præcipue Jeremias in ſuis

Threnis

Threnis.2.Reg.3.v.31.dixit David, *ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner.* De cruce pendet filius Dei plenus ſanguine, ejulate, ſcindite corda, plangite exequias Jeſu. P.Petrus Faber, cum invitatus eſſet ad comœdiam, ſolus in cubiculo ſe proſtravit ante crucifixum, dicens, *ah dulciſſime Ieſu hic eſſe malo, quam inter vanitatis illicia, ut te cruci affixum poſſim aſpicere &c.* hoc facite animæ piæ &c. dicite cum S. Bernh. *Domine quocunque iero, ſemper te in cruce video.* præcipue paulo poſt in proceſſione.

Sed quid video? prô quid agis Longine? in quem torques lanceam? S.Joannes c.19.v.34. ſive diſcipulus qui aſtitit cruci, rem narrat his verbis, *Vnus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua.* B.Virgo vero S.Brigittæ ait: *venit unus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in latere ejus dextero tam vehementer & valide, quod quaſi per aliam partem corporis lancea voluit pertranſire, cum extraxit lanceam, ſtatim de vulnere illo abundanter cum impetu quodam exivit ſanguis, ferrum vero lanceæ, pars haſtæ tincta fuerunt ſanguine.* Dixi alias tam immane vulnus divino ejus cordi fuiſſe inflictum, ut quaſi in duas partes ſciſſum & fiſſum fuerit. §.43. *Longinus lancea aperit latus Chriſti.*

Eloquentiſſimi ſunt SS.Patres dum agunt de hoc Vulnere & ejus cauſis, ego in aliis concionibus multas adduco; modo tantum utar verbis Bloſii, marg. ſpirit.c.19. *Apertum eſt Chriſti latus, ut nobis acceſſum aditumq; pius Ieſus ad cor ſuum patefaceret* (patet enim nunc Orientalis porta ad templum & altare gratiarum, patent valvæ ad aulam & regiam amoris) *unde declaravit ſuum erga nos incomprehenſibilem amorem.* (per hoc vulnus inſpicere poſſumus & videre, nec unicam guttam ſanguinis remanſiſſe, quam pro nobis non dederit.) *Et quid ultra nobis potuit facere, quod non fecit? ipſum cor ſuum tanquam ſecretiſſimum cubiculum, nobis reſeravit:* ſunt namque deliciæ ejus eſſe nobiſcum, & in ſilenti tranquillitate, & tranquillo ſilentio voluit apud nos quieſcere. Dedit nobis cor ſuum dire vulneratum, ut in eo commoraremur, donec penitus expurgati & mundati, ſuoque cordi conformes, idonei ac digni ſimus, una cum ipſo in æterni patris cor adduci. Nobis præ- §.44. *Cur Chriſtus D. voluerit latus ſuum ita aperiri.*

 bet cor

Digitized by Google

bet cor ſuum, ceu lectulum purpurei ſanguinis ſui rubentibus roſis adornatum: repoſcitque cor noſtrum, ceu lectulum candidis mundorum operum condecoratum, liliis. Hæc eſt occupatio ſodalium Agoniæ, ut &c. (eſt locus pulcher &c.) ſed jam ante monui me alias agere de ſuaviſſima hac materia, modo tempus eſt ut finiam.

Punctum X.

Epilogus hujus Concionis.

§. 45. *Pium facinus Braſilæ Virginis.* ID faciam, cum pauciſſimis oſtendero, quem fructum ex hac concione à vobis deſiderem. Anno 1558. puella Braſila converſa ad Chriſtum D. eidem vovit virginitatem; ut ejuſdem in cruce pendentis ſæpius recordaretur è pectore ſemper ferebat imaginem crucifixi, ſed infra veſtes. Deprehenſa ab impuro adoleſcente, invitataque ad facinus, reſtitit animoſe, rogans per Deum & omnia ſacra, voce, clamore, lachrymis, ſingultibus, parceret ſuo pudori. Cum nihil efficeret, in ſummis anguſtiis, mota à Spiritu S. extraxit ex pectore crucis imaginem, procumbens in genua objecit adoleſcenti, his cum verbis allocuta, *Per Chriſtum in cruce pendentem obteſtor ne vim inferas. per hæc vulnera, per hunc ſanguinem rogo, parce meo pudori. Ni parcis Ieſus crucifixus ultor erit.* hoc triſti ſpectaculo impurus leno motus fuit, ut deſiſteret.

§. 46. *Aliud B. P. Franciſci Borgiæ.* B. Franciſcus Borgia (ut habent acta Canonizationis) aliquando magnum peccatorem conatus fuit convertere hoc modo, ante omnia ante Chriſtum crucifixum in genua procidit, eum ardenter obſecrans, ut qui orbi univerſo, ſanguine ſuo ſaluti fuiſſet, infelici & pertinaci illi animæ non deeſſet. Reſpondit è cruce Salvator, *Adi ægrum, eumq́, hortare, ut pœnitentiam agat, & confeſtim ero propitius.* Abit Franciſcus ſpei bonæ plenus, ad ægrum, excipitur urbane, quamprimum vero de confeſſione mentionem fecit, aures ſurdas invenit. Cum itaque nihil efficeret, abit Franciſcus, denuo provolvitur ad pedes crucifixi, per ſacra vulnera obteſtata, ut miſero adſit. Cui Dominus, *Conveni iterum illum pertinacem, meq́, tecum defer, ſi forte me conſpecto, cruci pro ſe fixo, convertatur.* Redit Borgia, & ſubmotis arbitris, ut liberior eſſet æger, verbis

verbis ad pietatem omnem compoſitus, ſubmiſſis in terram genibus, Chriſtum cruci affixum illi repræſentat: per paſſionem, dolores, ſacra Dn. Jeſu vulnera, orans, obſecrans, ut animæ ſuæ miſereatur, ut æternitatem conſideret, nolle Deum mortem peccatoris, &c. Sed omnia dicta fuerunt marmori &c. Franciſcus nihil efficere potuit. Tum Salvator revulſa à cruce manu ſacroſ. ſuum cruorem in faciem projecit obſtinati peccatoris, in ſignum damnationis. *Sic miſero,* (ut cum Ruperto loquar l. 4. in Joan.) *Veneranda Domini Vulnera, futura ſunt æterna incendia.* Suavior eſt hiſtoria quæ ſequitur, narrabo breviſſime.

§. 47. *Aliud Benedicti Palmii quomodo magnum peccatorem converterit.*

Feria ſexta Paraſceve per ſeptem horas de paſſione peroraret ferventiſſime P. Benedictus Palmius nobilis è Soc. Jeſu in Italia Concionator. Viderat intereſſe concioni Sebaſtian. Alenſonium virum nobilem, ſed inexpiabile fovẽtem odium, in ſeptimum annum, erga alium nobilem, Papardum (contigit hiſtoria Mamerti in Sicilia.) Cum in fine concionis ſecundum morem pararet Aud. oſtendere crucifixum, paululumque detexiſſet, repente iterum obvolvit, magna voce conteſtans, non ſe oſtenſurum, quem ſuis peccatis in crucem egiſſent, niſi ſponderent eodem loco, nunquam ſe offenſuros inpoſterum. Obſtupuere Aud. altum ſilentes, nemo erat qui publice reſpondere vellet, hic Palmius ruens in amplexus crucifixi, cum lachrymis & voce lamentabili ait, *En Domine Ieſu, quales ſint Auditores, qui profiteri nolunt, ſe nolle te offendere.* Papugit illa vox audit. adeo, ut plurimi inceperint, ſuſpirare, gemere, clamare, *volumus, volumus, crucifixum oſtende.* Stabat inter alios Alenſonius, angebatur, æſtuabat, corde dicebat, *volo, volo,* linguam præ dolore, qui jam cor depaſcebat, movere non poterat. miſit ergo famulum, ut diceret concionatori ſe velle vitam emendare &c. ſed antequam famulus ad cathedram pervenit, ſoluta fuit lingua Alenſonii, & clamavit *Pater faciam quod jubes.* quærit Benedictus, *Quis es tu?* reſpondit, *Ego ſum Sebaſtianus Alenſonius, omnibus notus, ſed coram omnibus profiteor, me meo hoſti omnem injuriam ex animo condonare.* Qualis in templo inter Auditores fuerit motus, quæ lachrymæ, facile poteſtis cogitare. tum Palmius magna devotione monſtravit crucifixum.

bet cor ſuum, ceu lectulum purpurei ſanguinis ſui rubentibus roſis adornatum: repoſcitque cor noſtrum, ceu lectulum candidis mundorum operum condecoratum, liliis. Hæc eſt occupatio ſodalium Agoniæ, ut &c. (eſt locus pulcher &c.) ſed jam ante monui me alias agere de ſuaviſſima hac materia, modo tempus eſt ut finiam.

Punctum X.

Epilogus hujus Concionis.

§. 45. Pium facinus Braſilæ Virginis.

ID faciam, cum pauciſſimis oſtendero, quem fructum ex hac concione à vobis deſiderem. Anno 1558. puella Braſila converſa ad Chriſtum D. eidem vovit virginitatem; ut ejuſdem in cruce pendentis ſæpius recordaretur è pectore ſemper ferebat imaginem crucifixi, ſed infra veſtes. Deprehenſa ab impuro adoleſcente, invitataque ad facinus, reſtitit animoſe, rogans per Deum & omnia ſacra, voce, clamore, lachrymis, ſingultibus, parceret ſuo pudori. Cum nihil efficeret, in ſummis anguſtiis, mota à Spiritu S. extraxit ex pectore crucis imaginem, procumbens in genua objecit adoleſcenti, his cum verbis allocuta, *Per Chriſtum in cruce pendentem obteſtor ne vim inferas. per hæc vulnera, per hunc ſanguinem rogo, parce meo pudori. Ni parcis Ieſus crucifixus ultor erit.* hoc triſti ſpectaculo impurus leno motus fuit, ut deſiſteret.

§. 46. Aliud B. P. Franciſci Borgiæ.

B. Franciſcus Borgia (ut habent acta Canonizationis) aliquando magnum peccatorem conatus fuit convertere hoc modo, ante omnia ante Chriſtum crucifixum in genua procidit, eum ardenter obſecrans, ut qui orbi univerſo, ſanguine ſuo ſaluti fuiſſet, infelici & pertinaci illi animæ non deeſſet. Reſpondit è cruce Salvator, *Adi ægrum, eumq́; hortare, ut pœnitentiam agat, & confeſtim ero propitius.* Abit Franciſcus ſpei bonæ plenus, ad ægrum, excipitur urbane, quamprimum vero de confeſſione mentionem fecit, aures ſurdas invenit. Cum itaque nihil efficeret, abit Franciſcus, denuo provolvitur ad pedes crucifixi, per ſacra vulnera obteſtata, ut miſero adſit. Cui Dominus, *Conveni iterum illum pertinacem, meq́; tecum defer, ſi forte me conſpecto, cruci pro ſe fixo, converſatur.* Redit Borgia, & ſubmotis arbitris, ut liberior eſſet æger, verbis

verbis ad pietatem omnem compoſitis, ſubmiſſis in terram genibus, Chriſtum cruci affixum illi repræſentat: per paſſionem, dolores, ſacra Dn. Jeſu vulnera, orans, obſecrans, ut animæ ſuæ miſereatur, ut æternitatem conſideret, nolle Deum mortem peccatoris, &c. Sed omnia dicta fuerunt marmori &c. Franciſcus nihil efficere potuit. Tum Salvator revulſa à cruce manu ſacroſ. ſuum cruorem in faciem projecit obſtinati peccatoris, in ſignum damnationis. *Sic miſero,* (ut cum Ruperto loquar l.4. in Joan.) *Veneranda Domini Vulnera, futura ſunt æterna incendia.* Suavior eſt hiſtoria quæ ſequitur, narrabo breviſſime.

Feria ſexta Paraſceve per ſeptem horas de paſſione perorarat ferventiſſime P. Benedictus Palmius nobilis è Soc. Jeſu in Italia Concionator. Viderat intereſſe concioni Sebaſtian. Alenſonium virum nobilem, ſed inexpiabile fovẽtem odium, in ſeptimum annum, erga alium nobilem, Papardum (contigit hiſtoria Mamerti in Sicilia.) Cum in fine concionis ſecundum morem pararet Aud. oſtendere crucifixum, paululumque detexiſſet, repente iterum obvolvit, magna voce conteſtans, non ſe oſtenſurum, quem ſuis peccatis in crucem egiſſent, niſi ſponderent eodem loco, nunquam ſe offenſuros inpoſterum. Obſtupuere Aud. altum ſilentes, nemo erat qui publice reſpondere vellet, hic Palmius ruens in amplexus crucifixi, cum lachrymis & voce lamentabili ait, *En Domine Ieſu, quales ſint Auditores, qui profiteri nolunt, ſe nolle te offendere.* Papugit illa vox audit. adeo, ut plurimi inceperint, ſuſpirare, gemere, clamare, *volumus, volumus, crucifixum oſtende.* Stabat inter alios Alenſonius, angebatur, æſtuabat, corde dicebat, *volo, volo,* linguam præ dolore, qui jam cor depaſcebat, movere non poterat. miſit ergo famulum, ut diceret concionatori ſe velle vitam emendare &c. ſed antequam famulus ad cathedram pervenit, ſolutæ fuit lingua Alenſonii, & clamavit *Pater faciam quod jubes.* quærit Benedictus, *Quis es tu?* reſpondit, *Ego ſum Sebaſtianus Alenſonius, omnibus notus, ſed coram omnibus profiteor, me meo hoſti omnem injuriam ex animo condonare.* Qualis in templo inter Auditores fuerit motus, quæ lachrymæ, facile poteſtis cogitare. tum Palmius magna devotione monſtravit crucifixum.

§. 47. *Aliud Benedicti Palmii quomodo magnum peccatorem converterit.*

Digitized by Google

§.48. *Hic eſt ſcopus hujus concionis, ut peccatores convertantur.*

Volui & ego, prout in aliquibus de paſſione concionibus facere ſoleo, meis Auditoribus oſtendere Jeſum pendentem in cruce. ſed timeo ne aliqui ſint præſentes, qui non ſunt digni ut videant, nimirum illi qui ſunt hoſtes & inimici crucis Chriſti: an non hoſtes ſunt qui ſua ſuperbia Chriſto parant novas ſpineas coronas? an non hoſtes Chriſti ſunt, luxurioſi, qui denuo flagellant, ſic de blaſphemis &c. eſt locus pro pulchra inductione. Sed ſentio inſtinctus Jeſu crucifixi, intus in corde dicentis, Defer me tecum, monſtra illis crucifixum, an forte ad pœnitentiam moveantur. Voci Jeſu reluctari non poſſum. Itaque, videte hoſtes Chriſti, ecce quem cruci affixiſtis, ecce clavos quibus manus & pedes perforaſtis &c. Per Chriſtum è cruce pendentem, per ejus vulnera &c. obteſtor pœnitentiam agite, miſeremini animarum veſtrarum, æternitatem cogitate. Reluctamini? necdum corda veſtra ſcinduntur, cavete, ne in agone ſuum ſanguinem in facies veſtras projiciat. Iterum per mortem Chriſti obteſtor, parcite impoſterum Jeſu veſtro, parcite animabus veſtris, niſi facitis, Jeſus crucifixus ultor erit. O cœlum! O terra! Jeſus crucifixus ultor illi, pro quo ex amore &c. eſt patheticus locus. Ne hoc fiat, cum Jeſu meo, procumbo in genua, cum lachrymis & rogo pœnitentiam agite. Has voces à vobis poſtulo, Nolumus, nolumus Deum amplius offendere. Dicite vos in corde, ego pro omnibus reſpondebo palam cum S. Thereſia; ſæpe tenens crucifixum clamabat, *O amor meus, nunquam amplius peccabo.* Talia dicite, volumus &c. Volumus confeſſionem paſchalem peragere, ut decet. volumus deinde vivere vitam Chriſtianam & ſanctam, ut vulnera, ut ſanguis, ut mors, ut crux Chriſti nobis proſint! Sed eheu, mi Jeſu! ſunt nihilominus inter Auditores, qui hæc facere non volunt, ſunt qui celabunt peccata ſua, ut hactenus fecerunt, (eſt denuo locus pro pulchra inductione) quid ergo faciam. hoc faciam, non ceſſabo orare pro illis, ſed dicam ardentius, O Jeſu crucifixe, per illum clavum, qui te maxime afflixit, per illam ſpinam quę pręcipue pupugit, per vulnus quod præ aliis doluit, per illum dolorē, qui fuit maximus, ſive in corpore, ſive in anima, per ultimam guttam ſanguinis, quæ ex benedicto corde tuo effluxit &c. rogo, obſecro, & ob-

Digitized by Google

& obteſtor, miſerere peccatorum. Solve manus, aſperge illos ſanguine tuo, ſed non in vindictam, ſed in ſalutem, ut reſipiſcant &c.

Peculiare ſentio ſolatium, videre enim mihi videor, quod vir ſanctus aliquando vidit; cum S. Hedwigis Princeps Poloniæ jacens ante crucifixum ferventer aliquid petiviſſet, ſanctus ille vidit, Chriſtum de cruce ſolvere dexteram, benedicere Principi, cum ſuaviſſimis his verbis, *Filia exaudita ſunt preces tua.* Idem ſpero &c. p. Hoc ſupereſt, ut Jeſus crucifixus, vobis benedicat, in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. Amen. § 49. *Ieſus Crucifixus benedixit S. Hedvvigi.*

CONCIO XXI.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Ieſum quæritis Nazarenum Crucifixum: ſurrexit, non eſt hic.

Marc. 16. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FEſtivitatem & gloriam præſentis Diei exponit, & ſelectis è ſacra pagina figuris exornat.

§. 1. *Afflicta Mater Maria, quid fecerit poſt ſepulturam filii Ieſu.*

§. 2. *Idem nuper fecerint filia Sion id eſt, anima pia.*

§. 3. *Qui jacuit in morte, reſurrexit in gloria.*

§. 4. *Hujus figura eximia fuit Ionas.*

§. 5. *Delicatus bolus fuit corpus & anima Chriſti, ſed tamen diſrupit ventrem mortis. De Dracone Babylonio, à Daniele per cibum quendam diſrupto.*

§. 6. En-

Digitized by Google

§.6. *Encomia S. Crucis nunc triumphatricis. Comparationes illius cum arca, cum virga Moyſis, cum baculo Eliſai &c.*

§.7. *Horror in inferno, amor & gaudium in mundo.*

§.8. *Floſculus contritus reſurrexit formoſior.*

§.9. *Affectuoſa paraneſis ad animam piam, & ad Angelos paradiſi aggratulatio.*

§.1. *Afflicta mater Maria quid fecerit poſt ſepulturam filii Ieſu.*

REferunt è ſanctis Patribus nonnulli B. Virginem veſpere Paraſceves, poſt ſepulturam Filii, cum piis fœminis rediiſſe à monumento ad SS. Crucem, ad colligenda nimirum crucifixionis inſtrumenta; & præcipue ad guttulas pretioſiſſimi ſanguinis abſtergendas de ligno, crucis, vel ſi quæ forſan ſupereſſent, reverenter colligendas. Itaque ſpineam illa coronam, atque un clavos in ſuo ſtrophiolo virgineis lachrymis irrorato, ſecum domum in ſuum conclave aſportavit: & eſt mihi ſane perquam probabile, quod in ſancta & triſtisſima ſolitudine Virginei conclavis tota illa nocte, toto die Sabbathi, & nocte inſequenti, uſque ad auroram, jam coronam, jam ſpinas, adhuc ſanctiſſimo ſanguine Filii aſperſas, modo clavos lachrymas inter, tenerrimosque affectus fuerit exoſculata. Triſtis quidem ut turtur, ſed plena deſideriis gloriæ Reſurrectionis, ſuſpirabat cum Regio pſalte pſ. 16. v. 9. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara.* Exurge, reviviſce gloria mea, & dilecte cordis mei. Ah fili mi! revertere, ut videam faciem tuam; Revertere paſtor, ut congreges oves. Revertere Pater, ut conſoleris filios. Revertere ſol lucidisſime, ut tot & tantas cordium tenebras depellas. Hæc ardentia ſuſpiria Virginis ut quondam meruerunt accelerationem Incarnationis, & primi hunc in mundum adventus, ita quoque Filium permoverunt, ut ſummo ſtatim mane, poſt noctis medium, initio diei tertiæ reſurrexerit, & præ omnibus amantiſſimæ ſuæ Matri, cum incredibili ejus gaudio ſpectandum ſemet præbuerit.

§.2. *Idem nuper fecerint Filiæ Sion, id &c.*

Dicite Filiæ Sion! dicite animæ piæ! nunquid veſpera Paraſceves poſt triſtes exequias Salvatoris idem feciſtis? non dubito, puto aliquas cordi ſuo incluſiſſe ſpineam coronam; alias, clavos;

voſ; alias lanceam, alias ſtrophiola rubicunda, tinctaque ſangui- *eſt, anima*
ne ſponſi; O Angeli pacis! nunquid vos pias illas lachrymas nu- *pia.*
meraſtis? an triſtia ſuſpiria? ſed ceſſent lachrymæ, ceſſent ſuſpiria, ceſſet fletus, Chriſtus Salvator noſter reſurrexit, pſ.29. verſ.6. *Ad veſperum demorabitur fletus, ad matutinum lætitia.* His diebus flevimus, præcipue veſpere Paraſceves. Dies hodierna eſt dies lætitiæ. Paſchali diſcurſu de lætiſſima Chriſti Reſurrectione hanc lætitiam in cordibus veſtris excitare conabor, ut cantemus cum jubilo *Alleluia Alleluia.*

§.3. *Qui jacuit in morte, reſurrexit in gloria.*

Lætiſſimum nuntium Reſurrectionis Chriſti ſuavioribus exponere verbis non poſſum, quam, quibus Angelus in albis veſtibus ſedens ad ſepulchrum allocutus fuit pias fœminas, quæ ſummo mane eo venerunt cum unguentis, ut inungerent corpus dilecti ſui Magiſtri. *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, non eſt hic.* Hæc verba Ludolphus Carthuſ. p.2. cap.69. ſic interpretatur. *Qui jacuit in morte, reſurrexit in gloria.* Qui ante triduum fuit in vinculis, illa diſrupit; reſurrexit in gloria. Qui ante paucos dies jacuit depreſſus ſub pondere crucis, in magno mœrore & afflictione; hodie *reſurrexit in gloria.* Hanc voculam exornavi alias aureis dictis ſanctorum Patrum, placet nunc illam per ſelectas è ſacra pagina figuras exhibere.

§.4. *Hujus figura eſt eximia Ionas.*

Projici & demergi potuit Jonas cap.1. verſ. 15. in mare, operiri potuit. A præparato grandi piſce abſorberi & devorari potuit. Latuit per triduum in ventre immanis ceti, veluti carcere. Veruntamen attineri in illo ſemper Jonas non potuit. Abſorberi potuit à ceto, ſed non digeri, ideo tandem ejectus eſt in aridam. Quando nautæ, qui Jonam in mare dejecerant, crediderunt eum jam conſumptum, ipſe in arida ſalvus atque incolumis fuit, & in Ninive mirabilia patravit. Omnes hæ circumſtantiæ quid ſunt, niſi figuræ glorioſæ Reſurrectionis Chriſti Domini? Ita! potuit cœleſtis Jonas præcipitari, potuit etiam demergi in tempeſtuoſo mari Paſſionis, potuit operiri fluctibus & juncis, potuit ſanctiſſimum ejus caput coronari ſpinis acutiſſimis. Poſt infamem mortem ignominioſiſſimæ crucis, Salvatoris amantiſimi anima ſacro-

ſancta deſcendit ad inferos, ad cor terræ, divinum cadaver depoſitum fuit in præparato ſepulchro. Per triduum in his carceribus latuerunt anima & corpus Chriſti. Sed inter hos fluctus, in hoc mari, in his carceribus cœleſtis Jonas attineri non potuit. Act.2.ait S.Petrus; *quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat, teneri illum ab eo.* Abſorbere illum quidem mors, ſed digerere non potuit, die tertio evomuit; *Qui jacuit in morte, reſurrexit in gloria.* Dum Synagoga, Pontifices & Phariſæi, Pilatus & gentiles, qui illum dejecerunt in mare, tabo tabeque conſumptum jam exiſtimant, glorioſus Jonas in mundo patrat mirabilia. Movetur terra, aperiuntur ſepulchra, comparent Angeli, celerior & formoſior prodit aurora; celerior & formoſior oritur ſol; Chriſtus glorioſiſſimus triumphator, cinctus radiis, amictus ſplendoribus, circumdatus admirabili luce, inſtar ſolis reſurgit ex ſepulchro, cujus radios militum cohors non ferens, perterrefacta primum, mox fugata, diſſipataque evanuit, conſternati alii volvuntur in terra, alii veluti ſtatuæ, obſtupefacti conſiſtunt, alii fugiunt, ut vel inviti Judæis offerant triſte nuntium, crucifixum eſſe reſuſcitatum à mortuis. Sic eſt, Reſurrexit! *Alleluja! Alleluja! Qui jacuit in morte, ſurrexit in gloria. Alleluja.* Cœleſtem Jonam reddidit ſepulchrum, *Alleluja.* Cœleſtis Jonas patrat mirabilia, *Alleluja. Hæc eſt dies, quam &c.*

§.5. Delicatus bolus fuit corpus & anima Chriſti, ſed tamen diſrupit ventrem mortis. De dracone Babylonio à Daniele per cibum quendam diſrupto.

Tam delicatus bolus! tam Divinus cibus! Corpus & anima Chriſti devorari potuit à morte & inferno; ſed idem cibus mors fuit mortis. Cui contigit, ex mente Euſebii Emyſſeni quod voraci Draconi, quem Babylonii colebant ut Deum. *Sed præparavit Daniel cibum quendam, quando picem, adipem, & pilos coxit pariter, fecitque maſſas, & dedit in os Draconis, & diruptus eſt Draco* (Dan. 14.v.26.) quis draco morte æterna & morte peccati voracior? abſorbebat omnes pœne mortales, neque erat poteſtas, quæ reſiſteret. Non erat, qui interficeret hanc beſtiam. Non erat, qui devicta morte vitam gratiæ mortalibus reſtitueret, donec Spiritus Sanctus in utero Virginis delicatiſſimum præparavit bolum, divinum cibum, donec ex duabus ſubſtantiis, ex carne & anima compoſuit maſſam ſanctiſſimæ Humanitatis Chriſti, quam dum admirabili

mirabili obumbratione & operatione divinæ incorporavit eſſentiæ, ut dici poſſet, *verbum caro factum eſt*, &, Deus *factus eſt homo*; qui deinde in inſtitutione Euchariſtiæ, ſe ipſum nobis in cibum obtulit. Hunc cibum ante triduum devoravit Mors in cruce; ſed idem cibus fuit hamus, quo capta eſt mors! fuit bolus, quem hic draco digerere non potuit, impoſſibile fuit retinere, quod deglutivit, reddidit, evomuit, diſruptus eſt! *O mors ubi eſt ſtimulus tuus? ubi eſt victoria tua?* devicta eſt! ſtimulus, arcus, & ſagittæ tuæ confractæ ſunt. Chriſtus Nazarenus Crucifixus confregit. Qui de cruce deſcendit ad inferos, & ad ſepulchrum, Reſurrexit victor mortis! qui jacuit in morte, Reſurrexit in gloria. *Alleluja!* Capita Draconum, mortis, peccati, inferni, diaboli, conquaſſata ſunt. *Alleluja!* Conquaſſavit Chriſtus reſurgens à mortuis. *Alleluja, Alleluja!* *Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus &c.* Enimvero hoc mirabile, *crucifixus reſurrexit!* In cruce mortuus eſt, ſed per crucem ſua morte de morte triumphavit; hodie *dicite in gentibus* (pſ. 95. v. 9.) *quia Dominus regnavit in ligno.*

Crux illi fuit inſtrumentum mortis, ſed ſimul lignea clava, qua mortem interfecit, qua infernum expugnavit, qua ejus portas confregit, qua debellavit dæmonem, qua illi abſtulit ſpolia Damaſci. *Salutem humani generis in cruce conſtituit, ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat; in ligno quoque vinceretur per Chriſtum Dominum noſtrum.* In cruce ante triduum mori potuit & debuit. Sed hodie, *Alleluja*, illa crux eſt arca, in qua ſalvantur omnes, qui ſalvi fiunt. Crucifixus ante triduum, mortuus eſt in cruce; ſed hodie ſanctiſſima crux, eſt virga longe potentior, quam illa, qua quondam Moyſes tot mira patravit. Illa tenebras in Ægyptum induxit; hodie virga crucis, hodie Chriſtus reſurgens pellit tenebras ex toto mundo. *Alleluja!* Illa in Æpypto aquas convertit in ſanguinem, *ad terrorem.* Hodie virga crucis ſanguinem rigoris, ſanguinem clamantem vindictam, convertit in dulces aquas clementiæ & lætitiæ, ad miſericordiam! *Alleluja!* Illa incuſſit plagas; Virga crucis infert delicias; Illa ſolos Iſraelitas eduxit ex ſervitute; Virga crucis totum mundum eripit ex poteſtate diaboli. *Alleluja!* Illa Iſraelitas deduxit per mare

§. 6. *Encomia S. Crucis nunc triumphatricis.*

 rubrum

rubrum in terram ſanctam. Virga crucis per ſanguinem filii Dei nos ducit ad gloriam cœleſtem, *alleluia*, crucifixus, id eſt, potuit mori, & mortuus eſt in cruce, ſed hodie ſanctiſſima crux eſt baculus, fortior baculo Eliſæi, quo non aliquis puer, ſed tota humana natura reſuſcitata eſt à morte peccati. *Alleluia!* Sanctiſſima Crux, hodie reſurgente Domino, eſt aurea clavis David, qua aperit cœlos. Eſt gladius igneus & verſatilis, quo fugat inimicos crucis. Ecce crucem Domini reſurgentis à morte, fugite partes adverſæ, fugite milites, fuge ſynagoga, fugite Judæi, fuge mors, fugite diaboli. Pſ. 67. v. 2. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum, à facie ejus.* Chriſtus reſurgit cum gladio crucis. Nos exultemus, nos lætemur, nos accinamus *alleluia, alleluia.*

§ 7. *Horror in inferno, amor & gaudium in mundo.*

Crucifixus, id eſt, Mortuus eſt in cruce; Sed dum hodie reſurgit, ſanctiſſima crux eſt illi funda & baculus, quo omnes Goliathos proſternit. Per hanc velut alter Samſon non modò cardines portarum in Gaza ſuſtulit; Sed ferreas portas & æneos vectes, quibus infernus tot ſæculis communitus fuerat, confregit, & *irruit ſuper eos, in inferno, formido & pavor.* Exod. 15. v. 16. In magnitudine brachii, quo glorioſus triumphator Chriſtus à mortuis reſurgens vibrat glorioſum vexillum crucis. Inter Dæmones pavor inter nos lætitia, in inferno horror, in mundo gaudium, ibi væ, væ, apud nos *alleluia alleluia*. Orig hom. 6. in Exodum. *Quid timent Dæmones? quid tremunt? ſine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt, in qua exuti ſunt principatus eorum & poteſtates.* Inter nos? Unde hæc inſolita lætitia? unde hodie ineffabile gaudiũ, quo ſuperabundamus? ob quam cauſam ubique reſonat lætiſſimum *alleluia*! Sine dubio IESUS Nazarænus crucifixus reſurrexit, quia ille per crucem redemit nos, quia hodie regnans triumphat in ligno. Dicite hoc in gentibus, dicite, *Hæc eſt dies &c.* Dicite, *Cantemus Domino*, qui crucifixus fuit, glorioſe magnificatus eſt. *Qui jacuit in morte, reſurgit in gloria. Alleluia alleluia*, pſ. 85. v. 17. *fecit Dominus nobiſcum ſignum in bonum, & viderunt qui oderunt nos, & confuſi ſunt, quoniam Deus adjuvit nos; & conſolatus eſt nos. Alleluja.* Puto equidem vos advertere Auditores, me non inhærere figuris, ſed

ris, ſed referre illas tantum per quandam conglobationem. Rejicio plurimas in alias conciones; unam tantum juvat hic adjungere prioribus, ut illa mihi occaſionem præbeat, aggratulandi Chriſto Salvatôri, de admirabili pulchritudine, in qua ſurrexit.

§. 8. *Floſculus contritus formoſior reſurrexit.*

Crucifixus! potuit flos ille campi, flos ille pulcherrimus proteri pedibus, potuit compungi & lædi ſpinis, potuit ita deturpari, ita ſpoliari omni decore, donec plane aridus appenſus eſt cruci. Sed, Reſurrexit; floſculus ille revixit, floſculus ille refloruit, jam floſculus gloriæ & pulchritudinis immortalis. S. Maximus h. 2. in paſch. *Ergo in hortulo Salvator, redivivum corpus aſſumit, & inter florentes arbores, & candentia lilia, carne jam mortua refloreſcit, & ita germinantia cuncta aperit, ſi enim poſt hyemalis rigoris frigidam ſepulturam, pullulare elementa omnia feſtinarunt, ut reſurgente Domino & ipſa conſurgerent. Utique ex Reſurrectione Chriſti aer ſalubrior eſt, ſol candidior, terra fæcundior; ex eo ſurculus vireſcit in fruticem, herba creſcit in ſegetem, vinea pubeſcit in palmitem.* Sic floreſcente Chriſti carne ex ſepulchro, è terra floreſcunt omnia. Idem S. Maximus. *Refloruit caro Domini, cum rediviva de ſepulchro germinavit* (cum reſurrexit) *& in floris modum cunctis hominibus immortalitatis afflavit odorem.* Placuit metaphora floris S. Gregorio Nyſſ. or. 3. de reſur. *Effloreſcat & emineat in omnibus, ſicut flos, decor diei feſti paſchalis: nam & dies victoriæ celebris, & illuſtris* (& ſpecioſus & pulcherrimus) *Chriſtus reſurgens, afflictos, oppreſſos liberat, dimittit, conſolatur.* Cogor diſcurſui meo finem imponere verbis S. Bern. l. de paſch. cap. 3. *Sicut roſa noctis frigore clauſa, ſolis ardore ſurgente tota aperitur, & foliis expanſis in ardore demonſtrat ruborem jucundum: ſic flos cæli delicioſus, optimus Ieſus, qui quaſi in frigore noctis clauſus fuit, tandem radiis ardentis charitatis apertus eſt, & roſa odor & pulchritudo refulſit. Vide quæſo quomodo hoc flore roſa, floruerit rubicundus Ieſus,* totus in reſurrectione pulcher, totus formoſus.

§ 9. *Affectuoſa paraneſis ad animam piam, & ad Angelos paradiſi aggratulatio.*

O Anima mea, quare hodierna die non immergis te abyſſo admirabilis pulchritudinis Chriſti à morte reſurgentis, qui nil aliud deſiderat, quam ut à nobis ametur. Ita, ita! immer-

immergam me, ingrediar hortum montis Calvariæ, videbo & contemplabor viſionem hanc pulcherrimam, Chriſtum à morte reſurgentem, quantum debiles mei oculi tam lucidos radios ferre poterunt, videbo, & voce qua potero contentiſſima, mundo & omnibus creaturis acclamabo. Jeſus crucifixus! jam pulcherrimus, jam lucidiſſimus reſurrexit à mortuis. O Angeli paradiſi, vos videtis de facie ad faciem illam faciem Chriſti reſurgentis, quæ eſt infinite ſpecioſa. Imo vero illam, illam vos ſpectatis faciem, à qua, quicquid eſt in orbe pulchri, ſuam mutuatur elegantiam? arrident creaturæ, pulchrior eſt Jeſus. Scintillant nocturni cœlorum oculi micantes ſtellulæ, plus radiat Jeſus. Alliciunt pratorum ornamenta floſculi? magis allicit ornamentum animorum Jeſus. Pretioſæ ſunt gemmulæ? ſuper omnes margaritas atque uniones, ſuper omnes jaſpides & ſapphiros, ſuper omnes adamantes & chryſolithos pretioſus eſt Jeſus. Jeſus inquam glorioſe reſurgens à mortuis. Et hujus vos benedictam faciem in ſingula temporum momenta quaſi per otium ſpectatis, ô Beatiſſimi Spiritus! ô vere Beatiſſimi! gaudeo, congratulor, applaudo. Sed & nos felices erimus Auditores, ſi lætiſſimo hoc Paſchatis tempore oculos avertamus à creaturis cæteris univerſis, & in ſolum glorioſum noſtrum Jeſum convertamus. O amabilis Jeſu! deſidero te millies in illa pulchritudine, qua hodie ſurrexiſti à mortuis; felix anima, quæ ait cum S. Bern. *Deſidero te millies, mi Ieſu quando venies*, ah quando videbo tuam faciem N.N. *me lætum quando facies.* ut dicam cum glorioſa virgine *Alleluja*, cum SS. Angelis, *Alleluja*! cum piis fœminis *Alleluia*. Ut dicam in jubilo, Jeſus Nazarenus reſurrexit. O pulchritudo! O pulchritudo! O amor! O amor; Alleluja! in ſæcula ſæculorum, Amen.

CON-

CONCIO XXII.

DOMINICA IN ALBIS.

Pax vobis.

Joan, 20.c. v.27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PAx vera & ſolida conſiſtit in bona conſcientia. Hujus bonum ex SS. Patribus deſcribitur, & variis ſententiis ac ſimilitudinibus illuſtratur.

§.1. *Pax quam ſit nobile & divinum donum.*

§.2. *Propoſitio. quæ ſit vera pax, & quibus mediis obtineatur.*

§.3. *Primum Chriſti poſt reſurrectionem verbum fuit de pace. Allegatur S. Chryſoſtomus.*

§.4. *Ieſus columba portans ramum viridem olivæ, ſeu pacis.*

§.5. *Quibusnam hac columba hoc tempore tulerit illum pacis ramum?*

§.6. *Gratia præcedit, pax ſequitur. Cur?*

§.7. *Quid ſit habere pacem, Ex D. Leone.*

§.8. *Explicatur illud Davidicum,* Juſtitia & pax oſculatæ ſunt. *Adducitur S. Auguſtinus.*

§ 9. *Epulo dives pacem non habuit. Sententia pathetica D. Chryſoſtomi.*

§.10. *S. Gregorii Nyſſeni judicium de bono pacis. Et rurſus D. Auguſtini.*

§.11. *Conſentit & S. Ambroſius pacem conſcientiæ mire extollens.*

§.12. *Eleganter iterum de hac pace Chryſoſtomus.*

§.13. *Pax illa eluxit in Benjamino.*

§.14. *Conſcientia pacifici eſt lectulus ſponſæ floridus. Ita D. Bernhardus.*

§.15. *Eſt & molle pulvinar Chriſti, teſte*

teſte P. Barradio.

§.16. *Petrus in carcere cur tam ſecure ac placide dormierit?*

§.17. *Cervical regium apud Reges Perſarum quale?*

§.18. *Pax conſcientiæ comparatur cæleſti gloriæ. Allegatur S. Auguſtinus.*

§.19. *De hac pace mens S. Ambroſii & Senecæ affertur.*

§.20. *Verba conſolatoria S. Auguſtini de pacis internæ beatitudine.*

§.1. *Pax quam ſit nobile & divinum donum.*

CUm Salvator noſter, antequam in mortem iret, diſcipulis ſuis & Apoſtolis poſt inſtitutionem Venerabilis Sacramenti valediceret, ſermonem ſatis prolixum his verbis concluſit, Joan. 14. v. 27. *Pacem meam do vobis*, pretioſiorem gemmam dare non potuit. Servavit morem, de quo S. Bonav. *Chriſtus Dominus legavit pacem, amici namque amicis dant, & legant magis pretioſa in fine.* Cum poſt glorioſam reſurrectionem à mortuis redivivus iiſdem valde afflictis & deſolatis appareret, his fere verbis eoſdem fuit allocutus, *Pax vobis*, neque pretioſiorem gemmam ex altero mundo afferre potuit, quam pacem. cauſam advertit gloſſa ordinaria, in c. 24. Lucæ. *Qui pacem dedit, uno verbo omnia bona dedit.* Eximium donum eſt quies & ſerenitas conſcientiæ, hæc quies eſt fructus pacis. Cant 8. v. 10. *facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* gloſſa ordinaria ſic legit. *facta ſum quaſi ſerenitatem animæ reperiens.* Ingens donum eſt abundantia cœleſtium chariſmatum, & eſt fructus pacis. Pſ. 121. v. 7. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Donum Dei ſunt etiam bona temporalia; & ipſa ſunt fructus pacis. Pſ. 147. v. 14. *poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Ingens donum eſt gaudium cordis. Sed eſt fructus pacis. Pſ. 4. v. 9. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Pſ. 36. v. 11. *Delectabuntur in multitudine pacis.* Plurima dona involvit beatitudo hominis, & in hac & in altera vita, hæc beatitudo eſt fructus pacis teſtante ipſomet Salvatore, Matt. 5. v. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et quia ſunt filii Dei, ſunt cohæredes Chriſti, hæredes cœleſtis gloriæ, in qua hæreditate vera beatitudo conſiſtit. Advertit hæc omnia Regius pſaltes cum dixit, pſ. 118. v. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam*

ruam. S. Auguſtinus ſic; *O quanta & quam eximia eſt virtus pacis, quæ ex prophetico Spiritu multa appellatur, quaſi diceret, multa bona ſub una virtute contineri.* hæc omnia merito in nobis excitant deſiderium pacis. & David adhortatur pſ. 33. v. 15. *Inquire pacem & perſequere illam.* Romanæ eloquentiæ Princeps Cicero Philippica 2. *Nomen pacis dulce eſt, & res ſalutaris.*

Quænam verò illa pax ſit, quam Chriſtus Dominus nobis apprecatur, & qua ratione illam obtinere poſſimus, illud erit præſentis meæ concionis argumentum. Vos, ſi placet, tantiſper diligenter attendite.

§. 2. Propoſitio quæ ſit vera pax, & quibus mediis obtineatur?

Cum triumphator diaboli, victor peccati, & mortis debellator Jeſus primo die glorioſæ Reſurrectionis circa veſperum triſtibus Apoſtolis appareret, his verbis eos ſalutavit, *Pax vobis:* hæc prima jucundiſſimi oris fuit ſalutatio. Pulchre S. Chryſoſt. hom. 28. in Joannem; *hoc primum verbum poſt reſurrectionem dixit, crucis merita colligens, quæ ſunt pax.* Hoc verbulo ſignificare voluit, omnium laborum ſuorum, ſanguinis, mortis, crucis, meritum eſſe pacem. Poſt diluvium columba quæ à Noe ex arca emiſſa fuerat, rediit, *portans ramum olivæ virentibus foliis*, Gen. 8. verſ. 11. Sanct. Hieron. *ſic* (nimirum ſymbolo pacis, ſive Oliva) *pacem terræ, columba nuntiavit; indicavit omnia eſſe pacata, non amplius furere ventos, non intumeſcere maria, non minitari imbrium copiam nubes.* Sanct. Chryſoſt. hom. 26. in cap. 8. Gen. *fidus iſte nuntius bonas attulit literas, decerptum ex oliva ſurculum reportans.* Forte hæc columba ex hiſtoriis antiquorum occaſionem dedit apud Romanos literis laureatis, quibus obtentæ victoriæ Magiſtratui nuntiabantur.

§. 3. Primum Chriſti poſt reſurrectionem verbum fuit de pace. Allegatur S. Chryſoſtomus.

Verus Noemus Salvator noſter, poſt immane ſang. ſui diluvium, ex arca, hoc eſt ſepulchro redivivus, ad inſtar candidiſſimæ columbæ evolans, ramum protulit, quo pacem optatiſſimam ſuis annuntiavit. clare & præclare P. Fernandez in Gen. cap. 8. 2. *Columba fuit Dominus Ieſus, cum è paſſionis diluvio emergens, è mortis faucibus atque ex ipſo tartaro redivivus, immortalis & glorioſus, in ſanctum illud cœnaculum, januis clauſis intravit, dicens, pax vobis.* Sanct. Chryſoſtom. ad Coloſſ. 1. *fluctuantem eorum mentem fir-*

§. 4. Ieſus Columba portans ramum viridem Olivæ, ſeu pacis.

mavit. Pax vobis, pacificans per ſanguinem ſuum, ſive quæ in terris ſive quæ in cælis ſunt. Nec verbis tantum, ſed re ipſa in cœlo glorioſiſſimi ſui corporis ſigna pacis prætulit, poſt diluvium in nubibus apparuit iris in ſignum pacis; in glorioſo corpore apparent quinque ſpecioſiſſimæ irides, id eſt, cicatrices quinque ſanctiſſimorum Vulnerum, quæ in omnem æternitatem in cœlis erunt ſigna pacis & fœderis, quod inter Patrem & nos, inter cœlum & terram ſua morte, & ſanguine conciliavit. Eccl. 43 v. 12. *Vide arcum, & benedic eum, valde ſpecioſus eſt in decore ſuo.* Patet hodie illum eſſe admirabilem, Deum fortem & Principem pacis. Iſ. 9. v. 6. & 2. Cor. 13. v. 11. Deum pacis & dilectionis.

§. 5. *Quibusnam hæc columba hoc tempore tulerit illum ramum pacis.*

Scio apud ſanctos Patres & interpretes ſcripturæ nomen pacis diverſimode definiri; verum ut me accommodem paſchali tempori, quo quivis Chriſtianus tenetur per ſeriam & integram confeſſionem cum Deo ſe reconciliare (peccatum enim pacem cum Deo deſtruit, eſt cauſa inimicitiæ, & averſionis, qua Deus impios proſequitur) placet mihi modo S. Chryſoſt. in ep. ad Philip. cap. 4. v. 7. *Pax Dei eſt reconciliatio Dei cum homine.* Agedum ergo Auditores mei, liceat mihi nonnulla ex vobis percontari. Illamne cum Deo pacem & reconciliationem iniiſtis feſtis hiſce paſchalibus? neſcimus, reſpondetis; ſperamus bene. At ego ſcio: vos ſuperbi ſi jam poſita arrogantia ſectamini humilitatem & modeſtiam, *Pax vobis*. Vos luxurioſi ſi jam fugitis conſortia prava, ſi ſermo veſter caſtus eſt, ſi declinatis lubricas illas turpitudinum occaſiones; *Pax vobis*. Vos avari, ſi jam ſtudetis Eleemoſynis, ſi jam corda veſtra Numini potius quam nummis affigitis, *Pax vobis*, pro vobis mortuus eſt Chriſtus, vobis reſurrexit, vobis affert pacem, ad vos advolat columba illa cœleſtis cum ramo olivæ virentis. Idem de invidis, de blaſphemis, de ebrioſis, &c. cum proportione dictum velim. Reconciliavit nos quoque ſemel Chriſtus Dominus Patri, per ſanguinem & mortem crucis, illius facti ſumus participes in ſacramento baptiſmatis per infuſionem gratiæ, ſi per peccatum illa ex cordibus noſtris expulſa eſt, facti ſumus inimici Dei, quibus pax eſſe non poteſt, ſi qui tales ſunt ex meis Auditoribus, illis dico cum Salvatore, *Pax vobis*, id eſt, videte, ut

Digitized by Google

te, ut per ſacramentum pœnitentiæ vos Deo reconcilietis, ut denuo gratiæ fiatis participes, quæ hanc pacem ſecum trahit.

Super v.7. ad Rom. c.1. S. Pauli. *Gratia vobis & pax à Deo*, bene obſervavit Hugo Card. *Gratia precedit & pax ſequitur: quia ſine gratia non eſt pax, hac eſt fundamentum pacis* ad Titum cap.1. v.4. S. Paulus duas illas voces denuo conjunxit, *Gratia & Pax*. S. Thomas c.1. ad Titum v.4. *hac ſæpe conjungit, quia omnium ſpiritualium donorum principium eſt gratia, & pax finis*. pſ.4. v.7. *Signum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo*. S. Hier. legit: *ortum eſt lumen tuum nobis, & facta eſt pax lætificans in corde meo*, per illud lumen plurimi SS. Patres intelligunt gratiam, & bene; quamprimum illa quæ pulcherrima lux eſt, oritur in anima, fit etiam pax & pax lætificans. Gratiam autem impius ſine pœnitentia obtinere non poteſt, ſequitur ergo illos, qui peccati mortalis rei ſunt, & tamen confeſſionem neglexerunt, vel fecerunt, ſed ſacrilege, eſſe adhuc in tenebris inimicos crucis Chriſti, neque poſſe eſſe participes filius pacis, quam Chriſtus Dominus ſanguine ſuo obtentam nobis hodie apprecatur. §.6. *Gratia præcedit, pax ſequitur. Cur?*

D. Leo ſer.6. in Nat. *Quid eſt autem dilectiſſimi pacem habere ad Deum, niſi velle quod jubet, & nolle, quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & ſimiles exigunt voluntates, quomodo divinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent?* Nihil autem diſplicet Deo, niſi peccatum. Si hoc ergo vultis, ſi amatis, ſi deponere recuſatis, pax vobis eſſe non poteſt. Peccata deponite, horrete, *& pax vobis*. hoc eſt fundamentum pacis, ſcilicet reconciliatio cum Deo per depoſitionem, & fugam omnis gravis peccati. §.7. *Quid ſit habere pacem ex D. Leone.*

Cum emphaſi dixit David pſ.84. v.11. *Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt*. Quaſi diceret, qui pacem deſiderat, juſtus ſit, ſanctéque vivat neceſſe eſt. S. Aug. ſer.2. ad fratres in eremo. *Amicæ ſunt Juſtitia & pax, nemo eſt qui non velit pacem, ſed non omnes volunt operari juſtitiam, percontare ab homine, vis pacem? uno ore reſpondebit tibi genus humanum, opto, cupio, amo, volo. Ergo* concludit S. Aug. *ama Juſtitiam* (fuge malum, fac bonum) *quia duæ ſunt amicæ, Juſtitia &* §.8. *Explicatur illud Davidicum, Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt. Adducitur S. Auguſtinus.*

Pax; ipſa ſe oſculatæ ſunt, ideo ſi Iuſtitiam non amaveris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te.

§. 9. *Epulo dives pacem non habuit. Sententia Pathetica D. Chryſoſtomi.*

Sine gratia & Juſtitia homo veram pacem, ſive quietem & gaudium conſcientiæ obtinere non poteſt, hæc eſt illa pax, ſine qua filii ſæculi in rebus humanis gaudere non poſſunt. Eleganter S. Chryſoſt. hom. 1. de Lazaro, ait de divite epulone. *Ne mihi dixeris illum menſa ſumptuoſa frui, veſtibus circumdari ſericis, mancipiorum greges circumferre, ſed explica mihi illius conſcientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempeſtatem, turbationem. Videbis velut in judicio mentem ad thronum conſcientiæ conſcendiſſe regalem, tanquam Iudicem quempiam ſedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo ſuſpendentem, latera conſcientiæ radentem ungulis, cum nemo ſciat, niſi quod ſolum Deum hæc videre noverit.* Acerbus ſane cruciatus! tormentum crudele! at quo pacto quis illud evadet? reconciliamini Deo, pacem quærite, pacem amate, ſine pace mens hominis in equuleo eſt, inter carnifices eſt, ſcinditur, vulneratur, teritur, premitur, opprimitur.

§. 10. *S. Gregorii Nyſſeni judicium de bono pacis. Et rurſus D. Auguſtini.*

Æque elegantia ſunt verba D. Gregorii Nyſſeni l. 8. beatit. *Quid enim hominibus ex iis rebus, quibus frui atque potiri ſtudent, vita pacifica dulcius? quodcunque nominaveris ex iis, quæ in vita ſuavia & jucunda ſunt, pace indiget, ad hoc ut jucundum ſit. Etenim ſi ſuppetant divitiæ, bona valetudo, domus, horti amœni, quæcunque demum voluptatis inventa ſunt, quæcunque delicias ſectantes recreare poſſunt, ſi pacis bonum defuerit, quid inde lucri eſt? aut quid proſunt? bello, quo minus fruamur, impediente.* Si divites, ſi avari, ſi ambitioſi, ſi voluptatum ſtudioſi cum quiete & tranquillitate his frui velint, videant ut prius Deo reconcilientur, dent operam ut ſit illis pax intus, pax in corde, pax in conſcientia; Pax eſt Mater vitæ beatæ. Sanct. Auguſt. in pſal. 147. *Ipſam ſectemini, ipſam deſiderate, ipſam in domo, ipſam in negotio, ipſam in uxoribus, ipſam in filiis, ipſam in ſervis, ipſam in amicis, ipſam in inimicis diligite, & juxta Apoſtolum cum omnibus pacem habeamus*, 2. Corinth. 13. verſ. 11. ſed ante omnia ipſam intus in vobis, in cordibus veſtris, in con-

Digitized by Google

conſcientia pura, in reconciliatione cum Deo, quærite & ſectamini: Et DEUS pacis & dilectionis erit vobiſcum.

Cum hac pace homo juſtus & amicus Dei etiam in hoc ſæculo beatam ducit vitam. Sanct. Ambroſius ſuper illud Salomonis Proverbior.15.cap. verſ. 15. *Secura mens quaſi juge convivium. Quis puritate & ſimplicitate pectoris dulcior fructus? quis cibus ſuavior? quam is, quem animus bene ſibi conſcii, & mens innocentis epulatur.* Homo ſceleratus eſt plerumque inter delicias ac cupedias, intus tamen inſtar alicujus Damoclis, divinæ Juſtitiæ acinacem ſibi imminentem cum triſtitia contemplari cogitur. Job.15.cap. verſ.21. *Sonitus terroris ſemper in auribus impii, & cum pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur*; tametſi ridere omnia videantur, & concinni fluctus in placido velut mari alludere, non malitia eſt illa, ſed potius delphinotum pompa & ſaltus, certum prænuntium imminentis tempeſtatis. Plerumque agricola jucundius ſuper manipulos ſuos conquieſcit, quam impii in lectis eburneis. §. 11. *Conſentit & S. Ambroſius pacem conſcientiæ mire extollens.*

Sanctus Chryſoſtomus hom.1. in ep. ad Rom. *Animi tranquillitatem & lætitiam* (& pacem) *non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non menſæ ſumptus, non veſtium ornatus, non aliud quidpiam rerum humanarum afferre conſuevit, præterquam conſcientia bona; quam certe qui puram habet, ut pannoſus ſit, ut cum fame luctetur, tamen tranquillior beatiorq́ eſt iis qui inter delicias degunt.* Inter medias perſecutiones Saulis, inter imminentes gladios cecinit regius pſaltes pſ.22. v. 2. *Super aquam refectionis educavit me.* S. Ambroſius in pſal.36. *Hac refectio ſpiritualis eſt, hac refectio mentis interna; & fructus pacis.* §. 12. *Eleganter iterum de hac pace Chryſoſtomus.*

Quoties hactenus legi triſtiſſimam hiſtoriam, ſive qua ratione Joſeph fratres ſuos veluti fures contriſtarit, perſuaſum mihi ſemper habui Benjaminum, cum vidit in ſacco inveniri ſcyphum, ſubito terrore perculſum in amaras lachrymas erupiſſe. Sed libenter legi his diebus, alios quoque fratres fuiſſe non parum conturbatos, eo quod aliorum ſcelerum eſſent rei; Benjamin verò nullius ſceleris ſibi conſcius, non timuit, nō expavit, ſed §. 13. *Pax illa eluxit in Benjamino.*

Digitized by Google

gaviſus fuit. Theodoretus. *Aperte oſtenſa eſt conſcientiæ teſtimonii poteſtas*. Ex hac ſequitur illa interna animi pax & lætitia, quam nobis Chriſtus apprecatur, de qua S. Bern. de inter. domo c. 23. *Nihil eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conſcientia, fremat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura*. Gentilis Seneca agnovit ep. 59. *talis eſt animus ſapientis*, (dico ego hominis juſti, Dei amici, qui pacem habet cum Deo.) *qualis eſt mundi ſtatus ſupra lunam, ſemper illic ſerenum eſt, nunquam ſine gaudio eſt, quod non naſcitur niſi ex bona conſcientia*.

§. 14. *Conſcientia pacifici eſt lectulus ſponſæ floridus. Ita D. Bernardus.*

In Cant. ſponſa laudat nuptialem thalamum notis illis verbis, *lectulus noſter floridus*, hinc illa pictura Jeſuli dormientis in lectulo ſtrato floribus. Sed bene advertit S. Bernardus ſer. 47. in Cant. *lectulus reſperſus floribus, bona conſcientia eſt, bonis referta operibus*. Suaviter Hugo Victorinus de clauſtro animæ c. 10. *hic eſt lectulus, hic in candidiſſimis munditiæ linteaminibus, & in lectulo conſcientiæ, veræ pacis capies ſomnum*.

§. 15. *Eſt & molle pulvinar Chriſti, teſte P. Barradio.*

Marc. 4. v. 38. *Aſcendente Domino in naviculam, facta eſt tempeſtas magna, & erat ipſe in puppi, ſuper cervical dormiens*. Euthymius & Theophylactus volunt fuiſſe aliquem aſſerem, alii funes nauticos, moraliter ait P. Barradius, molle ac blandum pulvinar, cui Chriſtus ſuaviſſime indormit, eſſe bonam conſcientiam, in qua dum vir probus quieſcit, etiam inter Oceani minas, & exundantes undique tempeſtates immotus ac pacatus indormiſcit.

§. 16. *Petrus in carcere cur tam ſecure ac placide dormierit.*

Huic cervicali, huic lectulo indormiit Petrus, qui inter duos milites conſtitutus, vinctus catenis duabus, poſtero die ad ſupplicium rapiendus (quis non miratur?) tam profundo fuit ſomno correptus, ut Angelus eum trahere, ac quaſi vellere debuerit, percuſſoque latere Petri è ſomno excitare. Miranda ſane res! Petrus hæret in carcere vinctus catenis duabus, Petrus arctiſſima erat ſeptus militum cuſtodia, Petrus propediem erat educendus ad mortem, Petrus ſciebat jam de ſuo capite conclamatum; & adhuc dormiret ſecure, placide, tranquille, perinde acſi ſalva forent omnia. O Petre, an non ſat multa erant, quæ tuum tibi ſomnum poterant interrumpere? *& adhuc dormis*? Mihi ſane in hoc rerum articulo, nec tempus, nec animus, nec cauſa dormiendi,

ſed

Digitized by Google

ſed vel orandi, vel potius ſuſpirandi fuiſſet occaſio, *Et adhuc dormis*? ſed quid miror? patet cauſa, lectulus Petri in carcere reſperſus floribus, bona conſcientia & interna pax animi fuit.

Apud Reges Perſarum moris fuit juxta conclave Regis in loco theſauri ſemper aſſervari ſupra triginta tres milliones coronatorum, hic theſaurus vocabatur cervical regium, & tamen multi reges in illo quieſcere non potuerunt. Nam quot ſub eodem cervicali curæ delituerunt? quis enumeret timores, ſuſpiciones, anxietates? fuerit cervical molle, fuerit lectus molliſſimus, at non item quies mollis ac placida: ſola hæc prærogativa ſuaviſſimi ſomni debetur paci internæ, qua fruitur homo bonæ conſcientiæ. Hæc eſt vere cervical regium, ſub hoc & in hoc placidiſſime dormitur, nec eſt hoſtis, qui illam auream mentis quietem poſſit interturbare. *§.17. Cervical regium apud Reges Perſarum quale.*

Tantum eſt hujus pacis, & bonæ conſcientiæ gaudium, ut eam poſſidens cœleſti gloria perfrui videatur. 2.Cor.1.v.12. ait de ſe S.Paulus. *Gloria noſtra hac eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* & S.Auguſtinus poſtquam bonam conſcientiam appellavit, *paradiſum deliciarum, thalamum Dei, palatium Chriſti, habitaculum Spiritus ſancti*, tandem exclamat: *O conſcientia ſancta! in terra adhuc es, & in cœlis habitas! gaude O anima ſancta, ſancta conſcientia decorata*, nec immerito, nam ſicut mens mala eſt mare, eſt hortus plenus ſpinis, eſt infernus, eſt gehenna, ita conſcientia bona eſt paradiſus, eſt cœlum, quam ergo dulcia nobis optat Jeſus his verbis, *Pax vobis!* hoc optat, ut corda veſtra ſint paradiſus deliciarum, hoc deſiderat ut ambuletis inter flores & lilia paradiſi hujus terreſtris, hoc vovet ut in hac vita incipiatis deguſtare cœli delicias. O pax cœleſtis! quiſquis te fruitur, auſim dicere, jam cœli civis eſt. Nam quid in cœlo, niſi pulchrum, jucundum, amabile? & quid in anima, quæ pace gaudet interna? nonne omnia pulchra, jucunda, amabilia? In cœlis nullus timor, & nullus in tali anima. In cœlo perpetua amoris cum Deo converſatio: in tali anima nullum eſt niſi cum Deo commercium. In cœlo nullum tœdium, nullus ullius rei horror, aut nauſea; & nunquid idem dicere poſſum de tali anima? Itaque *Pax vobis* Auditores, id eſt, cœlum vobis opto, *§.18. Pax conſcientiæ comparatur cœleſti gloriæ. Allegatur S. Auguſtinus.*

ad cœ-

Digitized by Google

ad cœlum tendite, ad cœli delicias aſpirate, nam pax & cœlum modico inter ſe diſtant intervallo.

§.19. *De hac pace mens S. Ambroſii & Senecæ affertur.*

Sed moneo rurſum cum Sancto Ambroſio l.1. offic. cap. 12. *Non ſecundum forenſem abundantiam, æſtimanda eſt beatitudo ſingulorum, ſed ſecundum interiorem conſcientiam, quæ innocentium & flagitioſorum merita diſcernit, vera & incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra.* & l. 2. Offic. cap. 1. *Vitam beatam efficiunt tranquillitas conſcientiæ & ſecuritas innocentiæ.* Nervoſe Seneca ep. 33. ad Lucilium. *Nolo tibi unquam deeſſe lætitiam, ſed volo illam tibi domi naſci, de tuo gaudere, de te ipſo, & de tui optima parte.*

§.20. *Verba conſolatoria S. Auguſtini de pacis interna beatitudine.*

Finiam cum Sancto Auguſtino in pſal. 147. *quid jam ultra loquar de pace, aut de laude pacis? differamus omnes laudes ad illam patriam pacis, ibi eam plenius laudabimus, ubi eam plenius habebimus. Ecce hoc dico O filii dilecti! O filii regni! O cives Jeruſalem! quoniam in Jeruſalem viſio pacis eſt, & omnes qui habent, & amant pacem, benedicuntur in ea!* Nec habeo quod addam de meo; ſufficit mihi, ſi dum vivimus ſimus cives Jeruſalem, (Jeruſalem idem eſt ac viſio pacis) non ſimus filii Jericho, id eſt, inſtabiles ut Luna, ſola animi quies, ſolum & verum gaudium, ſola & vera beatitudo in illa aurea pace interna conſiſtit, quam nobis impertiri dignetur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſæcula Amen.

CON-

Digitized by Google

CONCIO XXIII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus.

Joan. 10. c. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VEre Paſtor bonus fuit Jeſus. Oſtenditur id ex variis boni paſtoris indiciis.

§. 1. *Brevis recapitulatio aliarum concionum de bono paſtore.*

§. 2. *Propoſitio de quinque partibus boni paſtoris.*

§. 3. *Dictum Senecæ*, vincit in malo pertinax bonitas, *in Chriſto locum habere debet.*

§. 4. *Cur Ieſu latus lancea perforatum? melliflue S. Bernardus.*

§. 5. *Symbolum ex Pierio de ardenti amore boni paſtoris.*

§. 6. *Quam attentos ac vigiles oculos habuerit bonus paſtor Ieſus. Explicatur difficilis locus ex Zacharia.*

§. 7. *Vulnera Ieſu ſunt oculi aperti, quibus nos aſpicit.*

§. 8. *Bonus paſtor Dux ovium eſt. Ieſus fuit talis.*

§ 9. *Confirmatur hiſtoria ex libr. 2. Machabæorum.*

§. 10. *Paſtor bonus non horret vitæ pericula.*

§. 11. *Aaron, boni paſtoris gregem amantis, exemplar vivum.*

§. 12. *Amor paſtorem reddit vigilem & ſollicitum.*

§. 13. *Virga Amygdali, boni paſtoris ſymbolum.*

§. 14. *Vita paſtoris cum vita Chriſti comparatur in variis.*

§. 15. *Bonus paſtor rogat ſibi aperiri januam ex Canticis.*

§. 16. *De hoc paſtore affectuoſa verba Giliberti.*

§. 17. *Affectus amoris in hunc paſtorem.*

cis eſſe malitiæ, ut Chriſti Domini bonitas licet ingens, licet pertinax, licet divina, vincatur: tentabo tamen num dulci ſermone de amore Jeſu, ſub metaphora boni paſtoris cor aliquod vincere poſſim. Ut bonus Jeſus in hodierno Evangelio oſtendat ſe bonum, id eſt, amantem, vocat ſe paſtorem! In paſtore literali ſenſu requiro ante omnia amorem erga oves, non externum tantum, ſed internum etiam cordis. Equidem mihi perſuadeo Jacobum pro Rachele nunquam tot labores ſuſcepturum fuiſſe, niſi illam ex corde amaſſet. Si ergo Chriſtus Dominus noſter paſtor, ſi nos ſimus oviculæ, ſecuri quoq; eſſe debemus Chriſtum Dominum amore interno, ſive cordis, tenerrime nos amare. Eſtote ſecuri, non dubitate, ſic amat! Amor in ejus corde vehementiſſimus, ardentiſſimus eſt.

Dantur variæ cauſæ ob quas lancea perforatum Chriſti latus, devote S. Bernardus ſer. de paſſ. D. c. 3. *ad hoc enim perforatum eſt latus tuum Domine Ieſu, ut nobis pateſcat introitus. Ad hoc vulneratum eſt cor tuum, ut per vulnus viſibile, vulnus amoris inviſibile, videamus.* item. *Et quid ni viſcera per vulnera pateant?* item. *per has* (hom. 61. in Cant.) *rimas licet mihi guſtare & videre quam ſuavis eſt Dominus, & mitis, & multæ miſericordiæ patet arcanum cordis* (id eſt, amor) *per foramina corporis. patet magnum illud pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quo enim clarius quam in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuavis & mitis es, & multæ miſericordiæ.* hom. 62. in Cant. *Eccleſia columba eſt, in foraminibus petræ, per quam introſpicit & videt gloriam ſponſi ſui, nec opprimitur tamen à gloria, quia non ſcrutatrix majeſtatis eſt, ſed voluntatis*, id eſt, amoris. Quisquis deſiderat ſcire num ametur ingrediatur, hic ſcrutetur, & inveniet, amorem. De hoc ſuo amore loquitur pſ. 21. v. 15. *Sicut aqua diffuſus ſum, factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens in medio ventris mei:* Scio interpretes dicere hoc factum per ignem dolorum, ſed mixtus fuit ignis charitatis; non ſolus fuit dolor qui ſuis ignibus accenſum cor Jeſu liquefecit, etiam amoris flammæ ad hoc vires ſuas contulerunt. Amore cor liquefieri patet ex c. 5. v. 6. Cant. *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt.*

§. 4. *Cur Chriſti latus lancea perforatum? melliflue S. Bernardus.*

Digitized by Google

§. 5. *Symbolum ex Pierio de ardenti amore boni paſtoris.*

Apud Pierium l. 34. hoc invenio ſymbolum; ardens ſtat ara; in illa cor liqueſcens ſuaviſſimam emittit exhalationem, veriſſimum hoc de corde Chriſti S. Bern.

Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Cum te totum exhaurires,
Et te nobis impertires.

O Chriſti cor, ô cor paſtoris, dulciſſimum! Amor ergo internus Chriſto Domino veluti bono paſtori non deeſt. Amor verò hic in paſtore mira operatur.

§. 6. *Quam attentos ac vigiles oculos habuerit bonus paſtor Ieſus. Explicatur difficilis locus ex Zacharia.*

I. Amor hic in paſtore ponit diligentes, & attentos oculos ſuper oviculas, pulchre: attentiores longe oculos habet paſtor noſter ſuper ſuas oviculas ut de illo dixerit Zacharias, c. 3. v. 9. *Ecce lapis, quem dedi coram Ieſu, ſuper lapidem unum ſeptem oculi ſunt, ecce ego cælabo ſculpturam ejus*; ſermo eſt de Chriſto Domino, per hos ſeptem oculos multi intelligunt ſeptem dona Spiritus S. quibus Chriſti anima ſingulariter illuſtrata, & veluti oculata reddita eſt. D. Hieronymus Rupertus, Primaſius, Ansbertus, Joachim & multi alii in Apoc. advertunt iis viciſſim Chriſtum Dominum illuminare & illuſtrare mundum. Intelligunt alii ſeptem ſpiritus Domini, quibus veluti Chriſti Domini miniſtris ovicularum cura eſt commiſſa. Uti enim antiquitas apud Suidam, regios miniſtros vocavit, *regis oculos*, ſic Angeli, oculi Magni illius Regis poſſunt non immerito appellari. Alii volunt per hos ſeptem oculos expreſſam admirabilem illam Dei providentiam, qua Chriſtus Dominus velut ſeptem oculis, id eſt, innumeris, in omnem partem ſeſe verſantibus, Eccleſiam gubernat, illuminat, fovet, & veluti benigno aſpectu vivificat, qui quidem oculi, propter gratiam ſingularem, & amorem, quem ſpirant, in Cant. dicuntur eſſe, ſicut columbæ *quæ lacte ſunt lota*. Talibus ergo oculis, id eſt, gratioſis Chriſtus paſtor ſuas aſpicit oviculas. O quibus oculis nos aſpicit Salvator? ô quam apertis, quam amantibus oculis.

§. 7. *Vulnera Ieſu ſunt oculi aperti.*

Hic iterum recordor vulnerum Chriſti Domini, quæ ſancti Patres vocarunt oculos; dices, quid Chriſti Domini vulneribus cum oculis? multum, 1. Oculorum lachrymæ triſtem oſten-

dunt

dunt animam, & compaſſionem exigunt; quoties ovicula ſiniſtri aliquid patitur, ſentit id Chriſtus Dominus & dolorem prodit non lachrymis tantum, ſed vulneribus, quæ ſanguinem exſudant. 2. Teſte S. Aug. oculi ſunt feneſtræ mentis ſive cordis, per quæ, & in quibus humani potiſſimum affectus apparent, ita etiam nobis, ut ante dixi, gratioſus totuſque affectu plenus Chriſti intuitus per vulnera ſua innoteſcit. 3. Oculi præ reliquis membris ſunt amatorii, vocantur propterea columbini, quæ avis conjugalis amoris eſt ſymbolum, & de ſponſi oculis ſpeciatim dicitur, *ſicut columba ſuper rivulos aquarum:* optime hoc dicitur de oculis myſticis SS. Vulnerum; nam & rivuli ſunt, ſeu ut LXX. *plenitudines*, vel ut Aquila, *effuſiones & pleniſſima fluenta.* Tales Chriſtus Dominus habet oculos, qui nil ſpirant niſi amorem. Tales oculos puto fuiſſe Jacobo erga Rachelem, O quoties amicum oculorum obtutum defixit in ſuam Rachelem? O quoties Chriſtus dilectam ſibi animam clementibus oculis aſpexit? quot oculorum jacula, tot quaſi cordis ſuſpiria, amo te, ô anima, ô anima amo te. 4. Pulchritudo conſiſtit præcipue in oculis; ſic Chriſti ornamentum vulnera ſunt, ideo in glorioſo corpore etiam in cœlis illa voluit retinere. Quandoquidem ergo Chriſtus Dominus nos aſpicit oculis amatoriis! pulcherrimis! beneficis! Concludo illum eſſe optimum paſtorem.

quibus nos aſpicit.

II. Amor paſtorem facit Ducem. Paſtor eſt Dux ovium. Quid? annon Chriſtus Dominus Dux noſter? Cum ſylva aliqua ſubeunda eſt, vel locus periculoſus, ex quo periculum à lupis immineat, paſtorem præcedere oportet: fecit hoc Chriſtus Dominus. Pulchram hiſtoriam invenio in lib. 1. Machabæorum cap. 5. v. 43. Rex Antiochus Demetrii filius Ducem exercitus conſtituit Cendebæum, juſſit Judeæ bellum inferre.

§. 8. *Bonus paſtor Dux ovium eſt, Jeſus fuit talis.*

Senex Machabæus Simon, duos filios Judam & Joannem cum viginti millibus illi mittit obviam. Verum cum ingens torrens illis occurreret, Judas plenus animis ait; *Veniant omnes in prælium. Transfretemus ad eos. Et transfretavit ad illos prior, & omnis populus poſt eum. & contritæ ſunt omnes gentes à facie eorum.* Sic Judas ſuos animavit, ſic viam illis aperuit ad victoriam. Viderunt

§. 9. *Confirmatur hiſtoria ex libris Machabæorum.*

Digitized by Google

eum viri & tranſierunt poſt eum. Nil enim ita animat milites atque exemplum ducis. Ecce pulcherrimum ſchema ducis noſtri, paſtoris noſtri Jeſu Chriſti. Volebat ſuas ille oviculas educere ad cœli paſcua; Sed intermedius erat torrens Cedron, torrens paſſionis, torrens dolorum, torrens amaræ mortis. Quid facit paſtor bonus? primus illum tranſit torrentem; eia oviculæ ſequimini, quid hæretis? *præcedit Paſtor.* At, ſunt lupi in via! nil intereſt, pergite ſecuræ oves, *præcedit Paſtor.* Scandendi ſunt ardui montes? nil refert, pergite, *præcedit Paſtor.* De Sanguine noſtro agitur! quid tum? nunquam fuit illuſtrior reportata victoria ſine Sanguine. Vicit Jeſus, at non ſine vulnere. Macte animis, *præcedit Paſtor*, ſequimini oviculæ. Bonum factum! video ſequitur innumerus ovium grex, Paſtorem bonum. Tot ſanctæ Virgines, tot fortes Confeſſores, tot Martyres eximii, ſequuntur omnes per ſpinas, per gladios, per rotas, per cruces. Cur? *Præcedit paſtor.*

§ 10. *Paſtor bonus non horret vitæ pericula.*

III. Amore hoc impulſus paſtor objicit ſe ſummis periculis, vitam exponit ut oves defendat, mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit, non ſic paſtor bonus, non ſic Chriſtus, qui vitam dedit, ſanguinem profudit, poſuit & animam pro oviculis.

§ 11. *Aaron boni paſtoris gregem amantis exemplar vivum.*

Numer. 16. v. 47. dum flamma in Iſraelitas deſævit, monetur Aaron à Moyſe, ut tanto ſubveniat malo, & ait textus. *Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos & viventes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit.* Quid agis Aaron? heus ſumme ſacerdos quid agis? itane manifeſto te vitamq; tuam periculo exponis? non vides flammas? non times aduſtionem? non vides jacentia hinc inde cadavera? non audis miſerandas morientium voces? nec fugam corripis? quid hoc rei? quis te retrahit? quis curſum prohibet? Sed non movetur, ut video, Aaron, ſtat immobilis, non curat flammas, mortem non pertimeſcit. Scio me alias uſum hoc loco ad demonſtrandam efficaciam orationis; modo occurrit D. Ambroſ. l. 10. ep. 82. *Cum dira mors propter contu-*

Digitized by Google

contumaces in plebem ſerperet, medium ſe inter morientes viventesque Aaron objecit, ut mortem ſiſteret, ne plures perirent. Vere vir mentis & animi ſacerdotalis, qui ſe pro Domini grege, quaſi paſtor bonus pio objiceret affectu. Sic Aaron oſtendit ſe paſtorem. O paſtor bone! O paſtor Jeſu! alia flamma devaſtabat genus humanum, mille mille oviculæ deturbabantur quotidie ad flammas tartareas, periiſſentque omnes, niſi cœleſtis Aaron Chriſtus Dominus ſeſe objeciſſet, niſi obtuliſſet thymiama, ſcilicet in cruce, imo niſi ipſe mortuus fuiſſet. Verum per hæc ſui pericula mortis impetum retudit; ſtetit immobilis paſtor bonus, ut nos jam in terram prolapſi ſurgeremus, ſuſtinuit ipſe mortis inclementiam, ut nos vitæ munere frueremur. O dulcis paſtor! O paſtor amabilis! Anathema ſit quisquis hunc paſtorem tam beneficum non amat. Amo te Jeſu mi! O paſtor bone amo te! ſed nunc progrediamur ad aliud boni paſtoris elogium.

IV. Amor paſtorem vigilem reddit & laborioſum. Occurrit hic virga Aaronis. Lis erat de ſacerdotio, jubet Deus poni duodecim virgas duodecim principum tribuum & virgam Aaronis, hac conditione ut cujus floreret virga, is demum ſacerdos proclamaretur. Conveniunt Doctores fuiſſe virgas aridas, ſiccas, ſive ſcipiones quales habent viatores. Floruit itaque virga Aaronis, fuit autem illa ex amygdalo, atque hinc agnoſco doctrinam, de qua in præſentiarum tractamus. *§. 12. Amor paſtorem reddit vigilem & ſollicitum.*

Paſtor debet habere virgam amygdalinam. 1. Amygdalus gerit ſymbolum vigilantiæ, i.e. paſtor debet eſſe vigilans. 2. Amygdalus cum prima inter arbores floreat, neceſſe eſt, ut prima frigora, pluvias, grandines, ventos excipiat. Sic paſtor, &c. Ovidius. *§. 13. Virga Amygdali boni paſtoris ſymbolum.*

Quis niſi vel miles vel amans (vel paſtor) *& frigora noctis,*
Et denſo miſtas perferet imbre nives, & quod Ovidius dixit amanti, dicere potes paſtori.

Nox & hyems, longæque viæ, ſævique labores,
Mollibus his caſtris (dic tu vitæ paſtoris) *& dolor omnis ineſt,*
Sæpe feres imbrem cœleſti nube ſolutum,
Frigidus in nuda ſæpe jacebis humo.

optime

Digitized by Google

optime, hæc dicta de paſtoribus, talis eſt vita paſtorum. Hinc 3. ſicut amygdalus eſt amara, ſic vita paſtoris &c. 4. Philo: *Amygdalus ſignificat opus eſſe aſpero conatu & labore, ut quis dulcem virtutis fructum aſſequatur.* Paſtori ſic applico. Ut paſtor bene adminiſtret gregem, opus eſt laboribus, opus cura, ſollicitudine, ſtudio indefeſſo. Quia ſe Salvator noſter paſtorem vocat, virgam puto protuliſſe ex amygdalo, id eſt:

§. 14. *Vita paſtoris cum vita Christi comparatur in variis.*

1. Paſtoris vita eſt laborioſa, Chriſti vita fuit laborioſiſſima: *ergo fuit paſtor bonus*, ah Auditores, ſimus oviculæ, laboravit Chriſtus ut nobis ſit quies. 2. Paſtoris vita eſt amara, dulcis tamen quia amoroſa, quid quæſo in vita Chriſti niſi amaritudo? mementote calicis quem bibit, *ergo fuit paſtor bonus.* O ſimus oviculæ! ut nos guſtemus dulcia, Chriſtus Dominus guſtavit amara. 3. Paſtor perfert nives, pluvias, fulmina, imbres, ventos &c. O quos non ventos ſuſtinuit Chriſtus Dominus. *Ergo fuit paſtor bonus.* 4. Vita paſtoris eſt quaſi hyems, erto! eſt ver; ob amorem. Quid vita Chriſti fuit niſi hyems dura, aſpera! fuit quoque ver, quia amavit, *Ergo fuit paſtor bonus.* O ſimus oviculæ, quisquis eſt Chriſti ovicula, eſt in vere perpetuo, neſcit hyemis inclementiam, neſcit difficultates, neſcit mœrorem. 5. Paſtoris vita eſt via, quid vita Jeſu niſi via ardua, *ergo fuit paſtor bonus*, & licet via ſit ardua, tamen ſi opus eſt, paſtor ovem fatigatam humeris portat. O ſimus oviculæ, quid felicius, quid ſuavius quam geſtari humeris Jeſu. 6. Paſtori ſæpe dormiendum humi, & tibi mi Jeſu quoties fuit humi cubandum? an non humi cubuiſti in præſepio, dum te dulcem paſtorculum paſtores alii Bethlemitici inviſerent? annon humi jacuiſti dum in Calvariæ monte affigereris in crucem, manus pedesque in feralia vulnera protendens? *Ergo* (nam quid aliud inferam?) *Ergo tu paſtor bonus es* mi Jeſu. 7. Paſtori vigilandum eſt, Jeſus vigilantiſſimus *ergo paſtor bonus eſt.*

§. 15. *Bonus paſtor rogat ſibi aperiri januam ex Canticis.*

Hoc ſponſæ dicere voluit, id eſt paſtor paſtorculæ, Cant. 5. v. 2. *Aperi mihi ſoror mea, caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*, quaſi diceret, O ſponſa tota nocte hic ſto, &c. duplex eſt ſenſus, notat labores & paſſiones. Paulinus ep. 4. *Quæ autem nox iſta intellectu ſpiritali putanda, niſi paſſio Domini?*

Quinam

Quinam ille gelidus ros, quænam frigidæ noctis guttæ, niſi quidquid nox illa paſſionis & crucis, laborum, contumeliarum, ſputorum, & omnis generis tormentorum in Chriſtum, caput noſtrum congeſſit. Sane tunc caput paſtoris noſtri apparuit opertum rore, & coma ejus ſputis deformata fuit, cum in ſpinea coronatione cincinni, guttas ſanguinis pro rore diſtillarunt. Cincinni illi qui ſpinis pro pectine fuere calamiſtrati.

Sed cogitemus nos eſſe oviculas, Chriſtumque paſtorem alio ſenſu, qui totus ſuavis eſt, hæc verba ad nos dicere, *caput*, (loquitur Gilibertus ſ. 43. in Cant.) *Sponſus Ieſus plenus injuriis, nunc plenus gratiis: ſi prius ſolatia implorans, nunc gaudia ferens: ſi fuit roris illius nocturni liquor moleſtus, iſte ſit gratus: illic loquitur Ieſus querelas deponens, hic loquitur blanditias ſuggerens; aperi mihi ſoror mea, inebriabo te guttis meis. Non accedo ſterilis, ſed madens ſuaviter illabente rore gratiarum. Aperi mihi, jam quaſi novus accedo, & recenti rorans affectu: ros tibi fluet, & Divinitatis meæ inſtillabo arcana. Caput meum plenum eſt rore, ipſe eſt ros, ipſe illabitur animæ, & ejus medullas irrigat. Aperi mihi, quia rore gratiæ refertus illabor. Accede ſponſa ad hoc caput dilecti, & cincinnos ejus, ſtringe rorantes comas, multum inde dulciſſimi liquoris elicies: pleni ſunt guttis noctis, guttis occultis, ſed non ignota dulcedine refrigerantibus, &c.* §. 16. *Affectuoſa verba de hoc paſtore* Giliberti.

Ex his omnibus intelligite qualis Chriſtus Dominus ſit paſtor; paſtor eſt, quia caput ejus plenum eſt rore, nec rore tantum, ſed & ſpinis, paſtor eſt, quia nocturnam quietem in campo quærit aperto; paſtor eſt, quia errantem inſequitur oviculam. Paſtor eſt, quia & frigora & nives, & gelu, & calorem & omnem aeris injuriam æquo animo perfert; paſtor eſt, quia lupum arcet, paſtor eſt, quia vigilat aſſidue, paſtor eſt, quia de cœleſti pabulo ſollicitus ſuum erga oviculas amorem vere paſtoralem, imo vere divinum oſtendit.

Ergo ſalve Jeſu paſtor bone, fatigatus in agone, ſalve paſtor animarum, vir cunctarum gratiarum, ſalve paſtor optime. Amo te, & amabo æternum. Erravi ſicut ovis quæ periit, tu me quæſiſti errantem. *Salve Ieſu paſtor bone!* jam ſuis me dentibus corripuerat lupus infernalis, tu me ex ejus faucibus vindicaſti. §. 17. *Affectus amoris in hunc paſtorem.*

ſalve Ieſu paſtor bone! jam mihi præ oculis erat exitium animæ ſempiternum, tu unicus ſalutis meæ aſſertor es. *Salve Ieſu paſtor bone!* Amo te, & amabo in æternum, O Jeſu! O Paſtor mi, amo te!

CONCIO XXIV.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum & jam non videbitis me.

Joan. 16. c. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DOcetur & ſelectis ſimilitudinibus explicatur, vere modicum eſſe & illuſorium, quicquid voluptatum nobis obtrudit mundus & diabolus.

§. 1. *Orditur ab Hiſtoria, qua modicum eſſe, quicquid in mundo placet, oſtenditur.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Modicum eſſe vitam hominis probat ſcriptura ex quatuor elementis.*

§. 4. *Modicum eſt ipſa dignitas Papalis.*

§. 5. *Modicum voluptatis, eleganter explicat parabola ſancti Damaſceni.*

§. 6. *Hoc modico decipit Diabolus animas, ſicut auceps aviculas.*

§. 7. *Imitatur & naturam Elephantis diabolus.*

§. 8. *Item ſerpentis, philomelam decipientis.*

§. 9. *Et Hippomenis qui Athalantam currentem per aurea poma retraxit.*

§. 10. *Eſt & Venator, Tigridem per ſpecula capiens.*

§. 11. *Locus S. Pauli ad Galat. 5. de faſcinatione.*

§. 12. *Modicum eſt illud ex Eccleſ. Vanitas vanitatum. Varia hujus interpretationes.*

§. 13. *Aptum ſimile de laſſo viatore ad fontem anhelante, ſed deluſo.*

§. 14. *Alia ſimilitudo ex Davide de ſomniantibus.*

§. 15. Con-

Digitized by Google

§.15. *Confirmantur dicta ex Tragica hiſtoria.* | §.16. *Epilogus ex verbis S. Gregorii Turonenſis.*

ANno 1280. duo nobiles Juvenes, alter Carolus, alter Gerhardus, obequitarunt per amœniſſima prata: poſt longum ſilentium, Carolus ex Gerhardo percontatur: *mi Gerharde, quid cogitas, quid animo volvis?* reſpondit Gerhardus; *in his arboribus, pratis, floribus, & præcipue, his rivulis prætereuntibus conſideravi; quomodo mundus floreat quidem, ſed & tranſeat. Eadem mea fuit cogitatio*, inquit Carolus. *Sed quid agimus? cur vana quærimus? cur mundo ſervimus? cum mundo tranſit vita noſtra, cur non ſervimus Deo? cur cœlum non quærimus?* tam ſerio hæc cogitarunt, & dixerunt, ut ſtatim mundo nuncium remittentes in religioſum ordinem ſeſe receperint. Auditores, amœniſſimo hoc Majali tempore ſimilibus cogitationibus cauſam præbet hodiernum Evangelium. Uno verbulo, *Modicum*, Chriſtus docet plurima. Honores eſſe modicum, modicum eſſe mundi pompam, modicum opes & divitias, modicum favorem & gratiam Principum! Modicum voluptates ac delicias, ſi hoc creditis, merito ex vobis quæro cum S. Auguſtino in 1. Joannis 2. *Quid vultis? utrum amare temporalia, & tranſire cum tempore? an mundum non amare, & æternum vivere?* §. 1. *Hiſtoria, qua quicquid in mundo placet, modicum eſſe oſtenditur.*

Hoc, petit Chriſtus, ut agnoſcamus, petit è contra diabolus, ut amemus temporalia; ſed quid hic niſi dolos atque impoſturas machinatur? Duo vobis oſtendam hac concione. Primo, vitam hominis eſſe *Modicum*. Secundo, nihilominus diabolum variis modis, atque artibus hominibus imponere. Vos ſi placet de re tam utili diſſerentem benevole tantiſper audite. §. 2. *Propoſitio.*

Sanctus Auguſtinus per Evangelicum *Modicum* intelligit non tantum breviſſimum illud tempus vitæ hominis, quo vanitas, voluptas, opes, honores, etiam Magnatum, etiam Regum, etiam Imperatorum in hoc ſæculo durant, ſed etiam totum præſentis ſæculi ſpatium. *Modicum eſt totum hoc ſpatium, quo præſens pervolat ſæculum* ſer. 101. in Joannem. Et vitam hominis eſſe modicum ſacræ literæ variis ſimilibus nobis ob oculos ponunt; ac tam §. 3. *Modicum eſſe vitam hominis probat ſcriptura ex quatuor Elementis.*

 lucu-

luculente quidem, ut à quatuor elementis excerpſerint, quidquid in illis caducum & deciduum eſt, à terra has comparationes deſumpſere: pſ.102.v.15. *homo ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic apparebit*. pſ.36.v.2. *tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident*. pſ.89.v.6. *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat.* Sap.5.v.15. *tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis*. Job.9. v.25. *tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, dies mei velociores curſore. Ab aquis*. l.2. Reg.14. v.14. *Omnes morimur & quaſi aqua dilabimur*. pſ.57. v. 8. *ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens*. Job.9. verſ. 26. *tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam. Tanquam ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur. Ab aere.* Jobi 21. v.18. *Sicut palea ante faciem venti, & ſicut favilla, quam turbo diſpergit*. Sap.5.v.15. *tanquam lanugo quæ à vento tollitur, tanquam avis, quæ tranſvolat in aere, aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum. Tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis. Ab igne*. Nahum.2.v.4. *Quaſi fulgura diſcurrentia. Sicut tonitru magnum in pluvia perſonabunt* (imaginare tibi Alexandrum aut Cæſarem) Iſ.1.v.31. *Et erit fortitudo veſtra ut favilla, & opus veſtrum quaſi ſcintilla, & ſuccendetur utrumq; ſimul, & non erit, qui extinguat.*

§.4. *Medicum eſt ipſa dignitas Papalis.*

In ſupremo dignitatis & honorum faſtigio ſedet ſummus Pontifex; ſed quamdiu durat Comœdia? Pius III. perſonam Papæ egit dies viginti ſex. Damaſus dies viginti tres. Marcellus Secundus dies viginti duos. Theodorus ſecundus dies viginti. Cœleſtinus IV. dies duodecim. Leo XI. dies ſex: Stephanus II. dies tres. Vix tales & ſimiles orbis in tiara Pontificia conſpexerat, cum crudelis mors, mitra, pedo, purpura, honoribus, opibus, vita ipſa exuit univerſos, & apparuit perſonata illorum felicitas, ſive, patuit eos fuiſſe ſubjectos ferali *modico*. Similem cum Imperatoribus, Regibus, Principibus mors ludit tragœdiam. De omnibus dicere poſſumus cum ſancto Bernhardo ad Eugenium. *Quantorum in brevi Romanorum Pontificum* (vel Principum) *mortes tuis oculis conſpexiſti? ipſi te prædeceſſores tui, tuæ certiſſimæ deceſſionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum*

Digitized by Google

rum nuntiet tibi. Hæc certa ſunt, experientia nos convincit. Hoc itaque dolendum eſt, multos vitæ noſtræ momentaneæ notitia abuti ad laxandum genium, dicentes cum illis Iſ. 22. v. 13. *Edamus & bibamus, cras enim moriemur.* hoc dolendum; multos hoc brevi tempore vanitatibus miſerrime decipi.

§. 5. *Modicum voluptatis eleganter explicat parabola S. Damaſc.*

Pulchro idipſum apologo declaravit ſanctus Joannes Damaſcenus l. de Barlaam & Joſ. Juvenis fuit, qui dum in ſylva fugit belluam, incidit in foveam, ſed ecce caſu apprehendit arbuſculam, qua ſe ſuſtinuit. Interea videt duos mures rodere radicem, videt & ſe à quatuor ſerpentibus involvi, infra vidit Draconem diductis faucibus exſpectantem. Heu miſerande Juvenis! ſed advertite dementiam! dum ſe circumvolvit juvenis obſervaturus exitum, advertit in ramuſculo arboris modicum mellis, in quod dum manum intingit, præceps in foveam delabitur. Hæc eſt imago vitæ præſentis, inſectatur nos mors; fugimus ad ſepulchrum, vita præſens eſt arbuſcula, quam ſinguli dies & noctes corrodunt, quatuor elementa inter ſe de vitæ interitu confligantur. Infernus veluti Draco dilatat animam ſuam, ſed eheu! propter modicum mellis quot decidunt in infernum! O modicum, modicum! modicum quod delectat, æternum quod cruciat! Seneca ep. 59. *quæcunq; videmus ac tangimus, fluunt, opes, divitiæ, voluptates, honores, omnia fluminis more feruntur.*

§. 6. *Modico voluptatum diabolus decipit homines, ſicut auceps aviculas.*

Sic miſere multos decipit aſtutiſſimus humani generis hoſtis, nimirum aſſumit perſonam aucupis. Hic in pulchra & amœna ſylvula tenuem ædificat domunculam, hanc ramuſculis circumdat, hanc exornat arbuſculis, ſub quibus ſecure deliteſcat. Ante hanc domunculam utrimque expandit retia, quæ abſcondit in foſſula, ad latera in amœnis carceribus diſponit cantillantes aviculas, quæ ſuo ſuavi cantu alias alliciunt; advolant illæ, placent ſociæ aves, placent tam pulchræ arbuſculæ, placet præparata eſca; comedunt, vagantur, cantillant, ſaltitant. Sed quam diu? *O modicum!* momento auceps reti illas involvit, ſic momento arbuſculæ, eſca, ſociæ miſeram aviculam deceperunt. Tales domos habet diabolus in hoc mundo; domos ornatas ramis & floribus, imo coruſcantes auro & gemmis, ipſe turpis eſt, ſed

tegit ſe: tales domos habet Pluto Deus divitiarum, tales domos habet Juno præſes honorum; alias habet Venus mater voluptatum, ſed latet anguis in herba, latet auceps diabolus, latent retia & laquei. Nec deſunt ſocii qui alliciant. Nota illorum eſt muſica Sap.2.v.8. *Venite, coronemus nos roſis, edamus, bibamus*, editur, bibitur, ſed quamdiu? *O modicum*, momento quo non putamus, adeſt mors, & his omnibus finem imponit. Jobi 21.v.12. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Simile hoc fundamentum habet in ſcriptura Eccleſiaſt.9.v.12. *Sicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis ex templo ſupervenerit.* Sic ramis, floribus, ſaccaro, & melle voluptatum nobis fucum facit diabolus. Sed juvat idipſum alio etiam in ſimili perſpicere.

§.7. *Imitatur & naturam elephantis diabolus.*

Ut decipiat aſtute & ſuaviter diabolus, imitatur naturam elephantis. Latet hoc animal fere ſemper ſub umbra & ramis arborum. Job.40.v.16. *Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus. protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum ſalices torrentis.* Aſcribunt philoſophi nimio ejus calori, unde amat frigus. Alii dicunt animal hoc naturali inſtinctu cognoſcere immanem ſuam magnitudinem, imo & umbram aliis beſtiis eſſe formidabilem, ideoque illam & ſe in locis amœnis ſub ramis arborum contegit. Dum idem locus, eædem arbores ad ſe trahunt alias beſtias, momento illæ ab elephante dilaniantur. Elephanti in ſacris literis comparatur diabolus, ſub hac metaphora multis de illo loquitur Job 40. v.11. *Fortitudo ejus in lumbis ejus, ſtringit caudam quaſi cedrum, ecce abſorbebit fluvium & non mirabitur*, quis hanc beſtiam accederet, niſi lateret. Ergo abſcondit ſe ſub arbore humanæ proſperitatis, ſub ſplendore auri, ſub purpura regum, ſub roſis Veneris; his umbris, hac vana pulchritudine illecti mortales ultro accedunt, & capti miſere decipiuntur. Recreatio illa ſub his umbris durat modicum; damnum quod ſequitur, eſt æternum. *O modicum, modicum.*

§.8. *Item ſerpentis Ehi-*

B. Damianus l.2.ep.18. refert Philomelam adeo rapi pulchritudine oculorum ſerpentis, ut ſponte, & cantillando involet in os

Digitized by Google

in os ſerpentis, licet venenata ejus lingua ſtatim perimatur. O philomela, modicum tuum fuit gaudium, lucidi oculi te deceperunt. Sed ô philomelæ hujus mundi, id eſt, vani, delicati amatores mundi & voluptatum, major eſt veſtra ſtultitia. Terribilis, igneus, venenatus ſerpens eſt diabolus, ſed uti venenum ſuum ab initio mundi in paradiſo abſcondit ſub umbra mali, & pulchritudine poli, ita hodie illud abſcondit ſub pulchritudine creaturarum. Nihilominus, plurimi illa decepti, ultro animas offerunt infernali ſerpenti lethalibus ictibus dilaniandam. *Homelam decipientia.*

§. 9. *Et Hippomenis qui Athalantam currentem per aurea poma vetravit.*

Ut diabolus modico vanitatis decipiat aſtute & ſuaviter, facit, quod fecit Hippomenes egregius Juvenis. Athalanta ſpecioſiſſima virgo, celerrima in curſu, juraratſe nulli nupturam niſi illi qui currendo illam vinceret. Tentarunt fortunam multi, ſed fruſtra, de omnibus triumphabat Athalanta. Hippomenes aſtu illam decepit; nam in circo provocaturus virginem ad curſum, corbem plenum aureis pomis ſecum accepit, tum quoties advertit veſtigia ſua ab Athalanta premi, pomum aureum abjecit, ut ejus curſum nonnihil ſiſteret. Fecit hoc ter, quater, ſucceſſu feliciſſimo; nam dum virgo aureis illecta pomis immoratur, ipſe terminum feliciter aſſecutus bravium & Athalantam abſtulit. Ecquis non felicem dixiſſet hanc virginem, dum in colligendis his pomis verſaretur? Sed ô cave tibi, cave Athalanta! auri fulgor te decipit? quid curſum ſiſtis? en inſtat Hippomenes; ille ille te curſu jam jam antecellet; fuge, curre, vola, ni turpiter victa Hippomeni in prædam cedas. Sed, ut video, jam victa es, pulchritudo pomorum decepit te, Hippomenes laudem tulit & palmam. Sub cortice pulcherrimæ fabulæ pulcher latet nucleus. Venuſtiſſima Athalanta eſt anima hominis in gratia, fertur illa incitatiſſimis greſſibus, imo volat per mundi hujus ſtadium ad bravium æternæ gloriæ, ſed pauci ſic currunt ut apprehendant. Aſtutus diabolus emendicat aurea poma à mundo, alia à Venere, alia ab aliis creaturis, illa objicit currentibus, dum placent, detinent: dum arrident, irrident, dum alliciunt, abripiunt. Quid agitis ô mortales? fraudem non animadvertitis? *Modicum*, vere modicum eſt, quod delectat. Heu incautis vobis imponitur, dum nonnihil

oculos

Digitized by Google

oculos veſtros, carnemque titillat, in abyſſum vos præcipitat Cacodæmon. Hæ ſunt illius artes, hæ ſtrophæ. *Modicum quod delectat, æternum quod cruciat.* Diabolus creaturarum pulchritudine, licet duret modicum, decipit pro tota æternitate. Pergamus ad plura.

§.10. Venator tigridem per ſpecula capiens eſt diabolus.

Subinde, imo ſæpe diabolus eſt venator, qui inſidias machinatur tigridibus, abſente matre ſupervenit inſidiator, aufertque catulos, væ illi niſi aſtu uteretur, cum mater furis veſtigiis ex naturali odore ſtatim inſiſtat & inſequatur, ſed callidus venator in via ponit diverſa ſpecula, ad quæ dum tigris hæret, deluſa imagine catulorum, venator cum præda ad loca tuta ſe recipit. Pretioſiorem theſaurum ſæpe mortalibus aufert diabolus, nimirum animas; ſunt, qui dum damnum advertunt, earundem ſalutem rurſum inquirunt. Sed ô fraudes diaboli! à carne, mundo, vanitate emendicat is ſpecula, ad hæc hærent deluſæ hominum mentes? interim diabolus animam deprædatur, ſplendor ſpeculi durat modicum, detrimentum animæ durat æternum.

§.11. Locus Pauli ad Gal. 5. de faſcinatione.

In tales invehitur ſanctus Apoſtolus Paulus ad Gal. 5. verſ. 7. *Currebatis bene, quis vos faſcinavit, veritati non obedire?* facile reſpondere poſſumus, hunc faſcinavit ſpeculum ſuperbiæ, hunc ſpeculum Veneris, alium faſcinavit ſpeculum auri & argenti. Omnibus his ſalutare dat conſilium v. 17. c. 19. Gen. *Salva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac.* Hoc in materia hac eſt luctuoſum, tales deceptos val faſcinatos, modicum ſuarum voluptatum vel divitiarum non intelligere, niſi ſero nimis, ſcilicet in hora mortis, cum jam omnia ſunt deſerenda, tum aperiuntur oculi, tum vident ſe deceptos.

§.12. Modicum illud eſt juxta Eccleſiaſt. Vanitas vanitatum. Varia hujus interpretationes.

Eleganter hoc innuit Ecceſ. 1. v. 2. *Vanitas vanitatum.* in hebræo eſt, *Habel*, id eſt, *vapor fumi. aura tenuis, halitus.* Alia lectio ſic legit: *fallax gratia & vana eſt pulchritudo.* Alia. *Mendacium eſt gratia, & vanitas eſt pulchritudo.* li mendacium videtur explicare Jeremias c. 15. v. 16. facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.

Latet

Latet pulchrum ſimile. Viator tempore hyemis in ſylva vel monte pulcherrimum invenit fontem, limpidis ſcaturientem aquis; redit per eandem viam menſe Auguſto totus ſitibundus; O quam anhelat ad hunc fontem, *quemadmodum deſiderat cervus*, teſte regio pſalte, ita talis ſuſpirat, properat, feſtinat ad has fontis delicias. In via ſeipſum hac cogitatione oblectat, ô quam mihi jucundus erit potus! quam me egregie reficiam! at ecce, quid fit? accedit propius, jam terminum attigit, jam fontem intuetur, ſed non, ut ſperaverat, limpidum, purum, cryſtallinum, plena ſunt omnia ranis, bufonibus, ſerpentibus, computruerunt aquæ. O ſpes inanis! O me miſerum! (exclamat viator) enimvero deceptus ſum currendo, quid ago? viam relego: Ex his fontibus tam impuris non juvat bibere. Tales, O Auditores, tales ſunt ad quos invitat fontes diabolus, tales habet ille ciſternas, durant modicum, exſiccantur facillime; ite Coſmophili, bibite plenis labris, inebriate vos ut lubet; in fine vitæ deceptos vos videbitis.

§.13. Aptum ſimile de lapſo viatore ad fontem anhelante, ſed deluſo.

Do his ait David pſ.75.v.6. *Dormierunt omnes viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Somniat quis ſe inveniſſe centum ducatos, quale gaudium? ſed eſt ſomnium medii quadrantis. Jobi 27.v.19. *Dives cum dormierit nihil ſecum auferet, aperiet oculos ſuos & nihil inveniet.* Experientia docet. De Salomone dicitur: *Magnificatus eſt Salomon ſuper omnes reges terræ præ divitiis & gloria*; ſed tandem agnovit ſe deceptum. Sap.7.v.8. *divitias nihil eſſe* duxi, id eſt, jam agnoſco nihil eſſe meam gloriam, nihil meas opes, nihil pompam regiam, nihil luxum, nihil delicias. O vanitas vanitatum.

§.14. Alia ſimilitudo ex David de ſomniantibus.

Magno ſuo damno & tragico caſu idem experti ſunt tres nobiles juvenes Pariſienſes (vel ut alii putant Lugdunenſes.) His ſiquidem de nocte cum graſſarentur per plateas, fœmina occurrit nigro velo per totum corpus contecta; venuſtulus ephebus facem ei præferebat. Quærunt ex curioſitate Juvenes, unde veniat, quo pergat fœmina illo tempore in publicis plateis? unus curioſior removens velum advertit faciem larvatam; illa remota comparet elegans vultus; Tum illa

§.15. Tragica Hiſtoria id confirmatur.

paucis, ſed blandis verbis reſpondet, non procul ſe abeſſe à ſuis ædibus, fuiſſe detentam ab amicis. Placuit affabilitas juvenibus, comitantur euntem, fidi futuri cuſtodes, in via, poſt hoc, ut fieri aſſolet, confabulari inter ſeſe, jocari, nugari, donec præcedens juvenis extracta clavi aperire ædes; intrant in aulas, ornatas tapotibus, inſtructas lectis, adeſt mox puer cum patera, bibitur, luditur, denique committuntur ſcelera, quæ cogitare non licet. Sed O modicum! O infauſtos exitus & cataſtrophas voluptatum! O brevia gaudia! quid cogitatis Auditores? ſuperveniſſe fortaſſis maritum? unum ex ſociis corruiſſe mortuum? atrociora audietis. Momento ædes, momento elegans forma fœminæ & ephebi diſparuerunt, comparuerunt autem duo dæmones, qui perſonas illas & formas, ad decipiendos miſeros juvenes aſſumpſerant, hi duo dæmones, duobus juvenibus fregerunt cervices; tertius mane in immundo civitatis angulo inter aliorum cadavera ſemivivus fuit repertus, ut eſſet nuntius & teſtis tragicæ hiſtoriæ, & ſpeculum divinæ miſericordiæ, hic enim poſt ſeriam confeſſionem exſpiravit. Sed quo animæ aliorum duorum? ah timeo, poſt modicum voluptatum, illas ardere in flammis æternitatis. Ecce ut larvis, ementitisque formis decipit diabolus. Placent ædes regiæ? arrident auguſta palatia? quid ſunt niſi modicum? quid niſi umbra & vanitas? Placent formoſi vultus; gratioſæ perſonæ? quid ſunt niſi modicum? Vanitas vanitatum! In hora mortis diſparuiſſe videbis univerſa. pſ. 72. v. 20. *Velut ſomnium ſurgentium Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.*

§. 16. *Epilogus ex verbis Gregorii Turonenſis.*

Finio verbis Gregorii Turonenſis. *Audite filii Adæ & intelligite, quia nihil eſt quod cernitis in hoc mundo, ſed omnia vanitas* (& modicum) *omnia ergo vana contemnite, ut veram gloriam Dei mereamini adipiſci in cælo.*

CON-

CONCIO XXV.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Quo vadis?

Joan, 16. c. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SOdalium Agonizantis Jeſu erga ſanctiſſima Chriſti Vulnera & matrem Doloroſam devotio commendatur in ordine ad beatam mortem.

§. 1. *Aeſopus quo iret interrogatus, bene reſpondit: Neſcio.*

§. 2. *Sodales Agonizantis Ieſu, bene ſciunt quo vadant. Propoſitio.*

§. 3. *Piæ congregationes fundantur in ſacris literis, in cœtu pſallentium ante arcam, in ſtabulo Bethlemitico, in monte Thabor, in monte Calvariæ.*

§. 4. *Comparantur tentoriis Iſrael hortis, agro fragranti.*

§. 5. *Hortus eſt congregatio Agoniæ.*

§. 6. *Non impedit alias congregationes, nec nova onera imponit.*

§. 7. *Finis ejus eſt, tribus mediis obtinere beatam mortem.*

§. 8. *Devotio erga quinque ſanctiſſima Vulnera medium efficax pro felici morte. Citatur S. Bonaventura.*

§. 9. *Probatur Exemplo Pathetico.*

§. 10. *Cultus dolorum Beatiſſimæ Virginis efficax etiam eſt medium pro morte felici.*

ÆSopus ex fabulis, quas invenit, ingenioſiſſimis celeberrimus, in medio foro aliquando obviavit Prætori, rogatus ab illo quo iret, Reſpondit: *Neſcio.* Prætor offenſus inurbano reſponſo mox eum duci jubet ad carce-

§. 1. Æſopus quo iret interrogatus, bene reſpondit. Neſcio.

carcerem, qui cum duceretur, reſpiciens, *vides*, inquit, *Prætor quam recte reſponderim, neſcire me quo irem, quippe qui non prævideram me tibi in via occurſurum: & plane neſciveram me hodie ab his in carcerem compingendum. Vado igitur, quo neſcivi.* Multi hodie in foro hujus mundi vivunt, ſalutis ſuæ adeo obliti, vel de negotio omnium præcipuo tam parum ſolliciti, ut ſi quæſtio hæc illis proponatur, quo vos pedes? quo pergitis? aliud reſpondere non poſſint, quam, *neſcimus*. Certe ſi meminiſſent ſe eſſe in via ad æternitatem, ſi perpenderent in fine omnibus obviaturum ſupremum omnium judicem, qui reprobos in carcerem æternæ damnationis detrudet, aliud reſponderent aliterque viverent. Qui eo tendere ſe ſciunt, & cogitant, vivunt ſancte, & ante omnia de felici hora mortis ſolliciti. Neſcio an paulatim advertatis Auditores, quo mea tendat oratio.

§. 2. *Sodales Agonizantis Chriſti ſciunt quo vadant. Propoſitio.*

Unum ex præcipuis mediis felicem mortem impetrandi eſt congregatio Agoniæ Chriſti in cruce morientis. Hujus membra, ſive fratres & ſorores ſolliciti ſunt, ut communibus precibus & ſuſpiriis, per merita mortis, per merita quinque ſanctiſſimorum Vulnerum, per interceſſionem Doloroſæ Matris & Virginis, felicem vitæ periodum obtineant. Quam bene ſibi conſulant, hac concione fuſius explicabo, ut clare omnes intelligant, qua ratione tendere debeant ad beatam æternitatem.

§. 3. *Piæ congregationes fundantur in ſacris literis.*

1 *In cœtu pſallentium ante arcam*

Habent ſanctæ congregationes fundamentum in ſacris literis tum in veteri, tum in novo teſtamento. 2. Reg. 6. v. 4. piiſſimus David ſolenne feſtum inſtituit ad deducendam Arcam in templum Domini de domo Abinadab. Quod ut fieret magnifica pompa, & pomposa magnificentia, inſtituit cœtum vel congregationem pſallentium & ſaliorum, quorum munus erat, canere, ludere cythara, pulſare tympana, inflare tubas, ſaltare in circuitu Arcæ. Principes hujus cœtus fuerunt Azaph, Idithum, Eman, Ethan. Hæc omnia Rupertus ſic explicat, id eſt, congregantes, Tranſilientes, Robuſti & fortes: congregantes videlicet ſpiritualia (vel populum ad communem ſolennitatem, cultumque Arcæ) tranſilientes carnalia, robuſti ad mala toleranda, fortes

fortes ad bona peragenda. Ecce pulcherrimam congregationem à Davide inſtinctu Spiritus Sancti ad venerationem Arcæ inſtitutam.

In novo Teſtamento primam & ſanctiſſimarum perſonarum congregationem invenio Luc. 2. v. 16. in ſtabulo Bethlemitico. Membra illius fuerunt, Natus recens Puer, puriſſima ejus Mater, ſanctus Joſeph, Paſtores, ſancti tres Reges, imò ipſi cœleſtium Ordinum chori. Pulchre de hoc cœtu auctor græcus in Cat. Sancti Thomæ. *Quomodo non erat mirandum videre, ineffabilem illum infantulum, numine quidem cœleſtia, humanitate verò terreſtria connectentem ad invicem, & ſui compagine fœdus mirandum præſtantem.* Senſus eſt. Pulcherrimus JESULUS in ſtabulo pulcherrimam inſtituit Congregationem. 2. *In ſtabulo Bethlemitico.*

Alteram invenio Luc. 9. v. 29. 30. in monte Thabor. Membra fuerunt, cœleſtis Pater, Chriſtus Jeſus, Spiritus Sanctus, Petrus, Joannes, Jacobus, Moyſes, Elias, & innumeri ſancti Angeli, ecce cœtum ſanctiſſimum. 3. *In monte Thabor.*

Tertium, ſed triſtiſſimum apud Evangeliſtas invenio in monte Calvariæ, membra fuerunt Chriſtus pendens & moriens in cruce, Mater ſub cruce, ſanctus Joannes, ſancta Maria Magdalena &c. tum quaſi poſita ſunt fundamenta congregationis noſtræ, Agonizantis Chriſti in cruce, de qua mox dicturus ſum, ubi prius adhuc monuero, in primitiva ſtatim Eccleſia hos cœtus fuiſſe in uſu & flore. Deſcribit illos antiquiſſimus Tertullianus in apol. adv. gent. c. 39. *Coimus*, inquit, *in cœtum & congregationem.* 1. *ut ad Deum oremus.* 2. *cogimur ad divinarum literarum commemorationem, fidem paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, &c.* 3. *Colligitur eleemoſyna, &c.* Eadem invenio in Juſtino Martyre. 4. *In monte Calvariæ.*

His cœtibus ſenſu myſtico ſancti Patres applicant illud Numer. 24. verſ. 5. *O quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael. Vt valles nemoroſa, & horti juxta fluvios irrigui, & tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi Cedri prope aquas;* ſecundum ſenſum literalem deſcribuntur caſtra & tentoria §. 4. *Comparantur.* 1. *Tentoria Iſrael.*

 Judæo-

Judæorum, myſtice, ſancti cœtus, qui ſunt veluti exercitus vel acies, cujus milites, Joannes Vitalis fol. 72. ait, eſſe ordinatos in Deum per charitatem, & in proximum ſicut tentoria extenſos: ſicut valles per humilitatem, hortos juxta fluvios irriguos, quia fluunt in lachrymas tabernacula fixa à Domino, propter conſtantiam in bono propoſito. Cedri ſunt, quia gloria illorum immortalis neſcit ſenium, neſcit putredinem: Cedri ſunt, quia à terra elevati animo non niſi cœleſtia quærunt, cedri ſunt, quia decoris virtutum frondibus ornati eminent; Cedri ſunt, quia nihil in illis curvum, nihil retortum, nihil obliquum; ſed recta omnia atque erecta ad cœlum.

2. *Hortis.* Philo Carpathius ex Cant. 6. in illum verſum, *ut paſcatur in hortis*, ait: *Sunt ergo horti ac lilia, fidelium conventus ſanctitatis odores, & bona fama fructus olentes, quibus ſponſus paſcitur.* Alii hos

3. *Agro fragranti.* cœtus comparant agro, cui ob odores fragrantiſſimorum florum benedixit Dominus. De talibus tabernaculis, hortis, agris civitati huic Moguntinæ ex animo gratulor. Hortus eſt Fraternitas SS. Roſarii; excreſcunt in hoc innumeri Marianæ pietatis floſculi; Hortus eſt Fraternitas Scapularis; ſub eodem magnæ matris honore, cultu, patrocinio vernans, floreſcens, fructificans. Hortus eſt Fraternitas ſancti Franciſci cingulo inſignis, in hoc eximius quinque vulnerum plantatur affectus, & excreſcit feliciter. Hortus eſt ea quæ ſub ſagittis Divi Sebaſtiani Martyris militat congregatio; in hoc patiendi ardor animatur & ſoboleſcit in ſpem nobilis triumphi. Hortus eſt quæ ſub Divi Michaelis Archangeli tutela floret ſodalitas dives tam roſis quam liliis teneræ juventutis. Hortus eſt quæ Annunciatæ Virginis honorem qua poteſt promovet late per orbem terrarum diffuſa Dominorum congregatio, Quidni ergo etiam hortus ſit hæc noſtra Agonizantis in cruce Jeſu nomine inſignita Fraternitas? omnino hortus eſt, in quo quot funduntur preces, tot naſcuntur flores; quot evibrantur ſuſpiria, tot lilia parturiuntur.

§. 5. *Talis hortus eſt, congregatio agoniæ.* In omnium laudem, quam merentur, non poſſum excurrere, modo dico pulcherrimum tentorium, pulcherrimus hortus & ager eſt congregatio Agoniæ Chriſti. Fundamenta ejus poſita

ſunt

ſunt in monte Calvariæ, imo in ipſis roſeis vulneribus crucifixi. Sed florere cœpit recenter Anno 1648. Romæ, breviſſimo tamen tempore, ſucceſſu, & concurſu populorum admirabili propagata per totum fere orbem terrarum; ah quoties cum gaudio multorum audivi voces: *hæc eſt vera devotio*! & experientia docet, quia tamen novitas odioſa eſt, paucis moneo.

1. Hanc congregationem eo non tendere, ut aliæ diu ante fundatæ impediantur vel minuantur, ſed potius econtra ut illæ magis floreant, & ut devotiones in illis uſitatæ novo quaſi fervore accendantur, ut mox dicam. 2. Hanc congregationem non imponere multa nova onera, vel novas devotiones; ſed ut illas, quas ſibi quiſque familiares jam habet, frequenter offerat in memoriam mortis Chriſti, ſanctiſſimorum quinque vulnerum, & dolorum B. Virginis ad obtinendam felicem horam mortis. Percurris v.g. Roſarii globulos, ut Fraternitatis Roſarii legibus ſatisfacias; quid vetat addere intentionem pro felici morte? confiteris crebrius, crebrius ſacra ſynaxi reficeris? bene habet, & hoc ſodalium eſt Agonizantis Chriſti. Interes ſæpius ſacro Miſſæ officio, diebus præſertim Veneris? laudo, ſed ut Jeſu pro te crucifixi memoria animo non elabatur, admoneo; ſic ſodalis es congregationis agoniæ. Nec eſt quod alia onera aut obligationes ejuſdem prætendas: Intereſſe ſemel quot menſibus publico cœtui, & roſarium quinque Chriſti Vulnerum cum pietate percurrere, non eſt ſane onus grave. Quodſi Jeſum ex corde diligis, crede mihi non quot menſibus tantum, ſed ſingulis etiam diebus vel prædictam contexes corollam, vel quinquies in honorem dilecti tui Jeſu vulnerum orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica recitabis. Sed hæc arbitrio cujuſque, & pietati ſunt libera. Moneo 3. non induci ullam obligationem alicujus peccati. 4. à ſede Pontificia magnas conceſſas eſſe gratias & indulgentias, ut erga hanc congregationem omnes peculiari ſtudio & devotione ferantur.

§. 6. *Non impedit alias congregationes, nec imponit nova onera.*

Jam verò finem ejus quod attinet, dico ejus præcipuum finem eſſe ut tribus præſtantibus mediis obtineatur felix hora mortis. 1. Memoria frequens mortis Chriſti mortem noſtram dul-

§. 7. *Finis ejus eſt tribus mediis obti-*

cem

cem & ſuavem præſtabit. Narrat Egeſippus (vixit Anno Chriſti 117.) in colliculo horti Oliveti, in quo Chriſtus Dominus in agonia oravit & ſanguinem ſudavit, creviſſe deinde arborem, in cujus foliis repertæ ſunt literæ hæc verba conficientes, *O mors quam amara eſt memoria tua.* Sic eſt, amariſſima eſt, hinc naturaliter mortem timemus. Sed mortis anguſtias in hoc loco, & in cruce filius Dei ſuſtinere voluit, ut nobis eſſet ſuavis, ipſe amarum calicem primus ebibit. Fecit, quod amans Mater facere conſuevit: lactenti filiolo medicus præſcribit potiunculam, ſed quia perquam amara eſt, ne filiolum affligat, dulcem facit mater, dum eam ipſa bibit, & per lac ejus virtutem communicat filio. Idem fecit amantiſſimus noſter Salvator Jeſus. O quam amarus eſt quem nobis propinavit protoparens noſter calix! calix cruciatuum! calix anguſtiæ! calix horroris! verbo, calix amaritudinis! ſed benedictus ſit Jeſus meus, ille prius exhauſit hunc calicem, ebibit uſque ad fæces, ejus amaritiem guſtavit; jam ſanctiſſimis ejus Vulneribus inſinuavit ſe ille liquor, bibamus ex illis, amaritudo ſiquidem omnis converſa eſt in dulcedinem, dulcis mors eſt ex quo in hiſce cavernis hoſpitatur.

§. 8. 2. *Devotio erga quinque vulnera medium efficax pro felici morte. ita S. Bonav.*

Dico 2. Medium efficaciſſimum obtinendi felicem mortem eſt peculiaris devotio erga quinque ſanctiſſima Vulnera. Sanctus Bonaventura. *Bonum eſt,* ait, *nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in latere, ibi volo quieſcere, vigilare, legere, & omnia mea negotia pertractare* (addo ego, mori) ibi loquar ad cor ejus, & ab ipſo Chriſto, quidquid voluero, impetrabo. Sed præcipue felicem mortem.

§. 9. *Probatur exemplo Pathetico.*

Sub Imperatore Friderico (teſte Cæſario) miles ob furta fuit actus in malam crucem: pependit in furca integro triduo, demum ab uno ex ſociis depoſitus fuit, ſed rem miram! integro triduo vixit, loqui cœpit, & Confeſſarium petiit, rogatus qua ratione fuiſſet prolongata vita, reſpondit, *per gratiam Ieſu, & interceſſionem B. Virginis hanc gratiam obtinui, ut ſine ſacroſanctis Sacramentis mori non potuerim:* poſt Confeſſionem vero & Communionem coram innumero populo dixit, *licet magnus fuerim peccator, nihilominus quotidie ante omnia negotia dixi quinquies Pater & Ave pro mea*

mea ſalute in honorem quinque vulnerum, ideo bonus Ieſus hanc gratiam conceſſit. His dictis obiit piiſſime. O potens in morte præſidium devota quinque Chriſti vulnerum invocatio! ſed longe potentius, ſi eadem præceſſerit in vita! nam qualis vita, finis ita. Quidni ex hoc momento decernimus Auditores mei, hoc vel ſimili pacto, per quinque ſcilicet orationes Dominicas & totidem ſalutationes angelicas, quina Jeſu vulnera venerari? ſane pia & beata morte aliquando vitam claudere nemo non deſiderat, deſideremus ergo & media, ſine quibus felix ille finis non obtinebitur. Sanctæ Ludgardi (Lippomanus t.3.) apparens dæmon de agonizante moniali dixit: *exagitavi ſororem illam, ſed cum veniſſet ſororum conventus, ad commendandam Deo ejus animam, nihil amplius in eam potui, nam vires meas ſuis illæ precibus enervarunt.* O quid faciet publica & fervens oratio talis congregationis, quæ ſub quinque ſanctiſſimorum vulnerum Jeſu præſidio effunditur.

3. Idem affirmo de peculiari devotione & memoria dolorum B. Virginis. Cum ſancta Brigitta ferventer ad Chriſtum Dominum oraret, pro converſione alicujus peccatoris, qui ſine omni cogitatione ſalutis ad extrema pervenerat; apparuit illi Chriſtus Dominus, juſſitque ægrum à Confeſſario adhuc ſemel moneri ad pœnitentiam, & quidem nomine Chriſti, paratum ſe eſſe dictitans ad offerendam miſericordiam. His commotus exclamat æger: *& quomodo poſſibile eſt ut veniam obtineam ego? ego, qui ſexaginta annis in graviſſimis vixi ſceleribus? interim ſentio miram mutationem! ita, confitebor, peccavi, doleo,* ergo ſacra exomologeſi expiatus, ſacroſancta hoſtia refectus eſt, & quarto poſt die placidiſſime deceſſit è vivis. Porro revelavit Chriſtus Dominus ſanctæ Brigittæ, ejus animam eſſe in purgatorio, paulo tamen poſt futuram in æterna gloria. Hic hærere Brigitta, & aliquanto poſt ſecum ipſa tacite perpendere, quomodo? illene ſit hæres æternæ gloriæ? ille tantus tamque enormis peccator? ille æternum felix triumphet in cœlis, qui tot annos ſcelerum graviſſimorum cœno ſordidatus egit in terris? annon ergo divinæ juſtitiæ locus eſt in ſevero illo tribunali? Hæc ſecum cogitanti apparet Salvator, & in hæc verba Brigittam affatus, omnem ei admirationis motum

§. 10. *Cultus dolorum B. Virginis efficax etiam medium pro morte beata.*

diſcutit; *Potes quærere O filia, quare meruit contritionem homo, qui tantis ſceleribus fuit involutus; Matri meæ debet, quia conſuetudo ejus fuit, compati doloribus ejus, quoties eam conſiderabat, vel audiebat nominari, ideo Compendium ſalutis invenit, & ſalvatus eſt.* Agedum ergo Auditores mei; ſit nobis curæ aurea hæc beatæ mortis praxis, millies ſit nobis in corde vox illa aurea Divi Auguſtini, *hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab ubere, hinc moriens in cruce Jeſus, inde doloris gladio transfixa Maria*; O felix ſocietas, vulnera & ubera! ſed adhuc felicior Jeſus & Maria! Impoſſibile eſt ut pereat, qui duplici hoc clypeo tectus procedit in aciem. Amor erga crucifixum Dominum, affectus in Doloroſam Matrem certiſſima ſunt noſtræ ſalutis argumenta.

CONCIO XXVI.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite & accipietis.

Joan, 16. c. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ORatio ut ſit efficax, ſit fervens & ignea. Talis autem erit per Vulnera Salvatoris.

§. 1. *Reges à Liberalitate commendantur.*

§. 2. *Regis nullius, nec Cyri, nec Alexandri, liberalitas comparanda eſt cum munificentia Chriſti.*

§. 3. *Propoſitio. Oratio ut ſit efficax, ſit fervida.*

§. 4. *Fervorem orationis exhibent Pſalmi Davidici.*

§. 5. *Declaratur fervor orationis in ſimili, ab infantium vagitu & lachrymis.*

§. 6. *Elegans ſimile S. Auguſtini de reo*

de reo in carcere.
§.7. *Applicatur ad nos peccatores.*
§.8. *Oratio eſt incenſum, ideo ignibus opus eſt.*
§ 9. *Exempla ardenter orantium.*
§.10. *Locus elegans ex Canticis de vitta coccinea, orationi accommodatur.*
§.11. *Coccinea vitta ſponſæ ſignificat in oratione memoriam Paſſionis Chriſti.*
§.12. *Quomodo ſancti Patres explicent fervorem orationis.*
§.13. *Gnoma Davidica ad bene orandum.*
§.14. *Scopus totius concionis, cum affectu piæ animæ.*

REgia virtus eſt liberalitas, illam adeo adamavit Alexander Magnus, ut auſus fuerit gloriari, à nemine unquam prædeceſſorum Regum, ſe hoc in genere victum. Cyrus Rex Perſarum omnes ferme imperii opes in amicos profundebat, inquiens, *non aurum & argentum, ſed amicos ſibi eſſe loco theſauri.* Fuere Reges, qui putarunt illum diem perditum, quo nullum exhibuiſſent beneficium. Leo Papa X. dicebat, illos regio honore & throno indignos, qui bona fortunæ benefica manu, præcipue in egenos non diſtribuerent. Ob regias & imperatorias virtutes hodie in toto mundo celeberrima eſt Domus Auſtriaca: principem locum inter illas tenent Clementia & Munificentia.

§.1. *Reges à Liberalitate commendantur.*

Verum quis Alexander, quis Cyrus, quis Regum aut Imperatorum hactenus omnibus ſubditis auſus fuit dicere, *petite*, quidquid vultis, aut excogitare poteſtis, petite quod vobis proſit, & accipietis! immenſa, inexhauſta, & infinita liberalitas ad hoc exigitur; quam quia in ſolo Chriſto Domino invenio, merito exclamo, vivat Rex Regum liberaliſſimus & munificentiſſimus CHRISTUS JESUS! Regum & Imperatorum liberalitas fons eſt, qui facile exhauriri poteſt: Munificentia Chriſti mare eſt inexhauſtum. Sed illis ſolis patet, qui orationi dant operam. Accipietis, ſed petite, nimirum per orationem. De hac cum in concionibus meis perorare ſoleo, oſtendo ſæpius qualitates ſive circumſtantias, quæ orationem ad ſummam elevant perfectionem.

§.2. *Regis nullius nec Cyri, nec Alexandri liberalitas comparanda eſt cum munificentia Chriſti.*

Digitized by Google

3. *Propoſitio. Oratio ut ſit efficax, ſit fervida.*

Inter multas & in ſacris literis, & apud ſanctos Patres familiarem invenio iſtam: Oratio ut ſit efficax, ut impetret quod petit, debet eſſe fervens. Hanc orationis perfectionem hac concione ex ſcriptura & ſanctis Patribus latius explicabo, & præcipue quænam ſit fervens oratio; cum verò hodierna Dominica ſit præcipuum feſtum congregationis Chriſti in cruce Agonizantis, non obliviſcar orationum, quas ejus ſodales pro felici morte ſolent effundere, ut ſciant quales illas eſſe oporteat.

§ 4. *Fervorem orationis exhibent Pſalmi Davidici.*

Ut oratio juſti à cœleſti Patre, vel Chriſto Domino, in nomine Chriſti, ſive ob infinita ejus merita conſequatur id, quod petit, ut inveniat quod quærit, ut porta miſericordiarum pulſanti aperiatur, ante omnia neceſſe eſt, ut ſit oratio fervens, ut ſit oratio totius animæ & cordis, non tantum oris & labiorum: fervorem orationis regius pſaltes vocat vocem magnam & clamorem. pſal. 101. v. 2. *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* pſ. 17. v. 7. *Ad Deum meum clamavi.* pſ. 87. v. 10. *Clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas.* pſ. 118. v. 147. *præveni in maturitate, & clamavi,* v. 145. *clamavi in toto corde meo.* pſal. 68. v. 4. *laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ.* pſ. 129. v. 1. *De profundis clamavi ad te Domine.* pſ. 17. v. 7. *clamor meus in conſpectu ejus, introivit in aures ejus.* pſ. 4. v. 4. *Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.* pſ. 21. v. 15. *cum clamarem ad eum* (in magnis ſcilicet neceſſitatibus) *exaudivit me.* Omnibus hiſce locis propheta inſinuat, ſe ferventer & ex corde obtuliſſe ſuas preces, eaſque ſemper eſſe exauditas. Hoc promiſit Deus per Jerem. c. 33. v. 3. *Clama ad me & exaudiam te.* De eodem hoc clamore loquitur ſanctus Paulus ad Rom. 8. v. 15. *In quo clamamus Abba Pater.* Cajet. Cardinalis. *Non ait in quo dicimus, ſed in quo clamamus, magnitudine affectus, quod eſt proprium vere filiorum.*

§. 5. *Declaratur fervor orationis in ſimili. ab infantium*

Latet pulchrum ſimile. Petit ſubinde parvulus infans à matre fruſtulum panis, vel ſaccarum, ſed frigide, nec niſi verbulo, vel nutu ſolo; quid agit mater? diſſimulat, tacet, differt beneficium, ſi verò parvulus ruat in amplexus, ſi ploret, ſi urgeat, ſi ingeminet dulcia illa verba, ah mater, ah dulciſſima mater! quæ mater eſt,

Digitized by Google

ter eſt, quæ filioli preces non exaudiat? pari ratione & nos orare debemus ut filii, id eſt, ferventer, ardenter, affectu plane filiali. Pater, ah Pater mi! dulciſſime pater! per tua ego te paterna viſcera rogo, per amorem paternum, per quicquid amabile in ſe continet hoc nomen patris. Nam ſi in filiorum numerum admittere me non dubitaſti, nec poteris paterni nominis negare clementiam. Pater, ah pater mi! ſic ſic Auditores agendum, ſic loquendum, ſic eſt ſermocinandum cum Deo! ejuſmodi fervens eſt, & affectuoſa oratio.

vagitu & lachrymis.

§. 6. *Elegans ſimile S. Auguſtini de reo in carcere.*

Sanctus Auguſtinus alio pulchro ſimili declarat, quam fervens noſtra eſſe debeat oratio. Affertur conſtituto in carcere reo triſtis nuntius crudelis mortis poſtridie inferendæ; monetur tamen ab amico, eſſe ſpem vitæ, ſi à judice veniam inſtanter petat. Huic ſpei nixus per triſtia noctis momenta nonnihil ſemet conſolatur infelix reus, interim è tenebris prodit optata dies, ſiſtitur captivus judici, Deum bonum! quam ferventer, qua demiſſione, quibus geſtibus, inter anguſtias & metus mortis talis veniam & vitam precatur! vos id cogitando potius quam ego dicendo conſequi atque ob oculos ponere poteſtis, Auditores. Porro refert S. Aug. l. 22. de civ. c. 8. juſſiſſe medicos ægro cuidam Innocentio abſcindi brachium de corpore; cohorruit æger, petivitque ab hoc dolore liberari, ſed modo, quem S. Auguſtinus his verbis deſcribit: *Rogavit miſerabilibus lachrymis, ita ſe projecit, tanquam fuiſſet aliquo impellente graviter proſtratus, & cœpit orare: quibus modis? quo affectu? quo motu animi? quo fluvio lachrymarum? quibus gemitibus, quibus ſingultibus, ſuccutientibus omnia membra ejus, & pæne intercludentibus Spiritum; quis ullis explicet verbis? nihil enim videbatur addi jam poſſe, niſi ut exſpiraret orando.*

§. 7. *Applicatur ad nos peccatores.*

Nos Auditores ſumus rei, qui mortem æternæ damnationis ſumus promeriti: locus tamen eſt veniæ, ſpes eſt miſericordiæ, miſericors & miſerator eſt judex noſter; vulnera noſtra ſunt lethalia, ſed ipſe balſamo & oleo precioſi ſui ſanguinis ſanare & poteſt, & vult; dummodo petamus: ſed petere debemus ferventer, proſtrati in terram ad pedes crucifixi, *miſerabilibus lachrymis*,

Digitized by Google

cum gemitibus (repete pulchre ſuperius dicta ex S. Aug. & pſalmis v.g. *de profundis &c.*) verbo, ut nihil aliud deeſſe videatur, quam ut orando expiremus in ſanctiſſimis vulneribus Jeſu, in ardentibus ſuſpiriis &c. mori, hoc eſt feliciter mori! Advertant ſodales Chriſti agonizantis, qua ratione hodierno præcipuo feſto, petere debeant felicem mortem. Nam ſi æger ille de quo modo memini, miſerabilibus lachrymis, teſte Auguſtino, deprecatus eſt illam brachii reſectionem: quomodo non ad ſervandam totius corporis incolumitatem orabimus? ah! minus dixi, non corporis tantum, ſed & animæ periclitatur ſalus ſempiterna! inſtemus ergo fortiter & perſtemus in ſanctis precibus, addamus gemitus & ſuſpiria, abjiciamus nos ad pedes crucifixi Jeſu, intra ejus vulnera nos abſcondamus, agitur ſiquidem de re non parvi momenti, agitur de æternitate beata vel damnata.

§.8. *Oratio eſt incenſum ideo ignibus opus eſt.* Orant multi, multa, aliquot roſaria, pſalmos, litanias, neque tamen exaudiuntur, pulſant & porta non aperitur, quia orant tepide, frigide, oſcitanter. Orationes ſanctorum vocantur incenſum; ut hoc in ſuavem fumum diſſolvatur, & ignibus & prunis eſt opus. Ut oratio noſtra inſtar fumi penetret nubes, & aſcendat ad thronum gloriæ, procedere debet ex corde calido & igneo, quod ferventibus affectuum deſideriis eſt inflammatum.

§.9. *Exempla ardenter orantium.* Hoc modo orare ſolebat ſanctus Franciſcus, ſub ejus oratione, de ejus ore & oculis proſiliebant flammæ! ſi flammæ in ore, ſi in oculis, quales fuerint intus in Seraphico corde? hoc modo orare debent, qui volunt exaudiri; (vel, ſodales Agoniæ cum petunt felicem mortem) in ore, in oculis, in corde debent eſſe flammæ. Hunc etiam in modum orare conſueverunt alter ſanctus Franciſcus, Indiarum Apoſtolus ſanctus Xaverius, & S. Ignatius. • Hujus caput ſub oratione coruſcabat radiis inſtar ſolis, illum ad altare ſæpius aliquot palmos elevatum à terra, & quidem inter flammas conſpectum probati memorant Authores. In meo breviario imago duos hos glorioſos meos Patres exhibet ante crucifixum provolutos in genua, profuſos in preces & lachrymas,

mas, tenentes corda in manibus, ſed Chriſtus Dominus ſoluta dextera de cruce, corde ſuo igneo, corda illorum accendit, ut orent cordibus divino igne ſuccenſis. In alia icone ante crucifixum flectit ſolus ſanctus Ignatius, ſed ex ore in cor Jeſu evolat ejus cor alis igneis. In libello, qui inſcribitur, *cor Deo devotum*, anima ſancta è corde igneas ejaculatur ſagittas. Joannes Diacrius (Teſte Surio 10. Julii) poſtquam in oratione aliquot verba protuliſſet, tot ignei globuli ex ore prorumpebant, & locus in quo orabat, videbatur ignea eſſe fornax. Talis fornax fuit cor S. Auguſtini, S. Thereſiæ, aliorumque ſanctorum, talia corda ſunt thuribula aurea, de quibus ſuaviſſimi odoris cœleſtis thymiama aſcendit. Tali modo orandum eſt, cum exaudiri volumus. O ſi corda noſtra (vos alloquor ſodales Agonizantis in cruce Jeſu.) O ſi inquam corda noſtra divinus pariter ignis ſuccenderet, maxime cum roſariolum quinque ſanctiſſimorum vulnerum orando percurrimus! Beatiſſime Ignati, non tibi tuos illos ignes divinos invideo, ſed ut aliquot ſaltem ejus ſcintillulas in frigida noſtra corda dejicias; hoc eſt quod obſecro. Et tu ardens pariter anima ſancti mei Patris Xaverii, ſcio quam tibi fuerit pectus calidum, ſcio quam fueris fervens, quam igneus, quam inflammatus in precibus! fac ut & horum meorum ſodalium, & meum inprimis pectus divinis illis caloribus incaleſcat! O quàm tum ferventer, quàm perite, quàm affectuoſe, quàm denique feliciter orabimus! De ſancto Paphnutio hæc refert Surius 28. Aprilis, cum nocte in carcere oraret, illuminatus eſt locus pulcherrima luce de cœlo; inſpicientes præ ſtupore vigiles, viderunt virum ſanctum elevatis brachiis & manibus hærentem in oratione; ſed utrumque brachium & utraque manus arſerunt veluti duæ accenſæ faces. Tales manus erigite in veſtris orationibus, id eſt, orate ferventes, petite & accipietis.

Ejuſmodi utinam eſſent orantium manus & corda, qualia eſſe labia ſponſæ, ſponſus inſinuat, in Cantic. cap. 4. verſ. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua.* Duo hic poſſunt inquiri. Primo

§. 10. Locus elegans ex Canticis de

vitta coccinea orationi accommodatur. Primo cur labia comparentur vittæ. Secundo cur vittæ coccineæ. Interpretes reſpondent quæſtioni primæ, vittam eſſe ſymbolum orationis, ob varias cauſas. 1. Vitta eſt ornamentum virginum, oratio eſt ornamentum animæ ſanctæ, quæ eſt ſponſa Chriſti. 2. Vitta duo colligat, conſtringit, unit; oratio unit animam cum Chriſto. 3. Vittæ ſunt teſſera amoris inter amantes. Majus donum ſponſus Chriſtus animæ piæ conferre non poteſt, quam donum orationis; viciſſim anima pia amorem magis demonſtrare non poteſt, quam per orationem. 4. Vitta alicujus brachia ligari poſſunt, ut movere ſe non poſſit. Oratio ligat Deum: hac vitta Joſue c.10.v.13. ligavit ſolem, ut ſtare debuerit: hac vitta Elias l.3.Reg. c.17.v.1. ligavit rorem & pluvias in nubibus, cum dixit, *vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba,* ſolvit vero nubes, cum per orationem pluviam impetravit. Hac vitta Daniel ligavit ora Leonum, Moyſes ipſum Deum, ut Exodi 32. v.10. dixerit, *dimitte me.* Gildebertus in Cant. *oratione ligatur Deus, ideo vitta comparatur.*

§.11. *Coccinea vitta ſponſa ſignificat in oratione memoriam Paſſionis Chriſti.* Vocatur verò vitta coccinea, quia(ut S.Gregor.) *per coccum flamma charitatis intelligitur.* S.Greg. Nyſſenus hom.15. in Cant. *Tunc oratio ſuam menſuram* (id eſt perfectionem) *conſequitur, cum à rubedine colorata eſt, quæ eſt ænigma ſanguinis illius, à quo redempti ſumus.* Ex his verbis, oratio ſit à rubedine colorata, tres accommodatas deduco regulas. *Prima.* Oratio debet eſſe coccinea, id eſt, unita ſanguini Chriſti; qui eſt qui preces offert, ut obtineat à Deo, NN. ut placeant, illas offert cum memoria effuſionum ſanguinis Chriſti, v.g. in honorem ſanguinis effuſi in monte Oliveti, vel ad columnam, hoc eſt, orationem facere coccineam, hoc eſt vitta coccinea ſe alligare Chriſto, vel ligare Deum. Adeſdum ſponſæ Salvatoris mei Jeſu (vos intelligo, ſodales agoniæ, nam ſponſus ſanguinum dilectus veſter vobis & vos illi) adeſdum; Sed non ſine vittis coccineis, non placet ſponſa, cui deeſt hoc capitis ornamentum; adeſdum, & cum Roſariolum quinque Vulnerum oratis, in prima decade, vittam hanc coccineam (memoriam patientis Jeſu) alligare vulneri ſiniſtræ manus, illam in decade ſecunda

cúnda illam reſolvite, & ad dextram refigite; affigite in decade tertia & quarta & ad ambos ſervatoris pedes reverenter ſuſpendite, donec tandem nobiliſſimum hoc anathema benedicto Jeſu lateri conſecretis. Hoc eſt vittam ferre coccineam cum ſponſa! *Secunda.* Sanguis, quem effudit Chriſtus Dominus, fuit ſanguis calidus, igneus, plenus ſpiritibus; talis debet eſſe oratio, fervida, ignea, plena deſideriis, ut ſit vitta coccinea. Sanguis Chriſti præcipue in apertione lateris, profluxit ex corde amore pleno; ex tali corde debet fluere noſtra oratio, inſtar ebullientis & calentis ſanguinis. *Tertia.* Sanguis, vel coccus eſt ſymbolum fervoris charitatis, tunc itaque oratio perfectionem aſſequitur, cum colorata eſt à rubedine & purpura fervoris, ac divini amoris, cum accenſa eſt igneis deſideriis charitatis. Ideo bene monet. S. Petrus Damianus. l.6. ep.17. *ſi vis ergo* (in oratione) *habere vocem intonantem, & efficacem, ſatage ſemper, ut te divinus fervor accendat, ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat, frigida quippe mentis oratio, tanquam vox rauciens non auditur.* Econtra verò; *Pennigera eſt charitas* (Gilbertus Abbas ſer.8. in Cant.) *& perpeti volatu ardentis deſiderii, interiacens hoc prætervolat vacuum,* & per nubes ad thronum divinæ majeſtatis penetrat.

In quo vero ille fervor orationis conſiſtat, eleganter explicant ſancti Patres. Sanctus Chryſoſtomus hom.1. de Anna, exponens illud 1.Reg.1. verſ.12. *Cum illa multiplicaret preces coram Domino,* ita ait: *Omnes quidem oramus, ſed non omnes in conſpectu Domini. Etenim cum corpore in terra proſtrato, & ore fruſtra delirante, mens ubique per domum ac forum circumvagatur, quo ore talis poſſet dicere quod oraverit in conſpectu Domini? Nam in conſpectu Domini orat, undique colligens mentem ſuam, nihil habens cum terra commercii; ſed ad ipſum Deum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulſa* (poſſunt ex hoc loco fieri pulcherrimæ applicationes, v.g. ſodali agoniæ, ſub oratione roſarii quinque Vulnerum, in illa commigranti, &c.) Sanctus Paſchaſius l.4. in Matth. in verſ.6. cap.6. Matthæi, *tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum,* ſic ait: *Clauſo oſtio* (dico ego ferventer) *DEUM*

§. 12. *Quomodo SS. Patres explicent fervorem orationis.*

orat, quisquis & quæ à foris improbe ſe immergunt, vi ſpiritus, & obſervationis cuſtodia, funditus ne ſurrepant, repellit, obſtrepunt enim ad cordis oſtium viſibilia, & omnia quæ hujus vitæ ſunt temporalia. Propterea obſervandum eſt, & totus interior homo intrinſecus colligendus, quatenus cubiculum ingrediatur. Elegantiſſime S. Auguſtinus ep. 121. ad Probam. *Hoc negotium plus gemitibus, quam ſermonibus agitur, plus fletu, quam affatu.* juxta illud Rom. 8. v. 26. *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt, nos inſtruit & urget, ut hoc modo oremus. Matth. 11. v. 12. ait Chriſtus Dominus, *regnum cælorum vim patitur* (Syrus, *cum violentia accipitur*) & *violenti rapiunt illud.* Quæ verba ſic explicat S. Ambroſius ſer 5. *Vim facimus Deo non compellendo, ſed flendo: non provocando injuriis, ſed lachrymis exorando, non blaſphemando per ſuperbiam, ſed per humilitatem mærendo. O beata violentia! quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur, beata, inquam, violentia! quæ vim patienti bonitatem elicit.* Auditis iſtud Dilecti mei ex Agonia Jeſu ſodales? bonitatem, gratiam, miſericordiam volumus elicere ex vulneribus ſponſi noſtri? felix conatus, peragamus ſtrenue, inſtemus precibus, ſed *cum violentia.* O beata violentia! cum lachrymis, cum affectu doloris, cum ſuſpiriis, cum amantis animæ ardoribus extorquetur theſaurus ille cœleſtis, qui in arce ſacratiſſimi cordis Jeſu velut abditus conſervatur.

§. 11. *Gnoma Davidica ad bene orandum.*

Finiam cum apto Regii Pſaltis epiphonemate ex pſ. 36. v. 7. ubi hanc bene orandi gnomen præſcribit. *Subditus eſto Domino & ora eum*, in hebræo eſt, *ſile Domino.* Aquila vertit, *tace Domino & exſpecta eum.* S. Ambroſius. *Eſto proximus Chriſto.* his poſitis ait Hugo Victorinus. in annot. in cit. pſ. *Quid eſt aliud Deum orare, niſi mente humili atq; devicta ad ejus miſericordiam ſemper reſpicere, propterea enim non dixit tibi: ora eum hoc, ſive illud, ſed tantum ora eum, quia nihil aliud à te, quam affectum bonum exigit.* v. g. affectum laudandi, amandi Deum, affectum agendi gratias, &c. *quia tuam neceſſitatem etiam te non loquente* (dummodo cor in cœlum ſuſpiciat) *cognoſcit. Cum ergo oras, quem petas potius, quam quid petas cogitare tibi dulce ſit.* Ite modo ſocordes animæ, quæ dicitis, vos vel morbi doloribus preſſas, vel negotiorum ſæcularium pondere oppreſ-

oppreſſas orationi vacare non poſſe! quaſi vero rem difficillimam à nobis exigeret animarum ſponſus Jeſus! nihil, nihil aliud à te exigit, quam affectum; ama & oraſti, ſubinde (quid enim prohibet?) unum alterumve dirige ad vulnera Chriſti ſuſpirium; affectum exigit tuum Salvator, nec in prolixis ac longis precibus, ſed in ſinceris affectibus bene orandi praxis conſiſtit.

Illud nunc ex toto hujus concionis diſcurſu conficio, non eſſe ſeu ferventiorem, ſeu efficaciorem orationem, quam quæ ſanctis dives eſt affectibus. Unde autem affectus erues, niſi ex corde amantiſſimi Jeſu, quod locuples eſt theſaurarium, & pretioſiſſimarum mercium officina? O vulnera Salvatoris mei benedicta. O manus benedictæ! O pedes benedicti, in vobis abſcondi cupio, imo in vobis & vivere opto & mori deſidero! benedicta ſint vulnera crucifixi Jeſu! Amen. §.14. *Scopus totius concionis eum affectu pia anima.*

CONCIO XXVII.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.

Joan.15 cap. v.26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SPiritus Sanctus Doctor, Confortator, Conſolator, merito mille ſuſpiriis invocandus.

§.1. *Chriſtus Apoſtolorum Doctor, Conſolator.*

§.2. *Iturus ad patrem, alium ſuo loco ſubſtituit Doctorem &c.*

§.3. *Propoſitio.*

§.4. *Tria Spiritus Sanctus operatur in homine, illuminat, accendit, tranquillat.*

§.5. *D. Bernardus api bene comparat Spiritum Sanctum.*

§. 6. *Spiritus ſanctus oleum lætitiæ.*
§. 7. *Sancti Auguſtini de Spiritu ſancto diſcurſus elegans.*
§. 8. *Locus Iſaiæ 51. c. applicatur Spiritui ſancto Conſolatori.*
§. 9. *Paracleti effectus expertus ſanctus Cyprianus.*
§. 10. *Mira & plurima dona Dei per Paracletum.*
§. 11. *Spiritus ſanctus apte vocatur cor Eccleſiæ vel piæ animæ.*
§. 12. *Cor cum corde mutemus exemplo S. Catharinæ Senenſis.*
§. 13. *Digreſſio ad ſodalitatem Agoniæ, cum affectu cordiali.*
§. 14. *Deſideriis & ſuſpiriis ardentibus obtinetur cor divinum.*
§. 15. *Praxis ſancti deſiderii erga ſpiritum ſanctum.*
§. 16. *Epilogus cum affectu deſiderii.*

§. 1. Chriſtus Apoſtolorum Doctor, Conſolator, Confortator.

QUamdiu Chriſtus Dominus in hoc mundo corporaliter fuit cum ſuis Apoſtolis, triplici officio perfecte fuit functus. Nam fuit primo illorum Doctor & Magiſter, illos inſtruendo in myſteriis fidei, & doctrina, quam tam ferventer prædicarunt per univerſum mundum. Secundo fuit illis adhortator & confortator ad fortiter perferendas injurias & labores. Tertio fuit illorum conſolator, ſolatium & refugium. Proinde cum illis prædiceret ſe diſceſſurum ex hoc mundo; cum deinde feſto Aſcenſionis reipſa mundum & illos deſereret, & glorioſus aſcenderet ad cœlos, juſtiſſimas fateor, mœroris cauſas habuerunt Apoſtoli, relicti à ſuo Magiſtro, à Confortatore, à Conſolatore. Quare Chriſtus Dominus, ut eorum afflictos animos nonnihil levaret atque erigeret, promittit illis ſe de cœlo miſſurum ſpiritum ſanctum, & quidem hac vocula, *Paracletus*, quæ nihil aliud ſignificat, quam Magiſtrum, quam monitorem & confortatorem, quam conſolatorem;

§. 2. Iturus ad Patrem abiens ſuo loco ſubſtituit Doctorem, &c.

Ait ergo Chriſtus Dominus, *cum venerit Paracletus*, quaſi diceret, O mei Apoſtoli, vado ad eum qui miſit me, ſed non turbetur cor veſtrum, nolite putare, vos fore inter tenebras ſine lumine & ſine ductore: fore vos inter adverſitates ſine ſocio, qui vos confortet, in triſtitia, in fletu, in tribulationibus ſine conſolatore, eo quod ego à vobis diſcedam, nam cum venero ad Patrem, ab illo vobis mittam ſpiritum ſanctum, qui vos longe majori lumine

minc illuſtrabit, quam ego fecerim, *Docebit vos omnem veritatem*; eſt enim ſpiritus veritatis. Eſt ſpiritus fortis, eſt virtus Altiſſimi, & vos confortabit ex alto; idem ſpiritus eſt fons omnis gaudii & dulcedinis, ipſe vos conſolabitur.

Bene habet: hæc munia, hos effectus Spiritus S. hæc concio latius explicabit, ſcopus erit ut eo majus & ardentius deſiderium in nobis excitetur, quo cognita ſpiritus hujus neceſſitate, eo diligentius ad ejus adventum nos diſponamus. Nam & nos & Magiſtro, & Confortatore, & Conſolatore quotidie indigemus. *§. 3. Propoſitio.*

Hæc tria operatur ſpiritus ſanctus in homine juſto adulto. Illuminat intellectum, in hoc eſt cœleſtis Magiſter. Accendit voluntatem; in hoc eſt confortator. Senſitivum appetitum tranquillat; in hoc eſt Conſolator. O beatum hominem! cujus intellectui ſpiritus ſanctus lucem præfert, cujus voluntati ardorem præbet, cujus appetitum & deſideria tranquillat. *§. 4. Tria Spiritus ſanctus operatur in homine, illuminat, accendit, tranquillat.*

Mellifluus Bernardus melleis verbis melleum ſpiritum ideo vocavit *apem*: ſicut enim apis conficit ceram, qua ignis accenditur, & efficit mel, cujus dulcedine homo paſcitur; ſic ſpiritus ſanctus lucem inflammat in intellectu, quia eſt ſpiritus intellectus, ſpiritus ſapientiæ, ſpiritus ſcientiæ, ſpiritus conſilii. Devotionis verò mella infundit in voluntatem, quia eſt ſpiritus amoris, ſpiritus devotionis, ſpiritus ſuper mel dulcis. ſer. 8. in Cant. ait, *Vtrumque munus ſimul affert, & agnitionis lucem, & devotionis pinguedinem, eſt inſtar apis ceram portantis & mel, habet omnino, & unde accendat lumen ſcientiæ, & unde infundat ſaporem gratiæ.* *§. 5. S. Bernhardus api bene comparat ſpiritum ſanctum.*

Ser. 3. in Pent. ait. *Spiritus ſanctus monet, & movet, & docet. Monet memoriam, docet rationem, movet voluntatem.* Spiritus ſanctus ignis eſt illuminans. idem ſpiritus *oleum eſt lætitiæ* (pſ. 44. v. 8.) intellectus lumen nutriens, & augens cum lætitia. D. Cyrill. l. 3. in Joan. c. 1. *Sp. S. quaſi oleum animas noſtras ingreſſus,* (eſt pulchrum ſimile) *nutrit, conſervat, confortat, auget illuminationem nobis conceſſam, quaſi oleum in lucerna poſitum.* Lucerna ardens & lucens fuit S. Joannes Baptiſta, ſed unde niſi ab hoc intellectuali oleo? De *§ 6. Spiritus S. oleum lætitiæ.*

 lumine

lumine intellectus pulchre quærit c.9. v.17. Sap. *ſenſum tuum quis ſciet?* (quis ſciet myſteria fidei &c.) *niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſſimis, & ſic quæ tibi placent didicerint homines.* De melle conſolationis in voluntate ait Act.9. v.31. *Eccleſia conſolatione Spiritus Sancti replebatur*, quam qui guſtant, omnia mella mundi faſtidiunt. Duo nobis plane ſunt neceſſaria ut ſalutem æternam conſequamur. Veritatis agnitio, & veritatis operatio. Bene intelligere & bene agere. Utrumque autem habemus à Spiritu S. Intellectum ille fidei veritatisque lumine colluſtrat, & ad opera ſancta præſtanda auxilium præbet. Etenim difficilis virtus eſt, difficile bene operari, difficile eſt iter virtutis; natura noſtra corrupta à peccato in bonis operibus, in virtutibus reperit amaritudinem, in malis, in vitiis dulcedinem. Gravia hæc ſunt impedimenta ſalutis. Et quis actus virtutum reddit faciles? Spiritus Sanctus. Quis iter acclive faciet declive? quis ſpinas convertet in roſas? Spiritus Sanctus. Quis pellet amaritiem? mel & conſolatio Spiritus Sancti. Hic difficultatem & labores virtutis perfundit cœleſti conſolatione, ille de cœlo demittit manna abſconditum, quod nemo novit, niſi, qui accipit, qui verò guſtat, fortis eſt, etiam in adverſitatibus, lætus eſt, etiam in tribulationibus. Cum in nos venerit Paracletus, ille in nobis talia operatur. Sine illo ſumus debiles, ſine illo infirmi, ſine illo in tenebris, ſine illo triſtes, ſine illo deſolati.

§.7. *S. Auguſtini de Spiritu S. diſcurſus elegans.*

Libro de ſpiritu & litera c.3. ſanctus Auguſtinus elegantiſſimum habet diſcurſum, quo oſtendit, non eſſe ſatis homini ad ſalutem, liberum arbitrium, ſed neceſſarium eſſe Spiritum Sanctum, qui & veritatem, quam homo ſequi debet, oſtendat; & ad ſequendam quam cernit veritatem, cœleſti quadam delectatione permoveat. *Nos*, (inquit S. Auguſtinus) *dicimus humanam voluntatem, ſic divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam, ut præter quod creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis; præterque doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioq; ſummi illius boni, quod Deus eſt, etiam nunc cum per fidem ambulatur. Cum id quod agendum, & quo nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet & ametur,*

ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, ſed ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Notate verba illa. *niſi quod agendum eſt, ametur, delectet.* nam multi bene ſciunt, v.g. pro præparatione ad adventum ſpiritus ſancti neceſſariam eſſe ſeriam confeſſionem omnium peccatorum. Niſi ſpiritus ſanctus faciat ut ametur, ut fiat cum actibus heroicis, non fiet. Multi intelligunt pro adventu ſpiritus dulciſſimi in corda noſtra, deponenda eſſe odia, tollendas inimicitias, pacem componendam; ardua res! niſi id ſpiritus ſanctus præſtet, non fiet: ſpiritum furoris ſolus ſuperat ſpiritus amoris. *Niſi quod agendum eſt, ametur & delectet, non fiet.* Amor eſt ſpiritus ſanctus. Multi intelligunt laſcivos ſuos mores & amores eſſe viam ad interitum, eſſe animæ laqueos, eſſe damna ſalutis æternæ; vellent emergere ex illo luto, nec poſſunt. Niſi quod agendum eſt ametur, & delectet, niſi accedat divinus amor, niſi ſpiritus ſanctus id agat, non fiet. Profanos & turpes ignes ſolus poteſt ignis ille divinus ſuperare.

Sin autem in nos veniat Paracletus, difficillima fiunt facillima, amariſſima, dulciſſima, prout prædixit Iſaias c.51. v.3. *Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas ejus, & ponet deſertum ejus quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini, gaudium & lætitia invenietur in ea.* pro ruinis, ponit Vatablus, *deſolationes ejus.* Forerius, *ſiccitates ejus.* Alii, *ſterilitatem ejus.* Non errabit, qui dicet, *ſpinas ejus.* Pro ſolitudine, pro deliciis in hebræo eſt *Edon*, id eſt, ſicut paradiſus vel locus deliciarum amœniſſimus. Hæc videtur velle inſinuare Iſaias. Mons Sion, ſive anima hominis, ſine ſpiritu ſancto labitur in gravia ſcelera, ſine ſpiritu ſancto eſt deſertum. Sine ſpiritu ſancto anima eſt deſolata, tota ſicca, tota arida, ſine ſucco ullius devotionis. Sine ſpiritu ſancto anima eſt ſterilis, plena ſpinis. Hinc tenebræ, ignorantia, ærumnæ, triſtitia, mæſtitia in tali anima. Econtra anima, in qua eſt ſpiritus ſanctus, eſt mons Sion, ſed conſitus floribus, vernans fructiferis arboribus. Anima cum ſpiritu ſancto eſt locus plenus deliciis, eſt paradiſus, eſt hortus Domini, hortus ſanctiſſimæ Trinitatis: gaudium & lætitia ſunt in ea, virtutes ſunt in ea, conſolationes ſunt in ea; caſti affectus, ſancta deſideria. Et unde hæc

§. 8. *Locus Iſaiæ 51.c. applicatur Spiritu Sancto Conſolatori.*

hæc omnia, niſi à ſpiritu ſancto? de quo ait S. Chryſoſtomus: *ſpiritus ſanctus eſt animarum exultatio, cordis tripudium, fons rorulentus, lugentium conſolatio, mæſtitudinis depoſitio, mentis requies.* Mox ſubdit: *Oſtendit animæ intrinſecus quaſi in ſpeculo, cum ineffabili gaudio, futuræ felicitatis gloriam. adhortaturque eam & dicit: Veni ad patrem, veni ad ſupernam patriam, veni ad ſupernum regnum, veni ad incorruptibilem ſponſi thalamum veni eo quo aſcendit dilectus tuus, quo ante triduum abiit Ieſus tuus.* Nunquid excitator, nunquid monitor, nunquid adhortator, nunquid confortator, nunquid conſolator, nunquid Paracletus eſt ſpiritus ſanctus.

§. 9. Paracleti effectus expertus S. Cyprianus.

Effectus Paracleti, de quibus ago, quod doceat, illuminet, moneat, delectet &c. in ſe expertus fuit S. Cyprianus qui l. 2. ep. 2. ad Donatum de ſe ipſo ait; *uti ego quamplurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me non poſſe crederem: ſic vitiis obſecundans eram, & deſperatione meliorum malis meis velut jam propriis ac vernaculis favebam.* (Non ſpero depingi à S. Cypriano aliquos ex meis Auditoribus, ſi tamen aliqui eſſent implicati quibuſdam erroribus, ſi aliqui ambularent in tenebris; ſi aliquorum voluntas obſecundet vitiis, & quaſi trahatur ad malum, hi advertant, únde debeant ſperare auxilium) pergit ſanctus Cyprianus, *ſed poſtquam undæ genitalis auxilio* (in baptiſmate cum ſpiritu ſancto) *deterſis prioribus maculis, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit, poſtquam cœlitus ſpiritu hauſto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit* jam advertite effectus ſpiritus ſancti) *mirum in modum protinus confirmare ſe dubio, patere clauſa, lucere tenebroſa, facultatem dare, quod prius difficile videbatur, geri poſſe, quod impoſſibile putabatur ut eſſet, agnoſcere terrenum fuiſſe, quod prius placuerat, &c. Dei eſſe cœpiſſe, quod jam ſpiritus ſanctus animaret.* Amantiſſimi Auditores, ſunt inter vos qui cum Cypriano ambulant in tenebris: quid facitis? exclamate confeſtim: *O lux beatiſſima, reple cordis intima*! non dubito ſunt qui verſantur in erroribus; quid facitis? cur non divinæ illius ſapientiæ radios invocatis? non dubito ſunt, quos perverſa voluntas trahit, ſollicitat, urget, impellit ad malum, ad ſcelera, ad iniquitates, quid facitis? cur non in has voces erumpitis? O amor, O ignis Dei, ô ſancte ſpiritus, ve-

tus, veni, ure renes meos, & cor meum Domine, retrahe perverſæ voluntatis habenas, retrahe labentem, pravos animi motus compeſce.

§. 10. *Mira & plurima dona Dei per Paracletum*

Proinde Deus mira enumerat dona, quæ citato capite per Iſaiam promittit Eccleſiæ v. g. *Mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. dabo vobis cor novum. auferam cor lapideum, dabo cor carneum, faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini. Habitabitis in terra, quam dedi Patribus veſtris*, id eſt, in pace, gaudio, & abundantia bonorum ſpiritualium. Habitabitis in vera Eccleſia, *eritis mihi in populum, & ero vobis in Deum*, id eſt, protector, proviſor, nutritor, promotor, gubernator, ductor, doctor, juſtificator, glorificator, & omne bonum, hoc enim ſuis eſt Deus. Sed ut advertamus, quis ſit fons horum omnium, addit, *ſpiritum meum ponam in medio veſtri*, quaſi diceret, cor veſtrum erit molle, docile, tractabile, perſuaſibile, facile, flexile. Sanctus Auguſtinus, *obediens*, Chald. *timens me*, quod faciat voluntatem meam. Sed hæc omnia à ſpiritu ſancto: hic dum eſt Paracletus, dum monet & confortat, facit cor tractabile, obediens. Dum paracletus eſt, dum ſolatur, facit illud lætum, & implet cœleſtibus deliciis. Deus dat homini ſpiritum novum, vel mittit Paracletum, dum per ejus inſpirationes hominem mulcet, mollit, minis, promiſſis, conſolationibus, quibus cor illectum, corroboratum, ac elevatum libere tandem ſe flectit ad Dei nutum. Hoc ergo modo Deus rebelles etiam hominum voluntates ad ſe compellit, non vi cogendo, ſed ſuadendo per paracletum: nunc terrendo, nunc ſuaviter alliciendo, ac affectiones pias ei indendo, & ita facit, ut in præceptis ſuis ambulemus, & ita operatur in nobis *velle & perficere* ad Philip. 2. v. 13.

§. 11. *Spiritus ſanctus apte vocatur cor Eccleſiæ, ſive pia anima.*

Hos effectus puto moviſſe aliquos ſanctos Patres, ut ſpiritum ſanctum vocaverint *cor Eccleſiæ*, vel cujuſvis hominis juſti. Nam cor novum eſt voluntas, gratia & ſpiritu Dei innovata, quæ veteri vitæ & converſationi terrenæ moriens, vivit Deo & cœlo, pro quo orat David pſ. 50. v. 12. *cor mundum crea in me* &c. Cor eſt principium vitæ naturalis. Spiritus ſanctus eſt principium vitæ ſpiritualis. Cor eſt officina ſpirituum, cauſa omnis motus; Spi-

Digitized by Google

tus ſanctus in medio noſtri eſt officina omnium ſanctarum cogitationum; à corde omnis calor diffunditur per reliquum corpus, & per animam calor charitatis Dei à Spiritu ſancto. Cap. 4. v. 23. Prov. ſuadet: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Majori cuſtodia debemus cuſtodire Spiritum ſanctum, à quo procedit vita gratiæ. Cor complexione eſt igneum. Spiritus ſanctus eſt ignis immenſus. Cor eſt pyramidale, ſed ſitu inverſo, nam ſuperne ad cœleſtia eſt amplum, inferne ad terrena in cuſpidem deſinit. Significat ſpiritum ſanctum nos monere, ut toto corde feramur ad cœleſtia, terram quaſi in puncto tantum attingamus. Denique cor eſt ſedes amoris. Spiritus ſanctus eſt ipſe amor, ſuaviſſimus, dulciſſimus. Et quomodo cor hoc novum, cor mundum, cor carneum ſine ſpiritu ſancto obtinebimus.

§. 12. *Cor cum corde mutemus, exemplo S. Catharinæ Senenſis.*

Imitemur Beatam Catharinam Senenſem, de qua hæc narrat ejus vita, l. 2. c. 16. A Chriſto ſponſo ſuo petiit auferri ſibi ſuum cor, ac dari cor Chriſti: annuit Chriſtus, ac cor vere illi exemit, & poſt aliquot dies, quibus illa corde caruit, aliud, ſcilicet ſuum, id eſt, à ſe factum, ſibique conforme illi indidit, unde illa deinceps orans ad Chriſtum ajebat, *Commendo tibi Domine tuum cor, non meum.* Super virum ſanctum inter ſacrificandum nubes lucida deſcendit, in qua Chriſtus cor ſuum aperto viri ſancti pectori inſeruit.

§. 13. *Digreſſio ad ſodales agoniæ cum affectu cordiali.*

Neſcio qui fiat, quod plerumque diebus Dominicis, quibus habetur congregatio agoniæ, ſpiritus ſanctus mihi ſuggerat in meis concionibus aliquam piam affectuoſam praxin, quæ nobis inſerviat deinde in recitatione roſarii quinque ſanctiſſ. Vulnerum. O ſi viveremus ſine cordibus noſtris! O ſi cor Jeſu crucifixi eſſet in nobis, ut ferventer orare quodvis poſſemus! *O mi Jeſu*, aliquando in meo agone cuſtodi non cor meum, ſed tuum. *Tuum mi Jeſu*, quia creaſti; *Tuum mi Jeſu*, quia tuo ſanguine redemiſti, *tuum mi Jeſu*, quia ſanctificaſti. Sed has pias cogitationes deinde in congregatione ſuggeret ſpiritus ſanctus, redeo ad meam materiam; ut obtineamus ſpiritum ſanctum petamus cor Jeſu Salvatoris. Sed utrumque & cor Chriſti & ſpiritus ſancti

obtine-

obtinere poſſumus ardenti oratione, & ferventibus deſideriis.

De Apoſtolis exſpectantibus in cænaculo cum mulieribus & B. Virgine ait S. Chryſoſt. *Oportebat enim illos deſiderio promiſſi teneri, atque ita donum accipere.* Guarricus Abbas ſer. 2. de Pent. de eorundem precibus, deſideriis, orationibus, lachrymis, & fletu ait. *Neſcio ſi ſpiritui ſancto, qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior ſit. Puto, quia neque in Apoſtolis locum inveniſſet Paracleti conſolatio, niſi quia lugebant ſe deſolatos, niſi quia orabant, quia deſiderabant, &c.* Et Richardus de S. Victore ſer. de ſpiritu ſancto. *Si ad illam internam & ſupernam dulcedinem inhias, ſi ad veram ſpiritus ſuavitatem ſuſpiras, audi quid tibi divinitus præcipiatur, dilata os tuum* (dilata cor tuum, dilata deſideria &c.) *& implebo illud.* §. 14. *Deſideriis & ſuſpiriis ardentibus obtinetur cor divinum.*

Occaſione lachrymarum, quibus Jacob tandem invaluit ad Angelum, Oſeæ 12. inquit Rupertus l. 2. de proceſſione ſpiritus ſancti c. 21. *Non potuit Deus ſe continere flente illo, quin de multitudine viſcerum ſuorum ſpiritum Paracletum effunderet in illum.* Rabbi Moyſes pulchro ſimili docet, quænam & qualia his diebus ante Pentecoſten debeant eſſe noſtra deſideria. Sicut qui exſpectat viſionem amici, quem diligit ex animo, & numerat dies, donec videat ipſum: addit, Judæos à Paſchate quotidie conveniſſe in ſynagogam, ibique poſt preces proclamare ſolitos fuiſſe. Hic eſt dies primus poſt paſcha, vel decimus, &c. reſtant triginta, ad conſervandum ingens deſiderium erga illud feſtum. §. 15. *Praxis ſancti deſiderii erga ſpiritum ſanctum.*

Celebravimus die Jovis glorioſiſſimum feſtum Aſcenſionis; abiere jam dies quatuor, reſtant tantummodo ſex, quæſo vos Auditores mei, hos ipſos numero pauculos, ſed dignitate pretioſos dies bene tranſigamus; tranſigemus autem optime ſi inter continua ſuſpiria, ardentes preces, inflammata deſideria vivamus; ſi dicamus identidem, *Veni, O veni cor meum, veni ſancte ſpiritus, veni dulcis hoſpes animæ*; En paratum cor meum Deus, paratum cor meum, *Ne projicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me, exſpectans exſpectabo Dominum:* §. 16. *Epilogus cum affectu deſiderii.*

Digitized by Google

num: Væ mihi, væ animæ meæ, ſi ad eam non diverteris tu Deus totius conſolationis, Tu amor meus, Tu gaudium meum, Tu cor meum ſancte ſpiritus! Veni, O Veni! tecum volo vivere, volo mori. Veni, O Veni! Te unum amo, deſidero, ſuſpiro.

FINIS

PARTIS PRIMÆ.

ALVEI

Digitized by Google

ALVEI QUINTI,
SIVE
CONCIONUM,
IN
Omnes Dominicas à Pentecoſte uſque ad Adventum,
PARS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO XXIIX.

FESTO PENTECOSTES.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.

Joan. 14. c. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VAriæ circumſtantiæ, in quibus apparuit ſpiritus ſanctus, examinantur; & favores, quibuſdam ab illo exhibiti recenſentur.

§. 1. *Exempla quorundam ferventium Concionatorum.*

§. 2. *Propoſitio, cum invocatione Spiritus S.*

§. 3. *Spiritus S. in variis figuris ſpectabilis.*

§. 4. *Spiritus S. cur linguarum ſpeciem amet. Varia cauſa.*

§. 5. *Cur igneas voluerit linguas?*

§. 6. *Affectuoſa ſuſpiria S. Auguſtini ad ſpiritum ſanctum.*

§. 7. *Chriſtus hominem portavit ad cælum, & Deum miſit in terras. Ex S. Aug.*

§. 8. *Magnitudo amoris divini, ex miſſione ſpiritus S. expenditur Theologice.*

§. 9. *Quomodo Spiritus S. deſcenderit ſuper Apoſtolos.*

§. 10. *Quomodo, & cur ſedit ſupra ſingulos illorum.*

§. 11. *Spiritus S. ceu lampas ardens, ab aliis ornatur, ab aliis extinguitur.*

§. 12. *Religioſus quidam, expertus fuit ſingularem Spiritus S. favorem.*

§. 13. *Et alius, ex illo verſiculo,* Lava quod eſt ſordidum.

§. 14. *D. Chryſoſtomus mire favendus, in favoribus Spiritus S. recenſendis.*

Referunt

§. 1. *Exempla quorundam ferventium concionatorum.*

REferunt hiſtoriæ, fuiſſe concionatores Apoſtolicos, tam ſanctos & ferventes, ut ſubinde, dum dicerent ardentius, ab Auditoribus viſa fuerit candidiſſima columba, inſidens ipſorum vertici, pulcherrimis radiis eoſdem illuminans. Compluti in Hiſpania, fuit aliquando concionator tam fervens, ut vulgo dictus fuerit, *Carbo ignitus*, omnes accendens igne amoris divini. Idem fecerunt alii, & tanta ſimul ſuavitate ac fervore, ut nomen obtinuerint *lingua mellea.* Ardens ſine dubio fuit ille concionator in Sicilia, in cujus faciem ſæpius inter dicendum crucifixus è ſanctiſſimis vulneribus clariſſimos viſus fuit radios evibrare. Ardens ſine dubio fuit concionator, qui inter dicendum auditoribus viſus fuit ſtare inter ſcintillas, veluti ſtellas, vel lucidiſſimas candelas. Ut & ille, cujus caput ingens ſplendor ambiit, & in ore radiavit micans ſtella. Angelici fuerunt concionatores, qui angelicis radiis coruſcarunt, inter quos ille numerandus eſt, cui ſpiritus ſanctus ſeraphica ſuggeſſit verba. Nobilis in Gallia concionator, ante annos tredecim, adeo æſtuavit divino amore, ut cum loqueretur, non verba, ſed ſcintillæ viderentur ex ore, & de lingua decidere. Celeberrimus noſtro tempore in aula Bavarica prædicator fuit R. P. Jeremias Drexelius; in concionibus de Tutelaribus Angelis cœleſti luce fuit circumfuſus; & toto corpore, quo extabat, coruſcavit. Celeberrimus in Japonia concionator fuit & Martyr P. Thomas Trugi, in rogo tandem pro Chriſto fuit combuſtus: dum moreretur ejus pectus ultro diſſiliit in partes, & ex corde viſa fuit erumpere rubea flamma, quæ ſurſum in cœlum, ſublimis volatu igneo ſplendens abiit; præſentium ſpectatorum animos mirum in modum accendens.

§. 2. *Propoſitio, & invocatio Spir. S.*

Puto vos animadvertere Auditores, quare hodierno feſto horum ignium, radiorum, flammarum, ſtellarum, ſcintillarum, & lucis faciam mentionem. Perorandum mihi eſt de Spiritu S. & ſi unquam alibi, certe in hac materia concionatoribus opus eſt ignibus. O ſancte Spiritus! tu es, radians illa columba, quæ illuminat, quæ irradiat, quæ accendit & inflammat peccatores. Tu es fons mellis, qui mellea & ſancta ſuggeris verba, Tu es lucida illa ſtel-

Digitized by Google

la ſtella, quæ ardentes & ſeraphicas formas voces. Tu quoque cor meum imple cœleſtibus ſcintillis, Tu in lingua mea, voces forma melleas, tu divinas in meum pectus, in faciem, in linguam evibra radios, ut iiſdem meos accendam Auditores. Hiſtoriam adventus Spiritus S. deſcribit S. Lucas in lecta epiſtola; aliquas ex illa vobis exponam circumſtantias, & in fine addam peculiares aliquos favores ſpiritus ſancti erga ſibi devotos, quorum cupio fieri participes meos Auditores.

Spiritus S. pro varietate operationum in variis figuris mundo viſibilis apparuit. Primus deſcenſus ſpiritus ſancti contigit, cum deſcendit in uterum Virginis, ubi operatus fuit myſterium Incarnationis. Archangelus Gabriel ait id contigiſſe ſub umbra; *obumbrabit tibi Spiritus S.* Luc. 1. v. 35. Amat enim cœleſtis hic ſpiritus umbram, amat ſecretum, amat ſolitudinem, amat corda Virginum, circumvallata liliis. In baptiſmo Chriſti, Matth. 3. v. 16. deſcendit in ſpecie columbæ, ad ſignificandam innocentiam, puritatem, & fœcunditatem bonorum operum, quæ baptizatis facienda ſuggerit ſpiritus innocentiſſimus, puriſſimus, fœcundiſſimus! In transfiguratione Matth. 17. v. 2. apparuit, tanquam reſplendens nubes; ad ſignificandam pluviam doctrinæ, qua per Apoſtolos mundum irrigavit; & protectionem, quam habet ſuorum fidelium. In cænaculo fuit datus Apoſtolis à Chriſto D. tanquam aſpiratio, ad ſignificandam ſpiritualem vitam, quam per ſacramenta nobis confert. Unde & diſcipulis inſufflans Chriſtus dixit, Joan. 20. v. 22. *Accipite ſpiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* In Pentecoſte, Act. 2. v. 2. ſpiritus ſanctus ſuper Apoſtolos viſibilis deſcendit, in ſpecie linguarum ob varias cauſas.

§. 3. *Spiritus S. in variis figuris ſpectabilis.*

Spiritus enim ſanctus hodierna die Apoſtolos fecit & conſtituit prædicatores Evangelii: præcipuum autem inſtrumentum prædicationis eſt lingua, ut itaque prædicet cum fructu, dirigi & accendi debet à ſpiritu ſancto. In forma linguæ dedit illis donum linguarum, ſicut lingua diſcernit ſapores, & diſtinguit dulce ab amaro; ſapidum ab inſipido, ita ſpiritus ſanctus mentem illuminans, facit eam diſtinguere res cœleſtes à terrenis, æternas à

§ 4. *Spiritus S. cur linguarum ſpeciem amet.*

Digitized by Google

caducis, falſas & inanes, à veris & ſolidis, ut has eligamus, illas contemnamus. Unde ait Apoſtolus 1.Cor.2.v.14. *Animalis homo, non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus,* quia deeſt illi guſtus ſincerus. Linguæ ergo ſpecies, in qua Spiritus S. hodie apparuit, ſignificat, quod Spiritus S. intimos guſtus, rerum divinarum, vimque guſtativam dederit Apoſtolis, quod in concionatore neceſſario requiritur. Forma linguarum fuit pyramidalis, deſinens in acumen: hoc enim agit hic Spiritus, ut ejus ardor mentem acuat, & profunda Dei penetrare faciat; in ſignum quod corda Apoſtolorum calidis ad cœleſtia ſuſpiriis accenderit & ad denotandam vim & efficaciam, quam indidit linguis eorum, juxta id quod Chriſtus D. illi promiſerat Luc.21.v.15. *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Quod & factum eſt.

§.5. *Cur igneas voluerit linguas Spiritus S.*

Linguæ autem fuerunt igneæ, quia Spiritus S. deſcendendo in forma ignis (ut loquitur S.Gregorius hom.30. in Evang.) *Apoſtolos loquentes fecit, & ſimul ardentes.* Linguas igneas habent concionatores, ſi ita Deum amandum prædicent, ut corda audientium inflamment. Ocioſus enim eſt ſermo concionatoris, *ſi præbere non valeat incendium amoris.* Oportuit ergo linguas Apoſtolorum igne Spiritus S. accendi, antequam illi, totum terrarum orbem, frigore torpentem, & gelidum inflammarent. *Idem ignis* (ait D. Cyprianus Catech.17.) *portendit tribulationem magnam, quam paſſuri erant Apoſtoli, & fideles, ſed ſuperaturi per ignem amoris divini, quem idcirco iis hic indidit Spiritus S.* Elegantiſſime S Auguſtinus ſer.2. de Pentec. *Ipſe* (Spiritus S.) *Apoſtolos ſuos, viva lucis fonte perfudit, ut ipſi poſtmodum univerſum mundum, tanquam duodecim ſolis radii, ac totidem lampades veritatis illuminent atque irrigent ſitientia corda populorum.*

§.6. *Affectuoſa ſuſpiria S. Aug. ad Spiritum S.*

Speciem & formam ignis, ſive Spiritum S. in igne deſcendentem præ oculis habuit idem D. Auguſtinus in Medit. c 9. cum toto affectu cordis, piiſſimis his verbis ita ſuſpiravit, & ejus gratiam imploravit; *O Divini Amor Numinis, Patris omnipotentis, prolisq; beatiſſima ſancta communicatio, omnipotens Paraclete Spiritus, mœrentium conſolator clementiſſime, jam cordis mei penetralibus*

potenti

potenti illabere virtute, & tenebroſa quaque latibula, coruſci luminis fulgore, pius habitator lætifica, tuique roris abundantia, longo ariditatis arentia ſqualore, viſitando fœcunda. En igneas operationes Spiritus S. illuminare, illuſtrare, corda tenebroſa; fœcundare ſterilia, irrigare arida, lætificare triſtia, conſolari mœſta, mundare ſordida, inflammare frigida. Pergit S. Auguſtinus. *Suavia interioris hominis arcana, tui amoris jaculo, & torpentis medullas jecoris, flammis ſalutaribus penetrando, ſuccende, ſanctique fervoris igne illuſtrando, intima mentis & corporis univerſa depaſce.* An non hæ ſunt igneæ operationes ignei Spiritus? ſauciare, penetrare, ſuccendere, depaſcere corda fidelium? Quod mirum, quod igneus ſpiritus in forma ignis deſcenderit?

Innumeros ſimiles effectus, & cauſas, propter quas Spiritus S. mundo apparuit ſpectabilis in forma ignis, declaro in variis aliis concionibus; & faciam, ſi Deo placet die craſtina. Æquum eſt, ut hodie cum S. Auguſtino ſer. 185. de temp. obſervemus; *Quanta & quam ineffabilis fuerit pietas Salvatoris, hominem portavit ad cælum* (in feſto glorioſæ Aſcenſionis) *& Deum miſit ad terras. Quanta eſt auctori cura pro inſtauratione factura ſuæ? Ecce iterum nova de ſupernis medicina mittitur, ecce iterum infirmos ſuos per ſe ipſam majeſtas viſitare dignatur, Ecce iterum humanis divina miſcentur, id eſt, Vicarius ſucceſſor Redemptoris, ut beneficia qua Salvator inchoavit, peculiari Spiritus S. virtute conſummet, & quod ille redemit, iſte ſanctificet, quod ille acquiſivit, iſte cuſtodiat.* Inſinuant hæc verba deſcenſum Spiritus S. ſimilem fuiſſe deſcenſui Chriſti D. in mundum, in Incarnatione; ex qua analogia patebit clariſſime, quantum amorem Deus oſtenderit mundo, mittendo Spiritum Sanctum.

§. 7. *Chriſtus portavit hominem ad cælum, & Deum miſit in terras ex S. Auguſt.*

Primo enim, *quoad ſubſtantiam*, ſicut ſubſtantia verbi deſcendit in uterum Virginis aſſumens carnem, dum verbum caro factum eſt, ſic Spiritus S. ſubſtantialiter deſcendit in B. Virginem, & ſuper Apoſtolos. S. Auguſtinus ſer. 185. de temp. *Affuit in hac die fidelibus ſuis, non jam per gratiam viſitationis, & operationis, ſed per ipſam præſentiam Majeſtatis, atque in vaſa, non jam odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit unguenti.* 2. *Quoad modum*, ſicut modus

§. 8. *Magnitudo amoris divini, mittentis Spiritum S. expenditur Theologice.*

Digitized by Google

Incarnationis fuit unio hypoſtatica; ſic hypoſtaſis Spiritus S. modo mirabili unita fuit Apoſtolis. Unde ſicut verbum in carne fuit quaſi ignis in carbone, ut ſancti Patres loquuntur, ita pariter Spiritus S. fuit quaſi ignis inſidens Apoſtolis, Ignis enim, quoad ſplendorem, repræſentat verbum, quod eſt ſapientia, lux, & ſplendor patris: quoad calorem verò idem ignis repræſentat Spiritum Sanctum, qui eſt calor, id eſt, amor Patris & Filii. 3. *Quoad cauſam.* Tam enim deſcenſus Spiritus S. quam Chriſti D. cauſa fuit, immenſus & divinus amor, quo Deus & ſummum bonum, voluit ſumme benefacere hominibus, iiſque ſe ſummo & perfectiſſimo modo, adeoque ſubſtantialiter & perſonaliter, communicare & donare. 4. *Quoad proprietates.* Sicut enim proprietates naturæ humanæ in Chriſto attribuuntur Deo & verbo, ut dicatur Deus paſſus, mortuus &c. viciſſim verò, hic homo Chriſtus dicitur omnipotens, ſapiens &c. ob unionem hypoſtaticam, ita pariter inter Spiritum S. & Apoſtolos, hodie contigit, mirabilis quædam communicatio, per quam dicuntur effecti, divini, ſpirituales, ſancti, ferventes, ob Spiritum S. quo repleti ſunt, & viciſſim Spiritus S. dicitur multilinguis, doctor, prædicator &c. quia tales fecit Apoſtolos, per quorum linguas docuit, & prædicavit. Denique 5. *quoad fructus & effectus*; ſicut enim verbum Incarnatum purgavit nos à peccatis; illuminavit, inſtruxit, omni gratia donavit, perfecit, beavit, & ad æternam gloriam perduxit, ita pariter, purgat, illuminat, perficit, & beat nos Spiritus S. ſubtilior eſt hic diſcurſus, ſed myſterium deſcenſus Spiritus S. tantique beneficii magnitudinem, ſicut & Incarnationis clarius explicat, atque proponit.

§. 9. Quomodo Spiritus S. deſcenderit ſuper Apoſtolos ex S. Leone.

Non diſplicet mihi hic quæſtio quorundam Interpretum, quomodo dicatur Spiritus S. deſcendiſſe ſuper Apoſtolos, cum probabiliter jam fuerit in illis, per gratiam & charitatem. Quæſtioni eleganter reſpondit D. Leo hom. 3. de Pent. *Deſcendit ſuper illos Spiritus S. Non ut tunc primum eſſe ſanctorum inhabitator inciperet, ſed ut ſacrata ſibi pectora, & ferventius accenderet, & copioſius inundaret, cumulans ſua dona, non inchoans &c. unde dicitur, repleti ſunt omnes Spiritu S. Itaque ante Paſſionem* (ait D. Greg. Naz. *fuit in*

Apoſtolis

Digitized by Google

Apoſtolis Spiritus S. obſcurius efficax, poſt reſurrectionem expreſſius, in Pentecoſte plenius. Intellectus enim illorum, repletus fuit novo lumine, & ſcientia, ſive cognitione, de divinitate Chriſti, de aliis altiſſimis myſteriis. Voluntas repleta fuit nova charitate, corda repleta novo ardore & fortitudine roborata. Pars inferior, nova pace, gaudio, & tranquillitate, ut S.Petrus dixerit, ad illos, qui ſono de cœlo territi & excitati, accurrerant, Act.c.2.v.33. *Dextera Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus S. accepta à Patre, effudit Spiritum S quem vos videtis ſcilicet in igneis linguis ſuper capita noſtra, & auditis, in igneis & variis linguis, quibus hi loquuntur magnalia Dei.* Gaudeo ſi hodierna die, hoc eodem Spiritu S. repletus eſt intellectus meorum Auditorum, ut intelligant myſteria fidei, ut ſapiant cœleſtia. Gaudeo, ſi voluntates veſtras occupat nova caritas, ut poſthac non niſi Deum ametis; non mundum, non vanitatem, non delicias profanas; Gaudeo, ſi corda veſtra, novis ſunt ardoribus ſuccenſa, ut poſthac ferveant veſtræ preces, ardeant affectus, ſuſpiria inflammentur. Denique gaudeo, ſi novis eſtis linguis inſtructi, ut poſthac, non niſi ſanctos, caſtos, cœleſtes poſſitis miſcere ſermones. Gaudeo! ſi ſedeatis ſub hac umbra, ſi abſcondamini ſub his alis, candidiſſimæ columbæ, ſi ſub protectione hujus nubis commoremini, ſi refrigeremini ab hoc Spiritu, ſi ab eodem accendamini.

Ait præterea textus Hiſtoriæ de Spiritu S. Act. c.2.v.3. *ſedit ſupra ſingulos eorum*, id eſt, quiete permanſit. Ut impleretur illud Chriſti D. Joan.14.v.23. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et iterum. *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*; Figura in V.Teſtamento fuit ignis Levitici c.6.v.9. qui debuit eſſe perpetuus, qui nunquam deficeret in altari. Perpetuus in nobis eſt Spiritus S. ſi nunquam extinguatur. 1. ad Theſſ. cap.5.v.19. *Spiritum nolite extinguere.* D. Chryſoſtomus. *Quoniam nox eſt, & in hac nocte ambulamus, dedit nobis Deus præclaram lampadem, quæ gratiam Spiritus Sancti in nobis accendit.* §.10. *Quomodo & cur ſedit Spiritus S. ſupra ſingulos eorum.*

Hanc lampadem, alii ornatam conſervant, ut prudentes Virgines; alii extingui faciunt, ut fatuæ. Extinguit autem vita §.11. *Spiritus S. ceu lampas*

 immun-

ardens ab aliis ornatur, ab aliis extinguitur. immunda, extinguit luxuria &c. extinguit omne peccatum mortale. Apoſtoli hodie, ita acceperunt Spiritum S. ut ab eodem in gratia ita fuerint confirmati, ut nunquam amplius potuerint peccare mortaliter Pſ. 74. v. 4. *Ego confirmavi columnas ejus.* Hoc petiit David pſ. 50. v. 14. *ſpiritu principali confirma me.* Utinam ita hodie ſuper nos deſcenderit gratia Spiritus S. ut ejus lucem, & ardorem, nunquam amplius extinguamus, ut in nobis ſedeat, maneat Paracletus hic Spiritus. Ab hac ſeſſione, & manſione, manant illi favores, quibus ſibi devotos recreare, & remunerare ſolet Spiritus S.

§. 12. Religioſus quidem expertus ſingularem Spiritus S. favorem. Favorem ſingularem Spiritus S. expertus fuit, ſimplex, ſed ſanctus quidam Laicus ex ſanctiſſimo Ordine. Nam cum in pia meditatione expenderet, quantum in perfectiſſimo erga Deum amore proficeret, ſenſit ſe intimo uri & accendi, ſenſit cor ſuum paſci dulcibus flammis: & videre ſibi viſus fuit niveam columbam expaſſis alis, pulcherrimos ſuper ſe radios evibrantem. Candidiſſima hæc columba, ſupra caput ejus aliquamdiu quievit, ipſo tanta lætitia perfuſo, ut ipſe deinde illam vocaverit, voluptatem Angelorum. A capite tandem cœleſtis columba volavit in ipſum pectus, & cor, cui ſe incluſit. O divina columba. O ſancte Spiritus! hos hodie à divina tua Majeſtate deſideramus favores! ure, accende pectora, ut & nos deſideremus proficere in perfectiſſimo Dei amore! ſuper nos quoque expande tuas alas, & pulcherrimos ſparge radios. Radius unus ſit donum ſapientiæ; alter, intellectus, tertius, conſilii, quartus ſcientiæ, quintus Timoris Dei, ſextus Donum fortitudinis, ſeptimus Pietatis. His radiis perilluſtrata mens noſtra, neſciet ignorantiæ tenebras, his radiis inſignes ambulabimus in lumine tuo, hoc eſt, in lumine ſancto, puro, cœleſti, divino, in lumine gratiæ, in lumine ſanctitatis. Tandem igneo volatu deſcende in ipſa corda noſtra, illis te include; Dulcis apud nos eris hoſpes, & voluptas angelorum.

§. 13. Et alius ex illo verſiculo, lava quod eſt ſordidum. Eximium quoque favorem expertus fuit alius, qui cum in hymno, *Veni ſancte Spiritus*, ardenter ruminaret illum verſiculum, *lava, quod eſt ſordidum*, viſus ſibi fuit videre animam ſuam, veſtitam ſordidiſſimo panno, & advertit ſordes illas eſſe ſymbolum terreno-

terrenorum affectuum, quibus adhuc irretitus, hærebat in terra, ſed dum perfecto cordis dolore, ingemiſceret, Dei mater candidiſſimo linteo omnes maculas abſterſit. Poſthæc in anima ſua vidit turpiſſimum ulcus, è quo pus & ſanguis emanabat; poſtquam & hoc beatiſſima Virgo, momento ſanavit, & ipſe verbis illis, *lava quod eſt ſordidum,* ardenter ſubderet, *Veni lumen cordium,* Spiritus S. inſtar columbæ, cordi illius inſedit, roſtro illud hinc atque illinc vellicans & verberans; in ſignum amoris benevolentiſſimi. Hos ego favores hodie opto meis Auditoribus ſuppono omnes per ſacramentum pœnitentiæ laviſſe ſtolas ſuas in ſanguine agni immaculati, qui tollit peccata mundi, ſpero ulcera, ſi quæ fuerunt fortaſſis invidiæ, luxuriæ &c. eſſe ſanata, Itaque O ſancte Spiritus, O divina columba, expande ſuper nos alas tuas, *lava amplius quod eſt ſordidum, ſana amplius, quod eſt ſaucium,* & tui amoris in nobis ignem accende, vellica, verbera, mone corda noſtra, ut in ſanctiſſima erumpant deſideria.

§.14. *D. Chryſoſtomus miro facundus in favoribus Spiritus S. recenſendis.*

Ingentem cumulum favorum Spiritus S. epitheta, & dotes plurimas congerit S. Chryſoſtomus ſer. 1. de Pent. & hom. 2. *Spiritus S. noſtræ imaginis eſt reformatio, mentis perfectio, ſpiritualis mentalium oculorum noſtrorum ſol, interni hominis lumen, Lucifer in pectoris cælo &c. Spiritus S. eſt copula unionis noſtræ cum Chriſto, animarum exultatio, cordis tripudium, ignis, fons rorulentus. Spiritus S. lugentium conſolatio, mæſtitudinis depoſitio, mentis requies, ſapientiæ communicatio, prudentiæ inventio, præſcientiæ illuſtratio.* Et mox ſubdit. *Oſtendit animæ intrinſecus quaſi in ſpeculo, cum ineffabili gaudio, futurum æternum gaudium, adhortaturque eam, & dicit: Veni ad Patrem, veni ad ſupernam patriam, veni ad ſupernum regnum, veni ad incorruptibilem ſponſi thalamum.* Interim hic, in hac lachrymarum valle (S. Bernardus ſer. 23 in Cantica.) *Tranquillus Deus, tranquillus, ſuavis & dulcis ejus Spiritus tranquillat omnia, & quietum aſpicere, quieſcere eſt.* Summa quies, ſumma beatitudo eſt, amare & colere Spiritum S. S. Aug ſup. cit. *Eſt dolentis animæ conſolator, protegens in opportunitatibus, in tribulatione adjutor, mundator ſcelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium.*

Inte-

Digitized by Google

§.15. *Varia ſimilitudines cum affectu deſiderii.*

Interim dum vivimus in hac lachrymarum valle, Spiritus S. in mente juſti degit, ſicut ſol in mundo, illuminans illum, ſicut Rex in regno, gubernans eam, ſicut pater familias in domo, regens eam; ſicut Magiſter in ſchola, erudiens eam; ſicut hortulanus in horto, rigans eam; ſicut nauclerus in navi, quam dirigit. Eſt enim ipſe, lux intellectus, ardor voluntatis, ſuſcitator memoriæ, frænum timoris, anchora ſpei, nauclerus deſideriorum. Itaque ad te converto orationem meam, & finio, mi Deus amoris, mi ſancte Spiritus! Cum ſol ſis, ne quære noctem, quam fuges, ne tenebras, quas diſſipes; in animis noſtris nox atra ſedet, & tenebræ Cimmeriæ. Cum Rex ſis, ne quære ſubditos; nos quotquot hic ſumus, tibi erimus ſubditi, Te noſtrum Dominum, Te Principem, Te Regem agnoſcimus, tibi præſtamus fidelitatis homagium. Cum ſis paterfamilias, nos erimus, & famuli, & filii, ne quære alios. Cum ſis Magiſter, ecce nos diſcipulos! tu modo prælege nobis divinam tui ſancti amoris lectionem. Cum ſis hortulanus ecce animas noſtras; tu illas purga, excole, riga! *Riga quod eſt aridum, flecte, quod eſt rigidum*; inſere virtutum floſculos, planta & implanta, quod tibi placet. *Veni ſancte Spiritus*! Veni Auſter, & perfla hortulum meum. Veni amor meus! Dux meus! Hortulanus meus! Magiſter meus! Pater meus! Rex meus! Sol meus! Veni ſancte Spiritus! Veni!

CON-

CONCIO XXIX.

FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Quomodo poſſunt hæc fieri?
Joan.3.cap.v.10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HOc auguſtiſſimum myſterium, tam in ſcriptura, quam in natura, varie adumbratum, oſtenditur: una cum praxi laudis, & amoris, eidem debiti.

§.1. *De myſterio ſanctiſſ. Trinitatis loqui, videtur valde temerarium.*
§.2. *Animatur tamen concionator à ſanctis Patribus.*
§.3. *Fides & fundamentum diſcurſuum de hoc myſterio.*
§.4. *Quomodo etiam pueri & rudes hoc myſterium attingant.*
§.5. *Explicatur à natura, ſuo modo, in ſole.*
§.6. *Et in anima hominis, & arca fæderis.*
§.7. *In Candelabro myſtico. Exodi.37.*
§.8. *In facie triſida, in Iride.*
§.9. *In oxalo, gemma.*
§.10. *In Roſa Ierochontina, & viola ſanctiſſ. Trinitatis.*
§.11. *R. P. Foliani mira devotio erga Triadem.*
§.12. *Laudanda eſt ſanctiſſ. Trinitas.*
§.13. *Laudibus noſtris ſanctiſſ. Trinitas oblectatur.*
§.14. *Invitatio Auditorum ad laudem ſanctiſſ. Trinitatis.*
§.15. *Praxis illam laudandi per triſagion,* ſanctus.
§.16. *Praxis ex illo verſiculo Eccleſiæ,* Gloria Patri &c.
§.17. *Encomia Roſarioli ſanctiſſ. Trinitatis.*
§.18. *Affectus animæ ad Triadem.*

§. 1. *De myſterio ſanctiſſimæ Triados loqui, videtur valde temerarium, ex S. Ephrem.*

ÆQuum eſt, ut hodie aliquid dicam, de magno ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio, huic ſiquidem hodierna dies in Eccleſia eſt dedicata. Sed terret me valde S. Ephrem qui integrum tractatum ſcripſit de natura Dei, multo magis de ſanctiſſ. Trinitate, curioſe non tractanda. Quem non terreant inter multa, hæc verba? *Quam verò inſipiens es, ac temerarius, ut cum ſis gleba puſilla terræ, compacta, tam vaſtum atque profundum hujus pelagi te penetrare poſſe credas? Et quo tandem evades miſer?* O ſanctiſſima Trinitas! ſic eſt! in conſpectu tuo, & ego ſum talis gleba, ſum cinis & pulvis, quomodo fiet, ut non obruar ab hoc pelago Divinæ & adorandæ, & tremendæ tuæ Majeſtatis? *Quis unquam? quis tale conſpexit, vel quis audivit, quod moditus ac fragilis pulvis, in immenſum pelagus deſcenderit, ad perſcrutandam omnem maris profunditatem, qui levi ventorum flatu, ubique diſpergitur, ſubſtantiam atque virtutem non habens, vel tenuiſſimo flatui ventorum reſiſtendi? Quemadmodum natura ſtipulæ, vim ignis explorare tentans ab eo comburitur, ita & homo, à divina perſcrutatione naturæ abſumitur atque confunditur, eſt enim ignis comburens, natura divinæ perveſtigatio.* O ſanctiſſ. Trinitas! tu es ignis immenſus, infinitus, æternus, ego ſtipula vilis, arida, abjecta! & quomodo potero loqui? Plurima in hunc ſenſum dixerunt alii ſancti Patres, quæ merito perterrefacere poſſunt concionatorem, cogitantem dicere de immenſitate divinæ Majeſtatis & myſterio ſanctiſſ. Trinitatis.

§. 2. *Animatur tamen concionator ab aliis ſanctis Patribus.*

Animant me tamen alii, & inter illos S. Auguſtinus l. de ſpec. animæ cap. 10. *Quanquam magnitudinem divinitatis* (addo ego, Trinitatis.) *Nullus poſſit attingere, miro tamen modo, eſſentia ejus ſcitur, dum eſſe creditur.* S. Bernardus. *Illud myſterium perquirere, perverſa curioſitas eſt, tenere verò & credere, ſumma ſecuritas, videre, ſicuti eſt, perfecta felicitas.* Proinde, O ſanctiſſ. Trinitas! fateor, ſum pulvis & cinis; nihilominus loquar; ſed prius coram cœlo & terra profiteor, me fide Catholica Romana credere tremendum hoc myſterium. Credo Patrem, credo Filium, credo Spiritum, Deum unum in eſſentia, trinum in Perſonis. Memor ſimul moniti, cap. 3. v. 87. Danielis. *Benedicite Sancti, & humiles corde.* Bene habet;

habet; Benedicam tibi hodie ſanctiſſ. Trinitas, benedicam Patrem, Filium & Spiritum S. ſed ut tutus procedam, prius coram divino tuo conſpectu me humiliabo ad terram uſque, contegam faciem intellectus mei, tegam me alis Seraphinorum, & clamabo, *ſanctus, ſanctus, ſanctus.* Vos Auditores, memores eſtote dicti S. Aug. l. 1. de Tr. *De hac re ſumma & excellentiſſima, cum modeſtia agendum eſt, & attentiſſimis ac devotis auribus audiendum.*

§. 3. *Fides eſt fundamentum diſcurſuum de hoc myſterio.*

Bene monuit S. Anſelmus; *Quisquis Deo vult propinquare,* (ſcilicet per ſublimes cognitiones) *neceſſe eſt, ut primum fidem habeat, quoniam fides eſt gradus, in quo mentem conſtituit, qui ad Deum accedere intendit. Credere oportet, quia Deus eſt.* Idem dicendum eſt de myſterio ſanctiſſ. Triados. Nos ei volumus appropinquare, nunc in vita mortali per gratiam, in cœlo per gloriam; quid facto opus? primum ſit fidei veſtigium, primus greſſus, fides ſit; appropinquare illi volumus per cogitationes? Age fides; tu viam præpara, tu arduum iter rectum fac, atque expeditum. Accedentem ad Deum credere oportet, quia Deus eſt. Quam fidei neceſſitatem agnovit S. Athanaſius in ſuo ſymbolo, recepto à tota Eccleſia. *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem.* Fundavit ſe vir ſanctus in Apoſtolico oraculo S. Pauli ad Hebræos cap. 11. v. 6. *Sine fide, impoſſibile eſt, placere Deo.* Et in verbis S. Auguſtini ſer. 38. de temp. *Conſtat neminem ad veram poſſe pervenire beatitudinem, niſi Deo placeat. Et Deo neminem poſſe placere, niſi per fidem. Fides namque eſt bonorum omnium fundamentum. Fides eſt humanæ ſalutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt pervenire, quia ſine ipſa, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, vitam poſſidebit æternam.* Imo addit S. Athanaſius; *Quam niſi quisque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.* His præſuppoſitis, ſummam veræ fidei, quantum poteſt, explicat. Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur. Hoc credere debent docti, rudes, ſummi, infimi, viri, fœminæ, parvi, magni, ſenes, juvenes.

§. 4. *Quomodo pueri & ru-*

Fides hæc omnibus infunditur in baptiſmate per illa verba, *Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* quam fidem par-

vuli,

vuli, ſi bene inſtruantur, & educentur, quamprimum laxare ora incipiunt, profitentur, formando ſignum crucis, & dicendo, *In nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Hæc eſt infinita Dei bonitas, quod licet tantus ſit, ut cognoſci ſicut in ſe eſt, non poſſit, ita tamen per fidem noſtram ſe nobis attemperet, ut parvus puer, ut rudis ruſticus, tantum de hoc myſterio capere poſſit, & credere, quantum ad ſalutem eſt neceſſarium. Hanc rudem, nobiliſſimam tamen de Deo cognitionem admiratus fuit David pſ. 8. v. 1. *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.* Et quare? *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam.* Id eſt, parvi, rudes, ruſtici, credunt tam admiranda myſteria: & ideo admirabile eſt nomen Domini.

§. 5. *Tantum myſterium ſuo modo explicat natura, in ſole.*

Catholica itaque fides, inprimis in ſanctiſſ. Trinitate, non confundit perſonas; neque ſubſtantiam ſeparat, quæ ita ſunt intelligenda. In ſole v.g. conjunguntur lux, ſplendor, & ardor, non tamen confunduntur, ſemper diſcrepant, & differunt, lux, non eſt ſplendor, ſplendor non eſt lux, neque ardor. Pari omnino ratione, quamvis in una Deitate, tres Perſonæ conveniant, confundi tamen nequeunt, cum ſit una ab alia diverſa. Differt Pater à Filio, ab utroque Spiritus S. Differt Pater lucis à ſplendore, & ardor Spiritus S. à paterno lumine, in ſplendore filiali diverſus eſt, ita tamen ut una eorum ſit eſſentia, atque ſubſtantia. Unus Deus! trinus in Perſonis! Cognoſcere idem poſſumus in generatione humana; Pater non eſt filius, quem generat, & filius non eſt pater, & alius eſt amor, quo ſe mutuo amant, ita in divinis licet modo longe ſuperiori, pater cœleſtis generat ab æterno Filium; & hic Filius non eſt Pater, neque Pater, vel Filius, eſt ille amor, quo infinite ſe amant, qui eſt Spiritus S.

§. 6. *Et in anima hominis, item in arca fœderis.*

Fides hæc, in unitate non confundit perſonas. In anima hominis v.g. ſunt tres potentiæ, memoria, intellectus, voluntas. Hæc tria in una anima non confunduntur: pari ratione &c. S. Auguſtinus. *Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. non tres dii, ſed unus Deus habet tres Perſonas, ita & anima intellectus, & anima voluntas, & anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, ſed una anima habens tres dignitates;* Atque ita in iſtis tribus Dei

imagi-

imaginem gerit mirabiliter in ſua natura noſter interior homo. Ita, una fuit arca fœderis, in qua aſſervata fuerunt Virga Aaronis, tabulæ legis, & manna. Per virgam adumbratus fuit Deus pater, cui tribuitur regalis potentia; Filius per tabulas legis, cui tribuitur ſapientia, Spiritus S. per manna, propter dulcedinem, quæ propria eſt Spiritus S, una tamen fuit arca, ita unus eſt Deus, trinus in perſonis.

Fides Catholica non confundit perſonas. Candelabrum, quod in templo Deus reponi juſſit Exodi 37. cap. verſ. 17. ſic ternariis undique ornatum deſcribitur, ut dubium non ſit, quin Deus voluerit eſſe figuram ſanctiſſimæ Trinitatis. Erat ex auro puriſſimo; ecce ſymbolum divinitatis; erat unum, ecce unitatem, tamen erant tres calami, ex parte una, & tres ex altera, tres ſcyphi, tres ſphærulæ, tria lilia, unum lilium, non fuit alterum, nec tertium. (Ita de reliquis) unum nihilominus ornarunt candelabrum. §. 7. *Et in candelabro myſtico. Exod. 37. v. 17.*

Nunquid vidiſtis ardentem facem, in tres veluti diviſam? Ignis qui ardet & lucet à dextera, non eſt ignis, qui ardet & lucet, in medio, vel manum ſiniſtram, una nihilominus dicitur fax ardere. Scio, quod ſubinde cum jucunditate aſpiciatis iridem, cœleſtem illum arcum, tam formoſum, ut in Apocalypſi, Chriſto Domino, tanquam Regi pacifico, appingatur loco diadematis; mihi Iris eſt pulcherrimum ſpeculum, & Trinitatis in Perſonis, & Unitatis in eſſentia, ſubſtantia arcus, non eſt aliud lux, quæ à radio ſolis, roridæ nubi, reflexione quadam imprimitur, tribus diſtinctis apparens coloribus, viridi, cæruleo, purpureo, vel aureo; Majeſtas lucis in tribus coloribus, ſymbolum eſt unius Deitatis in natura, trium colorum varietas, in una luce, Perſonarum Trinitatem, in una eſſentia nobis repræſentat. §. 8. *In face trifida, in Iride.*

Oxalus gemma, ſimul tres colores diffundit conſpiciendos. Ab uno latere, ſi intuearis, videtur ignitus veluti carbunculus. In altero videtur rubeus, veluti jaſpis, in tertio viridis, veluti Smaragdus. Hæc gemma, genuina eſt imago ſanctiſſimæ Trinitatis; in quo myſterio, tres Perſonas, §. 9. *In oxalo, gemma,*

veluti tres pulcherrimos colores ſpectamus, conſpexit Moyſes; & vidit patrem inſtar carbunculi in flammeo rubo. Exod. 3. v. 2. Vidit illam gemmam ex altera parte Iſaias c. 63. v. 2. vidit rubeam, *quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Joannes in Apocalypſi illam intuitus, vidit illam viridem inſtar Smaragdi. *Et iris in circuitu ſedis, ſimilis viſioni Smaragdinæ.* cap. 4. verſ. 3. Sicuti colores in una gemma ſunt diſtincti, ita tres perſonæ, in una Trinitate.

§ 10. *In roſa Hierochontina, & viola.* Fides Catholica intuetur myſterium ſanctiſſ. Trinitatis, veluti Roſam Jerochuntinam; ex cujus una radice tres exſurgunt culmi; & quivis in tres alios ramos dividitur, intuetur illud veluti violam trium foliorum, dictam vulgo, *violam ſanctiſſimæ Trinitatis:* tria ſunt folia, tres colores, in unico flore; ex quibus omnibus concludo; Unus itaque eſt Deus, & tres Perſonæ: per hæc ſimilia, in aliquam ſanctiſſimæ Trinitatis deducimur cognitionem. Fateor nihilominus, non immerito mihi objici poſſe ab aliquo veſtrum, quod olim diſcipulus aliquis dixit Magiſtro ſuo Epicteto; *Multa de Deo & præclare dixiſti, quod tamen ille ſit, hactenus ignoramus.* Sed reſpondebo cum eodem Epicteto: *Si omnino ego Deum declararem, vel ego Deus eſſem, vel ille Deus non foret.* Addam illud S. Auguſtini lib. ult. de Trinit. ubi poſtquam multa de incomprehenſibili illo myſterio ſcripſiſſet, ait. *Requiris à me, quomodo uno nomine tres appellantur? neſcio, & libenter me neſcire profiteor, quod Chriſtus Dominus voluit indicare, hoc ſolum ſcio, & in hoc Chriſtianus ſum, quia unum Deum in Trinitate confiteor, & credo.*

§ 11. *P. Foliani devotio erga hoc myſterium.* Propter hanc fidem, videor mihi ſentire motus, quos olim ſentire ſolebat, magnus quidam cultor ſanctiſſ. Trinitatis, P. Folianus è Soc. Jeſu, ſtabat in ardentiſſimis caloribus, irretortos oculos, veluti aquila in ardentiſſimum ſolem defigens, quod cum alii mirarentur, dicebat: *O! quam in ſole mihi placent hæc tria, Eſſe lucere, ardere!* in ſole ſcilicet ſanctiſſ. Trinitatem contemplabatur, O ſanctiſſima Trinitas! O ſol Majeſtatis infinitæ, ex hoc tamen infinito tria me potiſſimum rapiunt. *Eſſe, lucere, ardere!* Id eſt, Pater, Filius, & Spiritus S. O quam mihi placet eſſe, eſt Deus! & Pater eſt. Gloria Patri! eſt Deus, & Filius eſt! Gloria Filio!

Digitized by Google

Filio! Eſt Deus! & Spiritus Sanctus eſt! Gloria Spiritui S. O quam mihi placet ardere! Ardet pater, & generat. Gloria Genitori! ardet Filius, & generatur; Gloria genito. Ardet Spiritus S. & ab utroque procedit; gloria procedenti ab utroque. O quam mihi placet lucere, lucet Pater, lucet Filius, lucet Spiritus S. Quid mirum? Sol eſt! ſol unus! & triplex, ſol puriſſimus, ſol Juſtitiæ, ſol Majeſtatis. Ideo, omnipotens Pater! omnipotens Filius; omnipotens Spiritus S. & tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. (Hoc modo diſcurre per alia divina attributa.)

Age nunc, qualis debeat eſſe fides Catholica de myſterio ſanctiſſ. Trinitatis. Sane, non debet eſſe mortua, vel otioſa, ideo qui ſanctiſſ. Trinitatem credunt, eandem ardentiſſime deſiderant laudare, & magnificare, & ſuperexaltare. Modo clamant cum Seraphinis ex Iſaia, cap. 6. v. 13. *Sanctus, ſanctus, ſanctus*, modo concinunt cum choro militantis Eccleſiæ, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui S.* Vel, *Benedicamus Patrem, & Filium & Spiritum S.* Veriſſime quidem dixit Eccleſiaſticus cap. 43. v. 32. *Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, ſupervalebit, & admirabilis magnificentia ejus. Ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, ſicut eſt ab initio.* Veriſſima ſunt, quæ dixit S. Auguſtinus in ſolil. cap. 10. *Quis ego ſum, ut laudem te Domine Deus, qui inhabitas æternitatem? Nunquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam, aut vanitas veritatem? tu lux, ego tenebra, tu vita, ego mors, tu veritas, ego vanitas. Nunquid fœtor laudabit odorem? nunquid laudabit te miſeria mea, homo putredo, & filius hominis, vermis. Nunquid mortalitas hominis, quæ hodie eſt, & cras tollitur, laudabit te? homo in peccatis conceptus, natus, nutritus?* Veriſſima, inquam ſunt hæc omnia. §. 12. *Sanctiſſima Trinitas à nobis eſt laudanda.*

Nihilominus oblectatur ſanctiſſ. Trinitas, ſi ab his vermiculis laudetur. Ad hunc finem creatus eſt homo, ut Deum & ſanctiſſimam Trinitatem laudet, ut millies dicat, *Gloria Patri &c.* ut dicat cum S. Aug. ex ſolil. *O Trinitas, ſoli tibi integre nota! Trinitas ſancta, trinitas ſupermirabilis, & ſuperenarrabilis, ſuperincomprehenſibilis, exuperans omnem ſenſum, omnem rationem, omnem intelligen-* §. 13. *Oblectatur ſanctiſſ. Trinitas ſi illam laudemus.*

telligentiam, omnem eſſentiam ſupercœleſtium animorum, quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoſcere poſſibile eſt, etiam oculis Angelorum, quam neque Cherubim, perfecte agnoſcunt, neque Seraphim, ſed alis contemplationis velant facies, & clamant, ſanctus, ſanctus! O beatiſſima Trinitas; idem faciam, ego vermiculus terræ, talis ſum, ſed tam felix, & beatus, ut etiam in hoc ſtatu laudare poſſim ſanctiſſ. Trinitatem. Quod poſſum, hoc faciam, dies & noctes.

§.14. *Invitatio Auditorum ad laudem ſanctiſſ. Trinitatis.*

Tres pueri in fornace Babylonica, ardentiſſimis verbis ad hanc laudem invitarunt, omnes fere creaturas, cœlum, ſolem, lunam, ſtellas. Regius Pſaltes idem facit in plurimis & elegantiſſimis pſalmis. Seraphicus Franciſcus ad has laudes invitare ſolebat aviculas, S. Antonius de Padua, piſces, &c. Ego hodierna luce invito meos Auditores, & rogo, ut quia credunt ſanctiſſ. Trinitatem, eandem laudent, & magnificent. Ideo benigniſſimus Deus nobis dedit intellectum, ut per fidem illum credamus. Dedit nobis voluntatem, ut diligamus; dedit memoriam, ut tantorum myſteriorum, & beneficiorum ſimus memores; dedit oculos & manus, ut ad cœlum elevemus, dedit corpus, ut proſtrati in terram nos inclinemus, dedit os & linguam, ut benedicamus.

§.15. *Praxis laudandi SS. Tr. per triſagion Sanctus.*

Praxes occurrunt variæ. Fuere cultores hujus myſterii, qui de die, millies, & cum profundiſſima corporis reverentia, cum Seraphinis, per vivam fidem aſtantes throno ſanctiſſ. Trinitatis repetierunt cœleſte triſagion, *ſanctus, ſanctus, ſanctus,* hoc ſenſu ſanctus Pater in generatione, ſanctus Filius in filiatione, ſanctus Spiritus S. in ſpiratione! ſanctus Pater, in Creatione. Sanctus Filius in mundi Redemptione. Sanctus Spiritus S. in ſanctificatione. Sanctus Pater, in potentia; ſanctus Filius in ſapientia, ſanctus Spiritus S. in bonitate &c. Sanctus in cœlo, ſanctus in terris, ſanctus in gehenna. Sanctus, glorificans Angelos, juſtificans homines, puniens diabolos. Sanctus in Seraphim, ſanctus in Cherubim, ſanctus in Thronis, &c. Sanctus ab æterno, & nunc, & in ſæcula ſæculorum.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi devota, & ſuavis vobis placeat variatio, dicite frequenter in laudem ſanctiſſ. Trinitatis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.* hæc quoque verba ſunt plena myſteriis, & ſanctiſſimas ſuggerunt cogitationes, v g. Gloria Patri, creatori! Gloria Filio, Redemptori! Gloria Spiritui S. ſanctificatori. Gloria Patri, qui eſt à ſe. Gloria Filio, qui eſt à Patre; gloria Spiritui S. qui ab utroque procedit. Gloria Patri, tanquam ſoli æterno! gloria Filio, tanquam radio hujus ſolis; gloria Spiritui, hujus ſolis, hujus radii, ardori. Gloria Patri omnipotenti, gloria Filio ſapientiſſimo, gloria Spiritui S. benigniſſimo. Gloria Patri à Seraphinis, gloria Filio à Cherubinis, gloria Spiritui S. à Thronis; gloria à Dominationibus &c. Gloria Patri, ſic canunt Principatus; Gloria Filio! ſic jubilant Archangeli, gloria Spiritui S. ſic applaudunt Angelorum exercitus.

§. 16. Per verſiculum Eccleſiæ, Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.

Ferventes cultores ſanctiſſ. Trinitatis, toties ſubinde repetunt hæc verba, quot ſunt grana in Roſario, B. Virginis, & tum illud vocant, *Roſarium SS. Trinitatis,* in cujus commendationem hæc tantum inſinuo. Roſariolum hoc eſt inprimis, publica Profeſſio Catholicæ fidei, de hoc myſterio, contra omnes ejus hoſtes, ſive hæreſiarchas, qui illud oppugnarunt; hactenus in vanum; nec portæ inferi prævalebunt adverſus illud. 2. Continet exercitium & actus nobiliſſimarum virtutum, fidei, religionis, humilitatis, adorationis, ſpei, caritatis &c. 3. Eſt quoddam incitamentum devotionis, & lætitiæ. 4. Facit hoc Roſariolum, ut vita noſtra in terris, ſit æmulatrix vitæ, & officii Angelorum in cœlis. Facit, ut vita noſtra, ſit aſſidua Dei laus, gratiarum actionis, glorificationis, exultationis, &c. Agnovit hoc B. Ephrem, ſuaviſſimis verbis, quibus, licet fortaſſis alias uſus ſim, nihilominus, quia plena ſunt cœleſti quadam ſuavitate, iiſdem huic concioni finem imponam. *Beatus eſt, qui factus eſt, ſicut Cherubim, & Seraphim, & in divino ac ſpirituali officio, nunquam eſt ſegnis, ſed ſemper glorificat DEVM. Beatus qui in cella ſua, tanquam Angelus cœleſtis in Domino caſtas retinet cogitationes, ſuoque ore collandat eum, qui omnium ſpirituum habet poteſtatem.*

§. 17. Encomia roſarioli SS. Trinitatis.

Beatus, qui ſemper omni ſpirituali gaudio plenus eſt, coronabitur enim in gloria.

§.18. *Affectus animæ ad Triadem.* O anima mea, vide ut ſis ita beata, millies cogita, millies concine, *Benedicta ſit ſancta Trinitas.* O beata Trinitas, O centrum cordis mei, O amor amoris! da ut in ſpirituali hoc, atque divino officio, nunquam intepeſcam, ſit mea vox illa continua, *Gloria Patri &c.* Quis mihi det ardorem Seraphinorum, ut te amem, reverear, adorem, O ſanctiſſ. Trinitas! Beatus, qui ſemper ſpirituali gaudio plenus eſt. Tu! tu es illud nectar, illa voluptas, illæ deliciæ. tu omnis gaudii Oceanus, O ſancta, amabilis, veneranda Trinitas.

CONCIO XXX.

DOMINICA I. POST SS. TRINITATEM.

Epulabatur quotidie ſplendide.
Luc.16.c.v 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Continuatio materiæ de dulcedine Cœnæ Euchariſtiæ, ejuſdemque favoribus.

§.1. *Exordium, ex vocula* epulabatur.
§.2. *Propoſitio.*
§.3. *Euchariſtia, Pomum ſolis & Luna Ex Deuter.c.33.*
§.4. *Opponitur pomo Evæ.*
§.5. *Sartago, ſimila, & oleum, applicantur SS. Euchariſtiæ. ex c.2. Levitici.*
§.6. *De deliciis hujus ſimila cœleſtis.*
§.7. *Declaratur in ſimili, à matre cibum frangente infanti.*
§.8. *S Bernardus, S. Thomas Aq. & alii, participes hujus dulcedinis.*
§.9. *Mellea verba B. Henrici Suſonis.*

§.10. *Ut*

§.10. *Vt infantes ad ubera, ſic pii anhelant ad Euchariſtiam.*
§.11. *Nullibi major dulcedo, quam inter ubera Euchariſtica.*
§.12. *Lætitia Euchariſtica dulcedinis, à Prophetis & SS. Patribus varie adumbrata.*
§.13. *Davidis de hac lætitia ſententia.*
§.14. *Item ſponſa.*
§.15. *Elegans Parænefis S. Ambroſii.*
§.16. *Favores Euchariſtici, exhibiti B. Stanislao, & aliis.*
§.17. *Viſio mire affectuoſa de Euchariſtia.*
§.18. *Epilogus, cum affectu animæ amantis Euchariſticam dulcedinem.*

MEminiſtiſne Auditores, meæ concionis, quam ad vos dixi, die Jovis præterita, feſto corporis Chriſti? Unica vocula, ex Evangelio hodierno, me illius facit memorem; *Epulabatur.* Certe ego per hanc ſanctiſſimam, & lætiſſimam Octavam, vos quoque cuperem epulari ſplendide, & delicate, non in menſis & conviviis hujus mundi, à quibus impii à morte rapiuntur ad ſepulchrum, in quo ſepeliuntur in æternis flammis, ſed cur ego hodierna Dominica facio mentionem inferni, cum alias dixerim, infra Octavam corporis Chriſti, nihil mihi eſſe negotii, cum divite epulone, nihil cum ejus vitiis, nihil cum ignibus tartari? eadem mihi etiamnum mens eſt; libentius hodie ago de menſa & epulo Euchariſtico, in quo animæ piæ epulantur ſplendide, quam de inferno, in quo infelix epulo, æternam patitur famem, & terribili ſiti cruciatur: ſed redeo ad initium mei exordii, Meminiſtiſne Auditores concionis meæ ultimæ? ergo, in animis veſtris ſine dubio adhuc hærent ſpecies illorum favorum, quibus bonus Jeſus in Euchariſtia, variis oſtendit, gratum ſibi eſſe, ut illum ſub adorandis illis ſpeciebus ſanctiſſ. Hoſtiæ colamus & veneremur. Oſtendit hoc radiis, quos ſæpius ex Hoſtia in amatorum ſuorum corda evibravit; oſtendit accenſis facibus, quibus illa inflammavit; oſtendit amplexibus & oſculis, quibus multos fuit dignatus. oſtendit mirabili, ſed viſibili unione, qua cor ſuum univit, cum cordibus ſe amantium. Oſtendit torrente gratiarum & deliciarum, quibus ſe totum effundit & diffundit in ſuos amatores. *§.1. Exordium, ex vocula Evang. Epulabatur*

Digitized by Google

§.2. *Propoſitio.* Tam verò mihi videor vos audire dicentes; Equidem de hiſce favoribus audivimus te diſſerentem, erit crambe bis cocta, fateor, neque enim negare poſſum, cum ultima mea concio hac ſuper re fuerit inſtituta, at verò intra anguſtum horæ ſpatium, tanti & tam dulcis myſterii magnitudinem concludere non potui, quare cœptam proſequar materiam, iterumque oſtendam, cœnam eſſe vel ferculum longe ſuaviſſimum, Euchariſtiam. Tum aliquos iterum illam amantium favores ſubjungam. Venite ad cœnam, vel animis ſaltem adeſte, quicunque veras ac ſolidas cœli delicias conſectamini.

§.3. *Euchariſtia pomum ſolis & lunæ. Ex Deuter. c. 33.* Benedictio Moyſis ſuper tribum Joſeph Deuter. cap. 33. v. 1. ſic habet; *Comedat de pomu fructuum ſolis & lunæ*, quibus verbis ad literam Moyſes id optat, ut fructus terræ venturæ in ſortem illius tribus, proveniant copioſi; & ut luna ſuis influxibus illis det incrementum, & ut ſol ſuo calore & radiis, illis afferat maturitatem. Rupertus in cit. caput, ſecundum allegoriam hæc intelligit de verbo incarnato, & Chriſto Domino in Euchariſtia; ipſe enim eſt ſuaviſſimum pomum ſolis & lunæ, hoc modo: *Nam iſte benedictionis filius*, inquit Rupertus, *non de ſole tantum, neque de luna ſola, id eſt, non ex divina tantum, neque de ſola humana, ſed de utraque Deus & Homo, unus, idemque conſiſtit, natura; & de ſole quidem, id eſt de natura divina immutabilis atque impaſſibilis erat; de luna verò, id eſt, de humana natura, infirmitatibus noſtris paſſibiliter ſubjacebat.* Diviniſſimum ſane pomum, pomum ſolis & lunæ, divinitate conſtans & humanitate; fructus æterni Patris ab æterno, veluti ſolis; & in tempore, Mariæ Virginis, veluti Lunæ: pomum tantæ ſuavitatis, ut qui illo veſcitur, epuletur profecto ſplendide, quia cum illo pomo comedimus, ut ita loquar, beatitudinem, & vitam æternam.

§.4. *Opponitur pomo Evæ.* Fatale in paradiſo pomum, oculis Evæ fuit viſu pulchrum, & guſtu ſuave; ſed cum illo, & in illo comedit virus, & mortem, hoc pomum ſolis & lunæ, ſive, cibus Euchariſticus in ſe continet vitam, omnem pulchritudinem, & guſtum atque ſaporem omnis ſuavitatis; *qui manducaverit, vivet in æternum.* Comedite hoc pomum Auditores, & epulabimini ſplendide.

Imple-

Implevit Chriſtus D. in inſtitutione Euchariſtiæ, pulcherrimam figuram vel cæremoniam illius ſacrificii, cujus fit mentio Levitici 2. cap. v. 4. *Si oblatio tua fuerit de ſartagine, ſimilæ conſperſæ oleo, & absque fermento divides eam minutatim, & fundes ſuper eam oleum.* Quid ſibi vult ſartago? quid ſimila? quid oleum? Iſichius ſuper cit. locum, intelligit per ſartaginem ſanctiſſ. Crucem: per ſimilam, corpus Chriſti in Euchariſtia, ſed, quid huic ſacramento cum ſartagine? reſpondet; quia eodem modo, quo ſartago inſtrumentum eſt, quod igne calefactum, cibum coquit, ac diſponit, ut poſſit edi. ita & crux Domini fuit ſartago, quæ duplici paſſionis & dilectionis igne calefacta, ita Chriſti D. carnem præparavit, ut eam in ſanctiſſ Euchariſtia reddiderit manducabilem. Iſichium audite. *Crux quoque ſuper omnia fortis, omnem creaturam Chriſto ſubjecit, & carnem ejus, quæ ante Paſſionem eſui non videbatur apta, poſt aptam fecit.* Antequam calefacta fuit ſartago crucis, ut carnem Chriſti, quaſi coqueret, & in cibum præpararet, nemo voluit, vel potuit ex illa guſtare: nam cum aliquando Chriſtus D. ſuæ carnis, tanquam cibi faceret mentionem, ita inauditum & durum, atque novum, hoc illis fuit viſum, ut dixerint circumſtantes, *quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum*, Joan. 6. v. 53. nec mirum, cruda enim caro, crucis ſartaginem necdum experta, non poterat eſui eſſe apta, ubi in cruce fuit cocta, & igneas amoris atque doloris flammas ſenſit; O quam bene cocta, quam bene diſpoſita, exiſtit ad eſcam! quod illi experiuntur, qui illam manducant. Simila quoque eſt ſanctiſſ. Euchariſtia, plena ſuperfuſo oleo miræ ſuavitatis; quam qui guſtant, epulantur ſplendide, & ſuaviter, vel ut loquitur S. Bern. *Deliciantur in pane iſto.* Ideo

§. 5. Sartago, ſimila, & oleum applicantur Euchariſtiæ, ex Levit. c. 2.

Summæ deliciæ virorum ſanctorum, & ſumma ſuavitas fuit, guſtare dulciſſimum hoc oleum, ſuaviſſimæ hujus ſimilæ; ut & ſedula cura, per dignam ejus manducationem, & per ardentem amorem, atque cultum erga diviniſſimum hoc ſacramentum, tantarum deliciarum ſe ſe redderent participes, atque capaces; ſolet enim Chriſtus Dom. pro infinita ſua libe-

§. 6. De deliciis hujus cœleſtis ſimilæ.

Digitized by Google

ralitate, hunc amorem cœleſtibus deliciis & favoribus compenſate. Phraſis ſcripturæ hæc eſt, Geneſis 49. v. 20. *Pinguis eſt panis ejus* (idem dicendum de ſimila aſperſa oleo pretioſi ſanguinis, & cocta in ſartagine crucis) *& præbet delicias.* In Euchariſtia, nulla eſt amaritudo, ſed omnis ſuavitas; & omne delectamentum in ſe habet. Rupertus in illa verba Cant. 2. v. 3. *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Quis veſtrum neſcit, quam ſit fructus ejus dulcis? expellit enim à nobis amaritudinem mortis, & vitæ æternæ dulcedinem indit.* Voculam hanc Rupertus ſumpſit ex pſ. 67. verſ. 11. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Quid paravit? *carnem ſuam in cibum, ſanguinem in potum.* Et quomodo? *In dulcedine, & admirabili ſuavitate, in deliciis, vel uſque ad delicias!* quas Sanct. Auguſtinus pulcherrimo explicat ſimili.

§. 7. *Declaratur in ſimili, à Matre, cibum frangente infanti.*

Matris officium eſt, parvulo cibum frangere, ac tenerum mandendo facere, eique concoctum, (inquit S. Aug. in pſ. 33.) *in lacte porrigere: quod manducat mater, hoc manducat infans, ſed quia minus idoneus eſt infans, qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, ut per humilitatem* (& ſuavitatem) *mamillæ, & lactis ſuccum, de ipſo pane, paſcit infantem ſuaviter, delicate! Cibum permutat in lac.* Talis mater, talis nutrix, in Euchariſtia eſt Chriſtus D. In Euchariſtiæ inſtitutione, incarnavit panem, incarnavit ſanguinem, incarnavit corpus ſuum, animam & divinitatem, omnia permutavit in lac, ut omnia illa nobis ſint dulciſſimus potus & cibus. Se totum quaſi permutavit in melleum nectar, quo ſuaviter & delicate, quaſi à dulciſſima matre, lactamur & nutrimur.

§. 8. *Dulcedinem hanc fuerunt experti S. Bern. S. Thomas.*

Id fuit expertus S. Bernardus, cum cecinit in ſuo Jubilo;

Qui te guſtant, eſuriunt,
Qui bibunt adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt,
Niſi Ieſum, quem diligunt. Tum ſubdit.
Ieſu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum! Et ad illum anhelans ſuſpirat,

Deſidero

Digitized by Google

Deſidero te millies!
Mi Ieſu quando venies,
Me lætum quando facies,
Me de te quando ſaties!

S. Thomas Aquinas dicere ſolebat; *Delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, ſuavitas mea, cibus meus, refectio mea, portio mea, theſaurus meus, quando venies ad me in Euchariſtia?* Item, *Transfige dulciſſime Domine Ieſu, medullas & viſcera animæ meæ, ſuaviſſimo amoris tui vulnere.* Paſſim in vitis ſanctorum occurrunt talia deſideria. Cauſam advertit S. Gregorius hom. 36. in Evang. *Augent enim* (inquit) *ſpirituales deliciæ appetitum in mente, dum ſatiant, quia quanto magis earum ſapor percipitur, eo amplius cognoſcitur, quod ametur.* Proinde Pſalmiſta nos admonet pſ. 33. v. 9. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* q. d. ſuavitatem ejus non cognoſcetis, ſi non guſtetis Euchariſtiam. Cibum vitæ, palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem, amare valeatis.

Quæ eſuries, cum accenſis deſideriis ad guſtandam ſuavitatem Euchariſtiæ, optima ad eandem eſt diſpoſitio, & præparatio, quod divina ſapientia docuit D. Henricum Suſonem, prout ipſe refert, in dialogo c. 23. *Spiritualis, inquit, eſuries, & præſens, ſive actualis, ut vocant, devotio, potius te, ad me percipiendum, quam ſola conſuetudo movebunt. Anima in cœleſti abſtractæ vitæ domicilio, vel incluſorio, intime ſentire, ac dulciter perfrui me cupiens, vitiis oportet, ut ſit ante nudata, ac ſpoliata, ornata virtutibus, libera ab occupationibus ſupervacaneis, roſis purpureis fragrantiſſimæ caritatis conſita, ſuave fragrantibus humilis ſubjectionis, violis, & albicantibus inviolatæ puritatis ac caſtimoniæ liliis ſtipata, lectulum mihi vel thalamum efficiat, in vera cordis pace: ſiquidem in pace factus eſt locus ejus. Suis me ſtringat ulnis, omnem excludendo amorem alienum & extraneum. Cantet mihi cantica Sion, id eſt, ardentiſſimi amoris, cum attentiſſima cum devotiſſima laude. Tum verò ipſe quoque viciſſim amplexabor illam, & meo innixam pectori, tranquillam faciam experiri requiem, inexpertam fruitionem, quandam ſempiternæ ſuavitatis deguſtationem, & perennis beatitudinis experimentum.* Quæ quidem ipſa, ſoli ſibi ſervare.

§ 9. *Mellea verba B. Henrici Suſonis.*

ſervare debebit, dicens cum Propheta, *ſecretum meum mihi.* Alieni enim iſta non ſentiunt, nec percipiunt. Dicit ergo, cum intimo cordis ſuſpirio, vere tu es Deus abſconditus, tu es bonum illud occultum, quod nemo novit, niſi qui accipit. Vere tu es mel, & manna, & nectar.

§.10. *Vt infantes ad ubera, ſic pii ad Euchariſtiam anhelant.*

Infantibus comparantur adhuc ſugentibus, qui hoc cœleſti convivio fruuntur. Unde Apoſtolus fideles ad Euchariſtiam hortatus; *ſicut modo geniti infantes, inquit, rationabiles ſine dolo, lac concupiſcite.* 1. Petri 2. cap. v. 2. Et propheta has epulas in Eccleſia futuras, prævidens ac prædicens ait Iſaiæ 66. cap. v. 11. *Gaudete, inquit, ut ſugatis, & repleamini ab ubere conſolationis ejus. ad ubera portabimini.* mox ab illis pendentes, ſibi & matri applaudunt, *Exultabimus, & delectabimur in te, memores uberum tuorum.* Cant. 1. cap. v. 3. Hinc ſæpius ſancti Patres, per metaphoras à lactentibus infantibus deſumptas, convivium Euchariſticum declarant. D. Auguſt. tr. 3. in 1. ep. Joannis. *Lac noſtrum Chriſtus eſt.* Clemens Alexand. l. 1. pædag. c. 6. de Chriſto locutus. *Ipſe*, ait, *qui eſt dilectus, & altor noſter, effudit pro nobis ſuum ſanguinem, per quem qui in Deum credidimus, ad mamillam Patris, nempe verbum confugimus. Vere beati, qui hanc lactant mamillam.* D. Chryſoſt. hom. 61. ad pop. inducens Chriſtum, tanquam matrem filios ſuos alloquentem, *Parentes quidem*, inquit, *aliis ſæpe filios tradunt alendos, ego autem, non ita, ſed carnibus meis alo, me ipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens.* Ob eandem cauſam divini amoris teneritudo & ſuavitas nutricis, vel nomine, vel munere, ſæpius in ſcriptura exponitur. Oſeæ 11. cap. v. 3. *Ego quaſi nutritius Ephraim.* Deuter. 1. c. v. 31. *Portavit te Dominus Deus tuus, ut ſolet homo geſtare parvulum filium ſuum.* Et paſſim alibi.

§.11. *Nullibi major dulcedo, quam inter ubera Euchariſtica.*

Viciſſim Eccleſiæ in Chriſtum D. amor, non alio typo melius, quam matris lactentis indicatur. *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ.* Cant. 8. c. v. 1. quaſi nullum habere poſſet majoris caritatis hoſpitium, quam quod inter lactentia matris ubera reperiret. Neque nos ullibi majorem, dulcedinem, ſuavitatem, ſolatium majus inveniemus, quam inter ubera Euchariſtica Chriſti Salvatoris noſtri; ut bene monuerit D.

Chryſoſt.

Digitized by Google

Chryſoſt.hom.60. ad pop. *Nonne videtis quanta promptitudine parvuli, papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt. Accedamus cum tanta nos quoque ad hanc menſam, & ubera poculi ſpiritualis, quia imo cum longe majori, trahamus, tanquam infantes lactanei, ſpiritus gratiam, & unus ſit nobis dolor, hac eſca privari.*

Eadem Euchariſtiæ ſuavitas alias in ſacris literis explicatur per voculam, *lætitiæ*. Ita ait Eccleſ.c.9. v.7. *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum, quia placent Deo opera tua.* Quem locum D. Cyrillus Hieroſ. in 4. cat. myſtag. de Euchariſtico convivio interpretatur. *Nam conſcientia à peccatorum ſordibus expiata, quid ſupereſt, niſi ut Euchariſticæ dapes, magna cum lætitia, & gaudio percipiamus.* In eundem ſenſum olim Nehemias & Eſdras, populum ad divinæ legis obſervantiam, excitatum, protinus ad læta & feſtina convivia invitarunt, l.2. Eſdræ cap.8. v.10. *Ite*, inquiunt, *& comedite pinguia, & bibite mulſum, quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari, gaudium enim Domini eſt fortitudo noſtra.* Ubi Lyranus in expoſitione morali. *Per iſtam refectionem, poteſt Euchariſtiæ ſumptio deſignari, quæ in diebus ſolennibus potiſſimum aſſumenda, ut in illis gaudium noſtrum, lætitia noſtra ſit, cibus noſter.* Ad eandem lætitiam filios futuræ Eccleſiæ invitavit Joel. 2. v.23. *Filiæ Sion! exultate & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem Iuſtitiæ.* Septuaginta tranſtulerunt. *Quia dedit vobis eſcam Iuſtitiæ.* Quid enim eſt, unde major lætitia, quam ex hoc divino convivio, hauriatur. *§.12. Lætitia, Euchariſticæ dulcedinis, à Prophetis, & SS. Patribus vario adumbrata.*

Pari ratione David hanc ex ſacra Euchariſtia lætitiam, in eos qui digne accederent, refundendam animo prævidit, & ore frequenter decantavit. Pſ.4. v.7. *Dediſti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, & vini*, ubi D. Ambroſius. *Data eſt lætitia in corde noſtro, ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in ſanguine.* Adverte; in aliis conviviis foris tantum aliquam lætitiam circumfundi, in hoc autem intro infundi; illic os, hic verò cor potiſſimum exultat, & lætatur. Rurſum, cum futuram communicantium lætitiam prævideret, pſ.41. v.5. *Tranſibo*, inquit, *in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei, in voce exultationis, & confeſſione epulantis.* Pſ.67, v.4. Hanc in nova Eccleſia feli- *§.13. Davidis de hac lætitia ſententia.*

Digitized by Google

citatem, omnibus fidelibus ita gratulatur. *Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Domini, & delectentur in lætitia.* Hac igitur in menſa epulantur juſti pariter, & lætantur: & quidem tam effuſo gaudio, ut dicat S. Paulus, 1. Corinth. 5. v. 8. *Epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis*, textus Græcus ſic habeat, *ſaltemus, tripudiemus*, præ gaudio, dulcedine, & nimia lætitia.

§. 14. *...num ſponſa.* Quam experta ſponſa dixit Cant. 7. verſ. 9. *Guttur tuum, ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad guſtandum, labiisque ac dentibus illius ruminandum.* Philo Carpathius, gutturis nomine intelligit id, quod guſtatur, cibum ſcilicet ac potum non vulgarem, ſed ſacramentalem, corpus & ſanguinem Chriſti quaſi diceret ſponſa; Potus tuus O ſponſe, eſt ſanguis tuus, ſicut vinum optimum, ſuaviſſimus potus, ad bibendum dilectæ tuæ.

§ 15. *Elegans Paraneſis S. Ambroſii.* Super verſum 35. cap. 6. S. Joannis dixit S. Ambroſius ſer. 18. in pſ. *Accedite ad eum, & ſatiamini, quia panis eſt. Accedite ad eum, & potate, quia fons eſt. Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux eſt. Accedite ad eum, & abſolvimini, quia remiſſio peccatorum eſt.* In materia præſenti ſic dicamus, accedite ad eum, & guſtate, quia ſuavis eſt. Accedite ad eum, & gaudete, quia gaudium noſtrum eſt. Accedite ad eum, & ſugite ubera ejus, quia lac eſt, quia mel eſt, favus & nectar. Accedite ad eum, & lætamini quia eſt lætitia cordis noſtri. Adeſte ad eum famelici, & comedite, quia panis eſt: accedite ad eum ſitibundi, & bibite, quia fons eſt, & puteus aquarum viventium, fons eſt ſaliens in vitam æternam. Venite, haurite aquas cum gaudio de fonte Salvatoris. Fons eſt, ſimus Narciſſi, & in hoc animi noſtri ſpeciem contemplemur; fons eſt! O quam gratus hujus mundi viatoribus. Adeſte cœci! lux oritur vobis, pellentur tenebræ; Sol Juſtitiæ, reſplendet clarius, irradiat ſerenius. Denique adeſte mortales omnes, ſummi, imi, nobiles, ignobiles, plebei & Domini, divites & inopes, venite, accedite, comedite, bibite, & inebriamini chariſſimi.

§. 16. *Favores Euchariſti-* Suavitates Euchariſticas, puto peculiariter expertos eſſe, quibus Chriſtus Dominus in Euchariſtia extraordinarios plane exhibuit favores. v. g. cum Beat. Stanislao, intercedente Beat. Barbara,

bara, duo Angeli, eadem Virgine illos ſtipante, in morbo attu- *ci, exhibiti B. Stanislao & aliis.*
lere ſacroſ. Hoſtiam poſt cujus devotam ſumptionem Beatiſſima
Virgo Maria Jeſulum Parvulum, in ægri lectulum, ad amplexus,
ad oſcula, ad amoris affectus depoſuit. P. Alphonſus Eſquem,
piiſſimus Religioſus, cultui ſacroſ. Euchariſtiæ addictiſſimus, ſpe-
ctavit intellectuali ſpecie, vel viſione, ut ajunt, à Dei matre in
communione, ſibi porrigi cor Jeſu, ad veſcendum, & in os por-
rigi, cum ſuaviſſima cordis ſui hilaritate. Suavitatem Euchari-
ſticam ſenſit ille, qui in divinæ ſynaxis uſu, nunc bellaria guſta-
vit, nunc lacte paſtus fuit, nunc roſeo odore recreatus. Et ille,
qui vidit in æde Lauretana cum ſacroſ. Hoſtia, ſibi porrigi pul-
cherrimas roſas, plenas melle cœleſtis cujuſdam dulcedinis. Pe-
trus Baſtus Coadjutor è Soc. Jeſu, cum à Deipara in ſacro peteret
conſervari ſibi florem ſuæ Virginitat. vidit ex Hoſtia, ſub tremen-
do ſacrificio elevata, candidum lilium exſurgere, quod ſe velut in
eum protendere videbatur. Et quo putatis animi jubilo?

§. 17. *Viſio mire affectuoſa.*

Cum magnus cultor Venerabilis Sacramenti, coram illo gem-
mis pretioſiſſime ornato, oraret, ut ſuas lachrymas bonus Jeſus, in-
ſtar ornamenti accipere dignaretur, vidit SS. Hoſtiam per ſemi-
horæ ſpatium, cryſtallino quodam ſplendore circumdatam, cum
divina Hoſtia à ſacerdote elevaretur, vidit illam ad cœlum uſque
porrectam, in qua veluti throno ſanctiſſ. Trinitas ſe collocavit. P.
Evangeliſta de Gattis, in divino ſacramento ſumẽdo, cœleſti odo-
re ac ſuavitate, ſibi nares, & os perfundi ſentiebat: feliciſſimus fuit,
cum aliquo cœleſti lumine irradiatus, SS. Hoſtiam aſpexit, & ſi-
mul in illa, veluti Libro Vitæ nomen ſuum deſcriptum legit: quo
putatis ſolatio? Hic eſt infinitus amor Jeſu in Euch. ut ſuos amato-
res & cultores variis favoribus & modis, cœleſti repleat dulcedine.

§. 18. *Epilogus, cum affectu animæ amantis, Euchariſtia dulcedinem.*

O mi Jeſu! in te enim conquieſcet mea dictio. O mi Jeſu!
cum tam ſis dulcis animæ cibus, quis te non deſideret, amet, eſu-
riat? Euge anima mea, poſthac ſola ſalus tua Jeſus ſit; ſed Je-
ſus in Euchariſtia! Jam ſcio, quid ſit vera & ſolida lætitia. Tu, tu mi JESU es! tu latens in ſacroſancta Hoſtia
DEUS! Jam ſcio ad quæ mihi ubera ſit confugiendum; nam cum infans ſim, ubera divinæ miſericordiæ, mihi

 patent

Digitized by Google

patent in SS. Euchariſtia. Salve mi Jeſu! ſalve amor meus, fructus meus, pomum meum, panis meus, dulcedo mea, refugium meum, cibus meus, potus meus, fons meus, lux mea, Rex meus, Verbo: Salve Jeſu, Deus meus & omnia; etiam in terris, præſertim in ſanctiſſ. Euchariſtia, cui ſit honor & gloria, in ſæcula.

CONCIO XXXI.

DOMINICA II. POST SS. TRINITATEM.

Homo quidam fecit cænam magnam.

Luc. 14. c. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ITerum de ſanctiſſima Euchariſtia, ſive de Cœna magna ſermo eſt.

§. 1. *Quid per cænam magnam vulgo intelligatur.*

§. 2. *Quo ſenſu Chriſtus D. ter pro nobis voluerit mori.*

§. 3. *Prima mors in figuris, ante incarnationem.*

§. 4. *Declaratur in ſimili.*

§. 5. *Altera Chriſti mors realis, & tertia ſacramentalis.*

§. 6. *In ſacrificio Miſſæ Eccleſiæ ſponſa celebrat exequias ſponſi.*

§. 7. *In Euchariſtia manducamus & bibimus Paſſionem & mortem Chriſti. Quo ſenſu?*

§. 8. *Comparatio amoris divini in ſanctiſſ. Euchariſtia cum medico.*

§. 9. *SS. Euchariſtia eſt viaticum morientium.*

§. 10. *Affectus fidei circa Euchariſtiam in moribundo.*

§. 11. *Elias, typus Chriſti D. in Euchariſtia.*

§. 12. *Chriſtus Dominus in Euchariſtia præbibit noſtra ſaluti.*

§. 13. *Epilogus, cum Parœneſi ad hanc cænam.*

In meis

Digitized by Google

IN meis concionibus hodiernæ Dominicæ, ſuper parabolam, vel hiſtoriam de cœna magna, per illam cum SS. PP. intelligere ſoleo, vel ad literam, cœleſtem gloriam, vel in ſenſu morali, SS. Euchariſtiam. Innumeras cauſas, ob quas Euchariſtia, ſive caro & ſanguis Chriſti, per modum cibi & potus juxta verba Chriſti D. Joan 6. v. 56. *Caro mea, verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus:* ſit cœna magna alibi ſæpius refeo: ante octiduum vocavi Euchariſtiam, menſam ſuavem, plenam cœleſtibus favoribus, ob eandem ſuavitatem & dulcedinem jure merito poteſt dici magna: magnam præterea faciunt diverſiſſima & pretioſiſſima fercula, quæ in illa cœna nobis proponuntur. Ferculum v.g. gratiæ, ſpei, puritatis, caſtitatis, amoris, & admirabilis unionis; illam cœnam! cujus cibus & potus nos implet gratia, auget ſpem noſtram, accendit caritatem, dat nobis pignus futuræ gloriæ; lavat, mundat, & transformat nos in Chriſtum, facit ut ille in nobis vivat; illam cœnam, in qua Chriſtus D. nobis ſummum exhibet amorem, & infinitam liberalitatem, in qua tam mirabili modo illi unimur, non tantum per fidem, ſpem, & charitatem, ſed corporaliter, ut manducemus carnem & corpus Domini, ut bibamus ejus ſanguinem; an non talem cœnam poſſumus appellare magnam? Appellabitis adhuc magis, poſtquam hac concione alia cœnæ ejuſdem fercula vobis propoſuero, ſive, cum oſtendero, SS. Euchariſtiam eſſe ferculum Paſſionis & mortis Chriſti, id eſt, cibum & potum, per cujus communionem, & ſumptionem recolimus memoriam Paſſionis & mortis ejus. Ex quo ſequitur, eandem ſacroſ. Euchariſtiam eſſe cibum morientium, quo in ſupremo agone confortantur ad ſupremam luctam, & ad ſanctam mortem diſponuntur. Cum hodierna Dominica ſit dies menſtruæ congregationis agoniæ, ſpero fore, ut quæ de materia tam affectuoſa, dicturus ſum, benevole & attente audiatis. §. 1. *Quid per cœnam magnam intelligatur.*

S. Bernhardus in contemplatione divini amoris erga genus humanum, tr. de dilig. Deo cap. 1. ita tandem exclamavit. *At verò, qui me tantum ſemel dicendo,* (verbulum fiat, vel faciamus) *fecit, in reficiendo, profectò & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura.* Inter illa doctiſſimo Patri Claudio à Jeſu Carmel. diſert. hoc §. 2. *Quo ſenſu Chriſtus D. ter pro nobis voluerit mori.*

 fuit

Digitized by Google

ſuit viſum dignum admiratione, quod Chriſtus D. ex infinito erga hominem amore, ter in noſtri gratiam voluerit mortem oppetere. Non horreant aures veſtræ ad hunc modum loquendi, loquar clarius, 1. Mortuus eſt Chriſtus antequam moreretur. 2. Mortuus eſt, moriendo in cruce. 3. Moritur quotidie in ſacrificio Miſſæ. Omnia hæc, præcipue primum & tertium punctum clarius ſunt explicanda.

§. 1. *Prima mors in figuris, ante incarnationem.*

Quoad primum, S. Joannes in Apocalypſi cap. 13. verſ. 8. ait ſe vidiſſe Agnum, *qui occiſus eſt ab origine mundi.* Cum verbum Dei adhuc verſaretur in ſinu & utero Patris, cum adhuc habitaret, in luce inacceſſibili; diu antequam aſſumpſiſſet humanam naturam, tamen ab origine mundi, admirabili modo voluit mori, id eſt, variis modis repræſentari, mortem in cruce futuram, pro genere humano. Ita enim ejus erga nos exarſit amor, & deſiderium aliquando in cruce moriendi, ut cum realem mortem ab initio mundi ſubire non poſſet; tamen mori voluerit, in certis ſimulacris, figuris & umbris; Itaque agnus, quem Abel immolavit in altari, omnia deinde animalia, boves, vaccæ, vituli, oves, arietes, volucres &c. in lege naturæ, & in lege Moyſis in diverſiſſimis ſacrificiis, cum diverſiſſimis ritibus & circumſtantiis Deo Opt. Maximo oblata, immolata, combuſta; à prima mundi origine, uſque ad actualem mortem Chriſti in cruce, fuerunt effigies, & figuræ, in quibus Chriſtus D. ſuo modo voluit mori, antequam realiter in cruce ſanguinem funderet, & vitam ſuam daret. Vel ut clarius loquar, & ante dixi, ab initio mundi voluit ſuam mortem, quaſi in theatro aliquo ſcenico, repræſentari; cum quodam SS. Trinitatis oblectamento. Antequam Filius Dei è ſinu Patris in terras deſcendit, ut fieret homo, *voluit prius exercitio patientiæ* (ita loquitur Tertullianus) *quaſi ſignari*; videns enim ſe in tot victimis, quaſi imaginibus jugulari mira voluptate delibutus, incredibiliter fuit impinguatus, ut cum poſtea in plenitudine temporis ad Calvariæ duceretur lanienam, pinguior victima offerretur, ſaginari voluptate patientiæ, diſceſſurus voluit. Quaſi tanta illi fuerit jucunditas, aliquando velle mori in cruce, ut impatiens ferre ejus dilationem, ſaltem in certis ſimulacris ab origine

Digitized by Google

origine mundi, mori voluerit. Pulchrum ſimile, hunc diſcurſum eleganter illuſtrabit.

Princeps ſuperbam regii ædificii molem erecturus, vel magnificum templum; aut regium hortum & palatium, prius in arena, vel charta prima jacit lineamenta &c. & hoc cum ingenti voluptate, animique recreatione; pari ratione Chriſtus Dominus volens aliquando in monte Calvariæ acerbam & funeſtam ſubire mortem; longe ante ab initio mundi, à prima oblatione Agni Abelis, ab ejus morte, & innocentiſſimi ſanguinis effuſione, delectatus fuit, ejuſdem mortis aliquas ducere lineas; quot enim hoſtiæ, quot victimæ, ardentibus flammis, tot ſæculis fuerunt oblatæ, tot ducta fuerunt lineamenta ſuæ mortis; tot depictæ effigies, atque ſimulachra, in quibus repræſentative fuit mortuus; ut agnoſcat homo, tanta eum dilectionis arſiſſe flamma, ut non potens exſpectare mortem in Calvaria decretam, illam longe ante ſubire fuerit delectatus. Inſinuo hic tantum, alibi deduco, plurimas quoque ab initio mundi præceſſiſſe figuras, inſtituendæ aliquando Euchariſtiæ, quibus Deus tanto myſterio voluit quaſi præludere. § 4. *Declaratur in ſimili.*

Mortuus deinde eſt in tempore, realiter in cruce, ex infinito amore, & ante per annos triginta tres, mira geſſit, & pertulit, ut hominem in libertatem aſſereret, ſed iis modo non vacat immorari. Placuit abundantiæ illius amoris addere tertium genus mortis, ut Filius Dei poſt mortem, iterum moriatur, quotidie uſque ad conſummationem ſæculi, quod accidit in Euchariſtia, in qua myſticam & incruentam patitur mortem: quod me docet ingenioſus Rupertus lib. 6. de div. off. cap. 22. *Dominus noſter, non tunc ſolum, vel tunc primum immolatus eſt, quando à Judæis in cruce ſuſpenſus eſt, ſed & pridie quam pateretur, quando accipiens panem, & calicem, benedixit, & dedit diſcipulis ſuis dicens, hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, ſuis manibus immolatus eſt, ſuis ipſe manibus, nobis, ut jugiter immoletur, Agnus commendatus eſt.* § 5. *Altera mors realis, & tertia, ſacramentalis.*

Itaque quotieſcunque ſacerdos rite ſuper aptam materiam, verba conſecrationis profert, quia carnem ſeparat à ſanguine, & § 6. *In SS. Miſſæ Eccleſiæ*

contra

veluti ſponſa celebrat exequias ſponſi.

contra; toties Filius Dei mortem myſticam patitur; ſive repræſentantur incruento modo ad vivum illa, quæ cruente contigerunt in morte Chriſti, ut auguſtiſſimum ſacramentum altaris non ſit aliud, quam funus, ſive exequiæ, quibus ſponſa Eccleſia, memoriam & commemorationem facit ejus Paſſionis & mortis. Ut benedixerit Paſchaſius lib. de corp. & ſang. Dom. cap. 11. *Nihil deeſt in hoc ſacramento ad commemorationem Paſſionis, quod tunc extitit in cruce, in conſummationem* noſtræ Redemptionis.

§.7. *In Euchariſtia manducamus Paſſionem, & mortem Chriſti. Quo ſenſu.*

Quid proinde, in cœna hac magna, vos comedere putatis Auditores? Vulnera, clavos, verbera, lanceam, ſpineam coronam &c. quaſi comeditis; fel & acetum bibitis, ſive, ut paucis dicam omnia, Chriſti corpus in cruce extenſum, vulneratum, cruci conclavatum manducatis. Ita fuit locutus S. Jacobus Apoſtolus in ſua Liturgia. *Taceant mortales, & ſtent cum metu, atque tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim Regum Chriſtus, Deus noſter exiſtit, ut mactetur, & detur in cibum fidelibus.* Quis non miretur hic ſapientiſſimam fuiſſe amoris inventionem, ut Filii Dei Paſſionem & mortem nobis redderet commeſtibilem atque potabilem. Ecquid eſt magis horrendum, quam Paſſio? an non horrenda flagella tincta ſanguine? an non horrendæ ſpinæ, & peracuti vepres? quid dicam de amaro felle? quid de crudeli lancea? quid de clavis ferreis? O horrenda Paſſionis Dominicæ inſtrumenta! & quis noſtrum non horret? quis non videt, quam ſit ille ſtomacho noſtro cibus ingratus, inſipidus, durus, inconveniens! O! ſed! O divinum amoris inventum! Fecit amor, quod fieri non poſſe putabamus.

§.8. *Comparatio amoris divini in Euch. cum medico.*

Nam, quemadmodum prudens medicus, qui timens ne venenum, quod propinandum eſt infirmo, noceat, ſi purum propinet, theriacam conficit, illamque variis aromatibus miſcet; ita Chriſtus D. (ait Rupertus ſupra) *magna charitatis arte, pigmenta ſua, Dei ſapientia compoſuit, quibus lethargicam magni ægroti mentem, renovata quotidie ſuæ ſalutis commemoratione percelleret.* Hauſerat homo in pomo Adami lethale virus, unicum fuit remedium, ad illud evomendum, ſi paſſionem Chriſti deglutiret, volo dicere, ſi cuivis in particulari, illa applicaretur, & ita lethale venenum abſu-

Digitized by Google

abſumeretur. Sed quis tam acre remedium, clavos, ſpinas, crucem, ſumeret? quis comederet? Nemo profectò. Ideo ſapientiſſimus Deus divinam compoſuit theriacam, auguſtiſſimum ſacramentum; in quo paſſionem & mortem Chriſti, ſub panis & vini ſpeciebus, temperatam reddidit potabilem; magna igitur pietatis arte, pigmenta ſua Dei ſapientia compoſuit. *Et ſic* (ait S. Damaſcenus l. de corp. Chriſti) *Chriſtus Dominus elevatur in manibus ſacerdotis in crucem, & frangitur, & diſtribuitur, & in nobis ſepelitur, & reddit nos ſecum à corruptione liberos atque innoxios.* Incruentum planè divinum, quod manducabilem ac perſpicuam nobis reddidit Chriſti paſſionem; nobis ejuſdem effectum applicando, per dignam ſacramenti ſuſceptionem, quod ejus memoriale eſt; & erit uſque in ſæculi conſummationem, & hoc quotidie, ut advertit S. Chryſoſt. orat. in Paraſceve; *Crucifixus eſt Dominus, inſtituit Euchariſtiam, & ſemper paſcimur, ac ſaturi rurſus quærimus, & plus reliquum eſt, inexhauſta eſt gratia, quæ in cœna Euchariſtica nobis confertur.* Obſervemus quæſo illa verba, *ſemper paſcimur, & plus reliquum eſt.* Comedimus jam ab annis mille ſexcentis delicias cœli; plus reliquum eſt: guſtavimus manna ſuaviſſimum, plus reliquum eſt. Comedimus, bibimus centies, plus centies reliquum eſt. O amor divine! O caritas liberalis! O chara liberalitas.

Neque mortis Chriſti tantum eſt memoriale, SS. Euchariſtia ſed ſimul cibus & panis, qui morientes confortat, & illos diſponit ad ſanctam mortem, & per illam ad gloriam æternam. Unde jam in primitiva Eccleſia SS. Euchariſtia, vocata fuit *Viaticum.* Itaque ob hanc etiam inſtituit SS. Euchariſtiam, ut morientibus per communionem unitus, conferat vires & neceſſaria in hora mortis, quibus hoſtibus noſtris reſiſtamus, & ad portum æternæ beatitudinis feliciter pertingamus. S. Chryſ. h. 24. in 1. ad Cor. *Si hinc ſacrificio iſto muniti, migrabimus, maxima cum fiducia ſanctum aſcendemus veſtibulum, tanquam aureis quibusdam veſtibus undiq; contecti, ſcilicet veſte nuptiali gratiæ ad nuptias & cœnam magnam agni.* Item lib. 6. de ſacerdot. *Quod qui ex hac vita migraturi ſunt, ſi myſteriorum hujuſmodi, cum pura & munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab angelis eorum animas, ſatellitum more, ſti-*

§ 9. *SS. Euchariſtia eſt viaticum morientium*

pantibus, propter aſſumptum illud ſacramentum, hinc recta in cœlum abducuntur.

§. 10. *Affectus fidei circa Euchar. in moribundo.* De Matthæo Epiſcopo Albanenſi, refert Petrus Cluniacenſis, quod dum decumberet in extremis, & SS. Euchariſtiam ante ſe cerneret, dixerit: *Audite fratres Confeſſionem meam, & fidei meæ, hic & in æternum eſtote. Confiteor hoc ſacrum Salvatoris mei corpus, illud vere & eſſentialiter eſſe, quod de ſancta Virgine ab ipſo ſumptum eſt, quod pro ſalute mundi in cruce pependit, quod in ſepulcro poſitum eſt, quod tertia die à mortuis ſurrexit, quod in cælos aſcendit, quod venturum eſt judicare vivos & mortuos. Per ipſum credo incorporari illi, & fieri unum cum ipſo, & habere vitam æternam.* His dictis, eodem ſalutari corpore refectus eſt, & ad æternitatem futuram, factus idoneus. Vel ut loquitur S. Chryſoſtomus, *Indutus fuit aurea veſte nuptiali, & ſic comparuit in nuptiis agni.*

§ 11. *Elias typus Chriſti D. in Euchariſtia.* Veſtis hæc, in memoriam mihi revocat pallium Eliæ l. 4. reg. c. 2. v. 13. quod cum igneo curru deberet evehi in cœlum, diſcipulo Eliſæo, mœrore obruto, pro ſolatio de curru igneo dejecit. De quo S. Drogo l. de Sacr. Dominicæ Paſſ. ait Eliam geſſiſſe typum Salvatoris, qui antequam in igneo curru amoris raperetur in crucem, & deinde in curru triumphali ad cœlos, toti Eccleſiæ pro ingenti ſolatio in Euchariſtia reliquit ſuum corpus, id eſt, pallium ſive integumentum divinitatis. Sed redeo prius ad Eliſæum. Poſt raptum ſui Magiſtri pervenit ad fluvium Jordanis; & cum non eſſet modus trajiciendi, accepit pallium Eliæ, eoque percuſſit aquas, quæ ſe diviſerunt in hiatum, & ſecurum illi præbuerunt iter; *percuſſitque aquas, & diviſæ ſunt, huc atque illuc & tranſiit Eliſæus.* Tanta fuit pallii illius vis, tanta præſtantia. Ah! Auditores! quid fiet de nobis, cum in hora mortis tranſeundus erit fluvius terribilis agonis? quid agemus inter fluctus & aſſultus tot tentationum? niſi ſacratiſſimum pallium carnis & corporis Chriſti in SS. Sacramento ſumamus. Illud ſacramentum eſt, quod fluctus ſeparat, undas dividit, hoſtes vertit in fugam; ut animæ habeant liberum ad gloriam iter, ne miſerabili naufragio infelicis mortis abſorbeantur; vel, ut S. Auguſtinus loquitur in tr. ſuper Joan. *ne præcipitentur in gehennam.* Agite mei ſodales, vultis pe-

tis periculoſum mortis fretum, in quo tot animæ naufragium patiuntur, feliciter tranſvadare? de hoc pallio, de digna ſumptione corporis Chriſti, juxta ſodalitatis noſtræ ſtatuta, frequenter eſtote ſolliciti, ut communio noſtra ultima, ſit cauſa ſanctæ mortis, ac pignus & augurium, & omen futuræ gloriæ.

Ob eandem cauſam, inter alias innumeras, Chriſtus D. nobis propinat calicem pretioſiſſimi ſui ſanguinis; de ſcypho, vel calice Joſephi in Ægypto ait Oeconomus Gen. 44. *Ipſe eſt, in quo Dominus meus augurari ſolet.* Intellexi alias hoc verbum de auguriis & prædictionibus futurorum; cum ſolatio legi his diebus, augurari idē eſſe, atq; optare alteri felicitatē; ſic notat Athenæus eam ſemper viguiſſe conſuetudinem in conviviis, ut qui biberent, alteri fauſtitatem apprecarentur, *mos fuit augurandi in calicibus mero plenis.* Joſeph igitur hoc poculo, quod ficto furto à Benjamin ſublatum fuit, ſuis hoſpitibus felicitatem apprecari fuit ſolitus. Erro, niſi in ultima cœna Joſephum fuit imitatus Chriſtus Salvator noſter, dum accepit calicem in ſanctas ac venerandas manus ſuas, & noſtræ ſaluti, quodammodo præbibit; ut quisquis ex eodem calice bibit, hoc eſt, quisquis corpus & ſanguinem ejus bibit, & comedit, bibat ſimul vitam, immortalitatem, & omnem felicitatem, neque formidet mortem, ſed eam tanquam perennis vitæ principium amplectatur. De quo Rupertus l. 5. de div. off. cap. 20. *Propinaturus nobis calicem ſalutis, cum pane vitæ, aureum liquidum divinitatis ſuæ ſuperfundit pigmentum, & haurientibus in gaudio, infundit gratiam, virtutes, merita, immortalitatem, &c.* Divinitas, vita, paſſio, mors Chriſti, vulnera, ſanguis &c. in SS. Sacramento Euchariſtiæ ſunt veluti ſimul liquefacta, & diſtillata in unum hauſtum, ut illo ſumpto, non timeamus mortem. Dum enim vitam manducamus, & bibimus, illa ſine dubio efficiet; ut mors, non ſit futura mors, ſed tranſitus ſolum, & principium vitæ beatæ.

§ 12. *Chriſtus D. in ultima cœna præbibit noſtræ ſaluti.*

Proinde, Auditores, non eſt, quod miremini, vos à concionatoribus frequenter invitari ad cœnam hanc magnam, in qua mortem Chriſti recolimus, & per quam nos ad ſanctam mortem diſponimus. Venite obſecro, venite amici, comedite, & bibite;

§. 13. *Epilogus, cum Paraneſi ad hanc cœnam.*

bibite, non vinum ſed ſanguinem in ſanctiſſ. Hoſtia, ſanguinem pretioſum, ſanguinem divinum. Frequenter venite, nam frequenter animæ veſtræ & eſuriunt, & ſitiunt. Ardenter venite, quemadmodum cervi ad fontes aquarum, nam in Euchariſtia fons eſt vitæ, fons ſalutis. Devote venite; nam qui invitat, Deus eſt, quem manducatis, Deus eſt, quem bibitis, Deus eſt, quocum converſamini, Deus eſt, Salvator eſt, Jeſus eſt! cui honor & gloria, in ſæcula, Amen.

CONCIO XXXII.

DOMINICA III. POST SS. TRINITATEM.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.

Luc.15.c. v 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VEre Paſtor bonus eſt Jeſus, in Euchariſtia. Nam, 1. Paſcit. 2. Potat. 3. Reficit. 4. ſanat oviculas.

§.1. *Chriſtus Paſtor bonus in Euchariſtia.*

§.2. *Declaratur figura ex l.2.reg. c.12.*

§.3. *Propoſitio.*

§.4. *Prima Ovicula felicitas, bona Paſcua.*

§.5. *Paſcua optima, Ieſus in Euchariſtia.*

§.6. *Paſtor magnificus & dulcis.*

§.7. *Quomodo illum deſcribat Beatus Laurentius Iuſtinianus.*

§. 8. *Et Divus Chryſologus.*

§ 9. *Qualem potum inveniat ovicula in Euchariſtia.*

§.10. *De petra Euchariſtica fluit aqua*

aqua, mel, & oleum.

§. 11. *Quanam aqua oviculis fugienda.*

§. 12. *Oviculæ ſint quaſi ſpongiæ in fonte Euchariſtico.*

§. 13. *Cur? & quæ aquæ vocentur Theſaurus Dei.*

§. 14. *Bonus Paſtor, oviculis locum quietis præparat.*

§. 15. *Aegris adhibet medicinam.*

§. 16. *Paſtor Euchariſticus, Pelicanus eſt.*

§. 17. *Querela Sancti Chryſoſtomi.*

§. 18. *Epilogus, cum affectu bonæ oviculæ.*

INfinitum illum amorem, & ſuaviſſimos favores Chriſti Domini in Euchariſtia erga genus humanum, de quibus jam in aliquot egi concionibus, ob ſuaviſſimum feſtum corporis Chriſti, iterum nobis proponit Salvator noſter, in hodierno Evangelio & quidem ſub affectuoſiſſima parabola de ove perdita. *Congratulamini mihi &c.* Qui hæc verba protulit, eſt ille qui Joannis 10. cap. verſ. 11. de ſe dixit, *Ego ſum Paſtor bonus.* Quam bonus fuerit, & ſit, in variis concionibus declaro. proinde, quia materiam meam de ſanctiſſ. Euchariſtia hactenus exhaurire non potui, occaſione hodierni Evangelii palam pronuntio, nunquam Chriſtus D. magis oſtendit, ſe eſſe bonum Paſtorem, præcipue erga oviculam perditam, & repertam, quam cum inſtituit ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſi axioma hoc ex S. Gregorio homilia 14. in Evangelia. *Bonus Paſtor animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, ut in ſacramento noſtro corpus ſuum, & ſanguinem verteret in cibum & potum, & ſic oves ſuas, quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret.* Eia, Auditores, congratulamini oviculæ, quæ poſtquam perdita, à bono paſtore, in monte Calvariæ, ſub arbore crucis reperta fuit, tam delicate nutritur, corpore & ſanguine ipſiuſmet paſtoris.

§ 1. Chriſtus D. in Euch. Paſtor bonus.

Figuram habemus lib. 2. Reg. capite duodecimo verſu ſecundo, & tertio. Ubi Nathan dixit *Davidi: quidam vir pauper nihil habebat omnino, præter ovem unam, parvulam, quam emerat & nutrierat, de pane illius comedens, & de calice*

§ 2. Declaratur figura ex l. 2 reg. c. 12.

 ejus

ejus bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi ſicut filia. Myſtice, pauper hic eſt Chriſtus D. de quo Apoſtolus dixit 2. Cor. 8. verſ. 9. *Qui cum dives eſſet, propter nos egenus factus eſt.* Ovis, eſt quævis anima Chriſtiana, pſ. 99. v. 4. *Nos populus ejus, & oves paſcuæ ejus.* Pro ſinu, ut in eo quieſcamus, & contra lupos tuti ſimus, offert nobis bonus Paſtor ſanctiſſima Vulnera ſua. Non de pane ejus comedimus, ſed manducamus ejus carnem, non bibimus tantum de calice, ſed ipſum ſanguinem. Ita, angelorum eſca Sap. 16. c. verſ. 20. *nutrit populum ſuum, & oves ſuas.* Libet mihi exclamare cum S. Bernardo; *Puto, quod omnes Angeli, cum ſuis intelligentiis, non poſſunt capere vehementiam hujus caritatis.*

§. 3. *Propoſitio.* Ut tamen nonnihil illam declarem, has quatuor propoſitiones ceu fundamenta vobis proponet hæc concio. 1. Chriſtus D. bonus paſtor oviculam perditam & famelicam paſcit ſuaviter. Congratulamini illi. 2. Sitibundæ ſuavem præbet potum; Congratulamini illi. 3. Defatigatæ offert locum quietis. Congratulamini. 4. Ægram ſanat. Diſcurſus meus eo collimat, ut talem paſtorem ex toto cordis affectu diligamus.

§. 4. *Prima oviculæ felicitas: bona paſcua.* Bonus paſtor ſollicitus eſt, ut ſuas oviculas. Ducat ad bona paſcua. Gratulor oviculis, quæ in excelſis & calidis montibus Hiſpaniæ, paſcuntur amaraco, thymo, nardo, roſmarino, aliisque odoriferis herbis, & radicibus. Gratulor oviculis, quæ in Germania, in bonis & floridis pratis, in pinguibus vallibus, in ſylvis, viridi paſcuntur gramine. Non invideo, ſi paſtor ſubinde addat ſalem & panem. Omnes hos cibos, ſuis oviculis præbuit paſtor bonus, cum inſtituit ſanctiſſimam Euchariſtiam; cum corpus & ſanguinem ſuum nobis præbuit in eſcam & potum. Chriſtus D. in Euchariſtia, eſt flos campi, eſt lilium convallium, eſt radix Jeſſe & David, ramus eſt, imo arbor vitæ, frumentum eſt electorum, panis angelorum.

§. 5. *Paſcua optima in Euchariſtia.* De his paſcuis, diu ante ſibi fuit gratulatus, Regius Pſaltes pſ. 22. v. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit.* Iterum eod. pſ. v. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam,* acſi diceret, ait Genebrardus: *Tu me alis liberaliter & ſuaviter, imo ſumptuoſe, laute & magnifice, uſque ad voluptatem.* Pulchrioribus

Digitized by Google

ribus verbis, non puto poſſe explicari, hinc infinitum Chriſti D. amorem, quo nos paſcit; inde ſuaviſſimum modum, quo in ſacroſ. Euchariſtia id facit. Liberalem puto diceretis paſtorem, qui oviculas ducit ad paſcua, in quibus cum ſatiantur, ſupereſt tamen, quod comedant. Quid ſi ſaccaro illas paſcere poſſit, & faceret? quanto liberalior eſt paſtor noſter, qui non herbis, non floribus, non vili gramine, non ſaccaro, ſed carne ſuâ, ſed ſanguine ſuo pretioſo nos ſatiat? Liberaliter &c. alit ſuas oviculas. Congratulamini.

Si paſtor in pratis, herbas, quas comedent oviculæ, prius aſpergeret, melle, lacte, vel farina ex ſaccaro, vel aqua roſacea: nunquid diceretis, O ſumptuoſum! O liberalem! O magnificum! O regium paſtorem! quid tandem impendit pro ſuis oviculis! Quid ſi fruſta panis, quæ illis vult porrigere, prius lacte dulcoraret? nunquid diceretis, O dulcem! O ſuavem paſtorem! quam ſuaviter, quam delicate paſcit ſuas oviculas. Et quid eſt mel, quid lac, quid ſaccarum, quid panis, in comparatione cum carne & ſanguine Chriſti; cum illo pane, vel illa eſca, quæ plena eſt ſucco, melle & lacte Spiritus Sancti, imo totius divinitatis! hanc comedimus, hanc bibimus; qui cibum hunc porrigit, Chriſtus eſt; paſtor ſumptuoſus! paſtor liberalis, paſtor magnificus, paſtor regius, paſtor ſuavis, paſtor dulciſſimus. Puto quod omnes Angeli, cum ſuis intelligentiis obſtupeſcant has delicias. § 6. *Paſtor magnificus, & dulcis.*

Vſque ad voluptatem paſcit Chriſtus Dominus ſuas oviculas in Euchariſtia, ait Genebrardus: quæ verba clarius explicat B. Laurentius Juſtinianus. *Cur non delectet nos Chriſtus in Euchariſtia, cum in ipſo univerſa ſint delectabilia. Si te pulchritudo delectat, utiq. præ filiis hominum ſpecioſus eſt forma.* Gaudete oviculæ! paſtor veſter eſt formoſus. *Si poteſtas placet; poteſtas ejus eſt æterna. Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium.* Gaudete oviculæ, Rex veſter, paſtor eſt, filius potentiſſimi Regis Davidis, optimi etiam Paſtoris, qui leones & urſos interfecit, ne nocerent oviculis. *Si tuum divitiæ mulceant affectum; gloria & divitiæ in domo ejus.* Gaudete oviculæ, dulciſſimum habetis paſtorem. Paucis omnia dicam. *Omnium plenitudo donorum, quæ in eo diffuſa eſt, delectabilem, & val-* §. 7. *Quomodo illum deſcribat B. Laurentius Iuſtin.*

& valde charum illum reddit hominibus. Et hic pulcher, hic formoſus, hic dives, hic glorioſus paſtor, in ſanctiſſ. Euchariſtia, voluit & vult eſſe ovicularum cibus, potus? nunquid exclamare poſſumus. Facit hoc bonus paſtor, ad voluptatem uſque, alit nos liberaliter, ſuaviter, imo magnifice, laute & ſumptuoſe, uſque ad cœleſtes & angelicas delicias.

§. 8. *Quomodo D. Chryſologus.* Claudam primum punctum cum D. Chryſologo ſer. 95. *Audiſti Dei convivium? ſollicitus non ſis de qualitate convivii: qui Regis pervenire meretur ad menſam, manducabit, quidquid regni dominatio poſſidet, & poteſtas. Qui ad convivium venerit creatoris, habebit in deliciis ſuis, quidquid continetur in creatura: imo habebit carnem Filii Dei ad voluptatem. Et ſanguinem, ad voluptatem. Et animam, ad voluptatem. Et Deitatem! ad voluptatem.* Quæ cum conſideret, inſtar oviculæ ſuſpiro cum Angelico Doctore, *bone Paſtor, panis vere, Ieſu noſtri miſerere!* Vere bone Paſtor, nam bona ſunt paſcua tua! Bone Paſtor! nam cibus, quam tuis miniſtras oviculis, eſt cibus electus. Bone Paſtor! nam alimenta tua ſunt alimenta ſalutis æternæ. Bone Paſtor! nam & magnifice ſimul, & delicate tuas reficis oves. *Bone Paſtor! panis vere, Ieſu noſtri miſerere.*

§. 9. *Qualem potum inveniat ovicula in Euchariſtia.* Aggredior alterum concionis punctum. Ovicula ſitibunda in Euchariſtia invenit potum. Si ſitiat vinum; Euchariſtia vinum eſt. Si lac, caro Chriſti, & ſanguis ejus lac eſt. Si mel! mel eſt, ſi aquam, aqua eſt, ſi nectar, nectar eſt, imo, nectare, lacte, melle, longe dulcior eſt, nectareus, lacteus, melleus Jeſus in Euchariſtia. Si oviculæ lubeat bibere ex fonte! Chriſtus D. in Euchariſtia fons eſt, ſaliens quinque pulcherrimis, & ſanguineis rivulis ex ſacroſanctis Crucis Vulneribus, ſi placeat bibere ex fluvio, fluvius & torrens eſt, ut (ex pſ. 35. v. 9.) oviculæ, *inebrientur, ab ubertate domus ejus, & potentur torrente voluptatis.* Si placeat bibere ex mari; Chriſtus in Euchariſtia mare eſt inexhauſtum, omnium gratiarum, continens in ſe omnem ſaporem, & omne delectamentum ſuavitatis.

§. 10. *De petra* Figura fuit petra Numer. 20. v. 11. quæ percuſſa baculo Moyſis, populo dedit aquas in deſerto. Sed de eadem ait cap. 32. Deute-

Digitized by Google

Deuteronomii v.13. *Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Id eſt, aqua manavit ex illa petra, revera fuit aqua, in ſubſtantia, & ſapuit ut aqua; ſed fuit tam dulcis, tam ſuavis, ut illis ſapuerit ut lac, aliis, ut mel, quibuſdam ut oleum: diverſos & ſuaviſſimos habens ſapores. D. Paſchaſius hic; *Notandum, quod hoc frumentum, corpus videlicet Chriſti, omnes delicias habeat, ita & potus ſanguinis. Vnde quod de petra myſtice manavit, nunc mel, nunc oleum, nunc potus dicitur: quia quidquid ſpiritualiter prægustare poteris, hoc totum ibi invenies.* Omnes ſcilicet animi & cordis voluptates. Unde David in ſpiritu exultans cecinit pſ. 115. verſ. 13. *Calicem ſalutaris accipiam.* S. Hieronym. vertit ex hebr. *Calicem Ieſu accipiam.* Alii. *Calicem ſalutis.* Chald. *Calicem Redemptionis*; ſed ſe ipſum explicuit David, cum calicem illum vocavit *præclarum, & inebriantem*, ſive, *ſatiantem*, ob pulchritudinem omnium voluptatum, & cœleſtium deliciarum. Quas expertus Sanct. Cyprianus de cœna Domini dixit; *Cruci hæremus* v.g. ad pedes Chriſti cum Sancta Maria Magdalena, in ſacramento pœnitentiæ, per actus contritionis, &c. deinde, in ſacramento ſanctiſſ. Euchariſtiæ, *ipſum Dei ſanguinem ſugimus.* inſtar lactis, inſtar mellis. Expertus Clemens Alexand. exclamavit, *Mamilla Regum lactamur, ipſum Dei ſanguinem ſugimus, & intra Redemptoris noſtri vulnera linguam figimus.* Quis unquam paſtor ita potavit ſuas oviculas? Solus Chriſtus D. eſt ille paſtor bonus, qui tam liberaliter, ſuaviter &c. id facit. Congaudent propterea oviculis Angeli; præcipue cum ovicula aliqua perdita, redux ad Patrem miſericordiarum, à paſtore dulciſſimo, nutritur vitulo ſaginato, & reficitur pretioſiſſimo ejus ſanguine.

Eleganter cecinit ille Poeta.

§. II. Quænam aqua oviculis ſint fugienda.

Feſſus ut in ſylvis, perquirit flumina cervus,
Sitim, quaque ſedet, ſumere geſtit aquam,

Si fortaſſis inter vos ſitibunda ſit ovicula, adeſte, oſtendam vobis fontes, & aquas. Sed nemo cogitet de puteis Ægypti; ſcatent vermibus. Nemo de lacunis Sodomæ; magis accendunt ſitim. Nemo de calice Babylonicæ meretricis; propinat venenum & mortem. Suaviſſimum & ſaluberrimum fontem nobis oſtendit Beatus Albertus Magnus, diſtinct. 3.

Digitized by Google

tr.1.c.7. cum ait. *Fons delectationis eſt corpus Chriſti, ab illo rivi varii & ad quemcunque non venit hoc nutrimentum pietatis, hi areſcunt & marceſcunt, & deſtituuntur, & abjiciuntur, in quem vero locum iſte fons delectationis influit, omnia irrigat interiora, animæ & corporis, ad quæ derivatur.* (Si hodierna dies eſſet Dominica congregationis agoniæ, poteris tuos Auditores, veluti oviculas deducere ad fontes Jeſu Crucifixi.)

§.12. Oviculæ, ſint quaſi ſpongiæ, in fonte Euchariſtico.

Juxta hunc fontem, in hoc fonte, cupio oviculas eſſe quaſi ſpongias, cauſam mihi ſuggerit S. Gregorius Nyſſ. hom.1. in Cant. ubi de S. Joanne Evangeliſta ait; *Verbi amavit ubera, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, & veluti quandam ſpongiam cor ſuum appoſuit fonti vitæ.* Advertite oviculæ, quid agatis, quoties communicatis; corda veſtra veluti ſpongias immittitis pretioſiſſimo ſanguini agni immaculati. O bone paſtor! O Jeſu mi! liceat mihi, te in ſanctiſſ. Sacramento præſentem alloqui cum Moyſe Numer.20.v.6. *Domine Deus audi clamorem populi, & aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ.* Mox enim jubente Domino idem Moyſes, *percuſſit virga bis ſilicem, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Sed miratur B. Petrus Damiani magnifica hæc verba, quibus fontes aquæ vocat theſauros Dei, *Nunquid dignum fuit, viles aquas, Dei appellare theſaurum.* Sed altius latet myſterium.

§.13. Cur, & quæ aquæ vocentur theſaurus Dei.

Aqua illa, qua Deus in deſerto potavit populum ſuum, fuit figura illius aquæ, quæ fluxit in cruce ex aperto latere Chriſti, ex fonte benedicti cordis. Silex, figura fuit Chriſti, qui petra eſt. Virga Moyſis, figura ſanctiſſ. Crucis, vel lanceæ Longini, quæ fontem vitæ in corde latentem aperuit. Quatuor alios rivos, qui ex manibus & pedibus crucifixi defluunt, aperuerunt clavi. Canales alii ſtillant ex benedicto vertice, imo de toto vulnerato corpore; illos aperuerunt virgæ & ſpinæ. Dicam verbo, fons ille Moyſis figura fuit fontis Euchariſtici; cujus apertionem, id eſt, ſacramentum Euchariſtiæ, Moyſes in ſpiritu petiit, cum oravit, *Domine Deus audi, & aperi theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ.* In hoc fonte latent theſauri gratiarum divinæ bonitatis, amoris, benignitatis, dulcedinis, liberalitatis. Huc, huc, ſitibundæ oviculæ; bibite ex theſauris aquarum. applicate ora jam benedictis crucifixi

cifixi

Digitized by Google

cifixi manibus; in illis ſunt aquarum theſauri. Jam ex ſanctiſſimis ejus pedibus bibite, aquarum theſauri, ibi latent. Cum vero ad SS. latus deveneritis, O quales ibi theſauri! O qualis fluvius aquarum! quales gratiarum torrentes ibi ſcaturiunt! bibite, bibite, aquarum theſauri ſunt; bibite, bibite, cœlorum deliciæ ſunt! bibite, bibite, fontes ſunt melle manantes. Hæc fuit adhortatio S. Bernardi. *Haurite dilectiſſimi in gaudio aquas de fontibus Salvatoris, de vulneribus Ieſu.* Sititis aquas miſericordiæ? Euchariſtia eſt fons miſericordiæ. Sititis aquas ſapientiæ? Euchar. eſt fons ſapientiæ. Sititis aquas compunctionis? haurietis in fonte Euchariſtiæ. Sititis aquas pietatis, devotionis, amoris? harum virtutum fons eſt Euchariſtia. Proinde ſitibunda ovicula, iterum ſuſpiret cum S. Thoma, *Bone Paſtor, panis vere, Ieſu noſtri miſerere.*

Ubi nunc ſunt oviculæ laſſæ & defatigatæ? ecce locum in quo poſſitis quieſcere. Feſſis grata eſt umbra. Apud Chriſtum D. in Euch. illam reperietis. Feſſis grata eſt refectio; non illa deerit. Feſſis placet lectulus, ecce lectulum floridum in latere & corde Jeſu? quis mollior lectus. Feſſi gaudent, ſe nocte pervenire ad locum tutum & ſecurum, ubi major ſecuritas quam in vulneribus Salvat.? David aliquando feſſus, dum fugeret Saulem, prævidens in ſpiritu majeſtatem futuri templi, ait pſ. 83. v. 1. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini; cor meum exultaverunt in Deum vivum. Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.* Subdit ſtatim: *Altaria tua Domine virtutum*, quaſi diceret; O Domine deſidero domum, nidum, habitationem, locum refugii, in quo tutus contra hoſtes poſſim te laudare, & laudibus tuis conquieſcere. Sed video, & agnoſco me reperire non poſſe niſi in templo, quod tuo honori aliquando ædificabitur, illud concupiſcit anima mea. Prævidit itaque Propheta in ſpiritu, nos aliquando in Eccleſia Chriſti, in ſacramento altaris reperturos domum, nidum, lectulum ad quieſcendum. Non ſine myſterio Chriſtus D. ſub inſtitutione Euchariſtiæ, in ultima cœna, permiſit Joanni recumbere in pectore ſuo, voluit indicare, cor ſuum aliquando in

§. 14. *Bonus Paſtor oviculis locum quietis præparat.*

Euchariſtia fore feſſis oviculis lectulum quietis. O felix ovicula! Ecce altare! in altari Hoſtiam! in Hoſtia Jeſum! in Jeſu, paſtorem bonum! in paſtore bono, amorem; in amore quietem, umbram, lectulum, delicias, ſolatium. O dulcis quies! O blande amor! O amabilis paſtor! O bone Jeſu! O ſacra Hoſtia! O pretioſum altare! Hic, & non alibi quieſces ovicula, anima mea! Hic tibi paſtor bonus præparavit mollem lectulum quietis ſuaviſſimæ.

§ 15. *Oviculis morbidis, bonus paſtor, in Euch. præparavit medicinam.*

Reſtat punctum concionis quartum. Oviculis morbidis Chriſtus D. in Euchariſtia præparavit medicinam. Inſtar Pelicani, qui pullos ſuos ſuo ſanguine, non tantum nutrit, ſed ſanat, præſertim cum læſi ſunt à ſerpentibus. Nam contra viperarum morſus, efficax antidotum eſt ſanguis Pelicani. Anonymus de Miſſa tr. 6. *Grandis eſt virtus ſanguinis Pelicani, cujus pulli à ſerpente intoxicati, mox ut hujus ſanguinem lamberint, vivificantur.* Multo magis, O pie Pelicane, mi Jeſu, bone paſtor, tuus ſanguis toti mundo vitam attulit. Vivificus hic fons primum apertus fuit, cum Longinus lancea aperuit latus ejus; ſed quia ſanguinea hæc ſcaturigo, jam ante multum exhauſta diu fluere non potuit, amori, bono paſtori, hoc ſatis non fuit, ſed ut fons hic eſſet perennis, ut in Eccleſia flueret jugiter, uſque ad conſummationem ſæculi, ſanctiſſ. inſtituit Euchariſtiam, ad quam dum accedimus, ex pectore divini Pelicani haurimus ſanguinem, qui non tantum nutrit, ſed venenatos viperarum morſus ſanat, & mortuos vivificat; Vulnus ſerpentis in anima, eſt ſuperbia! ſanat hoc vulnus Pelicani Euchariſtici ſanguis. Vulnus tartarei ſerpentis eſt invidia; medicina eſt ſanguis Chriſti. Vulnus ſævi ſerpentis eſt laſcivus amor, vulnus, quo blandius, eo periculoſius: pharmacum dat Pelicanus noſter, ſanguis Jeſu ſanat vulnera univerſa. Pie Pelicane Jeſu Domine, me immundum munda tuo ſanguine, cujus una ſtilla ſalvum facere totum mundum poteſt, ab omni ſcelere.

§ 16. *Proſecutio.*

Pergit Anonymus. *Valida inſuper vis ſanguinis hircorum, invincibilem frangens diamantem, calido illo ſuperlinito.* Sed quæ quæſo mens, niſi diabolica, tuo caritativo ſanguine non deleatur? ex

tur? ex pectore ſcilicet crucifixi & Euchariſtici Pelicani, calidiſſimus erumpit ſanguis, ardens fervore infinitæ charitatis, hujus efficaciæ, ut duriſſima corda emolliat, & ſimul venenata ſanet vulnera. Matt. cap. 9. verſu 29. Hæmorrhoiſſa, contactu veſtis Chriſti fuit reſtituta ſanitati. De qua Anonymus. *Si fimbria veſtimenti ſui hoc tribuit, ut ejus contactu ſanaretur, imo omnes qui tangebant eam, curarentur à languoribus ſuis: quid virtutis & eminentia credendus eſt ſuperbenedicto corpori ſuo contuliſſe.* Sanct. Chryſoſtom. hom. 15. in Matth. *Tangamus etiam nos fimbriam veſtimenti ejus, vel potius, ſi volumus, totum habemus. Nam ſi, qui fimbriam tunc tetigerunt, rectè omnes valuerunt, quanto magis corroborabimur ſi totum in nobis habebimus?* quid fiet ſi vulnera tangamus? Si ſpinis caput coronatum? ſi apertum cor? Sanct. Chryſologus. *Multo magis modo, in nobis manens, poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem prætereiens ſic manavit.* Pulchra, in hiis voculis, *Manens, & pertranſiens,* latet emphaſis.

Sed timeo, ne locum habeat ejuſdem S. Chryſologi querela. ſer. 34. *Tetigit veſtimentum mulier, & curata eſt, & ab antiquo eſt abſoluta languore. Miſeri, qui quotidie corpus Chriſti tractamus, & ſumimus, & à noſtris vulneribus non curamur.* O miſeras oviculas, paſcuntur aliquæ frequenter delicatiſſime, nihilominus eſuriunt. Bibunt ſanguinem CHRISTI, & ſitiunt! ingrediuntur apothecas, & ſalutares thermas Vulnerum crucifixi: & ſunt ægræ, leproſæ, infectæ ſcabie! His ait Sanctus Chryſoſtomus ſupra cit. *Audiant Chriſtiani, qui frequenter corpus CHRISTI attingunt, quamnam de ipſo corpore poſſunt ſumere medicinam, quando mulier, totam rapuit de ſola CHRISTI fimbria ſanitatem? ſed, quod nobis flendum eſt, mulier de veſte medicinam tulit, nobis medicina ipſa retorquetur in vulnus!* § 17. Querela S. Chryſologi.

Alia mihi mens eſt, O bone paſtor: en adſum ovicula; venio ego mi Jeſu, ut te, te ipſum & totum rapiam: te, te, Dilecte, in Euchariſtia rapiam; non jam fimbriam veſtimenti tui, ſed te ipſum, tua vulnera, tuum pectus, attingam, in cor § 18. Epilogus, cum affectu bonæ oviculæ.

 tuum

Digitized by Google

tuum mittam manus meas, ut te totum complectar. Nam in te ſolo omnis pulchritudo, theſaurus, lux, gaudium, ſanitas, quies, ſatietas, & beatitudo! Mi Jeſu! mi bone Paſtor.

CONCIO XXXIII.

DOMINICA IV. POST SS. TRINITATEM.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

Luc. 6. cap. v. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRactatur de miſericordiæ in pauperes fructibus, præſtantia, motivis.

§. 1. *Varias nobis regulas in hoc Evangelio præſcribit Chriſtus Dominus.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Miſericordia in quo conſiſtat.*

§. 4. *Quæ bruta nos doceant miſericordiam.*

§. 5. *Homo ab humo diſcat miſericordiam. S. Ambroſius.*

§. 6. *Primum motivum miſericordiæ. Dei liberalitas.*

§. 7. *Figura illius, Eliſæus oleum viduæ multiplicans.*

§. 8. *Quomodo divites debeant habere modicum olei.*

§. 9. *Inſigne dictum Imperatoris Theodoſii de lucro miſericordiæ.*

§. 10. *Gnoma D. Leonis de theſauro miſericordiæ.*

§. 11. *Dives eſt arbor, ſed extendat ramos miſericordiæ.*

§. 12. *Alterum motivum miſericordiæ ex Iudicio.*

§. 13. *SS. PP. Hieronymi, Ambroſii, Chryſoſtomi, dicta graviſſima.*

§. 14. *Miſericordia reos defendit argentea manu. Hiſtoria ſelecta ex Baronio.*

§. 15. *De miſericordia fictio ingenioſa*

Digitized by Google

nioſa ex P. Drexelio.
§.16. *Imago miſericordiæ.*
§. 17. *Epilogus cum variis affectibus.*

AUreas aliquot, pro vita Chriſtiana, ſancte & bene inſtituenda regulas, hodierno in Evangelio nobis præſcribit Chriſtus Salvator. Prima eſt, *Nolite judicare.* Quænam judicia prohibeat, aliquot exemplis oſtendit S. Auguſtinus ſer. 201. de temp. *Eſt qui jejunat, tu cogitas, vel dicis, eſt hypocrita, hoc eſt judicium temerarium, fortaſſis facit intentione optima. Alius jejunare debet ex præcepto, ſed excuſat ſe ob debilitatem virium, tu cogitas vel dicis, eſt helluo. Hoc eſt judicium temerarium, fieri poteſt, quod revera ſit debilis*: (hoc modo procedi poteſt, per uſitata temeraria judicia) quæ Chriſtus D. prohibet in hodierno Evangelio. Huic regulæ ſubdit alteram, *nolite condemnare.* Id eſt, etſi pateant oculis veſtris publica aliqua proximi vitia, licet conſtet, hic maritus lapſus eſt in adulterium, hic fovet odia, & odit inimicum ſuum, &c. tamen noſtrum non eſt, talem condemnare, potius compati nos oportet, & cogitare, *qui ſtat, videat ne cadat.* Tertia regula eſt, *Dimittite, & dimittetur vobis*, cjus regulæ praxis breviter hæc eſt, nos quotidie Deum offendimus, & labimur in multis, nihilominus, quia ſcimus Deum eſſe miſericordem, quotidie oramus in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita noſtra.* Et revera Deus tam bonus eſt, ut remittat etiam decem millia talenta, quia rogamus ut dimittat. Cum autem contingat, ut & nos offendamur à proximo noſtro, vult Deus ut exemplo ſuo & nos dimittamus, juxta eandem petitionem Dominicæ orationis, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Obſervationi hujus regulæ Chriſtus D. magna promittit præmia, v.g. quod ſi dimittamus, & ipſe nobis velit dimittere: quod ſi in hoc ſimus miſericordes, & ipſe velit eſſe miſericors juxta verba Chriſti D. Matt. 5. v. 7. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Quod per obſervationem hujus regulæ, ſimiles futuri ſimus Patri cœleſti. Quarta & præcipua regula eſt, *eſtote miſericordes.*

§. 1. Varias nobis regulas in hodierno Evangelio Chriſtus nobis præſcribit.

De hac prima pars hujus concionis breviter vobis proponet, in quo conſiſtat hæc miſericordia, quam Chriſtus D. à nobis exigit, &

§. 2. Propoſitio.

git, & præſertim à divitibus. Parte verò altera, proponam duo motiva, quæ nobis virtutis hujus exercitium, perſuadere poſſint, & debeant. Spero benevolam attentionem.

§. 3. *Miſericordia, in quo conſiſtet.*

Miſericordia, de qua in hac concione præcipue ago, exigit ab omnibus, præſertim divitibus, ut ſi poſſint, & cum poſſunt, proximo in neceſſitate conſtituto, non tantum corde, affectu & verbis (quo ſenſu & modo, etiam egeni & inopes, poſſunt eſſe miſericordes) ſed re ipſa & opere ſuccurrant, & Chriſtianum amorem exhibeant. Praxis melius explicari non poteſt, quam per opera corporalis miſericordiæ. Incurrit v.g. oculos divitis, homo pauper, totus famelicus & ſitibundus; ſi dives velit, poteſt jubere ut huic miſero detur cibus, vel potus, vel nummus ad ſublevandam neceſſitatem. Miſericordia ſuadet, jubet, imperat, ut dives id faciat, & Chriſtus D. in hodierno Evangelio, illis verbis, *Eſtote miſericordes*, ſatis, ſuperque mentem ſuam declarat. Si velit dives, poterit viſitare infirmos, aut iis cibum ſubmittere: ſuadet id miſericordia, Chriſtus exigit, ſi velit dives, poterit male veſtitos, ac ſeminudos pauperes veſtibus contegere, ſi non novis, ſaltem iis, quas jam ipſe faſtidiens abjecit: iterum adeſt miſericordia, & hoc rogat, iterum adeſt Chriſtus, & hoc ſibi placere oſtendit. O dives, dives, vide ſis, ne dum pauperes negligis, negligas & miſericordiam, & eum, qui pater eſt miſericordiarum, Deum & Chriſtum Salvatorem.

§. 4. *Quæ bruta nos doceant, miſericordiam.*

Advertendum quoque eſt non tantum Chriſtum Dominum hanc virtutem à nobis exigere, ſed ab ipſa quoque natura per beſtias nos edoceri: ex mente Jobi cap. 12. v. 7. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi & narrabunt.* Leo v.g. animal alias truculentum, cum ſatur eſt, ſuperfluam prædam relinquit aliis beſtiis. Aquila captum cervum dividit, & inter alias aves diſtribuit. Bubo, pullum aquilæ dejectum ex nido ſuſcipit & alit; donec poſſit ſuis ſemet pennis librare in aera. Gallinæ ſub alas ſuas recipiunt pullos alienos, dum matrem perdiderunt. Nota eſt pietas ciconiarum. Tales leones, tales liberales aquilas, tales gallinas, natura vult eſſe divites, ut quæ habent ſuperflua, liberali manu diſtribuant inter pauperes, & relictos

pullos,

Digitized by Google

pullos v.g. pupillos, viduas, orphanos, ægros in hoſpitalibus, hoc illis ſuadet miſericordia, ut tales recipiant, foveant, ſub alis pietatis. Ite ergo divites ad bruta hæc animantia, interrogate has beſtias, ipſæ miſericordiam & liberalitatem, quam Chriſtus D. à vobis exigit, docebunt.

Ad alium magiſtrum miſit divites S. Ambroſius lib. 3. de off. cap. 3. *Conſidera, O homo, unde nomen ſumpſeris? ab humo utique, quæ nihil cuipiam eripit, ſed omnia largitur omnibus, & diverſos fructus miniſtrat. inde appellata humanitas, ſpecialis & domeſtica hominis virtus, quæ conſortem adjuvat.* His verbis S. Ambroſius inprimis pungit, & arguit illos divites avaros, qui non tantum nihil dant, duriores inſenſibili elemento, & irrationabili beſtia, ſed & rapiunt aliena, & ſpoliant divites & orphanos; & hoſpitalium pauperumque reditus in ſuam & propriam vertunt utilitatem. Manifeſtum eſt, tales peccare & contra juſtitiam, & contra charitatem ſive miſericordiam. Quos poſtquam reprehendit S. Ambroſius, eoſdem monet, ut potius à terra diſcant liberalitatem. *Noli*, ait *eſſe deterior terra, inſenſibili elemento, quod fructus, quos affert, non ſuis uſibus vendicat, ſed miniſtrat obſequiis.* Ex quibus patet, hanc miſericordiam, quam hodie Chriſtus D. à nobis exigit, quam natura & beſtiæ nos docent, ſive, liberalem, inter egenos eleemoſynarum diſtributionem, proprie eſſe virtutem divitum; cum ipſi à liberali Deo media acceperint, quibus egenis poſſunt ſuccurrere. Qui libenter vellent eſſe miſericordes, & liberales, & eſſe non poſſunt, ſolari ſe debent aureo dicto S. Auguſtini. *Si potes dare, da: ſi non potes affabilem te fac,* (corde ſaltem & affectu eſto miſericors) *Coronat Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem.*

§ 5. *Homo, ab humo diſcat miſericordiam.*

Plurima verò ſunt motiva; (ut præcipuam concionis meæ partem aggrediar) quæ divites movere poſſunt & debent, ut opere ipſo ſint liberales & miſericordes, modo duo tantum illis revocabo in memoriam. Primum eſt; ſi velint ut Deus erga ſe ſit liberalis, in diſtributione mediorum neceſſariorum ad ſalutem æternam, meminerint ſe debere eſſe liberales in diſtributione eleemoſynarum. Neque enim Deus permittit ſe hic vinci ab homine. Si homo, conſorti & proximo ſuo, etiam modicum det, longe plus illi Deus impertietur.

§. 6. *Primum motivum miſericordiæ. Dei liberalitas.*

Digitized by Google

§ 7. *Figura illius Eliſæi, oleum viduæ multiplicans.*

Utriuſque pulcherrimam figuram vel hiſtoriam habemus lib. 4. reg. cap. 4. in illo miraculo, quo Eliſæus propheta multiplicavit modicum oleum pauperculæ viduæ. Clamavit illa ad Eliſæum dicens, v. 1. *Servus tuus, vir meus mortuus eſt, & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi.* Ah! Vir Dei, ſuccurre miſeræ, & pauperculæ fœminæ, in ſuprema hac neceſſitate. Cui dixit Eliſæus. v. 2. *Quid vis ut faciam tibi? dic mihi quid habes in domo tua? at illa reſpondit. Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei.* Cui ait. *Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis, vaſa vacua, non pauca, & ingredere, claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris, tu & filii tui, & mitte inde in omnia vaſa hæc, & cum plena fuerint, tolles. Ivit itaque mulier, & clauſit oſtium, ſuper ſe, & ſuper filios ſuos, illi offerebant vaſa, & illa infundebat,* ſic omnia vaſa fuerunt impleta, ex hoc miraculoſo fonte olei. Cum nulla ſupereſſent vaſa, *ſtetit oleum.* Multa cadunt in noſtram admirationem in hac hiſtoria. Hoc ego miror in diſcurſu hujus concionis. Nunquid Deus per Eliſæum unico verbo, omnia vaſa viduæ potuiſſet implere oleo? nunquid ex ipſis ſaxis domus potuiſſet educere fontem, oleo manantem? quid opus fuit viduam tanto miraculo prius ſubminiſtrare parum ſaltem olei? hoc eſt myſterium! ut divitibus fluat oleum miſericordiæ divinæ, & immenſæ ipſius liberalitatis, qua indigent, ut inter ſpinas divitiarum, inter laqueos iniquitatis ſalvi fiant.

§. 8. *Quomodo divites debeant habere modicum Olei.*

Hoc prius neceſſarium eſt, ut habeant in domo ſua aliquid olei proprii, id eſt, ut prius ipſi aliquo ſaltem modo, erga pauperes ſint liberales. Modicum olei, eſt fruſtum panis, vel obolus donatus pauperi. Modicum olei, eſt lacera veſtis, qua veſtitur nudus, &c. Et hoc modicum olei trahit de cœlis oleum miſericordiæ, & divinæ liberalitatis, in longe majori abundantia. Pauculæ guttæ faciant olei fontem. Imo, ut fons alterius olei, id eſt, pretioſi ſanguinis Jeſu crucifixi, divitibus ſtillet & fluat guttis gratiæ, in ablutionem, & remiſſionem peccatorum, in quæ frequenter devolvuntur: neceſſe eſt, ut prius ipſi ſint fontes olei, medici ſaltem, pro ſolatio alicujus egentis. Clarius ut divitibus ad ſalutem æternam proſit, effuſus à Chriſto, in cruce ſanguis, id pendet

ab eo-

ab eorum miſericordia, & liberalitate, & eleemoſynis erga pauperes. Vidua dedit modicum olei, & accepit vaſa plena oleo: non enim permittit Deus ſe vinci liberalitate. Qui dat, accipit; & in abundantia accipit. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam à Deo conſequentur.*

Theodoſius II. fuit liberaliſſimus Imperator erga pauperes: cum moneretur exhauriri theſauros ob nimias eleemoſynas, reſpondit. *Deus non deerit noſtro fiſco.* & mox patuit reſponſi veritas. Nam dum obambularet in aula, quæ marmore erat ſtrata, forte in lapidem incidit, quem ſignatum eſſe ſigno crucis advertit; mox jubet illum ſuſtolli è terra; quo facto repertus fuit alter priori ſimilis; deinde tertius, ſub quo, in occulto fornice repererunt regium theſaurum. Poſteaquam verò & hunc diſtribuiſſet, venit quidam ſenex, qui piiſſimo Theodoſio detexit theſaurum, priori longe majorem. Neque enim Deus deeſt iis, qui liberales & miſericordes ſunt erga pauperes. Caput 31. Prov. de inſigni matrona ait v. 20. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Quid inde? *Non timebit domui ſuæ à frigore*, veſtes illi erunt duplices, ipſa induetur purpura & byſſo, ſedebit cum ſenatoribus, id eſt, erit in divitiis & honoribus.

§. 9. *Inſigne dictum Theodoſii Imper. de miſericordia lucro.*

Talem theſaurum videtur habuiſſe præ oculis S. Leo ſer. 1. de collectis. *Theſaurum condet in cœlo, qui Chriſtum paſcit in paupere.* Utiliſſimam uſuram, dare Chriſto in paupere fruſtum panis, hauſtum aquæ, obolum, fruſtum laceræ veſtis, aliquid olei, quamcunque ſtipem, & à liberaliſſimo Chriſto accipere theſaurum. Diverſa eſt hæc ab uſura hujus mundi. S. Chryſologus ſer. 45. *Vſura mundi eſt, centum accipere, & unum pro cenſu reddere, Deus unum accipit, & centum reddit. Et tamen homines nolunt cum Deo habere contractum.* Renuunt avari divites dare modicum olei, ut illis in menſura bona fluat oleum divinæ miſericordiæ; his quoque Deus parens eſt, liberaliſſimus vero erga liberales.

§. 10. *Gnoma S. Leonis, de theſauro miſericordiæ.*

De quo eleganter Salvianus lib. 3. de provid. *Quid dignius? aut, quid juſtius? non audivimus, non audimur! non reſpeximus, non reſpicimur?* quod expertus fuit dives epulo, cum ſepultus eſt in inferno Luc. 16. c. v. 22. ex mente Cæſarii Arelatenſis hic. *Arbor amœna*

§. 11. *Dives eſt arbor, ſed debet extendere ramos miſericor-*

Digitized by Google

amœna, & ſublimis erat in hoc mundo, ſed quia ramos miſericordiæ non expandit ad Lazarum, flammas recipere meruit in inferno. Et gutta negatur, qui micam negavit. (O divites! per ſalutem veſtram vos obſecro, & obtector, advertite, quid agatis, cum pauperi eleemoſynam negatis. Negatis micam panis; erit tempus, quo fortaſſis inter flammas inferni petitis unicam guttam aquæ, & negabitur in omnem æternitatem) Jacobi cap. 2. v. 13. *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam.* Faveo vobis, quod ſitis ſublimes Cedri in hoc mundo, quas Deus ornavit ramis & aureis fructibus divitiarum; videte ne deſint rami & fructus miſericordiæ & liberalitatis erga pauperes; ſine his talis arbor exſcindetur & in ignem mittetur. Finio hanc partem, paucis, ſed pulcerrimis verbis S. Chryſoſtomi hom. 13. ad populum. *Vis miſericordiam conſequi? miſerere proximi.* (Pauca verba tibi ſuggerent ſuavem affectum, vel Parænesin ad divites, ut miſereantur pauperum.)

§. 12. *Alterum motivum miſericordiæ.* Alterum motivum miſericordiæ concernit præcipue mortem divitum, & ſententiam qua in ſupremo agone, in particulari judicio, deinde, in univerſali in valle Joſaphat, deputabantur, vel pro æterna gloria, vel igne æterno. Materia occurrit ampliſſima, in qua modo dictis aliquibus SS. PP. ſolummodo utar. Iterum breviter, ſed nervoſe S. Leo citatus. *Miſereantur pauperum, qui ſibi volunt parcere Chriſtum.* O divites! vultis ut in agone mortis, cum vos omnes atque omnia deſerent, ſaltem Deus non deſerat? pauperes non deſerite. Vultis ut in illo rerum articulo, cum prodeundum erit ad terribile illud tribunal, Miſericordiam? eam modo exhibete membris Chriſti, pauperibus. Vultis ut tum bonus Jeſus nudas veſtras animas contegat pretioſa gratiæ ſuæ veſte? modo nudos contegite. Vultis ut tum infirmos vos viſitet divina clementia? ergo non pigeat modo ægros inviſere. Miſereantur pauperum, qui ſibi volunt Chriſtum miſereri. Vultis ut tum in æternæ mortis periculo, ex Vulneribus Crucifixi, cum pretioſo ejus ſanguine fluat ſuper vos oleum miſericordiæ? audite modo Eccleſiaſten dicentem cap. 9. v. 7. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.*

Idem

Digitized by Google

Idem ſuaſit S. Hieronymus in Proverbia. *Qui iram diſtri-* §. 13. *cti Iudicis, quem peccando offendit, & metuit, placare deſiderat, elee-moſynas det pauperibus.* Et S. Chryſoſtomus. *Tametſi multa habue-ris peccata* (adverte te habere locum pro acri invectiva contra pec-cata divitum) *advocatrix eſt eleemoſyna.* Ne timeas. Solatio ple-na ſunt verba S. Ambroſii. *Magna eſt eleemoſyna, quæ ardentium criminum globos, benevolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & quodam irriguæ largitatis obruit incendia delictorum, ut quamvis offenſus Deus, quam-vis criminibus provocatus, cogatur liberare, eleemoſynis, quem diſpoſue-rat, punire.* Quod divites, præſertim avari, uſurarii, iniqui, menda-ces, fraudulenti, ſæpe & diu, non puniantur, eleemoſynis debent aſcribere. Profecto talia illorum ſunt ſcelera, tales uſuræ, fraudes &c. ut mirum non eſſet, Deum ſubito illa punire, niſi miſericordia & aliqua erga pauperes liberalitas, id impediret.

SS. PP. Hieron. Chryſoſt. Ambr. dicta graviſſima.

Confirmat hoc illa, quam Baronius narrat t. 6. ad annum §. 14. Chriſti 491. hiſtoria. Zeno Imperator matri unicum abſtulerat filium; cum ecce illa mœrore preſſa, animum in omnes partes ver-ſat, vindictam meditans. Et qualem putatis vindictam? an fer-rum rapuit, & ad Cæſaris palatium furibunda prævolavit? mini-me! Forſan venenum illi occulte præparare conſtituit? nec hoc. An ejus nomen invide traduxit? nequaquam. Quid ergo? ad preces converſa Deum ut is vindex eſſe vellet, enixe rogavit. Quod dum faceret, allabitur illi vox ab alto, quæ dixit, Impera-torem argentea manu defendi, liberalis enim & miſericors erat erga pauperes. O impii! quam vindictam contra vos clamant ve-ſtra ſcelera! ubi jam dudum eſſetis? arderetis in ignibus inferni! niſi argenteæ veſtræ manus, vindicis gladii fulmen à vobis averte-rent, niſi aliquas, forte modicas! daretis eleemoſynas.

Miſericordia reos defendit argentea manu Hiſtoria ſelecta ex Baronio.

Juvat & hic ſubnectere eum, quem R. P. Drexelius narrat §. 15. apologum. Bononiæ vixit homo dives, & opibus, & vitiis. Huic in nocturna quiete, hoc fuit objectum ſomnium. Videbatur ſi-bi deprehenſus in campis, in terribili tempeſtate, ibi fulminare cœlum, mugire tonitrua, denſos imbres depluere, extrema omnia minitari. Quid faceret miſer viator? fugit ad proximas ædes, pe-tiit intromitti, ſed hoſpita reſpondit, *Ego Iuſtitia vocor, tu homo*

De miſericordia inſigni ſa ſtudio, ex P. Drexelio.

 es in-

es injuſtiſſimus, vade, in domo Iuſtitiæ pro te non eſt locus. Quare abiit ad ædes proximas, ſed pulſanti dixit domus Domina; *Ego ſum veritas, tu homo mendaciſſimus, tu fraudibus, dolis, uſuris, ac rapinis intentus es, tu aliud ore promptum, aliud ore clauſum geris, vade, pro te hic non eſt locus.* Ne tamen ſine omni ſolatio veritas deſperabundum in tam terribili tempeſtate hominem, à ſe dimitteret, oſtendit illi proximas ædes miſericordiæ; quæ domus portas illi aperiens, dixit ex cap. 4. Danielis v. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Hic evigilavit, O divites! tempeſtas vos manet terribiliſſima! quibus fluctibus & turbinibus vos involvet amara mors? quo tum obſecro fugietis? quis vos recipiet? Juſtitia? hæc contra vos, altera, ſtrictum tenet gladium, altera bilancem, qua accurate veſtra trutinabit ſcelera. Ad Veritatem? O quoties eam repudiaſtis mendaces filii hominum, toti in fallaciis, dolis, verſutiis! Ad caſtitatem? Sed nec illa vos novit, qui Veneri ſerviiſtis & voluptati. Quid ergo? Reſtat miſericordia! huic ſi addicti fueritis, macti animis, illa ſuum vobis pandet ſinum, illa januam reſerabit, illa manum præbebit dexteram, illa veſtra erit Domina, Advocata, Mater, Protectrix.

§. 16. *Imago miſericordiæ.*

Ingenioſi pictores miſericordiam depinxerunt in forma ſpecioſæ Virginis, veſtitu candido, coronatam ramis olivæ; ſtantem apertis brachiis, ſi mihi liceret, pro lemmate adjicerem verba Chriſti D. Matt. 11. v. 28. *Venite ad me omnes.* Talis eſt miſericordia! cum crucifixo expandit brachia, & ſinum amoris. O divites! nunquid deſideratis, ut aliquando in agone ſanguineis brachiis Jeſus crucifixus, & benevolis manibus miſericordia vos amplectantur? *Eſtote miſericordes,* S. Chryſoſtomus t. 5. hom. 32. ad pop. *A gehenna vos nemo eruet, niſi à pauperibus auxilium conſequamini.*

§. 17. *Epilogus, cum variis affectibus.*

Finio denique verbis S. Leonis, ſæpius citati. *In eleemoſynæ largitione, ſententia judicaturi, in poteſtate ponitur judicandi.* Pauca ſed amica verba, ſententia Judicaturi, ponitur in ſententia judicandi. Ergo ſalve miſericordia, & vos ſalvete pauperes, vos nudi, infirmi, ſqualidi, captivi, famelici, ſitibundi, ſalvete membra Chriſti, fratres mei, ſalvete, nam vos me eruetis à gehenna, vos ego

Digitized by Google

ego mihi amicos faciam de mammona iniquitatis; vobiſcum dividam panem meum, imo cor meum, ſi fieri poteſt, nam, *beati miſericordes.* Jeſu miſericordiſſime, da quod jubes, da gratiam, ut quod ore pronuntio, ipſo compleam opere. Amen.

CONCIO XXXIV.

DOMINICA V. POST SS. TRINITATEM.

Aſcendens in unam navim, quæ erat Simonis.
Luc. 5. c. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SOlennis controverſia; Quæ ſit vera Chriſti navicula, id eſt, Eccleſia, examinatur.

§. 1. *Variis rebus comparatur Eccleſia in ſacris literis.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Quo myſterio S. Petrus ceperit 153 piſces.*
§. 4. *Cur 72. tintinnabula appenſa fuerint ex fimbria veſtis ſacerdotalis.*
§. 5. *Obſervatio de titulo crucis, ſcripto triplici lingua.*
§. 6. *Item de veſte Chriſti quadripartita.*
§. 7. *Eccleſia civitas in quadro poſita. Cur.*
§. 8. *Eccleſia mons Domini præparatus. Ex Iſaia.*
§ 9. *Quomodo gentes fluant in hunc montem.*
§. 10. *Varia Prophetia Iſaia de vera Eccleſia.*
§. 11. *De diffuſione veræ Eccleſiæ, per totum orbem ex S. Hieronymo.*
§. 12. *Proſecutio.*
§. 13. *Elegans comparatio Eccleſiæ cum columba.*
§. 14. *Eccleſia, ut columba pulcherrimi oculi.*
§. 15. *Columbæ fœcunditas.*
§. 16. *De columba Oſeæ, non habente*

habente cor.

§.17. *An Catholica, vel Lutherana Eccleſia ſit columba.*

§.18. *Epilogus.*

§1. *Variis rebus comparatur Eccleſia in ſacris literis.*

INter illa myſteria, quæ Spiritus Sanctus ſub variis ſymbolis, & ingenioſis imaginibus oculis noſtris proponit, qualia ſunt v.g. ipſe Spiritus S. veluti columba, ventus, ignis, aqua. Et Chriſtus Salvator noſter, velut agnus, leo, paſtor, vitis, arbor. Et B. Virgo, veluti ſol, luna, aurora, ſtella matutina &c. numeranda eſt etiam Eccleſia, quatenus eſt congregatio omnium fidelium, ſub uno capite, Chriſto, in terris. Plena eſt ſacra ſcriptura ejuſmodi imaginibus. Comparatur cum monte, & quidem Libano, vel monte Sion: cum civitate in monte poſita; cum turri, cum regno, vel regina; cum throno & corona gloriæ Dei. Variis locis depingitur, veluti amœnum palmetum, veluti hortus, veluti ager & vinea, veluti arbor, veluti acies caſtrorum ordinata. Delineata quoque fuit in arca Noe, in templo Salomonis, in aureo ejus candelabro, in tabernaculo, & ſanctis ſanctorum, in templo, quod demonſtratum fuit Ezechieli; in muliere amicta ſole, coronata ſtellis, in ſponſa agni, & aliis viſionibus, quas ſe vidiſſe memorat S. Joannes Evangeliſta, in ſua Apocalypſi. Agro, vineæ, ovili, reti illam comparavit ipſe Chriſtus Salvator noſter; & in hodierno Evangelio confert navi; de qua comparatione aureè dixit aureum os S. Chryſoſtomi homilia de cruce. *Navigat Eccleſia ſancta, inſtructa fidei gubernaculo, felici curſu per hujus ſeculi mare, habens gubernatorem Deum, Angelos remiges: Tracta ipſa ſalutari arbore crucis, in qua Evangelica fidei vela ſuſpendens, flante Spiritu Sancto, ad portum Paradiſi, & quietem ſecuritatis æternæ perducitur.* Pretioſæ merces ſunt virtutes, & opera ſancta. Stella maris eſt Maria, qui in illa navi vehuntur, ſunt Chriſti fideles.

§.2. *Propoſitio.*

Quapropter cum hodie ſit celebris controverſia, de hac navi, ſive de vera Chriſti Eccleſia, & illa decidi non poſſit, niſi ex ſignis; ex quibus ipſa ſacra ſcriptura vult nos illam agnoſcere; de iiſdem memini me in meis concionibus, hodierna potiſſimum Dominica, tractare. Ex præcipuis notis una eſt, ut ſit univerſalis, ut per totum terrarum orbem ſit dilatata, ut propagines ſuas exten-

Digitized by Google

extendat uſque ad fines terræ. Examinemus itaque hanc notam, & poterimus facile judicare, utrum probabilius ſit; an v.g. Lutherani, vel Calviniſtæ, vel Romano-Catholici ſint in navi Petri, ſive, in vera ejuſdem Eccleſia.

§. 3. Quo myſterio S. Petrus ceperit 151. piſces.

Notam veræ Eccleſiæ, de qua mihi ſermo eſt, ita nobis proponit hodiernum Evangelium. *Cum hoc feciſſent*, ait textus, id eſt, cum Petrus in verbo Domini, & nomine Chriſti laxaſſet rete ſuum, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum & annuerunt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos, & venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pœne mergerentur. Et ſtupor circumdedit eos; in captura piſcium, quam ceperant. Joan. 21. v. 6. dicitur Petrus traxiſſe è mari, rete plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. S. Hier. in c. 47. Ezech. advertit cum magno myſterio exprimi hunc determinatum numerum, ajunt enim, qui de animalium ſcripſere naturis, centum quinquaginta tria eſſe genera piſcium, quæ omnia capta ſunt ab Apoſtolis, & nihil remanſit inceptum, dum & nobiles, & ignobiles, divites & pauperes, & omne genus hominum, de mari hujus ſæculi trahitur ad ſalutem.

§. 4. Cur 72. tintinnabula appenſa fuerunt ex fimbria veſtis ſacerdotalis.

Similem myſterio plenum numerum reperio in aureis tintinnabulis, quę dependebant ex fimbria veſtis ſacerdotalis, in qua totus orbis erat deſcriptus. Fuerunt enim ſeptuaginta duo; quia ex mente S. Hieronymi, S. Auguſtini, & Patris Pierii, totidem fuerunt genera linguarum, in quas homines, in confuſione turris Babel diſſipati, abierunt, ut intelligamus, nullam fore in toto terrarum orbe nationem, quam non eſſet Evangelicæ vocis tuba pervagatura, ut ſciamus, veram Chriſti Eccleſiam debere eſſe ubique, in omni parte mundi.

§. 5. Obſervatio de titulo crucis, tribus linguis ſcripto.

Idem myſterium SS. Patres obſervarunt in titulo crucis Chriſti, & diviſione veſtis Salvatoris ſub cruce, ex cap. 19. v. 20. S. Joan. ſcimus titulum fuiſſe ſcriptum tribus linguis, quæ tum præcipue erant in orbe terrarum. Divinitus, ut ego puto, (inquit D. Cyrill. Alexandr. l. 12. in Joan. 20.) *Omnium enim gentium regnum Chriſto attributum eſſe ſignificavit. Vt omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſerviant; titulus igitur iſte per præcipuas linguas, omnium lingua-*

 rum,

rum, Ieſum futurum Principem, prædicabat. Vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. De eodem titulo ait Theophylactus in cap. 23. Lucæ. *Hoc ſymbolum fuit, quod potentiſſimi gentium, quales Romani, & ſapientiſſimi, quales Græci, & religioſiſſimi, quales hebræi, regno Chriſti ſubjiciendi eſſent.*

§. 6. *Item. de veſte Chriſti quadripartita.*

De veſtibus ait D. Auguſtinus tract. 118. *Quadripartita veſtis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quadripartitam ejus figuravit Eccleſiam: toto terrarum orbe, per quatuor partes conſtat diffuſam, & omnibus ejuſdem partibus concorditer diſtributam.* De hoc numero quaternario, vel quatuor partibus, in ædificio, vel palatio & civitate Eccleſiæ, prout S. Joannes vidit illam poſitam in quadro, eleganter diſcurrunt Haymo, Ansbertus, Pannonius apud P. Cornelium à Lapide in cap. 21. Apocal. *Eccleſia in quadro poſita eſſe memeratur, quia eſt robuſta per fidem, longanimis per ſpem, ampla per charitatem, efficax per operationem.*

§ 7. *Eccleſia in quadro poſita. Cur?*

Per quatuor verò partes vel latera civitatis poſſumus intelligere, illam per quatuor mundi partes, ſive, in Oriente, Occidente, meridie & Aquilone propagandam. Ut impleatur promiſſio Iſaiæ cap. 43. v. 5. *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te; dicam Aquiloni & Auſtro, Noli prohibere.* Ut impleatur alia divina promiſſio facta Abrahamo Geneſ. 22. cap. v. 17. *Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* In Occidente Europæi, Hiſpani, Galli, Germani, Itali, &c. In Oriente, Indi, &c. In Aquilone, Gothi, Livones, Poloni &c. In Meridie, Aſſi, Æthyopes &c. Ex omnibus his nationibus conflatur congregatio fidelium, ſive, Eccleſia Chriſti.

§. 8. *Eccleſia mons Domini præparatus. Ex Iſaia.*

Alia phraſi uſus fuit Iſaias cap. 2. v. 2. *Et erit in noviſſimis diebus*, ſcilicet tempore Meſſiæ, *præparatus mons domus Domini*, præparatus, id eſt, erectus, directus, fundatus, munitus, conſtructus, firmatus & ſtabilitus, ut nullæ vires, nec portæ inferni contra illum ſint prævalituræ. S. Bernardus ait, *mons præparatus, id eſt, mons pacis, mons gaudii, mons vitæ, mons gloriæ.* Non inhærebo variis ſenten-

Digitized by Google

ſententiis SS. PP. Cyrillus, Euſebius, S. Athanaſius aptiſſime per hunc montem intelligunt Eccleſiam. Hæc enim eſt domus Domini altiſſima, & maxime conſpicua, perinde acſi in altiſſimo monte eſſet poſita. Manifeſta, viſibilis; *in vertice montium.* 1. quia ſua altitudine, ſive dignitate, excellentia & gloria ſuperat montes Judæorum, montem Sion, in quo poſita fuit arx Davidis, & Moria, in quo erat erectum templum Salomonis; quæ ædificia fuerunt tantum umbra veræ Eccleſiæ. 2. quia ſuperat ſacrificia omnium aliarum religionum. 3. quia ejus doctrina, vita, & mores omni philoſophia & ſapientia, omni ingenio, omnium veterum religione & cœtu, eminet, & excellit, utpote è cœlo profecta; ſupernaturalis, & divina. S. Auguſtinus ait, *Montes vocantur Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & alii illuſtres ſancti, quia licet corpore degant in terra, converſatione tamen, & virtutibus tranſcendunt ſidera.* Mons præcipuus & altiſſimus fuit ipſe Chriſtus Dominus, & ſuper hos montes ædificata eſt Eccleſia; quaſi mons, & ipſa, altiſſimus, præparatus &c.

Pergit Iſaias; & ego redeo ad propoſitum. *Fluent ad eam omnes gentes.* Videtur hoc eſſe contra naturam; flumina enim fluunt deorſum; quomodo gentes fluere dici poſſunt in altum? hoc facit gratia Chriſti, quæ ſurſum corda rapit. Deinde particula *fluent*, ſignificat affluentiam, & multitudinem populorum, qui convertentur ad Chriſtum. 3. Vocula, *fluent*, ſignificat curſum hunc & affluxum fore ſpontaneum. quaſi diceret. Ad Eccleſiam, quaſi præparatum montem ſapientiæ, ſanctitatis, & virtutum, ſurſum, contra naturam, vi gratiæ cœleſtis, ex omnibus mundi nationibus plurimi aggregabunt ſe; ea animi propenſione contentione, ac impetu, quo ſolent flumina in imas valles è montibus defluere. Hoc eſt, quod Chriſtus D. ait Joan. 4. v. 14. ſe daturum aquam, ſalientem ſurſum: puta, in vitam æternam. Denique; fluent gentes, non ſimul, ſed ſucceſſive; primo enim ad Chriſtum acceſſerunt Judæi, deinde Samaritæ, mox Syri. Inde Græci, Latini. Hodie, Indi, Japones, Chinenſes & aliæ nationes. S. Andreas convertit Achæos, S. Thomas Indos, S. Bartholomæus Armenios, SS. Petrus & Paulus, Romanos; verbo, totum

§. 9. *Quomodo gentes fluant in montem.*

Digitized by Google

terrarum orbem. Denique addit Iſaias; *Et docebit nos vias ſuas.* Hæc eſt vox gentium toto mundo confluentium ad Chriſtum D. & ejus Eccleſiam; quaſi dicerent, hactenus docuit nos Plato, docuit nos Socrates, docuere nos Ariſtoteles, Diogenes, Pythagoras, & alii; promiſerunt nobis veram ſapientiam, & viam ad virtutem & felicitatem, ſed falſo, decepti ſumus! erravimus! pſ. 118. v. 85. *Narraverunt iniqui fabulationes.* Baruch. 3. v. 22. *Sapientia vera, non eſt audita in terra Canaan, nec viſa eſt in Theman.* Docuit deinde nos Abraham, docuit, Jacob, docuit Moyſes &c. ſed nos perficere, Chriſtianam & plenam ſapientiam docere, cœlum aperire, gratiam & robur, ad ea, quæ docebant opere præſtanda, conferre non potuerunt. *Lex enim per Moyſem; gratia, & veritas, per Ieſum Chriſtum, facta eſt,* Joan. 1. v. 17. Eia ergo, agite, inquiunt gentiles dum convertuntur, & hoc ubique in toto terrarum orbe; ſine mora venite læti, & alaces aſcendamus ad Meſſiam noſtrum, ad Chriſtum, verum orbis doctorem, ille nos in Eccleſia docebit vias Dei, viam in cœlum, ſcientiam ſanctorum, ille gratiam ſimul conferet, ut facile has vias ineamus, imo curramus, non paſſibus corporis, ſed mentis, puta, credendo, ſperando, amando, obediendo, caſte pieque vivendo. Sic aſcendamus, ad montem Domini. Talis nimirum debet eſſe fluxus & accurſus gentium, dum convertuntur ad Chriſtum. Imprimite mentibus veſtris hunc diſcurſum, ut deinde, cum in particulari magis diſcutiemus, an hic mons ſit Eccleſia Lutheri, vel Calvini, vel Romano-Catholicorum, illorum refricetis memoriam.

§. 10. *Varia Prophetia, Iſaia, de vera Eccleſia.*

Multis aliis metaphoris in S. Scriptura explicatur multitudo fidelium, ſive propagatio Eccleſiæ. Iſaiæ cap. 35. v. 1. *Lætabitur deſerta, & exultabit ſolitudo,* (talis fuit primitiva Eccleſia) *& florebit quaſi lilium, germinans germinabit,* id eſt, Eccleſia Chriſti, ſemper producit novas & copioſas frondes, flores, & fructus. *Gloria Libani data eſt ei.* Sicut enim in hoc monte, innumerabilis creſcit multitudo cedrorum, ita in vera Chriſti Eccleſia, debet eſſe ingens numerus fidelium; & hoc, ad Orientem, ad Occidentem, ad Auſtum & Aquilonem; ad omnia latera montis Libani.

De quo

Digitized by Google

De quo S. Hieronymus ad Lætam. Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli ſalutaris pictura, condecorat. Jam & Ægyptius Serapis, Chriſtianus factus eſt; de India, Perſide, Æthiopia, fidelium quotidie turmas ſuſcipimus. Depoſuit pharetras Armenius, Hunni diſcunt pſalterium, Scythiæ frigora calent, & fervent calore fidei, Getarum rutilus & flavus exercitus Eccleſiarum circumfert tentoria. Ubique germinans germinat Eccleſia; præſertim ubi glorioſo ſanguine Martyrum irrigatur. §. 11. *De diffuſione Eccleſiæ per totum orbem ex S. Hieronymo.*

Idem D. Hieron. ep. 3. ad Heliod. ſibi gloriatur, & gaudet nihil in toto terrarum orbe audiri, niſi Chriſtum. *Ante reſurrectionem Chriſti notus tantum in Iudæa Deus. Nunc paſſionem Chriſti* (& crucem) *& reſurrectionem* (& gloriam ejus) *cunctarum gentium, & voces, & literæ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis & Latinis, quos ſuæ crucis titulo Dominus dedicavit, pellitorum turba populorum, & feritas, ſtridorem ſuum, in dulce crucis fregerunt melos, & totius mundi, vox una, Chriſtus eſt.* Ipſa crux lilium eſt, palma eſt, oliva eſt, vitis eſt, florens & germinans. §. 12. *Proſecutio.*

Cœleſti ſponſo, ſive Chriſto Domino placuit, ſuam ſponſam ſive Eccleſiam, comparare columbæ: ob varias cauſas. 1. Columba eſt purum, pulchrum, & nitidum animal. Chriſtus verò, (ad Epheſ. 5 v. 26.) *Dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ, in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Ut ſponſus dicere poſſit, *Oſtende mihi faciem tuam, facies tua decora*, adverto, veram Eccleſiam debere eſſe puriſſimam columbam, pulcherrimæ faciei. 2. Inter columbam & columbum magnus eſt amor, unio, & propenſio; major eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. 3. Columba amat ſecretum & ſolitudinem, ita Eccleſia, Jeſu latus, unde prodiit ubi nata eſt, libenter inhabitat. S. Bern. ſer. 61. in Cant. *Publicum erubeſcit, decernitq́, frui deliciis ſuis, in loco ſequeſtri, utiq́, in foraminibus petræ, & cavernis maceriæ.* Cant. 2. verſ. 14. & S Gregorius lib. 19. mor. cap. 24. ſuper verba Jobi cap. 29. verſu 8. *In nidulo meo moriar.* Sancta Eccleſia, *amore Redemptoris affecta,* §. 13. *Elegans comparatio Eccleſiæ cum columba.*

 crebris

crebris gemitibus utitur, & velut nidum ſibi pacatiſſimum invenit, in quo creſcentes filios, quaſi, plumeſcentes pullos, caritatis gremio calefactos fovet. 4. Columba, amiſſo compare amat arentia & deſerta loca; *illique ſoli,* (inquit S. Ambroſius l.5. Hexam. cap.19.) *caritatem reſervat, ut illi cuſtodiat nomen uxoris.* S. Chryſoſt. *Talis eſt caſta Eccleſia. 1. præter Chriſtum alteri viro non commiſcetur, ſed ipſum deſiderat, ipſum exſpectat & deſiderio ejus commori cupit.* Origenes: *Aliud à Chriſto in cruce mortuo, conjugium neſcit.* Gemens columca fuit S. Bernardus ſer.59. in Cant. cum dixit, *Quidni moveat mihi crebras lachrymas & gemitus quotidianos Chriſti pro me crucifixi abſentia?* Turturem tempore ſuæ viduitatis, videas ubique ſingularem, ubique gementem audias, nec unquam in viridi ramo ſedentem proſpicies, ut tu ab eo diſcas, voluptatum virentia velut virulenta vitare, & ſponſum pariter crucifixum lugere; tum in jugis montium, & in ſummitatibus arborum frequentior illi converſatio eſt, ut doceat nos terrena deſpicere, & amare cœleſtia. O Bernarde! O vera columba! abſens abſentem quæris amorem! & quæris cum lachrymis, cum gemitu, cum ſuſpiriis! nimirum hæc pia veræ columbæ indoles. Diſpicite jam Auditores, apud quos ſit illa columba piorum gemituum, lachrymarum, pœnitentiæ. Apud Catholicos, an apud Lutheranos? videte, ubi magis gemat columba, & veram Dei Eccleſiam cognoſcite.

§.14. *Eccleſia, ut columba, pulcherrimi oculi.*

Quinta cauſa comparationis inter columbam & Eccleſiam hæc eſt. Columba limpidiſſimos habet oculos. Cant.1. verſ.14. *Oculi tui columbarum*; reſident enim juxta fluenta, inde bibunt, in illis veluti ſpeculo vident hoſtiles vulturum & accipitrum incurſus. Iterum agnoſcite imaginem Eccleſiæ, pulcherrimis ornata oculis, moratur juxta rivulos pretioſi ſanguinis ſui ſponſi, & juxta fluenta gratiarum, *In his* (S. Bern.) *ſe columba tutatur, & circumvolitantium, intrepida, intuetur accipitrem. Et revera, ubi tuta, firmaque infirmis ſecuritas, & requies, niſi in vulneribus Salvatoris.* O bona requies! O dulces cavernæ! Vulnera ſervatoris mei! Eia piæ animæ, vos potiſſimum, quæ eſtis de Agonia morientis in cruce Jeſu, eia columbulæ! nolite jam interrogare cum Davide; *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo,* jam pennas ha-

Digitized by Google

nas habetis; amor dedit pennas, volate & requieſcite; nuſquam tuta, firmaque ſecuritas, niſi in Vulneribus Salvatoris. Sed nunc ad meum me propoſitum, de vera Chriſti columba, ſive Eccleſia, recipio.

6. Columba eſt animal fœcundiſſimum; longe fœcundior eſt Eccleſia, hoc eſt, vera Chriſti D. Eccleſia, per totum terrarum orbem debet habere fideles, & filios, in magno numero, quod jam ſuperius demonſtravi. §. 15. *Columbæ fœcunditas.*

Antequam jam in particulari ex vobis quæram, apud quos putetis reperiri veram Eccleſiam, ſcrupulum mihi injicit Oſeas cap. 7. v. 11. ubi ait, *Et factus eſt, Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor.* Deum bonum! qualis hæc columba? Ex querelis, quas Propheta ſubdit, *Receſſerunt à me,* (loquitur de ingratis Judæis) *prævaricati ſunt in me, locuti ſunt contra me mendacium, in me cogitaverunt malitiam, reverſi ſunt, ut eſſent, abſque jugo revelata eſt iniquitas Ephraim omnes adulterantes cœperunt furere à vino &c.* Ob hæc omnia, verba illa, *factus eſt Ephraim, quaſi columba ſeducta, non habens cor.* Interpretes aliter & aliter vertunt. Theophylactus ait, *Ephraim, ſive Synagoga, abiit poſt alios amatores.* Hoc facit columba, ſubinde relinquens comparem quærit alium. Hoc fecit Synagoga, columba fit ſubinde adultera; talis fuit Synagoga. Columba ſubinde appetit alias nuptias, non caſtas. Ideo alii legunt, *ſicuti columba decepta*; alii, *ſeducta.* LXX. *Inſipiens, inſenſata.* Aquila. *lactata.* Hebræi, *facile declinans.* Alii, *habens cor multi deſiderii.* Denique, *non habens cor, eo quod raptum fuerit ab aliis.* Voluit ergo dicere Oſeas, ſynagoga fuit prius electa columba, & dilecta, ſed deinde, ob gravia ſcelera, decepta, inſipiens inſenſata, &c. §. 16. *De columba Oſeæ, non habente cor.*

Ecce duplicis generis columbas. Ex illis quæ dicta ſunt de utroque judicate, an Eccleſia v. g. Lutheri, an Eccleſia Catholicorum ſit vera columba Chriſti. Luſtrate religionum v. g. auctores, & doctores, quales fuerint columbæ. Qualis columba fuit Lutherus, conſiderate ejus dicta, factaque, perpendite doctrinam, & quærite ſi poteſtis columbæ munditiem, Vah! upupam potius, quam columbam reperies. Quales columbæ, tale & colum- §. 17. *An Catholica, vel Lutherana Eccleſia ſit columba.*

Digitized by Google

columbarium. Qualis Rex, talis grex, qualis doctor, talis & Eccleſia, qualis paſtor, tales & oves. Alias columbas reperietis inter ſanctiſſimos Romanæ Eccleſiæ Doctores, quorum doctrina ſemper fuit mundiſſima. Perpendite vobiſcum, quorum doctrina rapiat cor, quænam decipiat, ſeducat, reddat homines inſipientes &c. (habes hic lætiſſimam materiam.)

§. 18. Epilogus. Refricate præterea memoriam eorum, quæ ſupra dixi, inſpicite bene, utriuſque Eccleſiæ faciem, quænam habeat rugas, maculas &c. in qua navicula ſint omnis generis piſces; cogitate, quænam ſit civitas in quadro poſita, &c. (fiat brevis totius concionis repetitio.) Hæc videte, examinate, perpendite, & æquum feretis pro veritate judicium.

CONCIO XXXV.

DOMINICA VI. POST SS. TRINITATEM.

Vade prius reconciliari fratri tuo.
Matth. 5. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

INimici, diligendi ſunt corde, ore, opere. Urgetur hic maxime, præceptum & exemplum Chriſti, præſertim crucifixi.

§. 1. *Variæ eruditiones de diligendis inimicis.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Senſus & oratio illorum, qui nolunt ignoſcere.*
§. 4. *Amor erga inimicum duplex, interior & exterior.*
§. 5. *Triplici odio opponatur triplex amor, cordis, oris, & operis.*
§. 6. *Imago crucifixi docet nos triplicem gradum hujus dilectionis.*
§. 7. *Proſecutio. Sive, quam amor Chriſti, fuerit oppoſitus odio Iudæorum.*

§. 8. Ora-

§. 8. *Oratiuncula Ieſu in cruce*, Pater ignoſce illis, *affectuoſe exponitur.*

§. 9. *Proſecutio ſancti Septimi.*

§. 10. *Pia obſervatio S. Auguſtini, de Ieſu Crucifixi amore, erga inimicos.*

§. 11. *Apertum Chriſti in cruce latus, quid ſibi velit.*

§. 12. *Amor Chriſti in Iudam.*

§. 13. *Quo myſterio Chriſtus Dominus Malcho reſtituit auriculam.*

§. 14. *De converſione Longini, Centurionis, cauſa notabilis.*

§. 15. *Præclara verba Senecæ de Deorum beneficentia, melius Deo uni, & Chriſto D. applicantur.*

§. 16. *Epilogus, cum affectu piæ animæ, Chriſti beneficentiam imitari volentis.*

ANnulum magni Catonis, optarem omnes meos Auditores geſtare in manibus ſuis; ſiquidem hæc aurea verba illi fuerunt inſculpta; *Amicus unus, inimicus nullus.* Illum amicum meum, ego, licet nullum habeam, annulum cupio eſſe Jeſum Salvatorem meum, & in gratiam hujus amici profiteor palam & claris verbis, Nullum ego habeo inimicum, cui male velim, omnes, omnes, in Chriſto Jeſu amplector in viſceribus charitatis. Vel ſi magis placeant verba Chriſti, illa veſtris annulis inſcribite, *Vade, reconciliare fratri tuo.* Æſchilus, teſte Livio, lib. 7. c. 225. ſuis civibus prohibuit, ne in republica alerent leones, id eſt, homines feroces, vindicativos, & implacabiles. Hoc opto in hac concione, & Chriſtus D. jubet, ut nullus adſit leo, nullus, qui nolit reconciliari fratri ſuo. Plutarchus & Tacitus laudant inſignes belli duces, qui cum injurias ulciſci poſſent, eos à quibus offenſi erant, ſint amplexati, & omnem noxam illis condonaverint. O ſi hodie omnes mei Auditores eſſent tales heroes, ſub vexillo ſanctiſſimæ crucis Chriſti, per quam ipſe nos reconciliavit æterno Patri ſuo, ut ſimiliter nos reconciliemur cum omnibus hominibus, ut illos amplexemur, omnemque noxam condonemur. Cum Cæſari traditus eſſet manipulus literarum, contra ſe ſcriptarum, juſſit illas comburi, neque eas aperuit, ne fortaſſis & auctores cognoſceret; & ita vindictam de illis ſumere cogeretur. Si qui fortaſſis ſint inter meos Auditores, qui habent

§ 1. *Variæ orationes de diligendis inimicis.*

Digitized by Google

tales libellos, in quibus atro atramento notata ſunt illorum nomina, à quibus, & in quibus offenſi ſunt, rogo ut hodie amori Jeſu id tribuant, ut illos comburant in igne Chriſtianæ charitatis. Hoc à nobis exigit, hoc mandat, Chriſtus Dominus jubet, ut reconciliemur cum fratribus noſtris. Pythagoras ſuos diſcipulos ita inſtruxit, ut ne vel minimam iram in corde retinerent contra illos, à quibus offenſi erant, ne fomitis vel ſulphuris loco, ad vindictam accendendam ſervire poſſet; Addebat, omnem etiam memoriam offenſarum, oblivione conferendam.

§ 2. *Propoſitio.*

Quid ſi fortaſſis in cordibus auditorum meorum lateat talis fomes, tale ſulphur, quod iras, ſanguinem & vindictam inflammat? O ſi ego vel meo, vel ſanguine Jeſu crucifixi poſſem extinguere. Tentabo ſaltem, & ut id obtineam, oſtendam in hac concione, quem & qualem amorem à vobis, etiam erga inimicos, requirat Chriſtus Dominus. De benevola attentione non dubito.

§. 3. *Senſus & oratio illorum, qui nolunt diligere inimicos.*

Quid? egone meo proximo, graviſſimas injurias, & quidem famæ, honorique meo illatas, condonem? illumne ego amabo, qui me cane & angue peius perſequitur? ego! benedicam, detrahenti? eum qui me mordet, oſculabor? qui me pungit ſpinis, illi offeram roſas? pro felle, mel? illumne amplectar, qui cum Joabo occultatum ſub veſte pugionem in latus meum ſtringit? Et nunquid ſilices, qui inſenſibiles ſunt, ſi tamen percutiantur, ſcintillas & ignes evomunt? ego fortaſſis ſum lapis? nunquid ſum homo! nobilis! à heroibus progenitus! aquilæ pullus! & non ſpiram flammas contra meos inimicos? In aula aliqua hujus mundi, oratio hæc videtur compoſita. Verum diſcipuli in ſchola Chriſti, à cœleſti Magiſtro inſtructi aliter loquuntur, & quidem quotidie in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Talia juſſit Chriſtus Dominus cum dixit, *Diligite inimicos veſtros.* Et niſi hoc faciamus, niſi reconciliemur fratribus noſtris, non vult, ut alia ſacrificia laudum, & gratiarum actionis altari imponamus, ſi æternam velimus evadere damnationem, debemus ignoſcere inimicis.

Modum

Digitized by Google

Modum injurias condonandi, & diligendi inimicos, & perfectiſſimum ore ſuo ſanctiſſimo ipſe Chriſtus Dom. in hodierno Evang. declaravit. Dum innuit dilectionem inimici eſſe duplicem. Alia eſt interior; & conſiſtit in affectu cordis, quo quilibet tenetur amare inimicum, deponendo odium, & deſiderando illi omne bonum, ſiquidem amare, vel velle bonum alicui, nihil eſt aliud, quam optare illi bona gratiæ & gloriæ. Secundum genus amoris dicitur dilectio exterior & conſiſtit in affectu operis, ſive in exhibitione beneficii, prior gradus, eſt neceſſitatis, alter eſt ſupererogationis & perfectionis. Ludolphus Carthuſ. p. 2. c. 35. *Imperfectus tenetur inimico odium dimittere, & bonum optare: perfectus autem tenetur etiam neceſſaria miniſtrare.*

§. 4. *Amor, erga inimicum duplex; Interior, & Exterior.*

Clarius rem intelligemus, ſi obſervemus nos triplici modo lædi, & offendi à noſtris inimicis, corde, ore, & opere. Corde, cum nos interno odio perſequuntur; Ore, dum detrahunt noſtro honori, dum in faciem dicunt contumelias, & convitia; Opere, variis modis nocendo. Quid igitur Chriſtus Dominus? deſiderans nos totaliter perfectos, &, ut alibi loquitur, ſimiles ſuo Patri cœleſti; ut nos ſecuros reddat divinæ gratiæ, remiſſionis peccatorum, & cohæredes cœleſtis gloriæ; pro odio cordis, à nobis exigit amorem cordis, dicens, *Diligite inimicos veſtros.* Omnes noſtras cogitationes de inimico, de illatis injuriis, vult eſſe plenas dilectione hoc eſt, reconciliari fratri ſuo. Odio oris, detractionibus, calumniis, contumeliis, imprecationibus &c. Chriſtus Dominus opponit amorem oris; *benedicite illis qui oderunt vos*; vult ut inimicos noſtros ore laudemus, ut bene de illis loquamur, ut ferventer pro illis oremus. Hoc eſt, diligere inimicum, hoc eſt reconciliari fratri. Pro odio operis, vult Chriſtus D. ut illis exhibeamus beneficia; *benefacite his, qui oderunt vos.* Hoc eſt diligere inimicos, hoc eſt reconciliari fratri. In his tribus gradibus conſiſtit perfecta illa dilectio, quam Chriſtus D. à nobis exigit. Inſpiciat jam quivis ſuum annulum, & videat, num ſe in hoc puncto doctrina Chriſti Salvatoris conformem inveniat. Sed gratius fortaſſe vobis erit, Auditores, ſi annuli loco.

§. 5. *Triplici odio, opponatur triplex amor, cordis, oris, operis.*

 Pro-

Digitized by Google

§.6. *Imago crucifixi, docet nos triplicem gradum hujus amoris.*

Proponam imaginem crucifixi; quod in materia condonationis injuriarum, à concionatoribus, ut fiat alibi uſitatum eſt, ut orando, obteſtando per ejus vulnera & ſanguinem auditores moveam ut deponant odia, & inimicis ex corde ignoſcant. Hunc ego circa Chriſti D. crúcifixionem, nunquam ita obſervavi, quod de cathedra ſanctiſſimæ crucis, in ſuo corpore, veluti libro vel ſpeculo, hunc triplicem gradum dilectionis erga inimicos, ſuo exemplo clariſſime expreſſerit. Et inſinuat illum S. Lucas, dum relaturus primum Chriſti verbum in cruce prolatum, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciant*, dicit cap. 23. v. 34. *Ieſus autem dicebat*. S. Baſilius hic. *Autem, eſt dictio adverſativa, qua S. Lucas opponit verba verbis, & opera operibus*, quaſi diceret. 1. In cordibus Judæorum erat ingens, & implacabile odium erga Chriſtum D. Ecce primum modum, quo lædimur ab adverſariis; Odio cordis. Jeſus autem, in corde ſuo, tenerrime amavit, etiam ſuos crucifixores. Ex immenſo & infinito amore, etiam pro illis voluit mori: licet affixus eſſet cruci, deſpectus, illuſus, licet in graviſſimis penderet tormentis; nullum tamen habuit inimicum; omnibus ignovit, & ardentiſſime petiit ididem fieri à Patre ſuo cœleſti.

§7. *Proſecutio. Sive quam amor crucifixi, fuerit oppoſitus odio Iudæorum.*

2. S. Lucas refert; hoſtes Chriſti ſub cruce Principes Sacerdotum, Phariſæos, ſcribas, Milites, Judæos ipſum blaſphemaſſe, illi maledixiſſe, exſpuiſſe contra crucem & ſanctiſſimum ejus corpus. Verbo, ſceleſti Judæi etiam linguis crucifixerunt Filium Dei; Hoc fuit odium oris, & eſt alter modus, quo lædimur ab inimico. Mundus & ſchola diaboli docet, regula Talionis tractandum eſſe inimicum: hinc tot maledictiones, imprecationes, detractiones: hinc tam venenatas audimus linguas cum loquuntur de iis, à quibus offenſa fuit profecta. Jeſus autem, etiam in cruce, oculis in cœlum ad Patrem ſublatis ait, *Pater ignoſce illis*.

§.8. *Oratiuncula ejus in cruce, Pater, ignoſce*

Quaſi diceret, amantiſſime Pater! (cum de inimicis loqui vult, orditur ſuam orationem, vocula ſuaviſſima, vocula mellea, vocula amoris, plena tenerrimo affectu, *Pater*) per hunc ſanguinem, per hæc ſanctiſſ. Vulnera, per has lachrymas, obſecro, ignoſce il-

ſce illis! Hoc unum oro, mi Pater!. Non ut mihi dolores immi- *illis affe-*
nuas, oro, auge potius: non ut matrem conſoleris, tametſi magna *ctuoſe dedu-*
velut mare ſit contritio ejus; nec ut diſcipulum illum, quem dili- *citur.*
go, in curam tuam ſuſcipias, ſed O Pater, ſi ſim filius tuus dilectus, ſi unquam tibi complacui, ſi velis ut cognoſcat mundus, quia diligis Filium, nunc oſtende, & orantem exaudi; *Pater ignoſce illis!* Ecce alterum gradum dilectionis noſtræ erga inimicos: bene de illis loqui, orare pro illis, & quidem ferventer, offerendo pro illis cœleſti Patri Vulnera, & ſanguinem crucifixi. Hanc orationem nos docuit Chriſtus D. in cruce, hoc modo vult nos reconciliari fratri, ut alia ſacrificia, ſanctiſſimæ mortis Chriſti in miſſa, ſacrificia noſtrarum orationum, ſacrificium contriti & humiliati cordis, in remiſſionem peccatorum noſtrorum, imponamus altari Divinæ Miſericordiæ.

3. Inſinuant Evangeliſtæ, & clarum eſt, Principes, Pha- § 9.
riſæos, ſcribas, Judæos, & omnes fere qui cruci aſtiterunt, opere *Proſecutio*
ipſo Chriſtum D. male tractaſſe; exuerunt eum veſtibus ſuis, cla- *SS. Septimi.*
vis affixerunt cruci, neque quieverunt, donec, viderunt in alto pendentem de patibulo, ſi tamen tum quieverunt, cum libenter mille neces illi intuliſſent. O rabiem & furias Judæorum! Jeſus autem, opere ipſo oſtendit, unicum ſuum deſiderium eſſe illis bene facere. Ad hunc finem tam atrocia fuit paſſus, ideo pependit in cruce, ideo mortuus eſt, ideo effudit ſanguinem ſuum, ut omnes redimeret, & eriperet ex faucibus inferni, ut ſicuti latroni, ita omnibus donaret Paradiſum. Et quæ majora potuit exhibere beneficia.

S. Auguſtinus obſervavit, Chriſtum Dominum, qualis pe- § 10.
pendit in cruce, eſſe imaginem, quæ tota ſpirat amorem, etiam *Affectuoſa*
erga inimicos. Laudavi ſuperius heroes, qui ſuos inimicos fue- *obſervatio*
runt amplexati, in ſignum, ſe revera illis condonare omnes inju- *S. Auguſti-*
rias. *Et ob eaſdem cauſas Chriſtus D. in cruce* (ait S. Auguſtinus) *ni, de Ieſu*
Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, *Crucifixi*
brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimen- *amore, erga*
dum. quaſi diceret. O filii, vos me coronaſtis ſpinis! vos me cla- *inimicos.*
vis huic cruci affixiſtis, &c. ego autem vos amo, ego vobis ignoſco

Digitized by Google

accedite tantum, & ruite in meos amplexus, diligo vos! accedite, alloquar vos ſuaviter, promittam vobis Paradiſum. Accedite benefaciam vobis; vobis proderit mea paſſio, mea vulnera, meus ſanguis &c. Verum viciſſim volo, & mando, & præcipio, ut & vos ita diligatis inimicos veſtros.

§. 11. *Apertum Chriſti in cruce latus quid ſibi velit?*

Denique voluit patere latus, & cor ſuum, voluit illud hiare immani Vulnere, ut videre poſſimus nihil ſuper eſſe, accenſi & ebullientis ſanguinis, qui vindictam clamet, omnis ſanguis ad ultimam guttam effluxit, nudum cor Chriſti clamet, nullus inimicus ſancti Patres clavos crucis vocare ſolent *annulos ſummi ſacerdotis*, cum quibus ſtetit ad altare crucis: ſic eſt, ideo ſanguineis clavis inſcriptæ ſunt hæ voculæ, nullus inimicus. Spinea corona clamat, nullus inimicus! flagella hoc clamant, columna clamat; & quid plura? hoc clamant omnia Chriſti patientis verba, tormenta omnia, & tormentorum inſtrumenta hoc clamant, nullus, nullus inimicus. Si Chriſtum imitari volumus, ut imitari tenemur, ut corde, ore, & opere clamare poſſimus, nullus nobis inimicus! ita omnes debemus diligere, ut aliquando in ſupremo agone, coram tremendo Judice dicere poſſimus, mi Jeſu! juſtiſſtiſſime Judex, dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimiſimus.

§. 12. *Amor Chriſti in Iudam.*

Quia tertius hic gradus dilectionis, benefacere inimico, magnæ & eximiæ eſt perfectionis; quia *infinita virtus eſt*, ut ait S. Valerianus Ep. *Odia viciſſe beneficiis.* Quia, teſte Ageſilao, *regale officium eſt, ex inimicis amicos beneficiis facere.* Et quia *ultra felicitatem conſtat eſſe victoria, inimicum ſalvum feciſſe, nec injuriam vindicaſſe,* Chriſtus D. in Paſſione ſua, non uno, ſed variis modis, & erga diverſos, illius exemplar nobis propoſuit. Fatalis Chriſti Domini oſor fuit ejus proditor Judas; nihilominus in ultima cœna mitiſſimus Salvator illi porrexit ſanctiſſimum corpus ſuum, in cibum, & ſanguinem in potum. Quantum verò ſit ſanctiſſimæ Euchariſtiæ beneficium, conſtat ex verbis ſancti Auguſtini ſer. 84. *Deus cum ſit omnipotens, plus dare non potuit; cum ſit ſapientiſſimus, plus dare, neſcivit; cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.* Ideoque cum Judas maximus Chriſti fuerit hoſtis, nihilominus

Digitized by Google

lominus maximi beneficii illum voluit facere participem; ut ſi vellet, illud, id eſt, Caro & ſanguis ejus ſuo inimico prodeſſent ad ſalutem. Ut ſi vellet, tanta, & tam liberalis Chriſti ſuavitas, illi eſſet cauſa deponendi odii, mutandique illud in amorem. Ut diſcamus à Salvatore noſtro, non intermittere benefacere noſtris inimicis; etſi indigniſſimi ſint, ut illis benefaciamus; imò etſi mala, & mortem nobis machinentur; qualis erat Judas erga Chriſtum, & tamen hic à tanti beneficii communione, illum non voluit excludere; prout in hodiernum diem, etiam ſacrilege communicantes, id eſt, ſuos hoſtes non excludit. Et hic fuit diſcurſus doctiſſimi concionatoris ex Ordine S. Franciſci; Quæritur, quare Chriſtus corpus ſuum Judæ dederit? reſpondetur, quod hoc factum eſt à Domino, ut inſtrueret nos omnes, inimicis benefacere, ſecundum illud, *benefacite his, qui oderunt vos.* Dominus enim cibans proditorem ſuum propria carne, inſtruxit membra ſua, quod deberent benefacere inimicis.

Quæritur ſimiliter, quare Chriſtus Dominus in horto Gethſemani, dum caperetur, tanto miraculo, ſervo nequiſſimo ſummi ſacerdotis, Malcho, à Petro abſciſſam auriculam, illam ſanando, reſtituerit. Placet aliquibus hoc contigiſſe, *ad ſuæ Divinitatis manifeſtationem.* Oſtendit enim in hoc Chriſtus Dominus ſe eſſe Filium Dei. Placet aliis Chriſtum illud feciſſe; *Ad Iudæ converſionem*, ut adverteret, quod licet à vivo corpore CHRISTI, per tam atrocia crimina eſſet abſciſſus & ſeparatus, poſſet tamen per gratiam ſanari, ſicut abſciſſa auricula ſanata fuit. Potuit hoc idem miraculum, ſervire, *ad diſcipulorum aliorum confirmationem*, dum Magiſtri ſui viderunt omnipotentiam. Modo mihi præ omnibus placet Wilhelmus Pariſienſis, qui ait; hunc ſervum fuiſſe primum, qui poſt datum à Juda oſculum, in CHRISTUM irruit; primum, qui vincula injecit, primum, qui alapam dedit, primum, qui exſpuit in faciem ejus; verbo, reliquis omnibus ferociorem, impudentiorem, audaciorem, & inſolentiorem. Unde etiam Petrus erga illum maxime fuit commotus, ut ſtricto gladio ſæviens auriculam illi abſciderit.

§. 13. Quo myſterio Chriſtus D. Malcho reſtituit auriculam.

Ex pro-

Ex probabili SS. PP. ſententia, ille idem deinde coram Anna Chriſto Domino terribilem inflixit colaphum, & alapam; Verum ob has eaſdem cauſas Chriſtus D. peculiariter illi voluit benefacere, & illum ſanare; *In quo inſtruxit nos* (ait cit. Auctor) *reddere bonum pro malo, & benefacere his, qui oderunt nos.* Perpendamus nobiſcum, quomodo in hac dilectione imitemur Chriſtum Dominum.

§. 14. *De converſione Longini Centurionis, cauſa notabilis.*

Tandem dilectionem Chriſtus D. licet jam mortuus in cruce tamen adhuc voluit exprimere. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua.* Inauditam tyrannidem, & crudele facinus, quale eſt, ſævire in demortui corpus vel cadaver, & quidem ita tractatum, Chriſtus D. peculiari beneficio voluit compenſare. Voluit mortuus benefacere ſibi male facienti, audite ſuavem vindictam! referam illam verbis S. Iſidori apud P. Ant. de Eſcobar. *Longinus,* (inquit,) *latus Salvatoris aperuit, & gutta ſanguinis Chriſti cum eſſet altero oculo privatus, illuminatus eſt, extra & intus lumine fidei, & per Apoſtolos baptizatus, & poſt Epiſcopatus honorem, etiam martyrii coronam meruit.* O mi Jeſu crucifixe quid agis? erga crudelem, atque ferocientem militem, erga tuum hoſtem, qui ſi adhuc vixiſſes, hoc ictu, momento tibi vitam ademiſſet, tam es beneficus? tam ſuavis, & mitis? ut tuo ſanguine illi oculorum viſum, & animæ vitam volueris conferre? Sed auditores amantiſſimi, ad vos ſe mea vertit oratio. Fecit hoc Chriſtus D. ut & nos hoſtibus noſtris diſcamus benefacere. Ex corde debemus eradicare omnes fibras alicujus odii, vel rancoris, ex corde debemus diligere, non ore, multo minus opere debemus quærere vindictam. Hæc ſunt præcepti. Perfectionis eſt, ſi exemplo Chriſti iiſdem benefaciamus. *Dilectio,* ait Caſſiodorus, præſertim perfecta, *neſcit in ſua natura feriari, ſed benefaciens, & benefica eſt.*

§. 15. *Præclara verba Senecæ de Deorum beneficen.*

Pulchre Seneca lib. 7. de benef. cap. 3. *Non ceſſant Dii beneficia congerere, ſpargunt opportunis imbribus terras, maria flatu movent, ſiderum curſu, notant tempora, hyemes, æſtateſque, interventu lenioris ſpiritus, molliunt pro omnibus &c.* Chriſtiani S. Vincentius Ferrarienſis ſer. 6. poſt cineres. *Pater cæleſtis in hoc mundo multos*

habet

habet inimicos, ſcilicet peccatores, & infideles, & tamen diligit eos, & dat eis beneficia ſolis, lunæ, pluviæ, &c. Chriſtus D. vero, eiſdem dat beneficia ſuæ divinæ carnis, beneficia vitæ ſpiritualis, beneficia redemptionis, beneficia inſpirationum, beneficia ſuæ captivitatis, flagellationis, coronationis, beneficia crucis, beneficia mortis acerbiſſimæ! O benefica Jeſu Salvatoris mei caritas! O peccatores! O inimici crucis Chriſti! videte amantem vos; & perpendite, diſcite inimicis benefacere. S. Vincentius Ferr. addit; *Ideo, ut boni filii, aſſimilemur Patri noſtro cœleſti.* Prout enim dilectio inimicorum propria virtus eſt Dei; ſic per illam Deo maxime aſſimilamur. De priore parte hujus maximæ ſive propoſitionis ait c.11.v.24.& 12. Sapientiæ.v.17. *Miſereris omnium, quia omnia potes. Ob hoc, quod omnium es Dominus, omnibus te parcere facis. Virtutem enim tuam oſtendis tu.* Ita orat Eccleſia. *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime oſtendis, & miſerando manifeſtas.* Manifeſtavit illam in mundi creatione, in redemptione, in aliis beneficiis &c. Sed maxime in hoc, quod diligat, & benefaciat inimicis. Pari modo (quod altera pars ſuperioris, propoſitionis inſinuabat,) homo Chriſtianus ſuam virtutem, perfectionem, ſanctitatem, ſimilitudinem cum Deo & Chriſto D. maxime oſtendit, ſi modo, quo dixi, diligat inimicos.

tia, moliam Chriſto applicantur.

Quis mihi det, hunc tam carum annulum cum lemmate, *amicus unus! nullus inimicus!* Ita, ita eſt, mi Jeſu! mihi poſthac, dum vivo, amicus erit unus; & ille unus, non alius erit præter te mi Jeſu! nam quis te ſincerior? amicior? propinquior? ſuavior? tu tu eris ille amicus unus, in te omnes, & propter te, nullum cupio inimicum. Animitus mi Jeſu, doleo, quod non citius id apud animum meum ſtatuerim. Ergo poſthac nullus inimicus? etiamſi lædar! offendar! Ita! ita! nullus, nullus! Omnes amici, omnibus ignoſco; omnes in Chriſto Jeſu diligo, æſtimo, complector.

§.16. *Epilogus, cum affectu piæ animæ, Chriſti beneficentiam imitari volentis.*

Amicus unus Jeſus! nullus inimicus.

Digitized by Google

CONCIO XXXVI.

DOMINICA VII. POST SS. TRINITATEM.

Miſereor ſuper turbam.

Marc. 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AManti Jeſum animæ, omnia adverſa, levia, brevia, ac momentanea videntur.

§. 1. *Amor inter ſponſam & ſponſum fuit mutuus. Talis amor eſt inter Chriſtum & nos.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Labores noſtros, vel exiguos, quanti faciat Chriſtus.*

§. 4. *Amanti Iacobo ſeptem anni, viſi pauci dies.*

§. 5. *Sancta anima, omnia mundi adverſa, ſunt exiguum aliquid.*

§. 6. *Confirmatur ab amore matris in filium.*

§. 7. *Ardens S. Pauli amor nullo adverſitatum imbre potuit extingui.*

§. 8. *Proſecutio. Sive, quare?*

§. 9. *Quomodo & quibus, annus videatur triduum.*

§. 10. *Adducitur, & explicatur ſententia Salomonis. Sap. 5.*

§. 11. *Aureum monitum D. Auguſtini, pro tentatis, & afflictis.*

§. 12. *Dulcis ſenſus illorum verborum ex pſ. 90. In manibus ſuis portabunt te.*

§. 13. *Solatium S. Gabilæ Martyris.*

§. 14. *Vita noſtra, quam brevis modica, & fluxa reſpectu [illegible]nitatis.*

§. 15. *Epilog[illegible] ur[illegible]ma pia.*

Digitized by Google

§ I.

Amor ſponſæ erga ſponſum fuit mutuus. Talis amor eſt inter Chriſtum & nos.

ALiquoties ſponſa in ſuo Cantico, de hoc gloriatur, quod exiſtimet ſe amare ſponſum, & ſe viciſſim diligi & amari à ſponſo ſuo, & quidem ſuaviſſimis verbis v.g. cap. 2. v. 5. *Quia amore langueo, læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* cap. 3. v. 4. *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* cap. 7. v. 10. *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Plenum eſt illud canticum ſuaviſſimis his modis loquendi, & de amore ſponſæ erga ſponſum, & viciſſim de dilectione ſponſi erga ſponſam. S. Bernardus putat ſponſam paulo audacius fuiſſe locutam, cum dixit v. 16. c. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Excuſat tamen eandem, dum de illa ait, ſer. 69. in Cant. *Non dubitavit ſe amari ab illo, quem amabat, id quod de ſe ait ſapientia æterna.* Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Super quæ verba ſuaviter ſuaviſſimus Bernardus; *Vides quomodo non ſolum de amore ſuo certum te reddat, ſi quidem tu ames illum, ſed etiam de ſollicitudine ſua, quam pro te gerit, ſi te ſenſerit ſollicitum ſui. Vigilas tu, vigilat & ille, conſurge in nocte in principio vigiliarum tuarum, accelera quantum vis, invenies eum, non prævenies, temere in tali negotio, vel quid prius aliquid tribuis illi, vel plus. Et magis amat, & ante.* Hanc ſuaviſſimam dulciſſimi Jeſu noſtri indolem, hiſtoria & miraculum hodierni Evangelii clariſſime nobis proponit ob oculos. Turba multa fuit ſecuta Jeſum, in illa turba fuerunt divites, pauperes, ſenes, juvenes, viri, fœminæ. Suavitas Jeſu, dulcis ejus converſatio, ſuave eloquium; ortus in populo ex illis amor, fuerunt catenæ, quibus fuerunt tracti, etiam in deſertum. Secuti illum ſunt, non una aut altera hora, ſed per aliquot dies, in fame, in ſiti, in laboribus; quia amabant Jeſum. O felicem turbam, quæ Jeſum dilexit! ſtatim oſtendit, ſe [illegible] e dil[illegible]re diligentes ſe; & quidem magis, & ante, quia i[illegible], c[illegible]niculis charitatis, illos poſt ſe traxit.

§ 2.

Propoſitio.

[illegible] nos in via & itinere noſtro per deſertum [illegible] cœleſtem, diligi volumus, nos quoque [illegible] uæ amabiles proprietates Chriſti [illegible] um Evangelium nobis proponit, [illegible] flammabant. v. g. 1. quod, quid-

 quid

quid amori ejus facimus, licet exiguum ſit, maximi æſtimet, & remuneretur. Quidquid in hoc mundo pro illius gloria patimur, leve & breve eſt. 2. Quod tum ſuis ſuccurrat, cum omnia videntur deſperata. 3. Quod per ſanctiſſimum ſacramentum Euchariſtiæ (cujus multiplicati panes fuerunt figura) nos in via difficili, confortet & ſoletur. Puncta tam ſuavia de dulciſſimo Salvatore, quem amamus, merentur ſollicitam attentionem.

§. 3. *Labores noſtros etiam exiguos, quanti æſtimet Chriſtus D.*

Per triduum tantum ingens turba fuit ſecuta Jeſum, in deſertum; in fame & ſiti, perque alias longioris viæ difficultates; nihilominus tam modicum tempus, tam paucos dies, & horas, tam exiguos labores, tanti fecit Chriſtus D. Ita populi affectus, & deſiderium cum illo manendi, illi placuit, ut, & dulciſſimo verbo, *Miſereor*, tenerrimi cordis ſui compaſſionem illis declararit; nec hoc tantum, ſed opere ipſo, inaudito miraculo, totam illam turbam, paucis panibus ad guſtum & ſaturitatem, & delicias uſque ſaturaverit. Qui tum fuit Chriſtus Salvator noſter, cum verſaretur in terris, dulciſſimus, benigniſſimus, amantiſſimus amator ſe amantium: idem adhuc hodie erga nos eſt in cœlis, ſedens ad dexteram Patris. Quidquid pro amore ejus agimus, quidquid pro gloria ejus patimur, eſt exiguum. Anni triginta vel quadraginta, quibus ipſi ſervimus, ſunt dies pauci; non ſunt niſi triduum, ſed parvos labores, exiguas paſſiones & mortificationes, modica ſervitia, remuneratur, in hac quidem vita, ſolatiis innumeris, in altera verò, feliciſſima æternitate, plus nimio compenſat. Quapropter æquum eſt, ut parvitatem, exiguitatem, brevitatem noſtri ſervitii, triduum noſtræ vitæ, bene ponderemus, ut tantum remuneratorem, talem amatorem, imo in amore præventorem, ac Ducem ferventius amemus; ut hoc triduum, quod in via crucis nobis concedit, eo majori ſollicitudine, ejus ſervitio, & amori impendamus.

§. 4. *Amanti Jacobo, ſeptem anni, viſi pauci dies.*

Fervens amator Chriſti, cum vere & ardenter amat, ſentit cum Jacobo, etiam ſeptem annos, eſſe exiguum tempus, etiamſi in graviſſimis laboribus, impendantur pro formoſa Rachele. In pulcherrima & nota hiſtoria, cujus frequenter fit men-

mentio, nunquam obſervavi, hanc circumſtantiam, quam vobis mox aperio. Cum Laban Geneſis 29. v. 1. dixiſſet Jacobo. *Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi? dic, quid mercedis accipies?* & ille reſpondit, *ſerviam tibi pro Rachele filia tua minore ſeptem annis.* Concludo ex his verbis amorem Jacobi erga Rachelem, fuiſſe valde ardentem & tenerum, ſed cur prius ſervire vult, antequam Rachel illi detur? Nunquid rationi, & amori conformius erat, ſic loqui; Da mihi ſtatim filiam tuam, & tum ſerviam tibi ſeptem annis. Nunquid tertio, vel quarto, vel quinto anno mori potuit & ſic tanto tempore ſerviiſſet gratis? Difficultati ſatisfacit ipſa ſacra ſcriptura cum ait; *videbantur illi dies pauci, præ amoris magnitudine.* Scilicet, appretiative, ut ſic dicam, cum Lyrano. *Quia pro pretio Rachelis, dati videbantur ejus dies pauci, in comparatione ad rem tam amabilem, laborem leviabit amor,* ut loquitur Origenes ſuper illa verba Apoſtoli, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Dum enim in illius amore pendemus, exiguum eſt, quod patimur: &, dum in illius amore pendemus, ſenſum doloris* (vel laboris) *non percipimus.*

Vitam laborioſi hominis, ſicut deſcripſit, ita & vixit ſanctus Paulus 2. Corinth. 11. cap. verſu 27. *In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate; In itineribus, in periculis diverſiſſimis.* Filiis hujus ſæculi, talis vita, v. g. paupertas, egeſtas, &c. videtur ingens tribulatio, etiam exiguo tempore. Alicui Jacobo, alicui Paulo, CHRISTI amatoribus, paupertas multorum annorum, videtur protrahi per paucos dies;. Paupertatem alleviat amor! Si pendeamus in cruce, ex amore CHRISTI, in comparatione ad rem tam amabilem; qualis eſt Jeſus! in comparatione ad formoſam Rachelem, qualis eſt cœleſtis gloria; In comparatione ad rem tam amabilem, qualis eſt, Voluntas & gloria DEI; exiguum eſt, quod patimur. Anni plurimi ſunt triduum. Dignus eſt JESUS; digna eſt formoſa illa Rachel, digna eſt Divina Majeſtas, ut mille annis illis ferventiſſime ſerviamus. Si flagris cædamur uſque ad ſanguinem. Dignus eſt Jeſus! ſi in equuleo diſtorqueantur

§. 1. *Sanctæ animæ omnia mundi adverſa, ſunt exiguum aliquid.*

Digitized by Google

membra noſtra; Dignus eſt Jeſus! Si per quinquaginta vitæ annos eſſemus in continuis corporis doloribus, dignus eſt Jeſus, ſi per ducentos annos, ſi per trecentos &c. ſi per mille annorum circulos; Dignus eſt Jeſus, & cum Jeſu digna eſt, formoſa illa Rachel, cœleſtis & æternæ gloriæ beatitudo.

§. 6. *Confirmatur ab amore matris in filium.*

De ſollicitudine, cura, ſtudio, laboribus & doloribus Matris pro filio, quem tenere amat, præclare dixit S. Chryſoſtomus hom. 18. in ep. ad Corinth. *Nam & mater pro filio, dolore dolens, delectatur, ſollicita gaudet, cura, in ſe amara licet ſit, pro liberis tamen impenſa, voluptatis multum habet*, id eſt, tam varii, graves, & multi labores, tot curæ & difficultates, amanti matri videntur leves, breveſque. Talis nobis mater fuit Chriſtus D. præcipue, cum in Paſſione ſub arbore crucis nos peperit; nimirum, amariſſima quæque; Calix plenus felle, flagra, ſpinæ, clavi, crux, vulnera, mors acerbiſſima, laborioſiſſima triginta trium annorum vita, pro nobis, quos amavit, multum habuit voluptatis. Sic nempe totam Paſſionis tragœdiam, non niſi calicem, & unum velut hauſtum appellavit. Quid mirum? amanti nil magnum, grave, difficile! Ergo anni etiam triginta tres, in fame ac ſiti, in paupertate & miſeria, in contemptu & ignominia, in frigore & calore, in perſecutionibus & injuriis; verbo, in continuis traducti ærumnis, doloribus, tormentis, tamen pauci dies viſi ſunt. Hæc eſt indoles, & computus veri amoris. Oſtendite mihi hominem Chriſtianum, qui pendeat viciſſim ex amore dulciſſimæ noſtræ matris, ex amore dulciſſimi Jeſu! oſtendite mihi virum, qui formoſam quærat Rachelem; oſtendam ego vobis viros, qui dolore dolentes delectantur; quibus in ſe amara, multum habent voluptatis, quibus gravia videntur levia, longa, brevia præ amoris magnitudine.

§. 7. *Ardens S. Pauli amor, nullo adverſitatum imbre potuit extingui.*

Talis heros fuit S. Paulus, in cujus laudibus hom. 2. ait S. Chryſoſtomus. *Paulus præ devotionis abundantia, dolores pro virtute ſuſceptos, quodammodo non ſenſit, quotidie celſior, quotidie aſſurgens ardentior*, (alibi ait) *quaſi flamma inextinguibilis ignis, ſi in mare lapſa, fluctibus undique mergitur, & iterum fulgida aſcendit, ſic & S. Paulus, undique preſſus, nec oppreſſus, cedere neſcius, clarior ſemper rediit, patiendo victor, & millies Martyr.* Pergit ante citatus S. Chryſoſtomus.

Digitized by Google

ſoſtomus. *Ovans, in omni impugnatione referebat victoriam, verberibus & injuriis affectus, triumphabat: mortem potius appetens, quam vitam, paupertatem potius, quam opulentiam, multo amplius laborem deſiderans, quam alii quietem tyrannos, quaſi culices quoſdam reputabat, mortem, cruciatus, mille ſupplicia, quaſi ludum putabat eſſe puerorum, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineret.* Nonne hæc nobis videntur gravia, dura, aſpera, horrida, amara? talia ſunt in ſe. Sed audite porro, quomodo S. Paulus de illis loquatur in comparatione ad rem tam amabilem, qualis eſt cœleſtis gloria, in comparatione ad Jeſum! quomodo de illis loquatur pendens ex amore Dei.

Sic ait Corinth. ep. 2. c. 4. v. 17. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur.* Quaſi diceret, omnis noſtra tribulatio momentanea eſt, & levis, ſi comparetur cum æterno illo, & graviſſimo pondere gloriæ: perinde, acſi plumam conferas cum plumbo totius univerſi. Unde ipſe Chriſtus ait Matt. 11. v. 29. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Sic glorioſis & invictis Martyribus, lapides, ſartagines, equulei, rotæ, cultri, ignes, rogi, ardentes faces, & omnia tormenta, etiam multorum dierum: aliis, morbi plurimorum annorum, præ gloria cœleſti, in comparatione ad rem tam amabilem, ſive magnitudini & ardori amoris erga Chriſtum, omnia inquam, paupertas, egeſtas, contemptus, dolores, &c fuerunt quaſi momentum reſpectu infiniti temporis; quaſi pluma, vel bulla leviſſima reſpectu ponderis graviſſimi, quaſi punctum, reſpectu totius mundi, ut de illis, qui etiam multis annis ſecuti ſunt Chriſtum in via crucis, ex hodierno Evangelio dici poſſit, Triduo illum ſuſtinuerunt: præmium verò, quod meriti ſunt, eſt infiniti ponderis, & æternum. *§. 8. Proſecutio, ſive, quartò*

Nos quod attinet, diſcurſus hic movere nos debet, ut ardenter amemus Chriſtum, ut pendeamus ab illius amore. Sic nobis quoque illud, quod patimur, videbitur exiguum, annus, videbitur triduum, dummodo pro Chriſto, & cœleſti gloria aliquid patiamur. Pulchre S. Auguſtinus in pſ. 93. ait. Deum vel Chriſtum D. ad nos dicere; *Venale habeo; quid Domine? regnum cælorum,* *§. 9. Quomodo, & quibus annus, videatur triduum.*

quo

quo emitur? paupertate, regnum! dolore, gaudium! labore requies! vilitate gloria! morte vita. Hæc confirmavit Chriſtus D. in octo beatitudinibus, Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, beati, qui lugent, quia conſolabuntur &c.* Paupertas, luctus, ſitis, perſecutiones, durant per triduum, gaudium, quies, gloria, vita, in omnem æternitatem.

§. 10. *Adducitur, & explicatur ſententia Salomonis.* Diſcurſum præſentis concionis alio pulchro modo loquendi elucidat Caput 3. lib. Sapientiæ, v. 5. *In paucis vexati* (id eſt, caſtigati, correpti, vel viſitati morbis, doloribus, & aliis adverſitatibus,) *in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit eos dignos ſe.* Quaſi diceret ſapiens; Omnis tribulatio, quam patitur juſtus, quæcunque illa ſit, non eſt magna, quoad pondus, ſed parva, neque longa quoad tempus & durationem, ſi comparetur ad illa magna & longa, diuque duratura præmia, quæ homo juſtus per tribulationem conſequitur. Filiis hujus ſæculi, ut ante inſinuabam, noſtræ tribulationes videntur magnæ, graves, longæ, ſed revera ſunt parvæ & breves, ob varias cauſas. Comparate illas, cum illis tormentis, quæ amore noſtri pro nobis pertulit Chriſtus, dicere debemus, in paucis, in parvis nos patimur! Conferte tribulationem quamcunque cum dignitate præmii & gloriæ, & æternæ illius felicitatis, quam Chriſtus D. nobis promiſit, & quam ſperamus, dicetis, in paucis! in parvis! exiguo tempore, levia patimur. Triduum eſt multorum annorum vita. Quid ſi conſideremus infinita debita, quibus obſtricti ſumus divinæ Juſtitiæ? quid ſi gravia, & multa peccata, quibus æternos inferni ignes ſumus promeriti? in his & ſimilibus conſiderationibus ſine dubio exclamabimus, in paucis, in parvis vexamur. Quidquid patimur, gutta eſt, reſpectu maris & Oceani. In paucis! in parvis.

§. 11. *Aureum monitum D. Auguſtini, pro tentatis & afflictis.* Practice, dum adverſitas aliqua, vel labor quidam nos premit, optarem vos obſequi conſilio S. Auguſtini in pſ. 36. ubi ſic ait. *Contingit alicui, ut aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna: proponat ſibi Dominum ſuum, quanta genera tentationum paſſus eſt, & non conturbabitur, cum ceciderit, quia Dominus confirmat manum ejus,*

Digitized by Google

ejus, quia prior paſſus eſt, Quid timebis, O homo, quid timebis? dolores? flagellatus eſt Chriſtus. Contumelias? audivit, dæmonium habes &c. Talis conſideratio, ingenti nobis erit ſolatio, omne grave reddet leve, omne longum breve, annus videbitur triduum, plumbum pluma, Oceanus gutta.

Idem faciet, ſuaviſſima conſideratio S. Bernardi ſuper illas manus Angelorum, quibus David pſ. 90. v. 12. ait, portari illum, qui habitat in adjutorio altiſſimi. *In manibus portabunt te. Vultis ſcire, quas intelligam duas manus?* (quia hodie eſt Dominica congregationis agoniæ, fortaſſis ſodales mei, jam cogitant, quænam eſſent illæ manus, niſi illæ Jeſu crucifixi, in quarum vulneribus ſancti Angeli Tutelares ſuos clientes, ſemper, ſed præſertim in hora mortis contra inſultus dæmonum abſcondunt & protegunt? Placet mihi pia cogitatio; placet mihi, ſi hodie in vobis eſt fervens hoc deſiderium, ut hæc gratia à ſanctis Angelis vobis exhibeatur. Sed S. Bernardus in materia meæ concionis ſic pergit.) *Duplicem ſcilicet demonſtrationem, dum videlicet, hinc quidem tribulationis brevitas, inde æternitas retributionis*, id eſt; hinc ſeptem anni ſervitutis, inde formoſitas Rachelis; hinc triduanus labor, inde æterna mercés! hinc fames, ſitis, paupertas, inde amabilis Jeſus; *oſtenditur aut magis pingitur, vel imprimitur cordi, ut intimo affectu ſentiat, quemadmodum momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. His manibus portatur homo ab Angelis.* Sive, hæ duæ conſiderationes, ingens nobis præbent ſolatium, cum per triduum Chriſtum ſequi debemus in via crucis, ſive cum aliquid pro Chriſto patiendum eſt, quidquid illud ſit. §. 12. *Dulcis ſenſus illorum verborum pſ. 90. In manibus portabunt te. Ex S. Bernardo.*

Ingens hoc ſolatium expertus fuit Gabilas Martyr, qui dum ungulis laceratus, ſuſpenſus in equuleo, & omnibus membris diſtortus interrogaretur à Lyſania Judice, quam utilitatem ei hæc tormenta conciliarent, S. Martyr alte ſublimeq; ſentiens, ſupra humana erectus reſpondit; *Non ad præſens uſque tempus noſtra conſiſtunt, neque ea ſolum ſequimur, quæ cernuntur quæ momentanea, & levia ſunt*, ergo dierum aliquot tortura, ergo ungularum dolor, ergo membrorum diſtorſio; ergo inducta vulneribus vulnera, §. 13. *Solatium S. Gabilæ Martyris.*

Digitized by Google

Ex probabili SS. PP. ſententia, ille idem deinde coram Anna Chriſto Domino terribilem inflixit colaphum, & alapam; Verum ob has eaſdem cauſas Chriſtus D. peculiariter illi voluit benefacere, & illum ſanare; *In quo inſtruxit nos* (ait cit. Auctor) *reddere bonum pro malo, & benefacere his, qui oderunt nos.* Perpendamus nobiſcum, quomodo in hac dilectione imitemur Chriſtum Dominum.

§.14. *De converſione Longini Centurionis, cauſa notabilis.*

Tandem dilectionem Chriſtus D. licet jam mortuus in cruce tamen adhuc voluit exprimere. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua.* Inauditam tyrannidem, & crudele facinus, quale eſt, ſævire in demortui corpus vel cadaver, & quidem ita tractatum, Chriſtus D. peculiari beneficio voluit compenſare. Voluit mortuus benefacere ſibi male facienti; audite ſuavem vindictam! referam illam verbis S. Iſidori apud P. Ant. de Eſcobar. *Longinus,* (inquit,) *latus Salvatoris aperuit, & gutta ſanguinis Chriſti cum eſſet altero oculo privatus, illuminatus eſt, extra & intus lumine fidei, & per Apoſtolos baptizatus, & poſt Epiſcopatus honorem, etiam martyrii coronam meruit.* O mi Jeſu crucifixe quid agis? erga crudelem, atque ferocientem militem, erga tuum hoſtem, qui ſi adhuc vixiſſes, hoc ictu, momento tibi vitam ademiſſet, tam es beneficus? tam ſuavis, & mitis? ut tuo ſanguine illi oculorum viſum, & animæ vitam volucris conferre? Sed auditores amantiſſimi, ad vos ſe mea vertit oratio. Fecit hoc Chriſtus D. ut & nos hoſtibus noſtris diſcamus benefacere. Ex corde debemus eradicare omnes fibras alicujus odii, vel rancoris, ex corde debemus diligere, non ore, multo minus opere debemus quærere vindictam. Hæc ſunt præcepti. Perfectionis eſt, ſi exemplo Chriſti iiſdem benefaciamus. *Dilectio,* ait Caſſiodorus, præſertim perfecta, *neſcit in ſua natura feriari, ſed benefaciens, & benefica eſt.*

§.15. *Præclara verba Senecæ de Deorum beneficen.*

Pulchre Seneca lib. 7. de benef. cap. 3. *Non ceſſant Dii beneficia congerere, ſpargunt opportunis imbribus terras, maria flatu movent, ſiderum curſu, notant tempora, hyemes, æſtateſque, interventu lenioris ſpiritus, molliunt pro omnibus &c.* Chriſtiani S. Vincentius Ferrarienſis ſer. 6. poſt cineres. *Pater cæleſtis in hoc mundo multos habet*

Digitized by Google

habet inimicos, ſcilicet peccatores, & infideles, & tamen diligit eos, & dat eis beneficia ſolis, luna, pluvia, &c. Chriſtus D. vero, eiſdem dat beneficia ſua divina carnis, beneficia vita ſpiritualis, beneficia redemptionis, beneficia inſpirationum, beneficia ſua captivitatis, flagellationis, coronationis, beneficia crucis, beneficia mortis acerbiſſima! O benefica Jeſu Salvatoris mei caritas! O peccatores! O inimici crucis Chriſti! videte amantem vos; & perpendite, diſcite inimicis benefacere. S. Vincentius Ferr. addit; *Ideo, ut boni filii, aſſimilemur Patri noſtro cœleſti.* Prout enim dilectio inimicorum propria virtus eſt Dei; ſic per illam Deo maxime aſſimilamur. De priore parte hujus maximæ ſive propoſitionis ait c.11.v.24.& 12. Sapientiæ.v.17. *Miſereris omnium, quia omnia potes. Ob hoc, quod omnium es Dominus, omnibus te parcere facis. Virtutem enim tuam oſtendis tu.* Ita orat Eccleſia. *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime oſtendis, & miſerando manifeſtas.* Manifeſtavit illam in mundi creatione, in redemptione, in aliis beneficiis &c. Sed maxime in hoc, quod diligat, & benefaciat inimicis. Pari modo (quod altera pars ſuperioris, propoſitionis inſinuabat,) homo Chriſtianus ſuam virtutem, perfectionem, ſanctitatem, ſimilitudinem cum Deo & Chriſto D. maxime oſtendit, ſi modo, quo dixi, diligat inimicos.

tia, melius Chriſto applicantur.

Quis mihi det, hunc tam carum annulum cum lemmate, *amicus unus! nullus inimicus!* Ita, ita eſt, mi Jeſu! mihi poſthac, dum vivo, amicus erit unus; & ille unus, non alius erit præter te mi Jeſu! nam quis te ſincerior? amicior? propinquior? ſuavior? tu tu eris ille amicus unus, in te omnes, & propter te, nullum cupio inimicum. Animitus mi Jeſu, doleo, quod non citius id apud animum meum ſtatuerim. Ergo poſthac nullus inimicus? etiamſi lædar! offendar! Ita! ita! nullus, nullus! Omnes amici, omnibus ignoſco; omnes in Chriſto Jeſu diligo, æſtimo, complector.

Amicus unus Jeſus! nullus inimicus.

§.16. *Epilogus, cum affectu pia anima. Chriſti beneficentiam imitari volentis.*

CONCIO XXXVI.

DOMINICA VII. POST SS. TRINITATEM.

Miſereor ſuper turbam.

Marc. 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AManti Jeſum animæ, omnia adverſa, levia, brevia, ac momentanea videntur.

§. 1. *Amor inter ſponſam & ſponſum fuit mutuus. Talis amor eſt inter Chriſtum & nos.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Labores noſtros, vel exiguos, quanti faciat Chriſtus.*

§. 4. *Amanti Iacobo ſeptem anni, viſi pauci dies.*

§. 5. *Sanctæ animæ, omnia mundi adverſa, ſunt exiguum aliquid.*

§. 6. *Confirmatur ab amore matris in filium.*

§. 7. *Ardens S. Pauli amor nullo adverſitatum imbre potuit extingui.*

§. 8. *Proſecutio. Sive, quare?*

§. 9. *Quomodo & quibus, annus videatur triduum.*

§. 10. *Adducitur, & explicatur ſententia Salomonis. Sap. 5.*

§. 11. *Aureum monitum D. Auguſtini, pro tentatis, & afflictis.*

§. 12. *Dulcis ſenſus illorum verborum ex pſ. 90. In manibus ſuis portabunt te.*

§. 13. *Solatium S. Gabila Martyris.*

§. 14. *Vita noſtra, quam brevis, modica, & fluxa reſpectu æternitatis.*

§. 15. *Epilogus cum affectu animæ piæ.*

Aliquo-

Digitized by Google

ALiquoties ſponſa in ſuo Cantico, de hoc gloriatur, quod exiſtimet ſe amare ſponſum, & ſe viciſſim diligi & amari à ſponſo ſuo, & quidem ſuaviſſimis verbis v.g. cap.2. v.5. *Quia amore langueo, læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* cap.3.v.4. *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* cap.7.v.10. *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Plenum eſt illud canticum ſuaviſſimis his modis loquendi, & de amore ſponſæ erga ſponſum, & viciſſim de dilectione ſponſi erga ſponſam. S. Bernardus putat ſponſam paulo audacius fuiſſe locutam, cum dixit v.16. c.2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Excuſat tamen eandem, dum de illa ait, ſer.69. in Cant. *Non dubitavit ſe amari ab illo, quem amabat, id quod de ſe ait ſapientia æterna.* Prov.8.v.17. *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Super quæ verba ſuaviter ſuaviſſimus Bernardus; *Vides quomodo non ſolum de amore ſuo certum te reddat, ſi quidem tu ames illum, ſed etiam de ſollicitudine ſua, quam pro te gerit, ſi te ſenſerit ſollicitum ſui. Vigilas tu, vigilat & ille, conſurge in nocte in principio vigiliarum tuarum, accelera quantum vis, invenies eum, non prævenies, temere in tali negotio, vel quid prius aliquid tribuis illi, vel plus. Et magis amat, & ante.* Hanc ſuaviſſimam dulciſſimi Jeſu noſtri indolem, hiſtoria & miraculum hodierni Evangelii clariſſime nobis proponit ob oculos. Turba multa fuit ſecuta Jeſum, in illa turba fuerunt divites, pauperes, ſenes, juvenes, viri, fœminæ. Suavitas Jeſu, dulcis ejus converſatio, ſuave eloquium; ortus in populo ex illis amor, fuerunt catenæ, quibus fuerunt tracti, etiam in deſertum. Secuti illum ſunt, non una aut altera hora, ſed per aliquot dies, in fame, in ſiti, in laboribus; quia amabant Jeſum. O felicem turbam, quæ Jeſum dilexit! ſtatim oſtendit, ſe quoque diligere diligentes ſe; & quidem magis, & ante, quia idem fuit, qui in funiculis charitatis, illos poſt ſe traxit.

§ 1. Amor ſponſa erga ſponſum fuit mutuus. Talis amor eſt inter Chriſtum & nos.

Si ab eodem Jeſu, & nos in via & itinere noſtro per deſertum hujus mundi, ad patriam cœleſtem, diligi volumus, nos quoque illum amare debemus. Aliquæ amabiles proprietates Chriſti Salvatoris noſtri, quas hodiernum Evangelium nobis proponit, amorem hunc noſtrum magis inflammabant. v.g. 1. quod, quid-

§ 2. Propoſitio.

quid

Digitized by Google

quid amori ejus facimus, licet exiguum ſit, maximi æſtimet, & remuneretur. Quidquid in hoc mundo pro illius gloria patimur, leve & breve eſt. 2. Quod tum ſuis ſuccurrat, cum omnia videntur deſperata. 3. Quod per ſanctiſſimum ſacramentum Euchariſtiæ (cujus multiplicati panes fuerunt figura) nos in via difficili, confortet & ſoletur. Puncta tam ſuavia de dulciſſimo Salvatore, quem amamus, merentur ſollicitam attentionem.

§. 3. *Labores noſtros etiam exiguos, quanti æſtimet Chriſtus D.*

Per triduum tantum ingens turba fuit ſecuta Jeſum, in deſertum; in fame & ſiti, perque alias longioris viæ difficultates; nihilominus tam modicum tempus, tam paucos dies, & horas, tam exiguos labores, tanti fecit Chriſtus D. Ita populi affectus, & deſiderium cum illo manendi, illi placuit, ut, & dulciſſimo verbo, *Miſereor*, tenerrimi cordis ſui compaſſionem illis declararit; nec hoc tantum, ſed opere ipſo, inaudito miraculo, totam illam turbam, paucis panibus ad guſtum & ſaturitatem, & delicias uſque ſaturaverit. Qui tum fuit Chriſtus Salvator noſter, cum verſaretur in terris, dulciſſimus, benigniſſimus, amantiſſimus amator ſe amantium: idem adhuc hodie erga nos eſt in cœlis, ſedens ad dexteram Patris. Quidquid pro amore ejus agimus, quidquid pro gloria ejus patimur, eſt exiguum. Anni triginta vel quadraginta, quibus ipſi ſervimus, ſunt dies pauci; non ſunt niſi triduum, ſed parvos labores, exiguas paſſiones & mortificationes, modica ſervitia, remuneratur, in hac quidem vita, ſolatiis innumeris, in altera verò, feliciſſima æternitate, plus nimio compenſat. Quapropter æquum eſt, ut parvitatem, exiguitatem, brevitatem noſtri ſervitii, triduum noſtræ vitæ, bene ponderemus, ut tantum remuneratorem, talem amatorem, imo in amore præventorem, ac Ducem ferventius amemus; ut hoc triduum, quod in via crucis nobis concedit, eo majori ſollicitudine, ejus ſervitio, & amori impendamus.

§. 4. *Amanti Jacobo, ſeptem anni, viſi pauci dies.*

Fervens amator Chriſti, cum vere & ardenter amat, ſentit cum Jacobo, etiam ſeptem annos, eſſe exiguum tempus, etiamſi in graviſſimis laboribus, impendantur pro formoſa Rachele. In pulcherrima & nota hiſtoria, cujus frequenter fit men-

mentio, nunquam obſervavi, hanc circumſtantiam, quam vobis mox aperio. Cum Laban Geneſis 29. v. 1. dixiſſet Jacobo. *Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi? dic, quid mercedis accipies?* & ille reſpondit, *ſerviam tibi pro Rachele filia tua minore ſeptem annis.* Concludo ex his verbis amorem Jacobi erga Rachelem, fuiſſe valde ardentem & tenerum, ſed cur prius ſervire vult, antequam Rachel illi detur? Nunquid rationi, & amori conformius erat, ſic loqui; Da mihi ſtatim filiam tuam, & tum ſerviam tibi ſeptem annis. Nunquid tertio, vel quarto, vel quinto anno mori potuit & ſic tanto tempore ſerviiſſet gratis? Difficultati ſatisfacit ipſa ſacra ſcriptura cum ait; *videbantur illi dies pauci, præ amoris magnitudine.* Scilicet, appretiative, ut ſic dicam, cum Lyrano. *Quia pro pretio Rachelis, dati videbantur ejus dies pauci, in comparatione ad rem tam amabilem, laborem leviabit amor,* ut loquitur Origenes ſuper illa verba Apoſtoli, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Dum enim in illius amore pendemus, exiguum eſt, quod patimur: &, dum in illius amore pendemus, ſenſum doloris* (vel laboris) *non percipimus.*

Vitam laborioſi hominis, ſicut deſcripſit, ita & vixit ſanctus Paulus 2. Corinth. 11. cap. verſu 27. *In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate; In itineribus, in periculis diverſiſſimis.* Filiis hujus ſæculi, talis vita, v. g. paupertas, egeſtas; &c. videtur ingens tribulatio, etiam exiguo tempore. Alicui Jacobo, alicui Paulo, CHRISTI amatoribus, paupertas multorum annorum, videtur protrahi per paucos dies; Paupertatem alleviat amor! Si pendeamus in cruce, ex amore CHRISTI, in comparatione ad rem tam amabilem; qualis eſt Jeſus! in comparatione ad formoſam Rachelem, qualis eſt cœleſtis gloria; In comparatione ad rem tam amabilem, qualis eſt, Voluntas & gloria DEI; exiguum eſt, quod patimur. Anni plurimi ſunt triduum. Dignus eſt JESUS; digna eſt formoſa illa Rachel, digna eſt Divina Majeſtas, ut mille annis illis ferventiſſime ſerviamus. Si flagris cædamur uſque ad ſanguinem. Dignus eſt Jeſus! ſi in equuleo diſtorqueantur

§. 5. Sanctæ animæ omnia mundi adverſa, ſunt exiguum aliquid.

membra noſtra; Dignus eſt Jeſus! Si per quinquaginta vitæ annos eſſemus in continuis corporis doloribus, dignus eſt Jeſus, ſi per ducentos annos, ſi per trecentos &c. ſi per mille annorum circulos; Dignus eſt Jeſus, & cum Jeſu digna eſt, formoſa illa Rachel, cœleſtis & æternæ gloriæ beatitudo.

§. 6. *Confirmatur ab amore matris in filium.*

De ſollicitudine, cura, ſtudio, laboribus & doloribus Matris pro filio, quem tenere amat, præclare dixit S. Chryſoſtomus hom. 18. in ep. ad Corinth. *Nam & mater pro filio, dolore dolens, delectatur, ſollicita gaudet, cura, in ſe amara licet ſit, pro liberis tamen impenſa, voluptatis multum habet*, id eſt, tam varii, graves, & multi labores, tot curæ & difficultates, amanti matri videntur leves, breveſque. Talis nobis mater fuit Chriſtus D. præcipue, cum in Paſſione ſub arbore crucis nos peperit; nimirum, amariſſima quæque; Calix plenus felle, flagra, ſpinæ, clavi, crux, vulnera, mors acerbiſſima, laborioſiſſima triginta trium annorum vita, pro nobis, quos amavit, multum habuit voluptatis. Sic nempe totam Paſſionis tragœdiam, non niſi calicem, & unum velut hauſtum appellavit. Quid mirum? amanti nil magnum, grave, difficile! Ergo anni etiam triginta tres, in fame ac ſiti, in paupertate & miſeria, in contemptu & ignominia, in frigore & calore, in perſecutionibus & injuriis; verbo, in continuis traducti ærumnis, doloribus, tormentis, tamen pauci dies viſi ſunt. Hæc eſt indoles, & computus veri amoris. Oſtendite mihi hominem Chriſtianum, qui pendeat viciſſim ex amore dulciſſimæ noſtræ matris, ex amore dulciſſimi Jeſu! oſtendite mihi virum, qui formoſam quærat Rachelem; oſtendam ego vobis viros, qui dolore dolentes delectantur; quibus in ſe amara, multum habent voluptatis, quibus gravia videntur levia, longa, brevia præ amoris magnitudine.

§. 7. *Ardens S. Pauli amor, nullo adverſitatum imbre potuit extingui.*

Talis heros fuit S. Paulus, in cujus laudibus hom. 2. ait S. Chryſoſtomus. *Paulus præ devotionis abundantia, dolores pro virtute ſuſceptos, quodammodo non ſenſit, quotidie celſior, quotidie aſſurgens ardentior*, (alibi ait) *quaſi flamma inextinguibilis ignis, ſi in mare lapſa, fluctibus undique mergitur, & iterum fulgida aſcendit, ſic & S. Paulus, undique preſſus, nec oppreſſus, cedere neſcius, clarior ſemper rediit, patiendo victor, & millies Martyr.* Pergit ante citatus S. Chryſoſtomus.

Digitized by Google

ſoſtomus. *Ovans, in omni impugnatione referebat victoriam, verberibus & injuriis affectus, triumphabat: mortem potius appetens, quam vitam, paupertatem potius, quam opulentiam, multo amplius laborem deſiderans, quam alii quietem tyrannos, quaſi culices quoſdam reputabat, mortem, cruciatus, mille ſupplicia, quaſi ludum putabat eſſe puerorum, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineret.* Nonne hæc nobis videntur gravia, dura, aſpera, horrida, amara? talia ſunt in ſe. Sed audite porro, quomodo S. Paulus de illis loquatur in comparatione ad rem tam amabilem, qualis eſt cœleſtis gloria, in comparatione ad Jeſum! quomodo de illis loquatur pendens ex amore Dei.

Sic ait Corinth. ep. 2. c. 4. v. 17. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur.* Quaſi diceret, omnis noſtra tribulatio momentanea eſt, & levis, ſi comparetur cum æterno illo, & graviſſimo pondere gloriæ: perinde, acſi plumam conferas cum plumbo totius univerſi. Unde ipſe Chriſtus ait Matt. 11. v. 29. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Sic glorioſis & invictis Martyribus, lapides, ſartagines, equulei, rotæ, cultri, ignes, rogi, ardentes faces, & omnia tormenta, etiam multorum dierum: aliis, morbi plurimorum annorum, præ gloria cœleſti, in comparatione ad rem tam amabilem, ſive magnitudini & ardori amoris erga Chriſtum, omnia inquam, paupertas, egeſtas, contemptus, dolores, &c fuerunt quaſi momentum reſpectu infiniti temporis; quaſi pluma, vel bulla leviſſima reſpectu ponderis graviſſimi, quaſi punctum, reſpectu totius mundi, ut de illis, qui etiam multis annis ſecuti ſunt Chriſtum in via crucis, ex hodierno Evangelio dici poſſit, Triduo illum ſuſtinuerunt; præmium verò, quod meriti ſunt, eſt infiniti ponderis, & æternum. *§. 8. Proſecutio, ſive, quartū*

Nos quod attinet, diſcurſus hic movere nos debet, ut ardenter amemus Chriſtum, ut pendeamus ab illius amore. Sic nobis quoque illud, quod patimur, videbitur exiguum, annus, videbitur triduum, dummodo pro Chriſto, & cœleſti gloria aliquid patiamur. Pulchre S. Auguſtinus in pſ. 93. ait. Deum vel Chriſtum D. ad nos dicere; *Venale habeo; quid Domine? regnum cælorum,* *§. 9. Quomodo, & quibus annus, videatur triduum.*

quo

Digitized by Google

membra noſtra; Dignus eſt Jeſus! Si per quinquaginta vitæ annos eſſemus in continuis corporis doloribus, dignus eſt Jeſus, ſi per ducentos annos, ſi per trecentos &c. ſi per mille annorum circulos; Dignus eſt Jeſus, & cum Jeſu digna eſt, formoſa illa Rachel, cœleſtis & æternæ gloriæ beatitudo.

§. 6. *Confirmatur ab amore matris in filium.* De ſollicitudine, cura, ſtudio, laboribus & doloribus Matris pro filio, quem tenere amat, præclare dixit S. Chryſoſtomus hom. 18. in ep. ad Corinth. *Nam & mater pro filio, dolore dolens, delectatur, ſollicita gaudet, cura, in ſe amara licet ſit, pro liberis tamen impenſa, voluptatis multum habet*, id eſt, tam varii, graves, & multi labores, tot curæ & difficultates, amanti matri videntur leves, breveſque. Talis nobis mater fuit Chriſtus D. præcipue, cum in Paſſione ſub arbore crucis nos peperit; nimirum, amariſſima quæque; Calix plenus felle, flagra, ſpinæ, clavi, crux, vulnera, mors acerbiſſima, laborioſiſſima triginta trium annorum vita, pro nobis, quos amavit, multum habuit voluptatis. Sic nempe totam Paſſionis tragœdiam, non niſi calicem, & unum velut hauſtum appellavit. Quid mirum? amanti nil magnum, grave, difficile! Ergo anni etiam triginta tres, in fame ac ſiti, in paupertate & miſeria, in contemptu & ignominia, in frigore & calore, in perſecutionibus & injuriis; verbo, in continuis traducti ærumnis, doloribus, tormentis, tamen pauci dies viſi ſunt. Hæc eſt indoles, & computus veri amoris. Oſtendite mihi hominem Chriſtianum, qui pendeat viciſſim ex amore dulciſſimæ noſtræ matris, ex amore dulciſſimi Jeſu! oſtendite mihi virum, qui formoſam quærat Rachelem; oſtendam ego vobis viros, qui dolore dolentes delectantur; quibus in ſe amara, multum habent voluptatis, quibus gravia videntur levia, longa, brevia præ amoris magnitudine.

§. 7. *Ardens S. Pauli amor, nullo adverſitatum imbre potuit extingui.* Talis heros fuit S. Paulus, in cujus laudibus hom. 2. ait S. Chryſoſtomus. *Paulus præ devotionis abundantia, dolores pro virtute ſuſceptos, quodammodo non ſenſit, quotidie celſior, quotidie aſſurgens ardentior,* (alibi ait) *quaſi flamma inextinguibilis ignis, ſi in mare lapſa, fluctibus undique mergitur, & iterum fulgida aſcendit, ſic & S. Paulus, undique preſſus, nec oppreſſus, cedere neſcius, clarior ſemper rediit, patiendo victor, & millies Martyr.* Pergit ante citatus S. Chryſoſtomus.

Digitized by Google

ſoſtomus. *Ovans, in omni impugnatione referebat victoriam, verberibus & injuriis affectus, triumphabat: mortem potius appetens, quam vitam, paupertatem potius, quam opulentiam, multo amplius laborem deſiderans, quam alii quietem tyrannos, quaſi culices quoſdam reputabat, mortem, cruciatus, mille ſupplicia, quaſi ludum putabat eſſe puerorum, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineret.* Nonne hæc nobis videntur gravia, dura, aſpera, horrida, amara? talia ſunt in ſe. Sed audite porro, quomodo S. Paulus de illis loquatur in comparatione ad rem tam amabilem, qualis eſt cœleſtis gloria, in comparatione ad Jeſum! quomodo de illis loquatur pendens ex amore Dei.

Sic ait Corinth. ep. 2. c. 4. v. 17. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur.* Quaſi diceret, omnis noſtra tribulatio momentanea eſt, & levis, ſi comparetur cum æterno illo, & graviſſimo pondere gloriæ: perinde, acſi plumam conferas cum plumbo totius univerſi. Unde ipſe Chriſtus ait Matt. 11. v. 29. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Sic glorioſis & invictis Martyribus, lapides, ſartagines, equulei, rotæ, cultri, ignes, rogi, ardentes faces, & omnia tormenta, etiam multorum dierum: aliis, morbi plurimorum annorum, præ gloria cœleſti, in comparatione ad rem tam amabilem, ſive magnitudini & ardori amoris erga Chriſtum, omnia inquam, paupertas, egeſtas, contemptus, dolores, &c fuerunt quaſi momentum reſpectu infiniti temporis; quaſi pluma, vel bulla leviſſima reſpectu ponderis graviſſimi, quaſi punctum, reſpectu totius mundi, ut de illis, qui etiam multis annis ſecuti ſunt Chriſtum in via crucis, ex hodierno Evangelio dici poſſit, Triduo illum ſuſtinuerunt; præmium verò, quod meriti ſunt, eſt infiniti ponderis, & æternum. *§. 8. Proſecutio, ſive, quare?*

Nos quod attinet, diſcurſus hic movere nos debet, ut ardenter amemus Chriſtum, ut pendeamus ab illius amore. Sic nobis quoque illud, quod patimur, videbitur exiguum, annus, videbitur triduum, dummodo pro Chriſto, & cœleſti gloria aliquid patiamur. Pulchre S. Auguſtinus in pſ. 93. ait. Deum vel Chriſtum D. ad nos dicere; *Venale habeo; quid Domine? regnum cælorum,* *§. 9. Quomodo, & quibus annus, videatur triduum.*

quo

quo emitur? paupertate, regnum! dolore, gaudium! labore requies! vilitate gloria! morte vita. Hæc confirmavit Chriſtus D. in octo beatitudinibus, Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, beati, qui lugent, quia conſolabuntur &c.* Paupertas, luctus, ſitis, perſecutiones, durant per triduum, gaudium, quies, gloria, vita, in omnem æternitatem.

§. 10. *Adducitur, & explicatur ſententia Salomonis.*

Diſcurſum præſentis concionis alio pulchro modo loquendi elucidat Caput 3. lib. Sapientiæ, v. 5. *In paucis vexati* (id eſt, caſtigati, correpti, vel viſitati morbis, doloribus, & aliis adverſitatibus,) *in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit eos dignos ſe.* Quaſi diceret ſapiens; Omnis tribulatio, quam patitur juſtus, quæcunque illa ſit, non eſt magna, quoad pondus, ſed parva, neque longa quoad tempus & durationem, ſi comparetur ad illa magna & longa, diuque duratura præmia, quæ homo juſtus per tribulationem conſequitur. Filiis hujus ſæculi, ut ante inſinuabam, noſtræ tribulationes videntur magnæ, graves, longæ, ſed revera ſunt parvæ & breves, ob varias cauſas. Comparate illas, cum illis tormentis, quæ amore noſtri pro nobis pertulit Chriſtus, dicere debemus, in paucis, in parvis nos patimur! Conferte tribulationem quamcunque cum dignitate præmii & gloriæ, & æternæ illius felicitatis, quam Chriſtus D. nobis promiſit, & quam ſperamus, dicetis, in paucis! in parvis! exiguo tempore, levia patimur. Triduum eſt multorum annorum vita. Quid ſi conſideremus infinita debita, quibus obſtricti ſumus divinæ Juſtitiæ? quid ſi gravia, & multa peccata, quibus æternos inferni ignes ſumus promeriti? in his & ſimilibus conſiderationibus ſine dubio exclamabimus, in paucis, in parvis vexamur. Quidquid patimur, gutta eſt, reſpectu maris & Oceani. In paucis! in parvis.

§. 11. *Aureum monitum D. Auguſtini pro tentatis & afflictis.*

Practice, dum adverſitas aliqua, vel labor quidam nos premit, optarem vos obſequi conſilio S. Auguſtini in pſ. 36. ubi ſic ait. *Contingit alicui, ut aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna: proponat ſibi Dominum ſuum, quanta genera tentationum paſſus eſt, & non conturbabitur, cum ceciderit, quia Dominus confirmat manum ejus,*

Digitized by Google

ejus, quia prior paſſus eſt, Quid timebis, O homo, quid timebis? dolores? flagellatus eſt Chriſtus. Contumelias? audivit, dæmonium habes &c. Talis conſideratio, ingenti nobis erit ſolatio, omne grave reddet leve, omne longum breve, annus videbitur triduum, plumbum pluma, Oceanus gutta.

Idem faciet, ſuaviſſima conſideratio S. Bernardi ſuper illas manus Angelorum, quibus David pſ. 90. v. 12. ait, portari illum, qui habitat in adjutorio altiſſimi. *In manibus portabunt te. Vultis ſcire, quas intelligam duas manus?* (quia hodie eſt Dominica congregationis agoniæ, fortaſſis ſodales mei, jam cogitant, quænam eſſent illæ manus, niſi illæ Jeſu crucifixi, in quarum vulneribus ſancti Angeli Tutelares ſuos clientes, ſemper, ſed præſertim in hora mortis contra inſultus dæmonum abſcondunt & protegunt? Placet mihi pia cogitatio; placet mihi, ſi hodie in vobis eſt fervens hoc deſiderium, ut hæc gratia à ſanctis Angelis vobis exhibeatur. Sed S. Bernardus in materia meæ concionis ſic pergit.) *Duplicem ſcilicet demonſtrationem, dum videlicet, hinc quidem tribulationis brevitas, inde æternitas retributionis*, id eſt; hinc ſeptem anni ſervitutis, inde formoſitas Rachelis; hinc triduanus labor, inde æterna merces! hinc fames, ſitis, paupertas, inde amabilis Jeſus; *oſtenditur aut magis pingitur, vel imprimitur cordi, ut intimo affectu ſentiat, quemadmodum momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtræ, ſupramodum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. His manibus portatur homo ab Angelis.* Sive, hæ duæ conſiderationes, ingens nobis præbent ſolatium, cum per triduum Chriſtum ſequi debemus in via crucis, ſive cum aliquid pro Chriſto patiendum eſt, quidquid illud ſit. *§. 12. Dulcis ſenſus illorum verborum pſ. 90. In manibus portabunt te, Ex S. Bernardo.*

Ingens hoc ſolatium expertus fuit Gabilas Martyr, qui dum ungulis laceratus, ſuſpenſus in equuleo, & omnibus membris diſtortus interrogaretur à Lyſania Judice, quam utilitatem ei hæc tormenta conciliarent, S. Martyr alte ſublimeq; ſentiens, ſupra humana erectus reſpondit; *Non ad præſens uſque tempus noſtra conſiſtunt, neque ea ſolum ſequimur, quæ cernuntur quæ momentanea, & levia ſunt*, ergo dierum aliquot tortura, ergo ungulatum dolor, ergo membrorum diſtorſio; ergo inducta vulneribus vulnera, *§. 13. Solatium S. Gabilæ Martyris.*

Digitized by Google

ergo tot & tam immanes cruciatus; ergo ipſa mortis acerbitas, ante oculos Martyris obverſata; hæc inquam omnia, invicto Athletæ viſa ſunt momentum, & leve quid. Hæc conſideratio fuit manus Angelica, quæ inter ungulas in equuleo, in graviſſimis tormentis hunc pugilem tenuit, ne corrueret, confortavit, ne caderet, fecit invictum, ne cederet; imo ad tyrannum auſus fuit dicere; Quod ſi tu quoque volueris aſpicere ad ſpem, & promiſſam nobis remunerationem, forte etiam dices cum S. Paulo, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus mundi, ſi conferantur cum gloria vitæ futuræ.* Ergo coronam, ergo æternam gloriam, ergo amabilem Jeſum, qui eſt noſter remunerator, S. Gabilas habuit præ oculis dum pateretur, & vicit generoſe. Altera manus Angelica, quæ illum portavit in ſinum Abrahæ, fuit conſideratio æternitatis; ut quivis noſtrum advertat, qua ratione, practice, cum eſt in tribulatione, his Angelorum manibus, poſſit & debeat ſe committere. Quod patimur pro Chriſto, leve eſt, & momentaneum; remuneratio grandis eſt, merces magna nimis, & æterna. Patimur levia, & per triduum, ſed propter amabilem Jeſum, qui illos, qui ex amore erga ſe, aliquid patiuntur, iterum amat, & prius amat, & magis amat.

§. 14. *Vita noſtra, quam brevis ac momentanea, reſpectu æternitatis.* Finiam primum punctum meæ concionis (cum duo altera modo pro dignitate deducere non poſſim) alia conſideratione, pro ingenti noſtro ſolatio. Quæſo Auditores, perpendite bene, quid ſit triduum, quid ſeptimanæ, quid menſes, quid anni, etiam ſeptuaginta, quibus plerumque hodie vita hominis includitur, quid inquam, hic fluxus temporis ſit reſpectu æternitatis? reſpectu amoris, quem amabili Jeſu debemus? quid ſint hæc omnia, niſi punctus? cum pulcherrima differentia, quam advertit S. Bernardus ſupra; quæ me in quacunque tribulatione multum ſolet conſolari. *Quid in incertum, dies & annos tibi numeras? tranſit & pœna, neque accedunt ſibi, ſed cedunt potius, & ſuccedunt.* Sic hoc practice intelligo. Momento quo v. g. ſentio acutiſſimum dolorem capitis, eodem momento ille dolor tranſit, non manet. Succedit altero momento novus ſed dum hoc cogito, abiit &c. Sic abit tribulatio, quam patimur, cum tempore. Non ſic gloria,

non

non ſic merces, non ſic remuneratio; neſcit hæc viciſſitudinem, neſcit finem, manet tota ſimul,& manet in æternum.

Quæ cum ita habeant, age anima mea! age, oculos in pulchram Rachelem conjiciamus, ne te contemptus, ne te paupertas, ne perſecutio, ne mors ipſa deterreat, digna eſt his omnibus Rachel, cœleſtis illa gloria. O cara Rachel! Sed tu adhuc longe carior, mi Jeſu! momentaneum, & leve tribulationis meæ, cum te dulcem & pulcrum amorem meum aſpicio. Venite vincula, injuriæ, carceres, verbera, tyranni, carnifices! Jeſum meum amo; & quia amo, momentum eſt, quidquid horridi, diri, ſævi, in me machinamini. Jeſum amo, & amabo; ſic nullus mihi labor longior, nulla crux aſperior, nullus denique cruciatus prolixior videbitur. Amen. *§. 15. Epilogus, cum affectu piæ animæ.*

Alia themata in propoſitione propoſita, reperiet amicus lector, in aliis concionibus.

CONCIO XXXVII.

DOMINICA VIII. POST SS. TRINITATEM.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exſcindetur, & in ignem mittetur.

Matth. 7. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PErſpicue & ad captum populi, ventilatur celebris controverſia, Catholicos inter & Lutheranos; an ſola fides juſtificet necne:

§. 1. *Varia ſigna arboris, an bona ſit vel mala?*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Prima Chriſtiani virtus, fides.*

§. 4. *Catholici fidem in juſtifica-*

 tione

tione non excludunt.
§. 5. *Fidei neceſſitas variis ſimilibus exponitur.*
§. 6. *Quomodo fides ſit donum ſolius Dei.*
§. 7. *Non tamen ſola juſtificat.*
§. 8. *Declaratur in ſimili, à pomo arbore.*
§. 9. *Aliud ſimile ex Evangelio, de turri non exædificata.*
§. 10. *Confirmatur ex SS. Patribus.*
§. 11. *Præſenti diſcurſui applicatur parabola de decem Virgin.*
§. 12. *Fidei lychnus non ſufficit lampadi, adde & oleum caritatis.*
§. 13. *Quænam ſit Oliva fructifera in domo Domini.*
§. 14. *De hac Oliva, diſcurſus Catholici & Lutherani.*
§. 15. *Mons Libani, ſive Eccleſia Chriſti, quibus arboribus exornetur.*
§. 16. *Emblema de Cedro, & Epilogus.*

§. 1. Varia ſigna arboris, an bona, an mala ſit.

OBvia ſimilitudine Chriſtus D. in hodierno Evangelio nobis declarat, ex controverſiis unam, quæ hodie præcipue diſputatur, nimirum, an fides ſola ſufficiat ad juſtificationem, quod docent adverſarii, vel an præter fidem etiam requirantur ad ſalutem, bona opera, quod nos Romano-Catholici aſſerimus. Ut hoc pateat magis, advertere oportet, varia eſſe ſigna, ex quibus colligere poſſumus, an arbor aliqua bona, vel mala ſit. 1. Ex radice, juxta illud S. Pauli ad Rom. 11. v. 16. *Si radix ſancta, & rami.* conſequenter tota arbor. Ex radice venenata plerumque colligimus venenatos fore fructus venenatæ arboris, tales arbores oportet exſcindere, & in ignem conjicere. 2. Dignoſcere poſſumus bonitatem, vel malitiam arboris ex foliis, cum illa fœtent, cum pungunt, cum ſcabie tangentes inficiunt, idem cogitemus de radice, de floribus, de fructibus, de tota arbore. Hæ quoque arbores pertinent ad ignem. Idem de floribus, quod de foliis, eſto judicium. 4. Ex mente Chriſti D. bonitatem, vel malitiam arboris præcipue cognoſcimus ex fructibus. Hæc breviter de ſenſu literali Evangelicæ parabolæ de arbore bona & mala. In ſenſu myſtico, vel quoad mores, quivis Chriſtianus in horto, vel agro Eccleſiæ eſt arbor bona vel mala. Cum igitur quæſtio ſit, an ad ſalutem ſufficiat ſola fides, ſine operibus, id meo judicio nihil aliud eſt, quam quærere, an ad bonam arborem in aliquo horto, ſufficiat ſola radix, ut etiam ſine trunco, ſine

co, ſine foliis, ſine floribus, ſine fructibus arbor dici poſſit.

Examinabo latius hac concione, tales ſimilitudines, fundatas in ſacris literis, & ſpero me celebrem controverſiam tam clare vobis propoſiturum, ut ipſi judices, & arbitri eſſe poſſitis: præcipue ſi brevi tempore, attente, ut ſoletis ad mea dicta attendere velitis. De qua veſtra benevolentia, cum nullus dubitem, pergam in nomine Domini. §. 2. *Propoſitio.*

Nos quoque Romano-Catholici, fidem juſtificantem in homine Chriſtiano, ſummopere extollimus & deprædicamus. Nam S. Ambroſ. ait l. 1. de ſacram. *In Chriſtiano, prima eſt fides.* D. Greg. l. 2. Moral. c. 33. *Si fides non prima in corde noſtro gignitur, reliqua quoque eſſe bona non poſſunt.* Clemens Alexandr. l. 2. ſtromat. *Fides, ad ſalutem prima eſt inclinatio, poſt quam timor, ſpes, pœnitentia & aliæ virtutes ſalutis negotium peragunt* Prima pulchritudo univerſi apparuit, cum jubente Domino facta eſt lux, ſol, luna, ſtellæ, reliquaque ſidera, pulchritudinis ſuæ radios, debent luci, pari ratione ſpes, amor, cæteræque virtutes, primos venuſtatis ſuæ radios mutuantur à lumine fidei. In bonæ arboris perfectione, prima eſt radix: in pulcherrimo negotio juſtificationis, & ſalutis, prima eſt fides. §. 3. *Prima cujus vis Chriſtiani virtus, eſt fides.*

Et ita quidem prima eſt virtus, ut ſine illa, juſtificationis negotium peragi non poſſit, & ob hanc eandem cauſam ſimul, plane eſt neceſſaria. Dum hæc tam claris verbis aſſero, non dubito præſentes aliquos Acatholicos, hanc apud ſe inferre conſequẽtiam, ergo Papiſtæ, ut vocamus, fidem in juſtif. non excludunt. Et quomodo excluderemus? cum ſciamus S. Paul. dixiſſe ad Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Cum valde æſtimemus S. Aug. qui dixit ſer. 28. de temp. *Fides eſt humanæ ſalutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei conſortium pervenire poteſt, quia ſine ipſa, nec in hoc ſæculo quiſpiam juſtificationis conſequitur gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit æternam.* §. 4. *Catholici, fidem in juſtificatione non excludunt.*

Quam homini ambulanti in tenebris, vel in ignota, & denſa ſylva, neceſſaria eſt lampas, vel lux, vel ductor, ut viam, quam quærit inveniat, tam homini Chriſtiano ambulanti in tenebris (ut Salvator noſter loquitur) neceſſaria eſt fides §. 5. *Fidei neceſſitas variis ſimilibus exprimitur.*

 tanquam

ſim in gremio veræ Eccleſiæ; miſericordiam conſecutus ſum, ipſe fecit, agnoſco fidem eſſe donum Dei.

Sic eſt his & ſimilibus verbis, fides juſtificans ſatis commendari non poteſt. Verum quod ex adverſariis permulti, adeo illam extollant, ut illi ſoli, totum negotium juſtificationis aſcribant, ut dicant, ut cantent, ſolam fidem nos juſtificare, excludant bona opera; hoc adverſatur fidei Romano-Catholicæ: & ut arbitror ſimilitudini de arbore bona, qua Chriſtus D. utitur in hodierno Evangelio. Age verò, controverſiam iſtam, ſic porro clarius proponamus. §. 7. *Non tamen ſola fides juſtificat.*

Stat in aliquo horto vel agro, pulcherrima pomus; accedit hortulanus, & arrepta ſecuri præſcindit omnes ramos, & partem trunci, relicta ferme ſola radice in terra. Ite, quærite, an jam hæc radix, hic truncus ſit arbor? Puer aliquis, ſi adſit, reſpondebit, non: non eſt amplius arbor, mutilata eſt, eſt ſola radix, quæ ſola nunquam facit arborem. Hoc ad literam. In ſenſu myſtico, in horto, vel agro Eccleſiæ, quivis homo Chriſtianus eſt arbor; ſed adverſarii præſcindunt ramos, diripiunt flores, decutiunt fructus, quæritur, eſtne talis fidelis, arbor, & arbor bona. Idem, qui ante puer reſpondebit, Non eſt arbor, habet ſolam radicem fidei, ſupereſt aliquid de trunco ſpei, & fiduciæ in Chriſtum, folia verò & flores ſanctarum cogitationum, ſunt præſciſſi, decuſſi ſunt fructus bonorum operum, & alii ex hac ficu non creſcent in æternum; Præcidite ergo, ut quid terram occupat? ipſe Chriſtus hanc tulit ſententiam, *Exſcindetur & in ignem mittetur.* Hoc quæritur in controverſia de qua agimus: an ad juſtificationem hominis ſufficiat ſola fides? reſpondi ad arborem bonam non ſufficere ſolam radicem; reſpondeo, multo minus ſolam fidem ſufficere, ut fidelis ſit arbor bona. §. 8. *Declaratur ſimilitudine à pomo arbore.*

Evangeliſtæ faciunt etiam mentionem alicujus turris, quam Rex quidam cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Cogitemus nos ſtare ad fundamenta hujus turris, illaque contemplari. quæro? hæccine eſt illa turris tanti Regis, hoccine illud elegans ædificium? in quo regiam voluit demonſtrare magnificentiam; hæccine illa moles? Si puer audiat, dicit, quid ais? non eſt hæc §. 9. *Aliud ſimile ex Evangelio de turri non exædificata.*

turris, non ædificium, fundamentum tantum poſitum eſt, alia requiruntur ad perfectionem; alti parietes, in ordinem diſpoſiti anguli, feneſtræ, columnæ, tectum, gradus, & his ſimilia; quæ omnia requiruntur ad perfectionem & elegantiam turris, vel ædificii. Quo ſenſu homo Chriſtianus vocatur arbor, eodem poteſt appellari turris. Nihil eſt communius, quam ut in libris aſceticis, vita & perfectio hominis Chriſtiani comparetur cum eleganti ædificio, vel domo. Æternæ veritati placuit hæc analogia. Jam vero aliquis Lutheri aſſecla educturus in altum hoc ædificium, ponit firmiſſimum fundamentum; ponit angulares lapides fortes, ſpem & fidem in Chriſtum, hic quieſcit. Itane? ergo hæc illa auguſta moles? hæccine turris & domus Chriſti? timeo, ne idem qui ante puer, dicat, Pater! non eſt hæc domus, non eſt turris, fundamenti angulares lapides ſunt poſiti; aliarum virtutum parietes, temperantiæ, fortitudinis &c. tectum caritatis, portæ miſericordiæ &c. adhuc deſunt. Ex palpabili hac ſimilitudine, eſtote judices & arbitri, an ſola fides ſufficiat ad perfectionem Chriſtianam. Judica, an ſola radix faciat arborem; an ſolum fundamentum dici poſſit domus: & ſecundum has regulas, peto & imploro æquiſſimum veſtrum judicium, in controverſia, quam tractamus.

§. 10. *Confirmatur ex SS. Patribus.* Ego dico, cum S. Auguſtino ſer. 22. de verbis Domini. *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Cum S. Chryſoſtomo hom. 9. in ep. ad Hebr. *Quia fides fundamentum, cætera verò ſuperædificantur.* Ad arborem bonam, præter radicem requiruntur flores & fructus, ad ædificium, præter fundamentum alii parietes, ad perfectionem hominis Chriſtiani, præter fidem, ſpem, aliæ quoque virtutes, bonaque opera requiruntur, oratio, eleemoſynæ, & cæteræ charitatis pediſſequæ! Quomodo hæc controverſia clarius proponi poſſet? hoc verum eſt, ad arborem requiritur radix, ad turrim fundamentum, ſed non ſufficit.

§. 11. *Præſenti diſcurſui applicatur.* Matth. 25. v. 8. proponit Chriſtus D. pulcherrimam parabolam, de decem Virginibus. Adverto! video! aliquos ex adverſariis præ pudore dejicere oculos, tegere vultus! Vide, quomodo muſſi-

parabola de decem Virginibus.

muſſitent ſub pileis, quia in hac controverſia horrent hanc parabolam. Quænam conficiunt lampadem? an ſolum vitrum? an etiam lychnus? an oleum quoque requiritur? an inſuper flamma? quis lampadem videt ardere, niſi in aliquo vaſe? niſi cum lychno? niſi cum oleo? niſi cum flamma? omnia requiruntur. Ob unius olei defectum, quinque fatuarum Virginum lampades fuerunt extinctæ. Homo Chriſtianus, homo ſanctus, homo capax beatitudinis æternæ, homo Dei amicus, qui dicitur arbor; cujus vita eſt pulchrum ædificium, ab ipſo Chriſto D. comparatur etiam lampadi & lucernæ accenſæ Luc.12.v.35. *Sint lumbi veſtri ſuccincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Quæritur, an ad Chriſtianam perfectionem, ſufficiat ſola fides; an requirantur etiam virtutes & opera? Dicite mihi adverſarii, an ad lampadem ut ardeat, ſufficiat ſolus lychnus? an verò etiam oleum requiratur. Et ſecundum eandem regulam ego reſpondebo quæſtioni à vobis propoſitæ.

Fides lychnus non ſufficit lampadi, adde & oleum caritatis.

Hoc mihi certum eſt, cum aliquando coram ſponſo, cum §.12.
nos vocabit ad nuptias agni, comparere debeamus, cum lampadibus accenſis & ornatis, fore, ut non ſufficiat lychnus fidei, ſed neceſſarium quoque erit oleum bonorum operum, & flamma charitatis. Auctor operis imperfecti. *Bona opera fidei vigorem accendunt.* Jacob.2.v.7. *fides ſine operibus mortua eſt.* Fides ſine floribus & fructibus, eſt radix emarcidæ arboris. Fides ſine virtutibus eſt fundamentum domus direptæ, incenſæ, & devaſtatæ; fides ſine oleo bonorum operum, eſt lychnus lampadis extinctæ, tales lampades fatuis Virginibus fuerunt cauſa æternæ damnationis. Concilium Trident. ſeſſ.6. Canone 9. *Si quis dixerit ſola fide, impium juſtificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, anathema ſit.*

Quænam ſit Oliva fructifera, in domo Domini.

Redeo ad ſimilitudinem arboris bonæ, & conſequenter ad §.13.
textum Evangelii; Regius Pſaltes cum gloriari vult, ſe ſperare, ſe eſſe virum ſanctum, ſecundum cor Dei, & qui faciat omnes voluntates ejus, ait pſ.51.v.10. *Ego autem ſicut Oliva fructifera in domo Domini.* Alia lectio habet, *Ego Oliva pullulans.* In græco, *Germinans fructus.* Syrus, *Ego quaſi Oliva decora, cujus ſunt rami magni, & quaſi arbor unguenti ſatura.* Sive, *plena oleo.* Tigurina. *Oliva*

Digitized by Google

elegans & fructifera, ob abundantiam ſcilicet olei, quod eſt fructus Olivæ ſenſu myſtico, fructus Olivæ fructiferæ, ſive hominis juſti, S. Paulus ad Galatas c.5. v.22. ait, eſſe ſpem, caritatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, longanimitatem, manſuetudinem, modeſtiam, continentiam, caſtitatem. Itaque Oliva fructifera fuit David in domo Domini, quia fuit patiens, benignus, &c. Fructus verò arboris alicujus venenatæ S. Paulus vocat opera carnis, *qualia ſunt fornicatio*, *luxuria* &c. quibus poſitis ita diſcurro.

§.14. *De hac Oliva diſcurſus Catholici & Lutherani.*

Homo Chriſtianus, tanquam arbor bona debet poſſe dicere, ego Oliva fundata in radice fidei, rigata ſanguine Chriſti, fota radiis gratiæ & Spiritus S. diffundor in folia & flores ſanctarum cogitationum; diffundor in fructus gaudii patientiæ, benignitatis &c. Bene habet! præſcindetur aliquando hæc Oliva à morte, & transplantabitur in paradiſum gloriæ, ubi æternum virebit in domo Domini. Lutheranus aliquis, qui ſoli fidei innititur ſic loquetur: ego Oliva, fundata radice fidei, in Jeſum Salvatorem meum, ſed ex humana imbecillitate pullo fructus, quales? luxuriam fateor, odia &c. nihilominus tamen, quia credo in Deum, ſpero ab eodem miſericordiam. Hæc ſcilicet eſt illa Oliva, illa arbor, illa radix venenata, ſupra quam ipſe Chriſtus D. jam tulit ſententiam, *exſcindetur & in ignem mittetur*. Ex fructibus itaque cognoſcite, in quo agro creſcant arbores bonæ, an in agro Eccleſiæ Romano-Catholicæ, an verò in ſenticeto Lutheri, vel Calvini. Si ipſe hortulanus de arbore præſcindat ramos, flores, ſi decutiat fructus antequam matureſcant; quos fructus ſperare poterit? Hoc facit qui ad ſalutem negat opera bona, remanet verò ſola radix fidei, ſuo tempore etiam exſcindenda, & mittenda in ignem. Fructus boni faciunt arborem bonum, S. Hieronym. in cap. 14. Oſeæ.

§.15. *Mons Libani, ſive Eccleſia, quibus arboribus ornetur.*

Arbores Libani quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtunt (talis debet eſſe vera fides) ſed non hoc ſufficit. harum arborum rami extenduntur; hæc quoque eſt proprietas arboris bonæ; Rectæ quoque & electæ abietes, ſive, homines ſancti, recta

recta intentione debent erigi in cœlum. Denique præcipua laus arborum in monte Libani eſt, quod ſint, pingues Olivæ, pini, palmæ, &c. verbo, arbores fructiferæ. Pulcherrimus mons Libani, eſt vera Eccleſia Chriſti; ſed non ornatur truncis, vel arboribus ſiccis, aut radicibus venenatis. Hic mons requirit, cedros, palmas, Olivas.

Cedrus v.g. laudatur quod amet montes, quod ſit arbor rectiſſima, quod ſolidiſſima, quaſi oſſea, quod ſit incorruptibilis, quod diutiſſime duret, quod ſit quaſi æterna, quod ſit arbor valde odorata, quod ſit medicinalis. Quales laudes? ſed placet mihi emblema, in quo depicta eſt cedrus cum fructu inſtar ingentis nucis, plenæ dulciſſimo liquore, & ſucco, cum hoc lemmate: *Laus maxima fructus*. Ita, ita eſt Auditores mei, cedrus eſt anima juſti, ſublimis cedrus, nam converſatio juſti eſt in cœleſtibus; *Decora Cedrus*; nam virentes undique ramos ad elegantiam extendit. Jucunda Cedrus! quia umbram projicit ſalutarem. Annoſa Cedrus! quia lignum ejus corruptionis eſt expers. Auguſta Cedrus! quia ut arborum regina, plantata eſt in monte Libani. Verum, laus maxima fructus; fructus ſunt, qui cedrum maxime commendant. Sic & juſti maxima laus, fructus, non folia, non flores, non altitudo generis, non radix; laus illa eſt aliqua, fateor, non maxima, laus maxima fructus; *fructus autem Spiritus, ſunt caritas, gaudium, pax &c.* Sed jam ad finem decurrit ſermo. Judicate nunc Auditores, de bona, malaque arbore. Judicate de Cedro, de fructibus & foliis, de tota arbore & de ſola ejus radice & trunco. Judicate, quæ doctrina, noſtra Romano-Catholica, an Lutherana, magis accedat ad lumen rationis & fidei; perpendite quæ ex ſacris literis ventilavimus argumenta, & æquam ferte pro veritate ſententiam.

§. 16. *Emblema de Cedro, & Epilogus.*

CONCIO XXXVIII.

DOMINICA IX. POST SS. TRINITATEM.

Redde rationem villicationis tuæ.

Luc.16.c.v 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUam ſit utilis, & neceſſaria Judicii extremi memoria, & illius oblivio, quam noxia.

§.1. *Exordium minatur Auditoribus horam judicii.*

§.2. *Propoſitio.*

§.3. *Nihil ita à peccatis retrahit, quam memoria Iudicii. Probatur ex SS.Patribus.*

§.4. *Idem oſtenditur ex variis S. Scripturæ locis.*

§.5. *Deus terribilis in monte Sinai: terribilior in valle Ioſaphat.*

§.6. *Obliviſci hujus judicii: eſt omnis honeſtatis obliviſci.*

§.7. *Vbi timor Dei non eſt, ſunt omnia ſcelera.*

§.8. *Hiſtoria.*

§ 9. *Similitudo S.Chryſoſtomi, & S.Damaſceni.*

§.10. *Scientia de extremo Iudicio utiliſſima. Ex S.Bernardo.*

§.11. *Scientia hæc humiliat ſuperbos.*

§.12. *David percuſſus à timore judicii, quaſivit tutum latibulum.*

§.13. *Mirabilis viſio S.Mechtildis.*

§.14. *Epilogus cum affectu Animæ expaveſcentis judicium.*

§.1. *Exordium auditoribus minatur horam iudicii.*

IN Apocalypſi cap.14. v.7. refert S.Joannes ſe vidiſſe volitantem per aera Angelum, alta voce inclamantem; *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.* Idem in hodierno Evangelio clamat, magni conſilii Angelus Chriſtus Salva-

Digitized by Google

Salvator noſter; *Reddite rationem villicationis veſtræ*, veniet brevi hora judicii ejus; ut omnes ab illo tremendo Judice audiamus ſententiam, vel vitæ, vel æternæ damnationis. Talia ante clamaverat Regius pſaltes pſ.2.v.10. *Et nunc Reges intelligite, ſervite Domino in timore*, ille enim dixit Filio Judici, *reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Card. Bellarminus: *Hic ſignificatur poteſtas Chriſti, in nos ſumma, & juſtiſſima, ut poſſit tam facile impiis inferre ſupplicia, quam facile poteſt figulus confringere vaſa lutea. Virga autem ferrea eſt judicium inflexibile, cui reſiſti non poteſt.* S. Hieronymus hic. *Figulus Chriſtus, vas figuli homo* (juſtus vas electionis, impius vas iræ & abominationis) ſicut vas in manu figuli, ſic vos in manu mea: confringetur autem in die judicii, ſi contingat illud projici in ignem æternum. Exemplo Davidis & Chriſti D. ego quoque in hac concione, voce, qua poſſum, inclamabo, *Timete Dominum, & date illi honorem*, quia veniet hora, qua tandem ab æquiſſimo Judice judicabimur; Nemo mihi objiciat, Quid eadem materia toties repetitur? nam cum id objiceretur S. Auguſtino, reſpondit. *Dico vobis quod ipſemet Chriſtus, ſummus hominum Magiſter ſuis diſcipulis hoc per diverſas parabolas ſæpiſſime prædicavit*, quantò magis peccatoribus & impiis illud prædicandum eſt? Actuum 10.cap.v.42. ait S. Petrus. *Et præcepit nobis* (ſcilicet Magiſter noſter cœleſtis) *prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo, Iudex vivorum & mortuorum.* Iſaias de ſe ait c.61.v.1. *Ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro.* S. Vincentius Ferrer. ex Ordine S. Dominici, Apoſtolicus Concionator, qui tot millia convertit, frequentiſſime agebat de hora Judicii.

Quamobrem & ego hodie, quam ſit homini Chriſtiano utile, diei vel horæ hujus, qua judici ſiſtemur, ſemper meminiſſe, præſertim ad hunc finem, ut non peccet, hac concione oſtendam. Vos ſane in re non ludicra, ſed ſeria ac gravi, ſerio quoque attendite. §. 2. *Propoſitio.*

Spiritus Sancti pronuntiatum eſt, Eccleſiaſtici cap.7 v.40. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*, quaſi diceret, § 3. *Nihil ita à peccatis re-*

 cum

ergo tot & tam immanes cruciatus; ergo ipſa mortis acerbitas, ante oculos Martyris obverſata; hæc inquam omnia, invicto Athletæ viſa ſunt momentum, & leve quid. Hæc conſideratio fuit manus Angelica, quæ inter ungulas in equuleo, in graviſſimis tormentis hunc pugilem tenuit, ne corrueret, confortavit, ne caderet, fecit invictum, ne cederet; imo ad tyrannum auſus fuit dicere; Quod ſi tu quoque volueris aſpicere ad ſpem, & promiſſam nobis remunerationem, forte etiam dices cum S. Paulo, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus mundi, ſi conferantur cum gloria vitæ futuræ.* Ergo coronam, ergo æternam gloriam, ergo amabilem Jeſum, qui eſt noſter remunerator, S. Gabilas habuit præ oculis dum pateretur, & vicit generoſe. Altera manus Angelica, quæ illum portavit in ſinum Abrahæ, fuit conſideratio æternitatis; ut quivis noſtrum advertat, qua ratione, practice, cum eſt in tribulatione, his Angelorum manibus, poſſit & debeat ſe committere. Quod patimur pro Chriſto, leve eſt, & momentaneum; remuneratio grandis eſt, merces magna nimis, & æterna. Patimur levia, & per triduum, ſed propter amabilem Jeſum, qui illos, qui ex amore erga ſe, aliquid patiuntur, iterum amat, & prius amat, & magis amat.

§. 14. *Vita noſtra, quam brevis ac modica, reſpectu æternitatis.* Finiam primum punctum meæ concionis (cum duo altera modo pro dignitate deducere non poſſim) alia conſideratione, pro ingenti noſtro ſolatio. Quæſo Auditores, perpendite bene, quid ſit triduum, quid ſeptimanæ, quid menſes, quid anni, etiam ſeptuaginta, quibus plerumque hodie vita hominis includitur, quid inquam, hic fluxus temporis ſit reſpectu æternitatis? reſpectu amoris, quem amabili Jeſu debemus? quid ſint hæc omnia, niſi punctus? cum pulcherrima differentia, quam advertit S. Bernardus ſupra; quæ me in quacunque tribulatione multum ſolet conſolari. *Quid in incertum, dies & annos tibi numeras? tranſit & pœna, neque accedunt ſibi, ſed cedunt potius, & ſuccedunt.* Sic hoc practice intelligo. Momento quo v. g. ſentio acutiſſimum dolorem capitis, eodem momento ille dolor tranſit, non manet. Succedit altero momento novus ſed dum hoc cogito, abiit &c. Sic abit tribulatio, quam patimur, cum tempore. Non ſic gloria, non

non ſic merces, non ſic remuneratio; neſcit hæc viciſſitudinem, neſcit finem, manet tota ſimul, & manet in æternum.

Quæ cum ita habeant, age anima mea! age, oculos in pulchram Rachelem conjiciamus, ne te contemptus, ne te paupertas, ne perſecutio, ne mors ipſa deterreat, digna eſt his omnibus Rachel, cœleſtis illa gloria. O cara Rachel! Sed tu adhuc longe carior, mi Jeſu! momentaneum, & leve tribulationis meæ, cum te dulcem & pulcrum amorem meum aſpicio. Venite vincula, injuriæ, carceres, verbera, tyranni, carnifices! Jeſum meum amo; & quia amo, momentum eſt, quidquid horridi, diri, ſævi, in me machinamini. Jeſum amo, & amabo; ſic nullus mihi labor longior, nulla crux aſperior, nullus denique cruciatus prolixior videbitur. Amen. *§. 15. Epilogus, cum affectu piæ animæ.*

Alia themata in propoſitione propoſita, reperiet amicus lector, in aliis concionibus.

CONCIO XXXVII.

DOMINICA VIII. POST SS. TRINITATEM.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exſcindetur, & in ignem mittetur.

Matth. 7. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PErſpicue & ad captum populi, ventilatur celebris controverſia, Catholicos inter & Lutheranos; an ſola fides juſtificet necne.

§. 1. *Varia ſigna arboris, an bona ſit vel mala?*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Prima Chriſtiani virtus, fides.*

§. 4. *Catholici fidem in juſtifica-*

tione

tione non excludunt.
§. 5. *Fidei neceſſitas variis ſimilibus exponitur.*
§. 6. *Quomodo fides ſit donum ſolius Dei.*
§. 7. *Non tamen ſola juſtificat.*
§. 8. *Declaratur in ſimili, à pomo arbore.*
§. 9. *Aliud ſimile ex Evangelio, de turri non exædificata.*
§. 10. *Confirmatur ex SS. Patribus.*
§. 11. *Præſenti diſcurſui applicatur parabola de decem Virgin.*
§. 12. *Fidei lychnus non ſufficit lampadi, adde & oleum caritatis.*
§. 13. *Quanam ſit Oliva fructifera in domo Domini.*
§. 14. *De hac Oliva, diſcurſus Catholici & Lutherani.*
§. 15. *Mons Libani, ſive Eccleſia Chriſti, quibus arboribus exornetur.*
§. 16. *Emblema de Cedro, & Epilogus.*

§. 1. *Varia ſigna arboris, an bona, an mala ſit.*

OBvia ſimilitudine Chriſtus D. in hodierno Evangelio nobis declarat, ex controverſiis unam, quæ hodie præcipue diſputatur, nimirum, an fides ſola ſufficiat ad juſtificationem, quod docent adverſarii, vel an præter fidem etiam requirantur ad ſalutem, bona opera, quod nos Romano-Catholici aſſerimus. Ut hoc pateat magis, advertere oportet, varia eſſe ſigna, ex quibus colligere poſſumus, an arbor aliqua bona, vel mala ſit. 1. Ex radice, juxta illud S. Pauli ad Rom. 11. v. 16. *Si radix ſancta, & rami.* conſequenter tota arbor. Ex radice venenata plerumque colligimus venenatos fore fructus venenatæ arboris, tales arbores oportet exſcindere, & in ignem conjicere. 2. Dignoſcere poſſumus bonitatem, vel malitiam arboris ex foliis, cum illa fœtent, cum pungunt, cum ſcabie tangentes inficiunt, idem cogitemus de radice, de floribus, de fructibus, de tota arbore. Hæ quoque arbores pertinent ad ignem. Idem de floribus, quod de foliis, eſto judicium. 4. Ex mente Chriſti D. bonitatem, vel malitiam arboris præcipue cognoſcimus ex fructibus. Hæc breviter de ſenſu literali Evangelicæ parabolæ de arbore bona & mala. In ſenſu myſtico, vel quoad mores, quivis Chriſtianus in horto, vel agro Eccleſiæ eſt arbor bona vel mala. Cum igitur quæſtio ſit, an ad ſalutem ſufficiat ſola fides, ſine operibus, id meo judicio nihil aliud eſt, quam quærere, an ad bonam arborem in aliquo horto, ſufficiat ſola radix, ut etiam ſine trunco, ſine

co, ſine foliis, ſine floribus, ſine fructibus arbor dici poſſit.

§. 2. *Propoſitio.*

Examinabo latius hac concione, tales ſimilitudines, fundatas in ſacris literis, & ſpero me celebrem controverſiam tam clare vobis propoſiturum, ut ipſi judices, & arbitri eſſe poſſitis: præcipue ſi brevi tempore, attente, ut ſoletis ad mea dicta attendere velitis. De qua veſtra benevolentia, cum nullus dubitem, pergam in nomine Domini.

§. 3. *Prima cujusvis Chriſtiani virtus, eſt fides.*

Nos quoque Romano-Catholici, fidem juſtificantem in homine Chriſtiano, ſummopere extollimus & deprædicamus. Nam S. Ambroſ. ait l. 1. de ſacram. *In Chriſtiano, prima eſt fides.* D. Greg. l. 2. Moral. c. 33. *Si fides non prima in corde noſtro gignitur, reliqua quoque eſſe bona non poſſunt.* Clemens Alexandr. l. 2. ſtromat. *Fides, ad ſalutem prima eſt inclinatio, poſt quam timor, ſpes, pœnitentia & aliæ virtutes ſalutis negotium peragunt* Prima pulchritudo univerſi apparuit, cum jubente Domino facta eſt lux, ſol, luna, ſtellæ, reliquaque ſidera, pulchritudinis ſuæ radios, debent luci, pari ratione ſpes, amor, cæteræque virtutes, primos venuſtatis ſuæ radios mutuantur à lumine fidei. In bonæ arboris perfectione, prima eſt radix: in pulcherrimo negotio juſtificationis, & ſalutis, prima eſt fides.

§. 4. *Catholici, fidem in juſtificatione non excludunt.*

Et ita quidem prima eſt virtus, ut ſine illa, juſtificationis negotium peragi non poſſit, & ob hanc eandem cauſam ſimul, plane eſt neceſſaria. Dum hæc tam claris verbis aſſero, non dubito præſentes aliquos Acatholicos, hanc apud ſe inferre conſequẽtiam, ergo Papiſtæ, ut vocamus, fidem in juſtif. non excludunt. Et quomodo excluderemus? cum ſciamus S. Paul. dixiſſe ad Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Cum valde æſtimemus S. Aug. qui dixit ſer. 28. de temp. *Fides eſt humanæ ſalutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei conſortium pervenire poteſt, quia ſine ipſa, nec in hoc ſæculo quiſpiam juſtificationis conſequitur gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit æternam.*

§. 5. *Fidei neceſſitas variis ſimilibus exprimitur.*

Quam homini ambulanti in tenebris, vel in ignota, & denſa ſylva, neceſſaria eſt lampas, vel lux, vel ductor, ut viam, quam quærit inveniat, tam homini Chriſtiano ambulanti in tenebris (ut Salvator noſter loquitur) neceſſaria eſt fides:

 tanquam

ſim in gremio veræ Eccleſiæ; miſericordiam conſecutus ſum, ipſe fecit, agnoſco fidem eſſe donum Dei.

§. 7. *Non tamen ſola fides juſtificat.*

Sic eſt his & ſimilibus verbis, fides juſtificans ſatis commendari non poteſt. Verum quod ex adverſariis permulti, adeo illam extollant, ut illi ſoli, totum negotium juſtificationis aſcribant, ut dicant, ut cantent, ſolam fidem nos juſtificare, excludant bona opera; hoc adverſatur fidei Romano-Catholicæ: & ut arbitror ſimilitudini de arbore bona, qua Chriſtus D. utitur in hodierno Evangelio. Age verò, controverſiam iſtam, ſic porro clarius proponamus.

§. 8. *Declaratur ſimilitudine à pomo arbore.*

Stat in aliquo horto vel agro, pulcherrima pomus; accedit hortulanus, & arrepta ſecuri præſcindit omnes ramos, & partem trunci, relicta ferme ſola radice in terra. Ite, quærite, an jam hæc radix, hic truncus ſit arbor? Puer aliquis, ſi adſit, reſpondebit, non: non eſt amplius arbor, mutilata eſt, eſt ſola radix, quæ ſola nunquam facit arborem. Hoc ad literam. In ſenſu myſtico, in horto, vel agro Eccleſiæ, quivis homo Chriſtianus eſt arbor; ſed adverſarii præſcindunt ramos, diripiunt flores, decutiunt fructus, quæritur, eſtne talis fidelis, arbor, & arbor bona. Idem, qui ante puer reſpondebit, Non eſt arbor, habet ſolam radicem fidei, ſupereſt aliquid de trunco ſpei, & fiduciæ in Chriſtum, folia verò & flores ſanctarum cogitationum, ſunt præſciſſi, decuſſi ſunt fructus bonorum operum, & alii ex hac ficu non creſcent in æternum; Præcidite ergo, ut quid terram occupat? ipſe Chriſtus hanc tulit ſententiam, *Exſcindetur & in ignem mittetur.* Hoc quæritur in controverſia de qua agimus: an ad juſtificationem hominis ſufficiat ſola fides? reſpondi ad arborem bonam non ſufficere ſolam radicem; reſpondeo, multo minus ſolam fidem ſufficere, ut fidelis ſit arbor bona.

§. 9. *Aliud ſimile ex Evangelio de turri non ædificata.*

Evangeliſtæ faciunt etiam mentionem alicujus turris, quam Rex quidam cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Cogitemus nos ſtare ad fundamenta hujus turris, illaque contemplari. quæro? hæccine eſt illa turris tanti Regis, hoccine illud elegans ædificium? in quo regiam voluit demonſtrare magnificentiam; hæccine illa moles? Si puer audiat, dicit, quid ais? non eſt hæc

turris,

turris, non ædificium, fundamentum tantum poſitum eſt, alia requiruntur ad perfectionem; alti parietes, in ordinem diſpoſiti anguli, feneſtræ, columnæ, tectum, gradus, & his ſimilia; quæ omnia requiruntur ad perfectionem & elegantiam turris, vel ædificii. Quo ſenſu homo Chriſtianus vocatur arbor, eodem poteſt appellari turris. Nihil eſt communius, quam ut in libris aſceticis, vita & perfectio hominis Chriſtiani comparetur cum eleganti ædificio, vel domo. Æternæ veritati placuit hæc analogia. Jam vero aliquis Lutheri aſſecla educturus in altum hoc ædificium, ponit firmiſſimum fundamentum; ponit angulares lapides fortes, ſpem & fidem in Chriſtum, hic quieſcit. Itane? ergo hæc illa auguſta moles? hæccine turris & domus Chriſti? timeo, ne idem qui ante puer, dicat, Pater! non eſt hæc domus, non eſt turris, fundamenti angulares lapides ſunt poſiti; aliarum virtutum parietes, temperantiæ, fortitudinis &c. tectum caritatis, portæ miſericordiæ &c. adhuc deſunt. Ex palpabili hac ſimilitudine, eſtote judices & arbitri, an ſola fides ſufficiat ad perfectionem Chriſtianam. Judica, an ſola radix faciat arborem; an ſolum fundamentum dici poſſit domus; & ſecundum has regulas, peto & imploro æquiſſimum veſtrum judicium, in controverſia, quam tractamus.

§. 10. *Confirmatur ex SS. Patribus.* Ego dico, cum S. Auguſtino ſer. 22. de verbis Domini. *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Cum S. Chryſoſtomo hom. 9. in ep. ad Hebr. *Quia fides fundamentum, cætera verò ſuperædificantur.* Ad arborem bonam, præter radicem requiruntur flores & fructus, ad ædificium, præter fundamentum alii parietes, ad perfectionem hominis Chriſtiani, præter fidem, ſpem, aliæ quoque virtutes, bonaque opera requiruntur, oratio, eleemoſynæ, & cæteræ charitatis pediſſequæ! Quomodo hæc controverſia clarius proponi poſſet? hoc verum eſt, ad arborem requiritur radix, ad turrim fundamentum, ſed non ſufficit.

§. 11. *Præſenti diſcurſui applicatur* Matth. 25. v. 8. proponit Chriſtus D. pulcherrimam parabolam, de decem Virginibus. Adverto! video! aliquos ex adverſariis præ pudore dejicere oculos, tegere vultus! Vide, quomodo muſſi-

muſſitent ſub pileis, quia in hac controverſia horrent hanc parabolam. Quænam conficiunt lampadem? an ſolum vitrum? an etiam lychnus? an oleum quoque requiritur? an inſuper flamma? quis lampadem videt ardere, niſi in aliquo vaſe? niſi cum lychno? niſi cum oleo? niſi cum flamma? omnia requiruntur. Ob unius olei defectum, quinque fatuarum Virginum lampades fuerunt extinctæ. Homo Chriſtianus, homo ſanctus, homo capax beatitudinis æternæ, homo Dei amicus, qui dicitur arbor; cujus vita eſt pulchrum ædificium, ab ipſo Chriſto D. comparatur etiam lampadi & lucernæ accenſæ Luc.12.v.35. *Sint lumbi veſtri ſuccincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Quæritur, an ad Chriſtianam perfectionem, ſufficiat ſola fides; an requirantur etiam virtutes & opera? Dicite mihi adverſarii, an ad lampadem ut ardeat, ſufficiat ſolus lychnus? an verò etiam oleum requiratur. Et ſecundum eandem regulam ego reſpondebo quæſtioni à vobis propoſitæ.

Parabola de decem Virginibus.

Hoc mihi certum eſt, cum aliquando coram ſponſo, cum nos vocabit ad nuptias agni, comparere debeamus, cum lampadibus accenſis & ornatis, fore, ut non ſufficiat lychnus fidei, ſed neceſſarium quoque erit oleum bonorum operum, & flamma charitatis. Auctor operis imperfecti. *Bona opera fidei vigorem accendunt.* Jacob.2.v.7. *fides ſine operibus mortua eſt.* Fides ſine floribus & fructibus, eſt radix emarcidæ arboris. Fides ſine virtutibus eſt fundamentum domus direptæ, incenſæ, & devaſtatæ; fides ſine oleo bonorum operum, eſt lychnus lampadis extinctæ, tales lampades fatuis Virginibus fuerunt cauſa æternæ damnationis. Concilium Trident. ſeſſ.6. Canone 9. *Si quis dixerit ſola fide, impium juſtificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, anathema ſit.*

§.12. *Fidei lychnus non ſufficit lampadi, adde & oleum charitatis.*

Redeo ad ſimilitudinem arboris bonæ, & conſequenter ad textum Evangelii; Regius Pſaltes cum gloriari vult, ſe ſperare, ſe eſſe virum ſanctum, ſecundum cor Dei, & qui faciat omnes voluntates ejus, ait pſ.51.v.10. *Ego autem ſicut Oliva fructifera in domo Domini.* Alia lectio habet, *Ego Oliva pullulans.* In græco, *Germinans fructus.* Syrus, *Ego quaſi Oliva decora, cujus ſunt rami magni, & quaſi arbor unguenti ſatura.* Sive, *plena oleo.* Tigurina. *Oliva*

§.13. *Quænam ſit Oliva fructifera, in domo Domini.*

Digitized by Google

elegans & fructifera, ob abundantiam ſcilicet olei, quod eſt fructus Olivæ ſenſu myſtico, fructus Olivæ fructiferæ, ſive hominis juſti, S. Paulus ad Galatas c.5. v.22. ait, eſſe ſpem, caritatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, longanimitatem, manſuetudinem, modeſtiam, continentiam, caſtitatem. Itaque Oliva fructifera fuit David in domo Domini, quia fuit patiens, benignus, &c. Fructus verò arboris alicujus venenatæ S. Paulus vocat opera carnis, *qualia ſunt fornicatio*, *luxuria* &c. quibus poſitis ita diſcurro.

§.14. *De hac Oliva diſcurſus Catholici & Lutherani.*

Homo Chriſtianus, tanquam arbor bona debet poſſe dicere, ego Oliva fundata in radice fidei, rigata ſanguine Chriſti, fota radiis gratiæ & Spiritus S. diffundor in folia & flores ſanctarum cogitationum; diffundor in fructus gaudii patientiæ, benignitatis &c. Bene habet! præſcindetur aliquando hæc Oliva à morte, & transplantabitur in paradiſum gloriæ, ubi æternum virebit in domo Domini. Lutheranus aliquis, qui ſoli fidei innititur ſic loquetur: ego Oliva, fundata radice fidei, in Jeſum Salvatorem meum, ſed ex humana imbecillitate pullo fructus, quales? luxuriam fateor, odia &c. nihilominus tamen, quia credo in Deum, ſpero ab eodem miſericordiam. Hæc ſcilicet eſt illa Oliva, illa arbor, illa radix venenata, ſupra quam ipſe Chriſtus D. jam tulit ſententiam, *exſcindetur & in ignem mittetur.* Ex fructibus itaque cognoſcite, in quo agro creſcant arbores bonæ, an in agro Eccleſiæ Romano-Catholicæ, an verò in ſenticeto Lutheri, vel Calvini. Si ipſe hortulanus de arbore præſcindat ramos, flores, ſi decutiat fructus antequam matureſcant; quos fructus ſperare poterit? Hoc facit qui ad ſalutem negat opera bona, remanet verò ſola radix fidei, ſuo tempore etiam exſcindenda, & mittenda in ignem. Fructus boni faciunt arborem bonum, S. Hieronym. in cap. 14. Oſeæ.

§.15. *Mons Libani, ſive Eccleſia, quibus arboribus ornatur.*

Arbores Libani quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtunt (talis debet eſſe vera fides) ſed non hoc ſufficit. harum arborum rami extenduntur; hæc quoque eſt proprietas arboris bonæ; Rectæ quoque & electæ abietes, ſive, homines ſancti, recta

Digitized by Google

recta intentione debent erigi in cœlum. Denique præcipua laus arborum in monte Libani eſt, quod ſint, pingues Olivæ, pini, palmæ, &c. verbo, arbores fructiferæ. Pulcherrimus mons Libani, eſt vera Eccleſia Chriſti; ſed non ornatur truncis, vel arboribus ſiccis, aut radicibus venenatis. Hic mons requirit, cedros, palmas, Olivas.

Cedrus v.g. laudatur quod amet montes, quod ſit arbor rectiſſima, quod ſolidiſſima, quaſi oſſea, quod ſit incorruptibilis, quod diutiſſime duret, quod ſit quaſi æterna, quod ſit arbor valde odorata, quod ſit medicinalis. Quales laudes? ſed placet mihi emblema, in quo depicta eſt cedrus cum fructu inſtar ingentis nucis, plenæ dulciſſimo liquore, & ſucco, cum hoc lemmate: *Laus maxima fructus*. Ita, ita eſt Auditores mei, cedrus eſt anima juſti, ſublimis cedrus, nam converſatio juſti eſt in cœleſtibus; *Decora Cedrus*; nam virentes undique ramos ad elegantiam extendit. Jucunda Cedrus! quia umbram projicit ſalutarem. Annoſa Cedrus! quia lignum ejus corruptionis eſt expers. Auguſta Cedrus! quia ut arborum regina, plantata eſt in monte Libani. Verum, laus maxima fructus; fructus ſunt, qui cedrum maxime commendant. Sic & juſti maxima laus, fructus, non folia, non flores, non altitudo generis, non radix; laus illa eſt aliqua, fateor, non maxima, laus maxima fructus; *fructus autem Spiritus, ſunt caritas, gaudium, pax &c.* Sed jam ad finem decurrit ſermo. Judicate nunc Auditores, de bona, malaque arbore. Judicate de Cedro, de fructibus & foliis, de tota arbore & de ſola ejus radice & trunco. Judicate, quæ doctrina, noſtra Romano-Catholica, an Lutherana, magis accedat ad lumen rationis & fidei; perpendite quæ ex ſacris literis ventilavimus argumenta, & æquam ferte pro veritate ſententiam.

§. 16. **Emblema de Cedro, & Epilogus.**

Salvator noſter; *Reddite rationem villicationis veſtræ,* veniet brevi hora judicii ejus: ut omnes ab illo tremendo Judice audiamus ſententiam, vel vitæ, vel æternæ damnationis. Talia ante clamaverat Regius pſaltes pſ.2.v.10. *Et nunc Reges intelligite, ſervite Domino in timore,* ille enim dixit Filio Judici, *reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Card. Bellarminus: *Hic ſignificatur poteſtas Chriſti, in nos ſumma, & juſtiſſima, ut poſſit tam facile impiis inferre ſupplicia, quam facile poteſt figulus confringere vaſa lutea. Virga autem ferrea eſt judicium inflexibile, cui reſiſti non poteſt.* S. Hieronymus hic. *Figulus Chriſtus, vas figuli homo* (juſtus vas electionis, impius vas iræ & abominationis) ſicut vas in manu figuli, ſic vos in manu mea: confringetur autem in die judicii, ſi contingat illud projici in ignem æternum. Exemplo Davidis & Chriſti D. ego quoque in hac concione, voce, qua poſſum, inclamabo, *Timete Dominum, & date illi honorem,* quia veniet hora, qua tandem ab æquiſſimo Judice judicabimur; Nemo mihi objiciat, Quid eadem materia toties repetitur? nam cum id objiceretur S. Auguſtino, reſpondit. *Dico vobis quod ipſemet Chriſtus, ſummus hominum Magiſter ſuis diſcipulis hoc per diverſas parabolas ſæpiſſime prædicavit,* quantò magis peccatoribus & impiis illud prædicandum eſt? Actuum 10. cap. v. 42. ait S. Petrus. *Et præcepit nobis* (ſcilicet Magiſter noſter cœleſtis) *prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo, Iudex vivorum & mortuorum.* Iſaias de ſe ait c.61.v.1. *Ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro.* S. Vincentius Ferrer. ex Ordine S. Dominici, Apoſtolicus Concionator, qui tot millia convertit, frequentiſſime agebat de hora Judicii.

Quamobrem & ego hodie, quam ſit homini Chriſtiano utile, diei vel horæ hujus, qua judici ſiſtemur, ſemper meminiſſe, præſertim ad hunc finem, ut non peccet, hac concione oſtendam. Vos ſane in re non ludicra, ſed ſeria ac gravi, ſerio quoque attendite. *§. 2. Propoſitio.*

Spiritus Sancti pronuntiatum eſt, Eccleſiaſtici cap.7 v.40. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis,* quaſi diceret, *§ 3. Nihil ita à peccatis revocat*

trahit, quam memoria Iudicii. Probatur ex SS. PP. Citationes vide apud Beſſaum de 4. noviſſimis.

Cum mundus, caro vel diabolus ad peccatum aliquod te invitant; tum cogita, te forte eadem illa hora moriturum; cogita, te forte illo momento, quo peccabis ſiſtendum Judici; hæc ſi ſerio cogites, in æternum non peccabis. S. Auguſtinus. *Nihil ſic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio, tunc enim anteacta vita, coram juſtiſſimo Iudice reddenda ratio erit.* S. Ambroſius. *Si mente cernerent homines peccatores, quale judicium imminet mundo, ſenſus humanus non diſpergeretur vanitate ſæculari.* S. Proſper, poſtquam de morte, de judicio, de inferno multis egiſſet, ait: *Hæc & ſimilia cogitare, nihil aliud eſt, quam vitiis omnibus repudium dare.* Sanctus Baſilius. *Semper ante oculos tuos verſetur ultimus dies, ut facilius poſſis te refrænare ab omnibus vitiis.* Ideo.

§. 4. *Idem oſtenditur ex variis S. Scripturæ locis.*

In variis locis S. Scriptura, timore hujus Judicii vel Judicis conatur impios à peccato abſterrere. Regius Pſaltes pſ. 74. v. 5. *Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu*; ideo, *Quoniam Deus Iudex eſt.* Job ſuccincte, ſed efficaciter cap. 19. v. 29. *Fugite à facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius eſt.* In hebraico. *Ira iniquitatum* (id eſt, ira qua Judex impios puniet) gladius eſt. *Scitote eſſe judicium.* Vos Veneris mancipia, fugite libidinem, ſcitote eſſe judicium. Vos qui potentes eſtis ad bibendum, diu noctuque immerſi poculis, ſcitote eſſe judicium. Vos avari, vos pauperum oppreſſores, ſcitote eſſe judicium, & non quale veſtrum eſt, ſed ſanctum, incorruptum, terribile cap. 31. v. 22. fatetur Job; *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum.* græca lectio ſic habet. *Timor Dei continuit me* (ne ſcilicet peccarem) *& pondus ejus* Pſ. 17. v. 24. David auſus fuit dicere, *Et ero immaculatus coram eo, & obſervabo me ab iniquitate mea.* Sed quo medio, O piiſſime Rex? *Quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo, & juſtitias ejus non repuli à me.*

§. 5. *Deus terribilis in monte Sinai: terribilior in valle Ioſaphat.*

Exodi 20. cum filii Iſrael audiviſſent tonitrua, & fulgura circa montem in quo erat Deus, Moyſi daturus legem perterriti & pavore concuſſi, ſteterunt procul, & clamaverunt ad Moyſem, verſu 19. *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur,* Reſponditque Moyſes, *ut probaret vos, venit*

Digitized by Google

venit Deus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. Quaſi diceret, videtis ſuos ignes? cernitis igneos globos in denſiſſimo fumo? auditis tonitrua? clamorem tubarum? rugitus nubium? in hac majeſtate deſcendit Dominus, non ut puniat, non ut comburat, non ut ſceleſtos abſumat, ſed tantum ut terreat vos, ne peccetis. Verum ſi in monte Sinai daturus legem, Deus tam fuit terribilis, qualis erit illa die in valle Joſaphat, cum totus mundus, cum omnia elementa ignibus, fulminibus, aquis &c. armabuntur contra impios? cum aderit Dominus, non tantum ut terreat, ſed ut puniat. Hæc cogitate, hæc perpendite, ſequitur terror, poſt terrorem metus, poſt metum fuga peccati.

§. 6. *Oblivisci hujus Iudicii, eſt omnis honeſtatis oblivisci.*

Sublato hoc timore impii in plurima & graviſſima ruunt ſcelera. Quod Pſaltes obſervavit in pſ. 10. v. 13. *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde ſuo, non requiret, ideo inquinatæ ſunt viæ illius auferentur judicia tua à facie ejus.* Danielis 13. v. 9. ait Propheta de duobus impiis ſenibus. *Et averterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.* Pſ. 35. v. 1. *Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo.* Septuaginta vertunt. *In eo tota ejus cogitatio verſatur, ut delinquat,* ut peccet; ſed quare? *Non eſt timor Dei ante oculos ejus.* Proverb. 28. v. 5. *Viri mali non cogitant judicium.* Eſt vir malus, totus in uſuris, totus in fraudibus, in rapinis, in injuſtitia! unde? non cogitat judicium. Eſt laſcivus totus in Venere, in ſordibus, in immunditiis! Cur? non cogitat judicium. Eſt ſuperbus totus in vanitate, totus in excelſis, totus in faſtu, pompa, arrogantia! unde? non cogitat judicium. O judicium! judicium! quam rara eſt tui apud homines memoria! hinc ſcelera, hinc iniquitas.

§. 7. *Ubi timor Dei non eſt, ſunt omnia ſcelera.*

Cum Abimelech Rex Geraræ objiceret Abrahamo, quod de Sara uxore ſua dixiſſet, *ſoror mea eſt, reſpondit* Geneſ. 20. verſ. 11. *Cogitavi mecum, forſitan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficiet me.* Divus Chryſoſtomus hom. 45. in geneſin. *Arbitrabatur enim Abrahamus, ſolum, per Dei timorem, poſſe in Rege & regiis ſubditis, cohiberi libidinis ardorem.* Ex quo loco ſic diſcur-

diſcurro. Unde quæſo fit, quod domus iſta, ſit plena blaſphemiis, imprecationibus &c. Non eſt timor Dei Judicis in illo loco. Unde fit ut in tali adoleſcente vel Virgine ita ardeat ignis Aſmodæi? non eſt timor Dei Judicis? Unde adulteria? in maritatis? in Eccleſiaſticis, in perſonis Deo ſacratis? Non eſt inter illos timor Dei Judicis!ècontra, qui Judicii ſunt memores, abſtinent ab omni malo.

§.8. *Hiſtoria.* Holcoth refert, quod cum duo milites peregrinationis cauſa veniſſent Jeroſolymam, alterum eorum conſediſſe in valle Joſaphat ſuper ſaxum; jocique gratia dixiſſe. *Cum hic futurum ſit univerſale judicium, hunc mihi locum, hoc mihi ſaxum ſeligam, ut tum in illo quieſcam.* Rem miram! elevans oculos in cœlum, tanto timore & terrore obrutus fuit, ut tremens, pavens, ſemimortuus corruerit in terram; quid viderit nunquam edicere voluit; forte vidit, irati Judicis faciem; ut ut ſit quamprimum ad ſe rediit, abiit & ſanctiſſimam duxit vitam, dicere ſolitus, nunquam hujus judicii meminiſſe, ſine ingenti pavore. Eſtne fortaſſis inter meos Auditores aliquis, qui ſi hoc momento citaretur ad Judicem, ad reddendam rationem villicationis ſuæ, non ſubſiſteret? ſi quis fortaſſis eſt, qui hoſtis Dei eſt, ob commiſſum peccatum aliquot mortale; nec tamen cogitat de contritione, confeſſione, & ſeria pœnitentia, O utinam ego, illum, veluti quondam Angelus prophetam Abacuc, poſſem apprehendere & collocare in valle Joſaphat, in aliquem angulum, ſupra aliquod ſaxum, ad intuendum irati Judicis vultum. Sed quid opus eſt ut vos, Auditores amantiſſimi, deducam in vallem Joſaphat? hæc! hoc loco! in hoc templo, coram Crucifixo hoc & ſanctiſſimo Sacramento, hic elevate oculos! quid videtis? an non igneos irati Judicis oculos? an non fulmen & gladium in manibus? nunquid lingua jam fulgurat, jam tonat? an non circumſtantes Angelos, cum columna, flagris, ſpinis? Cruce? lancea? timete; cavete! jam ferit, nos reſpicit, nobis minatur fulmina. Quisquis hæc ſerio conſiderat, mox in terram ruit, gemit, feriet pectus, ſolvetur in planctus, ut cum lacrymis dicat, Deus! *Ieſu! propitius eſto mihi peccatori.* Ego cum S. Chryſoſtomo in c. 25. S. Matth. cogor dicere; *Cum mihi dies judicii in*

cii in mentem venit, horror me invadit terribilis, & amariſſime flens ex profundo corde ingemiſco.

Oratione de anima t. 5. S. Chryſoſtomus utitur hoc ſimili. *Sicut qui in carcere ſunt, ſemper in anxietate verſantur, ſed maxime eo die quo educendi ſunt, tunc enim metu ſuffocantur, & nihilo meliori ſpiritu ſunt, quam mortui, tales certe in illo periculo non cogitant, quomodo denuo peccare velint, ſed potius emendationem judici promittunt.* O Auditores! utinam in carcere mortalis hujus corporis noſtri, cogitaremus frequentiſſime, maxime cum graviſſimorum ſcelerum nos reos agnoſcimus, cogitaremus; fortaſſis hac hora improviſa mors pulſabit noſtras ædes; ut nos vocet ad Judicium! non certe cogitaremus de novis peccatis, ſed ſeria vitæ emendatione. S. Damaſcenus ſer. de die Jud. *Fratres cariſſimi, lectionem de Judicio, attento corde audite, & memoriter retinete. Qui enim lectionem iſtam diligenti mente attendit, etiamſi reliquas ſcripturas minime intelligat, hac ſola ſufficere poteſt ad omne bonum faciendum, & omne opus malum effugiendum.* S. Bernardus ſerm. 3. in Vig. Nat. Dom. *Non ita ſe omni impietate polluerent, ſi Dominum venturum ſcirent, ſed formidarent, & vigilarent utique.*

§ 9. *Similitudo S. Chryſoſtomi, & S. Damaſceni.*

Eodem ſermone S. Bernardus, fructus, ſive effectus hujus conſiderationis in hunc modum exponit; *Scientia iſta,* (de futuro judicio) *in primo gradu operatur pœnitudinem, & dolorem, ut riſum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem convertat, & incipiant ſibi diſplicere quæ vehementer placuerant ante, & illa ſpecialiter horreas, quæ ſpecialiter appetebas.* Sic enim ſcriptum eſt, Eccleſiaſt. 1. v. 18. *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem. Vt veracis & ſanctæ ſcientiæ ſit dolor, ſubſequens argumentum.* In ſecundo vero gradu, operatur correctionem, ut jam non exhibeas membra tua, arma iniquitatis peccato; ſed coerceas gulam, jugules luxuriam, deprimas ſuperbiam; & facias corpus ſanctitati ſervire; quod antea ſervierat iniquitati. In tertio gradu operatur ſollicitudinem, ut jam ſollicitus incipiat ambulare cum Deo ſuo, & ex omni parte ſcrutetur, ne vel in re leviſſima, tremendæ illius Majeſtatis offendatur aſpectus, & ita in pœnitudine accenditur, in correctione ardet, in ſollicitudine lucet, ut interius & exterius renovetur. S.

§ 10. *Scientia de extremo Iudicio, utiliſſima. Ex S. Bernardo.*

Digitized by Google

Gregorius M. l. 5. mor. c. 6. & 7. hoc ſimili fuit uſus. *Electi ergo dum menti ſuæ judicia opponunt divina, dum Dei occulta ſuper ſe judicia trepidant, quaſi quædam in eis, aquarum more, volumina colliguntur, quæ in mœroris rugitus, quaſi in ſubjecta litora defluant.*

§. II. Superbos humiliat ſcientia de judicio.

Præterea; conſideratio Judicii ſuperbiſſimos & ſceleratiſſimos peccatores terret & humiliat: quod elegantiſſime deſcribit Iſaias cap. 2. v. 9. & ſeq. *Et incurvavit ſe homo, & humiliatus eſt vir ingredi in petram, & abſcondere in foſſa humo, à facie timoris Domini, & à gloria Majeſtatis ejus.* Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus ſolus in illa die. Quia dies Domini exercituum, ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur. Et ſuper omnes cedros libani ſublimes, & erectas, & ſuper quercus Baſan, & ſuper omnes montes excelſos, & colles elevatos. Et ſuper omnem turrim excelſam, & murum munitum, & ſuper omnes naves Tharſis, & ſuper omne, quod viſu pulchrum eſt; Et incurvabitur ſublimitas hominum & idola penitus conterentur, & introibunt in ſpeluncas petrarum à facie formidinis Domini, & à gloria Majeſtatis ejus, cum ſurrexerit percutere terram. In illa die projiciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi ut adoraret, &c. Scio Theodoretum & alios, hunc locum intelligere de die, qua Titus & Veſpaſianus ſuperbam Jeroſolymam humiliarunt, & exciderunt. Scio Tertullianum l. 3. contra Marcellum intelligere de actuali adventu Judicis, in quo impios Reges humiliabit & exſcindet. Placet tamen Procopius, qui ſuper hunc locum ait; *Vſurpat ſcriptura arborum & aliarum rerum formas ad exprimendum varios hominum mores. Ideo, cedri ſublimes & erectæ in monte Libano, ſunt ſuperbi, quercus Baſan obſtinati in malo, naves Tharſis, divites & avari, viſu pulcra roſa, filiæ Veneris, verbo, his figuris, depinguntur magni, & graves peccatores! verum, quis humiliabit illos, quis compellet, ut ingrediantur in petras & ſpeluncas pœnitentiæ? ut abſcondant ſe in foſſa humo, humiliatis vel ſepulcri, ut cogitent ſe morituros, pleni timore à facie Domini. Quis humiliabit illas cedras?*

quis

quis deprimet ſublimes oculos? altitudinem virorum, quis incurvabit? quis conteret idola? quis terminum modumque ponet ſceleribus? quis compeſcet effranem peccandi libidinem? *Hoc ſupereſt medium, ut in mentem veniat dies Domini exercituum, ut cogitent ſe aliquando, fortaſſis hodie, ſiſtendos æquiſſimo Iudici, hoc eſt neceſſe, ut in auribus eorum inſonet feralis tuba, quoniam eſt judicium Domini, ut illud tonitru terribilis ſententiæ, Diſcedite, aures mentemque concutiat.* Sine hoc timore ſtabunt cedri &c.

Pſalmo 31. v. 7. David Rex, percuſſus timore à facie Domini, ſic ſuſpiravit; *O Deus refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me.* Textus hebraicus ſic habet. *Tu es latibulum meum, erue me à volitantibus ſuper me.* Alluſio eſt ad v. 14. cap. 2. Cant. *Veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Alii legunt. *In latibulo graduum,* ſive, *in latebris ſcalarum,* ſermo eſt de locis tutiſſimis, in altiſſimis ſaxis, ad quæ non niſi per ſcalas patebat acceſſus. Vel de loco, qualis deſcribitur Exodi cap. 33. v. 21. *Eſt apud me locus* (dicit Dominus) *& ſtabis ſupra petram, & tranſibo, & abſcondam te in foramine petræ, & manu mea protegam te.* Quibus verbis alius innuitur effectus, quem in nobis operatur timor judicii, ut ſcilicet, tempore opportuno, quæramus locum, in quo illa hora qua veniet Dominus, ſimus tuti; ut quæramus petram latibulum, in quo latere poſſimus à facie furentis Domini. Tale latibulum ſit nobis antrum Sancti Petri, vel S. Mariæ Magdalenæ, tale latibulum eſt pallium Matris miſericordiæ, Virginis Mariæ; tales cavernæ præcipue ſunt ſacroſancta Crucifixi Vulnera &c. quisquis timet diem judicii, hic quærat latibulum.

§ 12. David percuſſus timore à facie Domini, quæſivit tutum latibulum.

Fecit id quondam Sancta Melchtildis; cum enim piiſſima Virgo die quodam Veneris ſancto circa horam, qua putabat Chriſtum fuiſſe affixum cruci, ſe immergeret meditationi hujus profundi myſterii, rapta in extaſin, vidit ſe ſtare coram Chriſto tanquam Judice audivitque ſe accuſari à Beata Virgine, de exigua compaſſione erga ſuum Filium; ab ardentibus amore Seraphinis de exiguo amore; quin advertit alios

§. 13. Mirabilis viſio S. Melchtildis.

quoque cœleſtes Spiritus paratos ad accuſandum; ſed ipſa ſubito ſe abjecit ad pedes crucifixi, & ſibi reddita, in ejus amplexu, dixit: *O mi Deus! nos tua dulcis mater accuſat, & merito, non quidem de exigua tantum compaſſione, ſed de aliis enormium ſcelerum maculis*: accuſant nos ſancti Angeli; nam ſanctas eorum inſpirationes contemtui habemus, accuſant nos SS. Martyres de noſtra impatientia &c. Quid agimus Auditores? eia proſternamur omnes in terram ſupplices, complectamur brachiis ſimul & affectibus ſanguineos Jeſu pedes: ego quidem in meum me recipiam cubiculum, ut ibidem in abſcondito loquar cum Deo Jeſu meo.

§. 14. *Epilogus, cum affectu animæ ex paveſcentis judicium.*

Tu autem peccatrix anima quid dices? age! Judex ſedet in throno, age ſis, redde rationem villicationis tuæ; vitæ tuæ, operum tuorum, verborum tuorum, cogitationum tuarum. Væ mihi, mi Deus! væ mihi, quid faciam? *Domine ne intres in judicium cum ſervo tuo.* Ah! cogitationes meas ſuperbas, laſcivas! quid faciam? quid reſpondebo tibi Judex meus, &c. jam ſuccurrit, ſcio quid faciam. En mi Jeſu! en ex hoc ipſo momento proſterno me ad ſanguineos tuos pedes, & tota vocis contentione, toto cordis affectu, clamo cum filio prodigo, *Pater peccavi in cœlum!* clamo cum Publicano, *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Clamo cum Davide, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Clamo cum latrone, *memento mei Ieſu*: aliud quod reſpondeam non habeo: *Domine ne deſpicias opus manuum tuarum*, vide ut me perſequuntur hoſtes animæ meæ, Ah, intra Vulnera tua abſconde me in illis protege me, ne quando rapiat, ut leo animam meam, & non ſit, qui eripiat. In illis cavernis ſcribam rationes villicationis meæ, ſed ita, ut pro atramento mihi ſerviat purpura tui SS. ſanguinis; pro calamo, lancea, pro charta, cor tuum dulce, cor blandum, cor amabile! Ita fiat mi Jeſu.

CON-

Digitized by Google

CONCIO XXXIX.

DOMINICA X. POST SS. TRINITATEM.

Flevit ſuper illam.
Luc.19.c.v 41.

SYNOPSIS CONCIONIS.

APeritur triplex fons lachrymarum Jeſu! Miſericordia, amor, dolor.

§. 1. *Lachrymæ ſunt ſigna vulnerati cordis.*

§. 2. *Abluunt ſordida corda peccatorum.*

§. 3. *Cogunt & tenent Deum.*

§. 4. *Propoſitio.*

§. 5. *Primus lachrymarum Chriſti fons. Miſericordia.*

§. 6. *Figura Chriſti compatientis, & lachrymantis fuit Ezechiel.*

§. 7. *Gravis ſententia Theophylacti & Euthymii.*

§. 8. *Quid deploraverit bonus Jeſus in ſenſu morali.*

§. 9. *Altera lachrymarum Jeſu cauſa, amor. Sicuti in Samuele erga Saulem.*

§. 10. *Ita in Chriſto Salvatore erga Jeroſolymam.*

§. 11. *Lazarus mortuus elicuit Jeſu lachrymas. Applicatio ad Jeroſolymam.*

§. 12. *Ex igne amoris, lachrymæ compunctionis. Et viciſſim.*

§. 13. *Magdalena lachrymans per oculos deſtillat particulas cordis.*

§. 14. *De amoris & lachrymarum connexione, pulchre S. Auguſtinus.*

§. 15. *Tertius fons lachrymarum Jeſu, dolor.*

§. 16. *Affectuoſa apoſtrophe ad Jeroſolymam.*

§. 17. *Labores fruſtra adhibiti ſunt cauſa doloris.*

§. 18. *Applicatio ad animam peccatricem, cum anacephalæoſi concionis.*

§.1. *Lacrymæ ſunt ſigna vulnerati cordis.*

CUm hodierno in Evangelio Jeſum meum conſidero flentem, ſuper Jeroſolymam, occurrunt mihi verba Giliberti Abbatis ſer.30. in Cant. *Vulnerati cordis lachrymæ ſunt ſigna.* Si ita eſt, ex lachrymis quæ fluunt ex pulcherrimis oculis Salvatoris, colligo, ſuaviſſimum ejus cor eſſe vulneratum, & acerbis ſaucium doloribus. Sed, unde vulnera in tam amabili corde? unde dolor? unde pugiones, clavi, ſpinæ, quæ illud lacerant, & vulnerant? O impia Jeroſolyma! noli tu hoc quærere! tu has ſpinas! hos clavos! has ſagittas præparaſti! ſpina eſt tua idololatria, clavus eſt tua ingratitudo, ſagittæ ſunt enormia tua ſcelera; ſpinæ, quæ cor illud lacerant, in tuis creverunt vineis. Ex vulneribus benedicti cordis, veluti fonte, fluunt lachrymæ, quas videmus in dulciſſimis oculis Chriſti.

§.2. *Lacrymæ abluunt ſordida corda peccatorum.*

Dum Jeſum meum aſpicio in hodierno Evangelio flentem ſuper Jeroſolymam, occurrunt mihi verba SS. Patrum, quibus aſſerunt, etiam ſordidiſſima corda gravium peccatorum, lavari, ablui & mundari lachrymis cordis contriti. De hoc balneo loquitur David pſ.50. v. 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* quaſi diceret, O Deus! miſerere Regis adulteri, quia plorat, quia fundit lachrymas, his cupio, ut lavetur cor meum. Et S. Ephrem de vita religioſa. *Lachrymis eam* (ſcilicet faciem tuam) *abluito, & ſuſpiriis ac fletibus eam lavato, ut in conſpectu Dei, & Angelorum ejus cum caritate reſplendeat. Nam facies, quæ lachrymis abluitur, immarceſſibilem gloriam acquirit.* O impia Jeroſolyma! noli mirari, quod ſuper te fleat Salvator mundi, adultera es, fornicatrix es, ſordida es, & immaculata, nigra Æthiopiſſa, ideo benigniſſimus Jeſus parat tibi balneum lachrymarum, ut ſi velis, poſſis lavari, & mundari.

§.3. *Lacrymæ cogunt, & tenent Deum.*

Dum Chriſtum D. flentem ſuper Jeroſolymam intueor, occurrunt mihi verba Iſaiæ cap. 64. v. 7. dum enim Deus proponeret illi pœnas, quibus cogitabat animadvertere, in impium populum, cum lacrymis dixit: *Non eſt, qui invocet nomen tuum*, id eſt, qui ardenter oret, *qui conſurgat & teneat te:* addit Hugo Cardinalis, *per lachrymarum copioſam effuſionem. Lachrymæ enim cogit, & tenet Deum ne ſcilicet puniat.* O Jeroſolyma, hanc ſuper te divina

divina Nemeſis tulit ſententiam; *Venient inimici tui, & anguſtiabunt te undique, circumdabunt te vallo, non manebit lapis ſuper lapidem.* Cum inter incolas tuos, non ſint, qui invocent nomen Domini, qui ardenter orent, qui fleant, ut pœnas avertant, ecce adeſt Meſſias tuus, qui id faciat, qui teneat manus & gladium iratæ Juſtitiæ, qui Deum cogat ad miſericordiam. At ecce, præter opinionem immergo me in Exordio pulcherrimæ materiæ, ſive in cauſas, ob quas Chriſtus Dominus flevit ſuper Jeroſolymam; varias, jam alias ſæpius declaravi.

Modo has tres proponere conſtitui. 1. Flevit Chriſtus Dominus quia miſericors eſt, ſive, miſericordia expreſſit has lachrymas ex oculis Chriſti. 2. Flevit, quia amavit impiam urbem. Hic amor fuit fons lachrymarum. 3. Flevit, quia vidit ſe fruſtra amaſſe. Juſtus hic dolor, alius fuit fonticulus, ex quo tam teneri lachrymarum rivuli defluxerunt. Adverto ex veſtris vultibus Auditores, quod benevole me perorantem velitis audire. §. 4. *Propoſitio.*

Ex infinita miſericordia flevit Jeſus ſuper Jeroſolymam. Nam illa ex mente Angelici Doctoris quæſt. 30. aliud nihil eſt, quam *Compaſſio alienæ miſeriæ in corde.* Intuebatur Chriſtus D. veluti in ſpeculo, clariſſime, futuram urbis devaſtationem, ſtragem, & ruinam; vidit clariſſime in numero, quot eſſent perituri fame, quot perimendi ferro, quod educendi in exilium, vidit effuſionem ſanguinis, quæ deinde contigit, vidit ignes & incendia, quibus poſt annos quadraginta hæc ingrata urbs conflagravit, verbo, omnem calamitatem, qua deinde Dei permiſſu ſcelerata civitas eſt involuta, prævidit, inquam, hæc omnia Chriſtus D. imo clariſſimis verbis omnia prædixit, cum tenerrima dulciſſimi cordis compaſſione, & intimo dolore, de quo ſanctus Bonaventura; de vocula, *Appropinquavit. Cum appropinquaret Ieſus Ieruſalem, non tantum ſitu, verum etiam cordis affectu, vidit civitatem, non tantum oculis corporis, verum etiam affectu pietatis, & flevit ſuper illam, per affectionem piiſſimam, & compaſſionem affectuoſiſſimam.* §. 5. *Primus lacrymarum fons, Chriſti miſericordia.*

Figu-

Digitized by Google

§.6. *Figura Christi compatientis & lacrymantis, fuit Ezechiel.*

Figuram habemus Ezechielis cap. 9. cum Deus repræſentaſſet ruinam, cædes, ſtragem, qua ſtatuerat caſtigare rebellem populum; cor ejus miſericordiæ & caritatis flammis adeo fuit liquefactum, ut in lacrymas effuſus dixerit, v. 8. *Heu! heu Domine! ergone diſperdes omnes reliquias Iſrael, effundens furorem tuum ſuper Iſrael?* Pulchre hic S. Chryſoſtomus. *Ezechiel, cum ſciret Iſraelitas iniquiſſimos ex omnibus, videns tamen jugulari, & corruere, hoc idem paſſus eſt.* Idem hodie de Chriſto D. dicere poſſumus, licet ſciret nequiſſimæ urbis ſcelera, licet ſciret & videret, quam eſſet populus ingratus & rebellis, licet ſciret, ſe ab incolis poſt paucos dies affigendum cruci, tamen, videns præparatas pœnas; eaſdem paſſus eſt, eaſdem ſenſit, cum gemitu! cum ſuſpiriis, cum lacrymis, inter quas fortaſſis, elevatis in cœlum oculis ad Patrem dixit; Heu! heu Domine! ergone urbem electam, dilectam! urbem ſanctam diſperdes? ergone ſuper dilectum populum tuum ita effundet furorem tuum.

§.7. *Gravis ſententia Theophylacti & Euthymii.*

Ut bene dixerint Theophylactus & Euthymius; *Civitatem Ieruſalem propter immenſa vitia deſtruendam, humano modo Chriſtus, pra immenſa ſua bonitate deflet, etiam hinc oſtendens, qualia haberet erga ingratos viſcera.* Ex prima parte hujus ſententiæ, advertite. 1. obiter cauſas, quare Deus puniat, urbes, populos, & integras provincias, imo regna, propter immenſa ſcilicet vitia, quare permittat bella, cædes, Regum ruinas, incendia; Propter immenſa ſcelera. Quare puniat peſte, fame, aliiſque morbis & ſtragibus, propter enormia peccata. Ideo punita fuit urbium pulcherrima, ditiſſima, fortiſſima Jeroſolyma 2. Ex altera parte ſuperioris ſententiæ hoc obſervate. Licet immenſa ſint hominum ſcelera, immenſa tamen quoque eſt Dei & Chriſti Salvatoris noſtri miſericordia, quam publicis lachrymis voluit demonſtrare. Lachrymis oſtendit ſe compati, lachrymis fuit teſtatus, ſe ſentire puniendam Jeroſolymam. Etiam erga ingratos paterna habet viſcera, & cor adeo plenum commiſeratione, ut illud per oculos diffluxerit in amariſſimas, & delicatiſſimas lachrymas.

§.8. *Quid deploraverit*

Quæ de Jeroſolyma ad literam dicta ſunt, in ſenſu morali de quovis peccatore in particulari debent intelligi; non muros, non lapi-

Digitized by Google

lapides, non turres, non palatia, deflevit Jeſus, ſed animas, quæ *Ieſus in ſenſu morali.*
æternum perierunt. O miſerabilis peccator! jam hoc momento, quo Deo pro tot & tantis beneficiis es ingratiſſimus mortalis; hoc momento quo per peccatum mortale factus es hoſtis Dei, & rebellis divinæ Majeſtati, momento quo reus es Judaicæ avaritiæ, uſuræ, libidinis &c. videt Salvator tuus, illos ignes, illas flammas, illa tormenta, quæ à divina juſtitia & ira Dei, in inferno in omnem æternitatem tibi ſunt parata. Prævidet horam tuæ mortis, in qua diaboli & immenſa, plurimaque tua ſcelera per remorſus vulneratæ & inquietæ conſcientiæ, in qua, facies irati Judicis anguſtiabunt te undique; Ideo mitiſſimus Jeſus, ſi poſſet, fleret. Oculis miſericordiæ, quibus in hodierno Evangelio aſpexit Jeroſolymam, iiſdem te & miſeram tuam animam intuetur de throno gloriæ. Illud cor, quod plenum fuit compaſſione erga ingratos Judæos, plenum adhuc hodie eſt amore erga te; Si poſſet, iterum fleret. Sentit, te damnandum, ſentit te fore inter illos infelices, qui æternum ardebunt; & licet ſciat Chriſtus D. quam ſis ingratus; quam ingratus ſuæ paſſioni & ſanguini pro te effuſo, ſciens tamen quod in æternum ruas interitum, hoc ſentit; ſi poſſet, iterum fleret. Lacrymis ſi poſſet tibi oſtenderet, quam paterna erga te habeat viſcera. Impii, qui his lacrymis, qui conſideratione infinitæ Jeſu miſericordiæ moventur ad pœnitentiam, habent cur gaudeant, & Deo gratias agant. Qui non moventur, ſed à tam teneris lacrymis Chriſti potius indurantur, timere poſſunt æternum interitum; ingratiſſimi mortales, lacrymis & ſuaviſſimæ Jeſu miſericordiæ; ingrati infinitæ ejus caritati, & dulciſſimo amori.

Hic, altera fuit cauſa lacrymarum Chriſti. Amor fecit illum flere. Lib. 1. Regum cap. 15. v. 35. ait ſacer textus; *Samuel lugebat Saul.* Nimirum cum ex Deo intellexit, illum reprobatum, miſeraque morte periturum, quem ipſe Regem unxerat, cui Iſraelis ſceptra tradiderat, quem intime diligebat. Eleganter Sanctus Bernardus, ſerm. 11. in Cant. *Samuel lugebat Saul, & ad ignem caritatis incaleſcente pectore, liquefactus intus pietatis adeps, foras emanabat per oculos*, id eſt, lachrymæ quas

§. 9. Altera lacrymarum Ieſu cauſa, amor, ſicuti in Samuele erga Saulem.

quas effudit Samuel, illa aqua quæ ex oculis ejus defluxit, fuerunt ſignum amoris, qui intus in corde Samuelis latebat erga Saulem. Ignis & flamma amoris liquefecerunt cor Samuelis in lacrymas. S. Bern. *Erumpebant lacrymæ de pinguedine cordis, gratiæ* (ſive amoris) *proditrices.*

§. 10. *Ita in Chriſto Salvatore, erga Ieroſolymam.*

Neſcio, an ullo loco ex ſacra pagina, vel teſtimonio alicujus ſancti Patris, lachrymas Chriſti D. ſuper Jeroſolymam, elegantius poſſim explicare, illarumque cauſam & originem clarius oſtendere. In Saule ingratam agnoſcite Jeroſolymam; In Samuele Chriſtum Dominum: hic illam urbem, vel potius ingratum populum, & ſynagogam infinito dilexit amore, ut ſponſam, & dilectiſſimam conjugem. Ejus amorem arguunt infinita beneficia, in incolas collata; & cum ita diligat, videat nihilominus ſe in vanum amare, eo quod impius eſſe populus perſeveret, quid faciat bonus Jeſus? luget, & ad ignem caritatis, incaleſcente divino pectore, & amabiliſſimo corde, liquefactus intus pietatis adeps foras emanat per oculos. Quot guttæ defluunt, tot defluunt teſtes amoris, tot erumpunt proditrices gratiæ.

§. 11. *Lazarum mortuum elicit Ieſu lacrymas amoris: ſicut & hodie Ieroſolyma.*

Ut de Chriſto D. flente ſuper Jeroſolymam merito uti poſſim v. 36. cap. 11. S. Joannis. *Venit Ieſus in Nazareth, ut reſuſcitet à mortuis Lazarum*, ducitur à Magdalena & Martha ad ſepulcrum, dum jubente Domino illud reſeratur, *lacrymatus eſt Ieſus*; quod cum Judæi viderent, dixerunt, *Ecce, quomodo amabat eum.* Unde hoc colligunt? ex lachrymis Jeſu! Idem de flente ſuper Jeroſolymam dicere poſſumus; Ecce quomodo amat eam. Hanc connexionem inter ignem amoris, & lachrymas invenio lib. 2. Macchabæorum cap. 1. nam dum captivus populus abductus fuiſſet in Perſiam, ſacerdotes aliqui ignem ſacrum, jugiter in altari ardentem, tanquam magnum theſaurum abſconderunt in valle aliqua, in profundo, ſed ſicco puteo. Poſt multos annos reduces in patriam, miſerunt ſacerdotes allatum prædictum ignem, *& non invenerunt ignem* (v. 20.) *ſed aquam craſſam.* qua cum Nehemias aſperſit victimas, *accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* De quo ſubtiliter S. Petrus Damianus opuſc. 13. cap. 13. *Audivimus ante, quia aqua pro igne reperta eſt, nunc è contrario dicitur, quia per*

Digitized by Google

per aſperſionem aquæ, ignis magnus accenſus eſt. Ergo & ex igne aqua naſcitur, & ex aqua ignis invicem procreatur. Quia & ex igne divini amoris gratia compunctionis oritur, & ex compunctione lacrymarum deſiderii cœleſtis ardor augetur.

Nemo hodie miretur, dum ex oculis Salvatoris videt defluere tot lachrymas ſuper ingratam Jeroſolymam. Ab igne, hi fonticuli ortum & originem trahunt; ab illo ſcilicet igne immenſæ caritatis, qui jugiter ardet in altari diviniſſimi cordis. Ex illo igne admirabili modo generatur aqua lacrymarum; & viciſſim ex hac aqua augetur, & incrementum ſumit amor. Latentis amoris hæ lachrymæ ſunt indicium. **§ 12.** *Ex igne amoris lacryma. & viciſſim.*

Quod in S. Maria Magdalena, flente ad pedes Ieſu in domo Simonis, obſervavit S. Bernardinus t. 2. ſer. 46. art. 2. c. 6. *Crebris ſuſpenſa ſuſpiriis, & gemitibus excitata, dolorem ſuum ultra diſſimulare non poterat, nec ignem abſcondere, qui in corde ejus ardebat.* Nimius ardor liquefecit delicatiſſimas particulas amantis cordis, quæ per oculos diſtillatæ in lacrymas, defluxerunt ſuper pedes Jeſu. Flevit! ploravit! gemuit Magdalena, quia amavit. Idem hodie in conſpectu Jeroſolymæ contigit Chriſto Salvatori. Non potuit abſcondere ignem amoris, qui ardebat in corde. Hic ardor, divinas particulas ejuſdem cordis ita liquefecit, ut mutatæ in lacrymas, ex pulcherrimis Jeſu oculis ſupra impiam civitatem defluxerint. **§. 13.** *Magdalena lacrymans per oculos deſtillat cordis particulas.*

Connexionem hanc inter amorem & lacrymas agnovit S. Auguſtinus lib. meditat. cap. 36. ardenter ſuſpirans: *Da mihi Domine, evidens ſignum tui amoris, irriguum lacrymarum fontem, jugiter manantem, ut ipſæ quoque lacrymæ, tuum in me,* (& meum in te) *teſtentur amorem, ipſæ prodant, ipſæ loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui, nequit ſe à lacrymis continere.* Cauſam obſervavit S. Bernardinus ſer. 43. art. 1. c. 1. p. 1. *Dilectio eſt actus ſuaviſſimus, qui ita cor amantis, quadam indicibili delectatione aſpergit, quod animam liqueſcere facit in ſe ipſa.* Hæc contigere Chriſto Salvatori in hodierno Evangelio; *Evidens ſignum ſui amoris,* (erga electum, ſed, heu! reprobatum populum, & abjectum à facie Domini,) fuit ille irriguus fons lacrymarum, ex **§. 14.** *De amoris & lacrymarum connexione pulcrè S. Auguſtinus.*

Digitized by Google

oculis ejus manans. Lacrymæ teſtantur ejus amorem. Illæ lacrymæ produnt, ipſæ loquuntur, quantum Judæos diligat anima illius. Præ nimia dulcedine amoris, ut quondam Joſeph erga Benjaminum nequivit ſe à ſe lacrymis continere. Dilectio Jeſu erga Jeroſol. fuit actus ſuaviſſimus, qui cor amantis Jeſu ita liquefecit, ut liquefactū effluxerit foras per lacrymas. Verbo; flevit, quia amavit.

§. 15. *Tertius lacrymarum Jeſu fons, dolor.*

Suaviſſimæ dulcedini amoris permixtus in Chriſto D. fuit acerbus dolor: qui præter alias cauſas ex corde & oculis amantis Jeſu elicuit acerbas lacrymas. Teſte enim Seneca Rhet. l. 10. controv. 1. *Plerumq; omnis dolor per lacrymas effluit.* Ovidius l. 4. metam. *Eſt quædam flere voluptas, Expletur lacrymis egeriturque dolor.* D. Ambroſ. orat. de ob. Valent. *plerumque gravis, lacrymis evaporat dolor.* Applicat hæc omnia flenti Domino ſuper Jeroſolymam Titus, Boſtrenſis Epiſcop. t. 1. Bibl. PP. *Flevit ſuper Ieruſalem hominum amator Dominus, ut hinc diſcamus, vero doloris ſenſu tactū fuiſſe.* Cauſam hod. Ev. accommodam reperio apud S. Baſil. or. 42. *Si neq; precibus, neq; conſilio, neq; admonitu quidquam proficimus, flere tandem reliquum eſt.* Pius pater, v. g. poſtquam apud filium, quem amat nihil proficit, nec amore, nec minis, tandem luget, dolet, & triſtes effundit lacrymas.

§. 16. *Affectuoſa Apoſtrophe ad ingratam Ieroſolymam.*

O ingrata Ieroſolyma! urbs impia! loquere, ſi audes! reſponde popule: reſponde rebellis ſynagoga; quas preces, quas orationes, quas obſecrationes, & obteſtationes, quos gemitus, quas poſtulationes, quæ ſuſpiria, quæ deſideria, hic tuus Meſſias! pro te! obtulit æterno Patri? integris noctibus pernoctans in oratione. Quid profecit? nihil. Ideo dolere & flere illi eſt reliquum, in conſpectu totius urbis. Etiam in triumpho ſuo! Loquere, ſi audes, reſponde, quam ardentib. concionibus, quam ſuavibus alloquiis, quam dulci converſatione? quibus minis? quibus promiſſis conatus fuit te abducere à malo, adducere ad bonum; quid profecit, nihil. Vinea es plena ſpinis. Præ nimio amantis cordis dolore, reliquum illi eſt flere. Novit Judæa, norunt urbes & regiones, quæ beneficia in te contulerit, quod ſanaverit cæcos &c. quid profecit? nihil. ideo plorat. Poſt paucos dies ſanguinem ſuum tibi offeret; flagellabitur &c. Tu! tu impia ſynagoga, flagellabis, &c. hæc prævidet; hæc ſcit, & miraris, quod triſtis ſit anima ejus, quod doleat, quod fleat.

Expe-

Digitized by Google

Experientia docet, labores fruſtra adhibitos eſſe cauſam acris doloris. Amos 4,9. ait Dominus. *Percuſſi vos in vento urente, & aurigine, multitudinem hortorum veſtrorum, oliveta veſtra, & ficeta veſtra comedit eruca.* Ex modo loquendi colligimus, hunc ventum & has beſtias immiſſas eſſe, dum arbores eſſent onuſtæ fructibus, pomis, olivis, ficubus. Cauſam dat Rupertus. *Quia non ſine magno dolore perire viderunt, quæcunque tali vel tanta inſtantia multiplicarant.* Lev. 26. v. 16. 17. tranſgreſſoribus legis minatur Dominus. *Viſitabo vos; fruſtra ſeretis ſementē, quæ ab hoſtibus devorabitur.* Ioan. Cluniac. t. 6. ſ. 51. *Non dixit, non ſeretis, ſed ſeretis, & fruſtra ſeretis, ut gravius eſſet ſupplicium, & pœna acerbior.* O ingrata Ieroſolyma! tu es illa urbs electa &c. Amavit te Dominus ut vineam, pro qua, in qua adeo laboravit, & ſudavit, ut ſudore, lacrymis, ſanguine. Quid profecit? Civitas electa facta eſt meretrix; ſedes peſtilentiæ; vinea plena ſpinis &c. poſt tot, poſt tantos Chriſti labores, in vanum exantlatos, ideo dolet, & præter flere nihil eſt reliquum. De Magdalena flente ad pedes Ieſu dixit S. Greg. h. 33. in Ev. *Diſcite, quo dolore ardet quæ flere & inter epulas, nō erubeſcit.* Diſcite multo magis quo dolore arſerit Ieſus, quando in conſpectu talis urbis, non erubuit flere. § 17. *Labores fruſtra adhibiti, ſunt cauſa doloris.*

Nunc relinquamus tandem aliquando infelicem urbem Ieroſolymam! periit decor ejus; mutatum eſt aurum optimum; ſed & ſola & deſolata filia Sion! ſcimus non manſiſſe lapidem ſuper lapidem! ſcimus miſerandam illius cataſtrophen. Hoc luctuoſiſſimum, tot millenas animas incolarum ardere in inferno. Ad te vero, nunc, ad te, O anima peccatrix venio. Flevit Ieſus ſuper Ieruſalem, ſed plus flevit ſuper te! Vis lacrymarum illarum fontes? accipe. Miſericordia! Amor! Dolor! Miſericordia! quia prævidit miſerabilem vitæ tuæ ſtatum. miſericordia, quia compaſſus eſt tuæ ruinæ, ac præcipitio lacrymabili. Miſericordia, quia propter immenſa vitia tua (prout ante loquebatur Theophilactus) te vidit deſtruendam, i. e. divino favore ac gratia exuendam. O peccator! peccator, cur non & tu in lacrymas totus totus eliquaris? *Miſerere animæ tuæ*, ait Salomon, *plora & deplora ſcelera tua &c.* Flevit Ieſus ex miſericordia; flevit etiam ex amore. Quomodo mi Ieſu! quomodo deploras animam rebellem, impiam, ingratam quia amo. Quomodo contriſtaris dilecte mi, qui es læ- § 18. *Applicatio dictorum ad animam peccatricem cum anacephalæoſi concionis.*

Digitized by Google

titia Patris tui? quia amo! Ergo & ego plorabo, quia amo te mi Jeſu! Currite lacrymæ, amoris teſtes! Jeſum amo, quia me prior amavit, cum Jeſu lacrymor, quia me modum, cauſamque lacrymandi docuit. Denique ploravit ex dolore. Doleo & ego mi Jeſu, & merito doleo. Doleo de ingratitudine mea,&c. Doleo, quod te unquam offendi, O ſummum bonum! Mi Jeſu! *dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam.* Iob.10. verſ. 20.

CONCIO XL.

DOMINICA XI. POST SS. TRINITATEM.

Qui ſe humiliat exaltabitur.
Luc.18.cap. v.14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEſcribitur, in quo conſiſtat humilitas, ejuſque neceſſitas, utilitas, & excellentia varie exponitur.

§.1. *Humilitatem docet Chriſtus ſuo exemplo.*

§.2. *Propoſitio.*

§.3. *Definitio humilitatis ex S. Thoma, & S.Bernardo.*

§.4. *Homo, quam nobilis creatura.*

§.5. *Tamen debet ſibi vileſcere.*

§.6. *Varia humilitatis objecta.*

§.7. *Alia proprietas humilitatis, ob dona accepta non extolli.*

§.8. *Abigail prodigium humilitatis. figura humillima Virginis Maria.*

§ 9. *Simile à vetula turpi, ſuperbe ornata.*

§.10. *Alii actus & affectus humilitatis.*

§.11. *Excellentia humilitatis. Eſt fundamentum aliarum virtutum, & perfectionis.*

§.12. *Et diſpoſitio ad alias gratias.*

§.13. *Humilitas eſt nota Electorum. Ingens differentia inter Luciferum & Chriſtum D.*

§.14. *Quam tenere Chriſtus D. amet*

amet humiles, cum Parameſi ad amorem humilitatis.

§.15. *Humilitas mire placat iratum Deum, ſic prudens Abigail placavit Davidem.*

§.16. *Abraham humili oratione, fratrem ſuum Loth liberavit ex incendio Sodomæ.*

§.17. *Niſi inter fluctus velimus perire, humiliter invocemus nomen Domini.*

Veritatem hujus thematis clariſſime nos docet exemplum Chriſti Salvatoris noſtri. Humiliavit ſe de cœlo, in terras uſque in ſtabulum, de throno gloriæ, ad præſepium, dum à Virgine Matre pannis involutus in ſua nativitate imponitur fœno, & ſtramini: exercitus verò Angelorum cœleſti melodia hunc puerum, Deum annuntiat mundo, *Gloria in excelſis Deo. Et ſtabulum*, (ſunt verba ſancti Epiphanii orat. de Deip.) *verſum eſt in cælum, & præſepe in thronum gloriæ.* Die à nativitate octavo, in circumciſione tenerum effudit ſanguinem, *formam habens peccatoris* (inquit S. Bernardus) O demiſſionem! ſed eadem die, imponitur illi nomen, *quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* O exaltationem! Herodes tanquam mortalem puerum, quærit illum ad necem, *Cunabulis* (S. Chryſologus ſer. 158.) *Bella moventur*, verum eodem tempore, aurea cœli lingua, lucidiſſima ſtella, tres Reges ſive Magos, adducit ex Oriente ad ſtabulum, qui puerum adorarunt ut Regem, & Deum. S. Chryſologus ſerm. cit. *Qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus.* Dum veluti alius homo, & peccator à S. Ioanne Baptiſta baptizatur in Iordane, *apertis cælis* (S. Chryſologus ſ. 157.) *toto ſe fudit illapſus Spiritus S. labiturque vox ex nubibus. Hic eſt Filius meus dilectus*, Matth. 3. v. 17. Dicam omnia & multa, paucis verbis cum S. Paulo ad Philippenſes c. 2. v. 7. *Humiliavit ſemetipſum, uſque ad mortem, & mortem crucis, propter quod Deus exaltavit illum.* Ut bene dicere potuerit in Evangelio hodierno, *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* quibus verbis eximiam Humilitatis virtutem nos docuit. §.1. *Humilitatem docet Chriſtus ſuo exemplo.*

Itaque ut alias fidem, ſpem, caritatem, patientiam, reſignationem &c. humilitatem exponam; In primo puncto ejus eſſentiam §.2. *Propoſitio.*

tiam

tiam & effectus. in altero; eſſe virtutem nobiliſſimam, cum ſit fundamentum ſanctitatis, & diſpoſitio ad omnes gratias, & ſignum ſive arrha Electorum. Spero in materia tam utili atque neceſſaria non invitos mihi, aut moleſtos fore Auditores.

§. 3. *Definitio humilitatis ex S Thoma & S. Bernardo.* Humilitas ex mente Doctoris Angelici, eſt, *virtus, qua homo, quoad intellectum intelligit, & agnoſcit*, hinc, quantus ſit Deus, æternus, omnipotens, infinitus, creaturarum omnium principium, à quo ſumus, à quo habemus omnia, & ſumus, quidquid ſumus. Hinc verò, ſuum nihilum, & quod in omnibus, in eſſe & operari, in donis naturæ, gratiæ, gloriæ, à Deo Optimo dependeat. Hoc lumen intellectus, hæ veritates & maximæ, inclinant voluntatem, ut homo quoad illam reprimat omnem inordinatum excellendi appetitum, & potius Deo, omnibusque aliis propter Deum ſe ſubjiciat. Et ſi forte contemnatur, vel injuria & ignominia afficiatur, patienter id ferat, imo pro Dei gloria contemptui haberi deſideret, & appetat. Ideo S. Bernardus tr. 12. de grad. humil. eam ſic definit. *Eſt virtus, qua homo, veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit.*

§. 4. *Homo, quam nobilis creatura.* Verum quidem eſt, quod cum S. Bernardo ſer. 4. de Aſcenſ. dicere poſſimus; *Nobiles creaturæ ſumus, & magni cujuſdam animi.* Veriſſimum eſt illud pronuntiatum Imperatoris Tiberii teſte Tacito. Optimos quoſque mortalium altiſſima cupere. Bene dicit Lactantius. *Magnanimos nos natura produxit, & ut quibuſdam animantibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pavidum, ita nobis glorioſum & excelſum ſpiritum.*

§. 5. *Tamen debet ſibi vileſcere.* Nihilominus homo debet ſibi vileſcere, & ut reprimat ſuperbos ſpiritus, cum pavone conjiciat oculos in pedes, ſive primam originem, & radicem, de qua Ezechiel ait c. 16. v. 3. *Radix tua, & generatio tua, de terra Canaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Gethæa, & quando natus es, non eſt præſciſus umbilicus tuus*, nimirum ob peccatum originale, à cujus macula & nævo, licet per gratiam baptiſmatis, liberati ſimus, manſit tamen radix & fomes peccati, ſive ſtimulus carnis, qui nos colaphizet, ne nos extollamus. Quoad corpus, radix & progenies noſtra, eſt pulvis & cinis.

Non

Digitized by Google

§. 6. *Varia humilitatis objecta.*

Non extollet ſe homo, ſi oculos conjiciat, in maculas & turpitudinem peccatorum actualium, in quæ frequenter, ſive ex imbecillitate, ſive ex malitia labitur. Cognita peccati cujuſvis actualis fœditate, facillimum eſt, ut homo ſe deprimat, & ignominia dignum judicet. Ob eandem cauſam homo humilis, nunquam ſibi placet, potius diſplicet, neque laudari, ſed contemni ſe deſiderat. Eſt v.g. Concionator, qui putat non eſſe ſibi ſimilem Oratorem; gaudet ſi laudetur, iraſcitur cum contemnitur. Hic non eſt humilis, ſed ſuperbus concionator. Idem de ſua quiſque profeſſione ſecum ipſe poteſt ſtatuere. Doctus es? Si laudibus hominum titillaris, ſi tuæ tantum operas des exiſtimationi; næ tu ſuperbus es, non humilis. Clericus es? Vide an vana gloria te ad Chorum aut Cantum impellat, an zelus honoris divini. Medicus es? Attende, num te major tui honoris, an pharmaci infirmo præbendi cura ſollicitet. Atque ita de aliis.

§. 7. *Alia proprietas, humilitatis. Ob dona accepta non extolli.*

Præterea humilis, licet in ſe videat aliqua dona, vel naturæ, vel gratiæ à Deo collata, non tamen propterea ſe extollit, ſed potius deprimit, & imminuit. S. Gregorius lib. 22. Mor. cap. 9. *Si cor veraciter humile eſt, bona minime recognoſcit.* Publicanus in Evangelio ſedet in angulo, dejicit oculos, percutit pectus, dolet de peccatis, miſericordiam implorat, obtinet juſtificationem, non tamen in hæc oculos conjicit, non gloriatur de illis, non laudat ſe, ſicuti Phariſæus, propter jejunia & eleemoſynas ſed peccatorem ſe recognoſcit, *Deus propitius eſto mihi peccatori.*

§. 8. *Abigail prodigium humilitatis. Figura humillima Virginis Mariæ.*

Eximium ſpeculum humilitatis in hoc puncto nobis proponit Liber 1. Reg. c. 25. in Abigail: cum evocata fuit ad aulam, ait v. 41. *Ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervorum Domini mei.* Hugo Cardin. in cap. 1. Lucæ. *Digna utique ſpectaculo hæc fœmina, dictione, Ecce, demonſtratur, quæ enim in uxorem Davidis electa, Regina futura, ſe ancillam nominabat, ſanctum ſe humilitatis prodigium oſtendebat.* Abulenſis q. 7. *Quis hic non videat, Beatam Virginem Mariam effigiatam, à Spiritu Sancto in ſponſam electa, ac proinde mundi Regina, ſe tamen ancillam Dei nominat.* Angelus vocat illam *gratia plenam, Dei Matrem,* ipſa

ipſa ſe ancillam profitetur. *Vide humilitatem*, inquit S. Ambroſius hic; *ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt. Ancillam ſe dicendo, nullam ſibi prærogativam tantæ gratiæ vindicavit.* Ergo, eſſe magnum, eſſe præditum multis donis, eſſe ornatum eximiis virtutibus, illuſtrem gratiis, & tamen talia non agnoſcere, non æſtimare, non laudare, ſed minuere, deprimere, hoc eſt, eſſe humilem.

§. 9. *Simile à vetula turpi.*

Sed age, perſpiciamus id clarius in ſimili. Eſt rugoſa turpis, lurida, macie exeſa vetula. Ornetur hæc veſtibus pretioſis, induatur toga holoſerica, aut damaſcena, ſenile corpus circumdet aurea catena; collum cingat collare amplum, nitidum, & prout Domicellæ noſtræ jam portare ſolent, ad pompam, in omnes circum partes fictum, factumque, pendeat ex toga vagina prægrandis aurea; calcei ſint elegantuli, acutuli, pulchelli; florum faſciculum, vel dextera teneat, vel pectorali affigat; denique manibus gerat chirothecas auro, gemmiſque decoras. Et poſt hæc omnia rogemus hanc vetulam, ut ad ſpeculum ſe conferat. Agedum ergo Domina mea, age, ſpeculum inſpice, vide, qualis ſis nympha, vultum tuum conſidera; vide an ex albo trium furiarum expungenda, & in numerum trium gratiarum ſis referenda. At ecce video! ſpeculum inſpicit vetula, & ridet, ac deridet ſemetipſam, advertit rugas ſuas in vultu longe aliud loqui, quam externa veſtium ornamenta; proinde non ſemet extollit ipſa, non magnifice de pulchritudine ſua ſentit; Vetula ſum inquit turpis, & talis permaneo. Non eſt quod ob extrinſeca hæc ornamenta ſuperbiam. Percepiſtis ſimile Auditores, veſtrum jam eſt, ut quiſque ſpeculum conſcientiæ animæ conſulat, & qualis ſit in corde, qualis in anima, qualis coram Deo, nec tantum, qualis in veſtibus, aut opibus, aut honoribus, aut coram mundo, conſideret.

§. 10. *Alii actus & effectus humilitatis.*

Innumeros alios actus & effectus humilitatis, internos & externos; v. g. ſibi alios præferre, magis æſtimare, credere ſe ſervum Dei inutilem, in ſe ſemper invenire, quod carpi poſſit, fugere honores, non turbari, non affligi, non murmurare, cum contemnimur, non excuſare ſuas culpas, non amare faſtum, vel

veſtes

Digitized by Google

veſtes ſuperbas &c. & ſimilia, modo latius deducere non poſſum. Ex omnibus his facile intelligetis, in quo conſiſtat eſſentia humilitatis, illiuſque virtutis, quæ apud Aſceticos vocatur, *Cognitio ſui, tanquam radix & fundamentum Chriſtianæ demiſſionis.* Facile quivis advertet, an ſuperbus ſit, an humilis, an imitatur Publicani ſummam animi demiſſionem an verò arrogantis Phariſæi inflatam & pavonicam ſuperbiam.

Quam verò nobilis & eximia ſit hæc virtus, agnovit S. Bernhardus lib. 5. de conſid. cap. 14. *Virtutum bonum quoddam ac ſtabile fundamentum eſt humilitas, nempe ſi nutet, illa virtutum aggregatio, non niſi ruina eſt.* Agnovit S. Cyprianus tr. de Nat. Chriſti. *Hic eſt primus religionis introitus, ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus, ut quicunque pie vult vivere, humiliter de ſe ſentiat: neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat: fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas.* Agnovit S. Auguſtinus ſer. 10. de verbis Dom. *Cogitas magnam fabricam exſtruere celſitudinis* (perfectionis, vel ſanctitatis) *de fundamento prius cogita humilitatis.* Sanct. Bernhardus ſer. 2. de jejun. *Humiliare, & apprehendiſti*, ſcilicet, virtutum culmen. *Humiliare & eris patiens. Humiliare, & in omnibus divinæ voluntati, tuam conformabis &c.* §. 11. *Excellentia humilitatis. Eſt fundamentum aliarum virtutum, & perfectionis.*

Ratio eſt, ſanctitas multas complectitur gratias, quas Deus homini non confert, niſi anima, per fidem, ſpem, charitatem, & alias virtutes ſit bene diſpoſita: diſpoſitio optima, & plane neceſſaria, eſt humilitas. Gratiarum omnium fons & auctor eſt Spiritus Sanctus, ſed ille, *humiles ſalvat.* pſ. 33. v. 19. *humilem juſtificat.* pſ. 81. v. 3. *Reſpicit in orationem humilium.* pſ. 101. v. 18. *humiles Spiritu ſuſcipit.* Prov. 29. v. 23. *Conſolatur humiles.* 2. Corinth. 7. v. 6. *humilibus dat gratiam.* Jacobi 4. v. 6. Spiritus S. eſt divina columba, fœcunda cœleſtibus gratiis, ſed requieſcit ſuper humiles. Quod alio ſimili explicat S. Auguſtinus ſer. 27. de verbis Dom. *Confluit aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.* Et ſer. 2. de verbis Ap. *Cum timore & tremore, id eſt, cum humilitate vallem facite, imbrem ſuſcipite, depreſſa implentur, alta ſiccantur: hinc valles plerumque ſunt frugiferæ, montes ſteriles; Gratia pluvia eſt, quid ergo miraris, ſi Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* § 12. *Eſt diſpoſitio ad alias gratias.*

tiam. Ideo noli altum ſapere, ſed time: time ut implearis, noli altum ſapere, ne ſicceris. Luc. 3. v. 5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Baruch. 5. v. 7. *Conſtituit Deus humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes, & convalles replere in æqualitatem terræ.*

§. 13. *Humilitas eſt nota Electorum. Ingens differentia inter Luciferum & Chriſtum D.*

Valde extollunt SS. Patres Virtutem Humilitatis, dum illam vocant notam, characterem, & ſignum electorum; ſive arrham & pignus prædeſtinationis. Utar modo unico loco S. Gregorii M. lib. 34. mor. cap. 21. poſtquam adduxit verſ. 25. cap. 41. Jobi; *Ipſe* (ſcilicet Satan, vel lucifer) *eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ,* monet ut conſideremus differentiam inter Luciferum, & Chriſtum D. Vix creatus fuit Lucifer, (Ezechielis c. 28. v. 12.) *Signaculum ſimilitudinis Dei, plenus ſapientia & perfectus decore, in deliciis paradiſi, omnis lapis pretioſus operimentum ejus, Sardius, topazius, jaſpis, chryſolithus, onyx, berillus, ſaphirus, carbunculus &c.* verbo, nobiliſſima & pulcerrima creatura, primas & princeps cœleſtium Spirituum! Verum prima ejus cogitatio fuit arrogantiſſima; *elevatum eſt cor ejus in decore ſuo dicens* v. 13. c. 14. Iſ. *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei, exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Veruntamen in momento ad infernum detractus eſt Lucifer, in profundum laci; projectus eſt draco magnus, ſerpens antiquus, diabolus & Satanas. S. Bernhardus cit. *Nec in cælo ſtare potuit ſuperba ſublimitas.* Sic factus eſt rex & pater omnium ſuperborum ipſe eſt princeps ſuper univerſos filios ſuperbiæ. Econtra Chriſtus Dei Filius, de ſolio illo, de monte teſtamenti, de latere Aquilonis, de nubibus deſcendit in hunc mundum, & uterum Virginis ingreſſus, factus eſt humillimus. Inter heroicos, divinos, & excellentiſſimos virtutum actus, quos ſanctiſſima Humanitas, ſive Chriſtus primo vitæ momento exercuit; fuit profundiſſima reverentia, & admirabilis demiſſio, quo æterno Patri ad omnia tormenta, & opprobria ſubeunda ſe obtulit, dicens, ex cap. 10. v. 7. ad Heb. *In capite libri ſcriptum eſt de me &c.* Et illo momento factus eſt Rex & caput omnium electorum; & princeps ſuper omnes filios humilitatis. Cit. S. Gregorius. *Aperte cognoſcimus,*

quod

quod evidentiſſime, reproborum ſignum eſt ſuperbia, econtra humilitas electorum. Ad quos Salvator ait Luc. 12. v. 32. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri meo dare vobis regnum.* Beda in pſ. 71. *Vocat ſuos gregem puſillum, ob humilitatis devotionem, quia Eccleſiam ſuam quantalibet numeroſitate jam dilatatam, tamen uſque ad finem mundi, humilitate vult creſcere, & ad promiſſum regnum humilitate pervenire.*

Pulchre S. Matthæus cap. 18. v. 3. de Salvatore ait; *advocans Ieſus parvulum, ſtatuit eum in medium eorum, & dixit, Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum.* S. Marcus cap. 9. v. 35. addit, Jeſum his dictis parvulum ſuaviſſime fuiſſe amplexatum, *quem cum complexus eſſet*, in ſignum amoris & benevolentiæ, qua parvulos, ſive humiles complectitur. Quod ſupra dixi de Spiritu S. dico de Chriſto D. ſalvat humiles, hos reſpicit, hos juſtificat, hos ſuſcipit, hos conſolatur, veluti electos & amantiſſimos filios. Agedum ergo Audit. ſit nobis in amore, in pretio, in affectu ſimul, & effectu, virtus tam nobilis, tam pretioſa, tam efficax. O chara Humilitas! tu tu ſola, fons es, & origo gratiarum! Tu reliquarum fundamentum es virtutum; tu dux es, atque anteſignana pietatis! Eia Aud. humiliate capita veſtra altiſſimo, nec capita tantum, ſed & linguam, ut non in laudes proprias, atque arrogantes, vanoſque ſermones effundatur, ſed & oculos, ut non deſpiciamus alios, ſed & cervicem, & humeros, & manus, & pedes; denique ipſum etiam cor, (nam hoc ſuperbiæ ſedes eſt) humiliemus, inclinemus nos quantum poſſumus, & inclinabit ſe nobis divina gratia quantum cupimus.

§. 14. Quam tenere Chriſtus D. amet humiles.

Tali humilitate iratum Deum facillime poſſumus placare. Lib. 3. Reg. cap. 21. v. 27. ait Dominus ad Eliam, qui vindictam à cœlo petebat contra impium Achab; *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me?* quaſi diceret, Elia, quid petis ignes? fulmina? contra quem? contra Achab! verum eſt, impius fuit & ſceleratus Rex; ſed *quia humiliatus eſt mei cauſa non inducam malum.* Divus Hieronymus epiſtol. 30. *Non enim jam Deus divinis oculis ſimula-*

§. 15. Humilitas mire placat iratum Deum. Sic prudens Abigail, placavit Davidem.

mulachrum ſuperbiæ in Rege Achab humiliato videbat, ſed humilitatis effigiem, quæ ad ſe divinos oculos rapiebat. Hæc duo ſimulacra videmus in hodierno Evangelio. In Phariſæo, ſimulachrum ſuperbiæ, ideo abjecit eum Dominus. In Publicano, effigiem contriti & humiliati cordis; & placuit divinis oculis. Cum irâ commotior eſſet David Rex ſpiraretq; iras & vindictam contra Nabal: mitis Abigail Lib. 1. Reg. cap. 25. v. 23. *Procidit coram eo ſuper faciem ſuam, & adoravit ſuper terram*, id eſt, humiliavit ſe usque ad terram, *& poſuit vultum ſuum ſuper terram ad pedes David.* Cauſam advertit Abulenſis quæſt. 7. *Exiſtimabat enim Davidem placandum, non tam faciei ſpecioſitate, quàm humilitate, ideo faciem ſuam ſubmittebat, faciei pulchritudinem abſcondebat. Ideo autem formſiſſima Abigail coram Rege ita ſe humiliavit, ut ſic illum ad vindictam adverſus Nabal venientem, ad miſericordiam inclinaret.* Et inclinaſti ſanè prudentiſſima Abigail: nam quod non perficit poteſtas, exequitur humilitas. Et quid mirum hominem Regem humilitate victum inclinari, cùm ab eâdem victus Rex DEUS usque adeo ſe inclinarit, ut ex cœlo in terras, humanam indutus naturam, deſcenderit. Inclinavit & ſe hodie Publicanus, & ſe inclinando, ad ſe inclinavit DEUM. Tantarum eſt virium humilitas.

§. 16. *Abraham humili oratione, fratrem ſuum Loth, liberavit ex incendio Sodoma.*

Geneſis 19. v. 28. ait textus. *Abraham autem conſurgens manè, ubi ſteterat prius cum Domino, intuitus eſt Sodomam & Gomorrham, & univerſam terram regionis illius; viditque aſcendentem favillam de terrâ, quaſi fornacis fumum.* Putant interpretes tum Abrahamum, ſollicitum adhuc de ſalute fratris ſui Loth, qui morabatur in Sodoma, clamaſſe ad DEUM, & repetijſſe orationem diei præcedentis, cap. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis.* Rupertus hic. *Dum homines ſulphureis flammis in cinerem rediguntur, ſe cinerem, ſeu in cinerem jam redactum nominat, & ideo Dominum exoravit, ut miſſis Angelis eduxerit fratrem ex incendio Sodomæ.* Oratio humilis, vel humilitas, vel cor contritum, & humiliatum, facile DEUM placat, ejusque obtinet clementiam & miſericordiam. Humiliavit

Digitized by Google

liavit ſe Publicanus in hodierno Evangelio, & deſcendit juſtificatus.

Non deerit nobis auxilium de cœlo, dummodo humiliato corde divinum imploremus nomen. Matthæi 14. c. v. 29. S. Petrus jubente Domino ſe præcipitat in mare, in ſalo graditur ut in ſolo. Poterat ſibi complacere Petrus, dum æquora & fluctus, gradientis veſtigia, reverenter adorant, dum maria calcat; verùm dum turbatur; *videns Petrus ventum validum, timuit, & cùm cœpiſſet mergi, clamavit dicens, Domine ſalvum me fac. Et continuò extendens IEſus manum comprehendit eum.* Hoc modo electi pergunt ad cœlum, calcandi ſunt fluctus tempeſtuoſi maris. Sed, O ventos, o fluctus, o ſcopulos, O pericula, O naufragia, niſi DEUS manum extendat, niſi bonus JEſus ſuâ dextera nos apprehendat, actum eſt, perimus. Diſcamus proinde nos humiliare &c. (adde pulchrum epilogum.)

§ 17. *Niſi inter fluctus vitimus periture humiliter invocemus nomen Domini.*

CONCIO XLI.

DOMINICA XII. POST SS. TRINITATEM.

Apprehendens eum, de turba ſeorſum.
Marci. 7. v. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUanta vis ſit malæ conſuetudinis: & quibus medijs expugnetur.

§. 1. *Locus moralis de peccati occaſione, & malâ conſuetudine.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Conſuetudo mala eſt diſpoſitio in animâ ad facilem lapſum.*
§. 4. *Plutarchi & P. Cauſini ſimilia de mala conſuetudine.*
§. 5. *Duæ tragicæ hiſtoriæ, ob malam conſuetudinem infeliciter morientium.*

§. 6. Al-

§.6. *Altera terribilior.*
§.7. *Diabolus, ſimia Angeli apud Ezechielem c. 47.*
§.8. *Malam conſuetudinem S. Auguſtinus comparat mortuo, & ſepulchro.*
§ 9. *S. Iacobus, Seneca, & S. Greg. de mala conſuetudine.*
§.10. *Pulcher locus ex Iobo, de eadem.*
§.11. *Tria media contra illam. Primum, Timor Domini.*
§.12. *Exemplum malæ conſuetudinis per timorem, dedoctæ in Oratore.*
§.13. *Secundum medium, vincere ſe paulatim ſpe præmii.*
§.14. *Exemplum in milite juramentis aſſueto.*
§.15. *Tertium remedium, oratio.*

§. 1. *Locus moralis de peccati occaſione, ſive mala conſuetudine.*

DE actione hac Salvatoris noſtri, quod ſurdum, antequam ſanaret, apprehenderit de turba ſeorſum, ait Stapletonus, *Locus eſt moralis de peccati occaſione, ſive ſocietate malorum, & noxia converſatione, ante omnia fugienda;* de qua egi anno ſuperiori. *Alta occaſio, fons & radix plurimorum & graviſſimorum ſcelerum, & mala conſuetudo, ad malum ſemper inclinans.* S. Chryſoſtomus l. 3. contra vituper. vitæ monaſt. *Dura eſt, ac penitus acuta, & violenta res conſuetudo, ad capiendam vincendamque animam quocirca Deus ipſe, cum hebræis, eorum quæ in Aegypto didicerant, malorum vetus conſuetudo deponenda eſſet, ſeorſum illos in ſolitudinem deduxit, atque ita illorum formavit animos, ut viam omnem medicinæ, & curationis [illegible]ntaret aſperiorem, & leniorem; & nec ſic quidem illa vitia effugerunt, ſed cum manna cæleſti alerentur, cepas tamen & allia deſiderarunt, uſque adeo in illis mala conſuetudo pravaluerat.*

§. 2. *Propoſitio.*

Hoc latius oſtendam prima parte hujus concionis; in altera verò, tria, quæ contra morbum tam periculoſum eſſe poſſint adjumento media proponam. Vos pro more veſtro me dicentem benevole audite.

§. 3. *Conſuetudo mala eſt diſpoſitio, in anima, ad facilem lapſum. Eſt*

Mala conſuetudo, ſecundum D. Thomam, eſt diſpoſitio quædam in anima, ut aliquis facillime relabatur. v. g. conſuetudinem blaſphemandi habet, cujus lingua ita diſpoſita eſt, ut cito & facillime, & frequentiſſime erumpat in blaſphemias (idem dicendum eſt de aliis vitiis) diſpoſitio verò hæc, ſive mala conſuetudo pro-

provenit, vel naſcitur ex repetitis & iteratis actibus alicujus vitii, v.g. blaſphemiæ, vel detractionis,&c. qualis diſpoſitio in anima, & etiam exterioribus corporis membris, plurimorum vitiorum inſtrumentis, ita radicatur, roboraturque, ut in coactionem & neceſſitatem quandam peccandi declinet, vel ut ſanct. Auguſtinus loquitur, *in ſecundam naturam.* S. Ambroſius in cap. 4. S. Lucæ, vocat catenam, quæ difficulter rumpitur. Verba ipſius ſic habent. *Cum ſemel adhæſerit anima cupiditatibus demerſa terrenis, difficile in altum poteſt, unde deſcendit, ſine Dei favore evolare. Actuum enim ſuorum vincta laqueis obnoxia tenetur.* Elegantiſſime S. Auguſtinus l. 18. Confeſſ. c. 5. *Suſpirabam ligatus, non ferro, ſed mea ferrea voluntate* (advertite effectus vitii ſæpius iterati, ſive, malæ conſuetudinis) *velle meum tenebat inimicus & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me, quippe ex voluntate perverſa, facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibus quaſi annulis quibusdam ſibimet innexis, tenebat me obſtrictum dura ſervituti. Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem, vetuſtate corroboratam.* Et S. Gregorius hom. 21. in Evang. *Uſitata culpa obligat mentem, ut nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem: conatur & labitur, quia ubi ſponte diu perſtitit, ibi, & cum noluerit, coacta cadit.* Non judico malæ conſuetudinis, vel corroboratæ in malo voluntatis, eſſentiam, proprietates, effectus, damna, & modum quo contrahitur; elegantius poſſe explicari, quam duo ſancti hi Patres, S. Aug. & S. Greg. id fecerunt.

quaſi ferrea catena, qua trahimur in malum.

§. 4. *Plutarchi & P. Cauſini ſimilia. de mala conſuetudine.*

Plutarchus eadem declarat hoc ſimili. *Qui diu in vinculis fuerunt, cum ex illis ſolvuntur, tamen claudicant adhuc, nec gradi poſſunt: ita diu vitiis aſſueti, etiam cum ea deſerunt, quædam eorum retinent veſtigia.* Teſte Patre Cauſino in curia ſancta tom. 1. Venatores aliquando in ſylvis ceperunt juvenem, enutritum inter lupos, & ferme homo lupus erat; manibus & pedibus reptabat, ut lupus; currendo perſequebatur oves, certabat cum canibus, crudas comedebat carnes, ut lupus, ululabat ut lupus. Ab Anglis domo miſſus fuit, ad Henricum Principem Haſſiæ, nec unquam

Digitized by Google

hos mores plane deſueſcere potuit. *Iam morem fecerat uſus*, inquit Ovidius l.2.metam.

§. 5. *Duæ tragica hiſtoria, ob malam conſuetudinem infeliciter morientium.*

Talis lupus, quoad mores fuit ille nobilis, de quo celeberrimus concionator ex Ordine S. Auguſtini hæc narrat. *Dum ædes alicujus nobilis tranſirem, de feneſtra evocatus fui ad excipiendam confeſſionem agri, aſcendi, & inveni hominem jam exſpirantem, ad latus mulierculam concubinam, confeſſus mihi fuit æger peccata omnia, & quantum judicare potui, cum dolore, verum ante abſolutionem monui, illam beſtiam eſſe exturbandam ex domo, reſcindendam illam pernicioſam amicitiam, adeſſe occaſionem proximam relabendi, magnam eſſe vim corroboratæ in malo conſuetudinis, qualem in illo adverteram. Quid putatis ægrum reſpondiſſe? In ſupremo agone, in luctâ cum morte! in introitu æternitatis, reſpondit, ſe id facere non poſſe, nec velle. Abii ergo, cum revocatus mox redii, ſpe plenus, aliam à cœlo miſero injectam eſſe mentem, ipſum reperi, ſine omni ſenſu, ſupremum trahentem Spiritum, exſpirantem, in manibus concubinæ, tenentis ardentem cereum.* O miſeram mortem! O damnoſam & periculoſam, inveteratam conſuetudinem.

§. 6. *Altera hiſtoria terribilior.*

Terribilius eſt, quod contigit Comis in Italia. Civis concubinarius in agone moveri non potuit, ut ſimilem beſtiam à ſe abigeret. Ita obiit. Cum poſtridie Confeſſarius pro anima defuncti ſacroſanctum miſſæ officium Deo offerre vellet, ſub, confiteor, ad latus epiſtolæ vidit hominem inter flammas, audivitque dicentem, *Ne pro me ora.* Agnovit ſacerdos eſſe illum ſuum pœnitentem, pridie defunctum, interrogat ergo, an damnatus ſit, & quare? an non bona fuerit ejus confeſſio; reſpondit miſer, *Ita confeſſus ſum bene, & cum dolore, & valida fuit tua abſolutio, ſed heu, poſt tuum heri diſceſſum, ad me rediit maledicta mea amica, ad ejus conſpectum mihi occurrerunt priſtinæ, quibus aſſueveram, turpitudines, & quia ob facilitatem labendi, rurſum illis conſenſi, juſto Dei judicio, in impia illa voluntate mortuus, & æternum damnatus ſum.* His dictis monſtrum diſparuit. O mortem! O effectum malæ, & inveteratæ conſuetudinis! maximè in peccatis carnis. Bene dixit S. Chryſoſtomus in c.4.ep.2. ad Corinth. *Magna eſt conſuetudinis tyrannis, adeoque magna, ut perinde cogat, ac natura.*

Hæc

Hæc proinde cura eſt Satanæ, ut homini non tantum ſemel, vel ter &c. ſed multoties lapſum & relapſum in ſcelera perſuadeat. ut ita miſer vitiis aſſueſcat. In quo diabolus eſt ſimia illius Angeli boni, qui Ezechielem cap. 47. v. 3. deduxit in fluvium, primum uſque ad talos, deinde uſque ad genua, poſtea uſque ad renes, in manifeſtiſſimum periculum ſubmerſionis. Hoc in vitiis facit Satan, impium vel peccatorem, paulatim in torrentes & voragines vitiorum, per malam conſuetudinem, in abyſſum iniquitatis eo deducit, ut difficillimum ſit tales emergere, hærent enim in limo profundi. Illud procurat tandem Satan, ut fornicarius aſſumat conſuetudinem, à qua impellitur, ut ſæpe & facillime fornicetur; Detractor, ut in communi colloquio ſemper & ubique detrahat. Mendax, ut ſæpe & facillime contra mentem ac conſcientiam loquatur. §7. *Diabolus ſimia alicujus Angeli. Ezech. c. 47*

Malam conſuetudinem, ut loqui ſolemus, S. Auguſtinus comparat ſepulcro, è quo, à morte animæ, ad vitam gratiæ difficulter quis reſurgit. Chriſtus Salv. noſter tres excitavit mortuos; Filiam Principis in domo vel lecto jacentem. Filium viduæ in Naim extra portas urbis. Et Lazarum ex ſepulchro. Puellæ, manum tantum porrexit, & ſurrexit: Juveni dixit verbo, *adoleſcens tibi dico, ſurge*. Antequam Lazarum ſuſcitavit, infremuit, turbatus eſt Spiritu, lacrymatus eſt, debuit removeri lapis, tum Chriſtus voce magnâ clamavit, *Lazare veni foras*. Joã. 11. v. 43. Advertit S. Aug. per hos tres mortuos ſignificari diverſos gradus, & Status peccatorũ. Defuncta filia eſt ſymbolum illorum, qui primâ vice labuntur in peccatum; ait enim Pater, *filia mea modò defuncta eſt*. Hi facile revocantur ad vitam gratiæ. Defunctus adoleſcens, ante biduum, vel triduum, repræſentat illos impios, qui aliquot annis hærent in feretro peccati; hi adhuc difficilius reſurgunt. *Alii verò*, ait S. Auguſtinus, *conſuetudine malignâ preſſi, tanquam ſepulti, & ita ſepulti, ut de Lazaro dictum eſt, jam putet, moles ipſa impoſita ſepulcro, ipſa eſt vis dura, conſuetudinis, quâ premitur anima, nec reſurgere, nec reſpirare permittitur, niſi Jeſus ſuccurrat, & adjuvet.* §. 8. *Malam conſuetudinem S. Aug. comparat mortuo & ſepulcro.*

Jacob. 1. v. 15. *Peccatum cum conſummatum fuerit generat mortem*. D. Thomas ibi. *Hoc proprie de peccato conſuetudinis dictum eſt,* §. 9. *Teſtimonia S. Jacobi, Se-*

Digitized by Google

neca. & S. Greg. M.

nam cum peccatum in conſuetudinem fuerit protractum, nulla in peccatore apparent ſigna vitæ, & ſpes de reditu ejus parva eſt. Seneca ep. 39. *Deſinit eſſe remedii locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores ſunt.* Lib 7. de natur. quæſt. *Non miremur, tarde erui, quæ altè jacent.* Sermo ſive metaphora deſumpta eſt, ab arbore, quæ poſtquam altas egit radices, cum difficultate evellitur. S. Gregorius in cap. 20. Jobi. *tenent conſuetudines pravæ, quæ ſemel ceperunt, & quotidie duriores exibunt, & cum ipſo in pulvere dormiunt, quia non niſi cum ejus vita finiuntur.* Juxta illud Chriſti Ioannis 8. v. 21. *In peccato veſtro moriemini.*

§. 10. *Pulcer locus ex Iobo de conſuetudine.*

Cap. 16. v. 15. in perſonâ peccatoris malâ conſuetudine preſſi eleganter conqueritur Job. *Concidit me vulnere, ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas.* Loquitur de diabolo. Sed quid hæc verba ſibi volunt, *Concidit me vulnere ſuper vulnus.* S. Gregorius l 13. mor. cap. 10. *Hoc fit, quando peccato peccatum additur, ut culpa vehementius exaggeretur.* Vnde per Prophetam Oſeam quoque dicitur; cap. 4. v. 2. *Maledictum, & mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Sanguis, ſanguinem tangit, cum culpa culpam cumulaverit; & quia cum vulnus vulneri additur, vires noſtræ decreſcunt, creſcit, vero poteſtas adverſarii diaboli, rectè ſubjungitur, *Irruit in me quaſi gigas.* Facile quippe inimico reſiſtitur, ſi rarò vel nunquam ſuccumbamus. *Sin verò* ejus *ſuaſionibus anima ſubeſſe conſueverit,* quanto ſe ei ſubjicit crebrius, tantò eum ſibi intolerabiliorem facit ut ei reluctari non valeat; quia nimirum malignus hoſtis contra nos, armis malæ conſuetudinis, fortiter, inſtar gigantis contra nos pugnat.

§. 11. *Remedia, corrigendi malam conſuetudinem. 1. Timor Domini.*

Atque nunc videamus, quibusnam mediis tanto animarum malo occurrere oporteat. Sunt certè per Dei gratiam media & arma præclara, ac fortia, debellandi hunc gigantem; per Dei gratiam etiam altas radices & fibras malæ conſuetudinis, evellere & eradicare poſſumus. Triplicia modò tantum inſinuo. Primum eſt Timor Domini; quo uſus fuit S. Auguſtinus ſer. 28. de verbis Ap. *Iuravimus & nos paſſim, habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem, & mortiferam. Sed dico, ex quo Deo ſervire cæpimus, & quantum malum ſit in perjurio, vidimus, timuimus vehementer, & veternoſiſſi-*

Digitized by Google

noſiſſimam conſuetudinem, timore frænavimus. ſer. 10. de decoll. S. Joan.B. *Scio grave eſſe conſuetudini veſtræ, ſed & grave fuit conſuedini noſtræ: timendo Deum abſtulimus jurationem de ore noſtro.* D. Chryſoſtomus hom. 34. ad pop. Antioch. *Vides, quod ubi eſt timor, facile ſolvitur conſuetudo, etiamſi valde diuturna ſit & neceſſaria.*

Homilia 7. ad pop. Ant. ait, *Quæ vero nobis poterit eſſe excuſatio, etſi millies conſuetudinem objiciamus?* Ajunt oratori cuidam in more poſitum fuiſſe, ut inter dicendum, dexterum humerum continuo attolleret. Hanc itaque conſuetudinem, ut dediſceret, quid fecit? audite generoſam ſui victoriam. Gladios acutos ita utrumque humeris oppoſuit, ut vulneris timore, membrum inepte ſe movens, brevi temporis ſpatio corrigeret. Quidni & tu idem facias? ſi extollit ſe lingua tua, ſi exorbitant oculi, ſi alia membra decorum non ſervent, age ſis, oppone illis gladium Juſtitiæ Dei; uti amor, ita & timor omnia vincit. Conſuetudinis pravæ, optimus Præceptor, & Corrector, eſt Timor. §. 12. *Exemplum malæ conſuetudinis per timorem deductæ.*

Alterum remedium ſuggerit S Chryſoſtomus hom. 10. ad Rom. *Et quomodo iniquius, & peccator, ad priſtinum gratiæ ſtatum revertar? rem tantum aggreditor, & compleveris totum. Nam ſicut æger, cum morbus non ingraveſcit, tunc ſanitas incipit, ſic in vitio ſi ulterius non proceſſeris, & finem malitiæ impoſueris; quod ſi hoc duos dies feceris, tertio facilius abſtinebis, ac ſi poſt dies tres, alios decem addideris, fiet ut viginti deinde addas, ac centum deinceps, tum autem vitam omnem. Quantò enim magis progreſſus, eò magis facilem viam offendes, & poſtremò in ipſo faſtigio conſtitutus, bonorum multorum fructum decerpes. Nam ſi in præmium oculi conjiciantur, medium hoc fit facilius, & emendatio ſequitur certò.* Non habeo quod addam elegantiſsimo S. Chryſoſtomi diſcurſui. §. 13. *Alterum medium. die in diem vincere. De*

Refert hiſtoria obſidionis Oſtendanæ fuiſſe militem in caſtris, ad ſingula verba jurantem, qui Confeſſarium ſæpe monentem riſit; donec tandem ab eodem eleemoſynam petere fuit coactus; Oſtendit illi vir pius nummum aureum promiſitque ſe eum illi daturum, ſi per horam, per caſtra ſe ſequeretur ſine male-

dictis. Enimverò lepidum ſpectaculum! præibat Pater cum aureo nummo, ſequebatur miles; effunduntur in riſum alii; miles in aureum nummum defixus oculis hærens, non dubito, non ſemel jurandi ardore tentatus, ſui tamen victor egregius linguam compeſcuit; ne quem ſpe devoraverat, aureum nummum amitteret. Nimirum ſpe præmii terreſtris paulatim conſuetudo ſuperatur: quidni potius ſpe præmii cœleſtis, ſpe certa felicitatis æternæ?

§. 14. *Tertium medium, Oratio.*

Tertium medium, planè neceſſarium eſt Oratio. S. Baſil. in reg. inter 6. *Contractas ex ſuperioribus peccatis labes, oratione aſſidua abſtergere poterimus.* Nullum enim peccatum eſt, quantumvis inveteratum, quod Deus precibus & obſecrationibus alle[illegible]s, facile condonare non poſſit, & conferre gratiam, ad id, ne iterum peccemus. Iterum non peccare, eſt corrigere malam conſuetudinem. Agedum Auditores, diſcite alteram vincere naturam, diſcite quo pacto clavum clavo, conſuetudinem conſuetudine adverſa pellatis, ſed animis opus eſt, & animis generoſis, animis magnis, & ſuimet ipſius victoribus. Confugiendum eſt in hoc prælio ad arma fortia, ad orationis clypeum; ad gladium timoris Domini, ad armaturam ſpei cœleſtis. Ita diſcemus noſmetipſos vincere, & cum illuſtribus athletis coronabimur in gloria.

§. 15. *Hæc remedia periculoſe contemnuntur*

Caveat ſibi, qui peccatis aſſuetus, hæc remedia negligit, cogetur tandem ſemetipſum plorare, & dicere cum Jerem. cap. 3. Thren. v. 53. *Lapſa eſt in lacum vita mea* (anima mea) *& poſuerunt lapidem ſuper me.* Quid hoc? quia ubi peccatis additur conſuetudo peccandi, ſic miſeri concluduntur, ut vix inde poſſint exire. D. Greg. l. 26. Mor. c. 24. *In lacum quippe vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur. Lapis verò ſuperponitur, cùm etiam dura conſuetudine mens in peccato demoratur, ut ſi velit exſurgere, jam utcunq; non poſſit: quia moles deſuper mala conſuetudinis premit.* Iterum D. Greg. ſuper v. 16. pſ. 68. *Non me demergat tempeſtas, neque abſorbeat me profundum, neq; urgeat ſuper me puteus os ſuum,* ita ait: *Quem mali operis iniquitas à bona ſtabilitate commovit, quaſi tempeſtas aquæ rapuit, ſed ſi adhuc longa conſuetudine non prævaluit, non demerſit. Iam in puteum cecidit, qui hoc, quod divina lex prohibuit, perpetravit. Sed ſi adhuc longa conſuetudo non deprimit, nequaquam os ſuum puteus coan-*

Digitized by Google

coanguſtabit. Tanto enim facilius egreditur, quanto minori conſuetudine coarctatur.

Geneſis 18. cap. v. 20. dicitur; *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis.* Ex multiplici peccatorum uſu hoc evenit, quod peccatum graveſcat, inſtar ingentis ſaxi, cordi affixi, imo quod peccatum lapideum rigorem & gravedinem induat. Contingit illis, quod accidit uxori Loth, quæ *verſa eſt in ſtatuam ſalis*. Gen. 19. v. 26. Hæc eſt pœna repetiti peccati, ut impii tandem fiant immobiles veluti ſaxum &c. §. 16. *Proſecutio.*

Pro auctario vide multa in P. Celada, in Indice tit. Conſuetudo. Commentario in Rutham. præſertim f. 150. ſive Cap. 1. v. 16. & 17. §. LXXVIII. Moral.

CONCIO XLII.

DOMINICA XIII. POST SS. TRINITATEM.

Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.
Luc. 10. c. v 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUanta ſit caritatis erga proximum excellentia; Qualis item illa eſſe debeat; præſertim inter eos, qui una vivunt in familia, aut domo. item erga egentes &c.

§. 1. *Iericho qualis locus ad literam.*
§. 2. *Senſus allegoricus hodierni Evangelii.*
§. 3. *Propoſitio.*
§. 4. *Excellentia charitatis hujus ex S. Thoma.*
§. 5. *Elogia illius ex ſanctis Patribus.*
§. 6. *Quam ſerio illam Chriſtus D. inculcarit, & illius exemplo Apoſtoli.*
§. 7. *Quinam ſit noſter proximus.*

§. 8. Qua-

§. 8. *Qualis illa charitas eſſe debeat, præſertim inter vicinos.*
§. 9. *Proſecutio.*
§. 10. *Symbolum veræ charitatis, Vinea bene culta.*
§. 11. *Proſecutio.*
§. 12. *Alterum Symbolum, Malogranatum.*
§. 13. *Cor Chriſti D. fuit tale malogranatum.*
§. 14. *Item, cor Tobiæ.*
§. 15. *Item, Jobi & S. Pauli.*
§. 16. *S. Gertrudis, & Thereſiæ, S. Caroli Boromæi.*
§. 17. *Epilogus, cum voto Auctoris.*

§. 1. *Iericho, qualis locus, ad literam.*

SEnſu literali Jericho fuit locus, non procul à Jeroſolyma, ob parvulam ſylvam, arborumque latebras, periculoſus, latentes enim ibi latrones, tranſeuntes advenas, frequenter ſpoliabant, & vulnerabant. Unde in Hebraico, locus ille vocatus fuit, *Adomnin*, vel *Adamnin*, id eſt rubens, ob effuſum ibi viatorum ſanguinem. Hoc eodem loco, perhibente Chriſto D. Iſraelita quidam, incidit inter latrones, à quibus vulneratus & ſpoliatus, ſemivivus, jacens in ſuo ſanguine, relictus fuit. Et ſanè perijſſet, niſi Samaritanus hominem inveniens, miſericordiâ motus ei ſuccurriſſet, quod Levita & Sacerdotes, illac tranſeuntes non fecerant.

§. 2. *Senſus allegoricus hodierni Evangelij.*

Senſu Allegorico hic Iſraelita fuit Adamus, conſtitutus à Deo in Paradiſo, in loco pacis. Sed ad arborem ſcientiæ boni, & mali, incidit inter latrones, in ſerpentem & Evam & quia hujus concupiſcentiæ, illius ſuaſioni, fuit obſecutus, quia guſtavit pomum, ſerpens ſive Diabolus, ſpoliatum veſte gratiæ, cum totâ poſteritate letali vulnere ſauciavit. Actum fuiſſet, niſi Samaritanus, id eſt Filius Dei deſcendens de cœlo, factus homo, vino divinæ miſericordiæ, & oleo pretioſiſſimi ſanguinis ſui, remedium attuliſſet. De hoc ſenſu hodierni Evangelij agi ſolet in myſterijs noſtræ Redemptionis, & cum miſerrimum ſtatum miſeri peccatoris, ſpoliati, vulnerati à peccato mortali. deſcribere volumus. Occaſione miſericordiæ & amoris, quem Samaritanus miſero Iſraelitæ exhibuit, Chriſtus Dominus nobis ſuadet miſericordiam & charitatem erga afflictos, *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.*

Qua-

Digitized by Google

Quapropter excellentiam nobiliſſimæ hujus virtutis, prima parte hujus Concionis exponam, in altera oſtendam, qualis illa eſſe debeat, præſertim inter illos, qui in aliqua domo vel communitate ſimul commorantur. Attendite. §.3. Propoſitio.

Excellentiæ hujus virtutis, id eſt, dilectionis erga proximum, ſæpius alibi facio mentionem. Angelicus Doctor Sanct. Thomas, argumento theologico eandem inde probat, quod prima ejus radix & origo, ſit idem habitꝰ in anima qui generat virtutem omnium nobiliſsimam, Amorem DEI. Sic ait, *Idem numero eſt habitus charitatis, à quo uterque actus elicitur, unus idemque ſcilicet DEus, in quem dirigitur, quia propter DEum, & Deus, & proximus diligitur. Cùm ergo proximus diligitur propter DEum ſolus Deus diligitur propter ſe ipſum.* S. Greg. l. 7. moralium cap. 10. Sic explicat, ſunt duo iſti amores, duæ partes, ſed unum tantum utriſque compoſitum. Duo annuli, ſed catena una. Duæ actiones ſed una virtus. Duo opera, ſed una charitas, duo apud DEum merita, ſed unum ſine alio inveniri, impoſſibile. Addi poſſunt hæc ſimilia. Sunt duæ flammæ, ſed faciunt unum ignem, ſunt duo rivuli, confluunt in unum fontem. Duo rami, ſed unius arboris, Duo radij unius ſolis. Duo gemelli, ſed filij unius matris, quæ eſt Charitas, Mater pulchræ dilectionis. §.4. Excellentia charitatis in proximum ex S. Thoma.

Hanc charitatem Tertullianus vocat, *ſummum fidei Sacramentum, Chriſtiani nominis theſaurum.* Clemens Alexandrinus, *Præcipuum hominis Chriſtiani munus.* Sanct. Cyprianus. *Fundamentum pacis, firmamentum unionis.* Sanct. Baſilius. *Radicem mandatorum.* Sanct. Nazianzenus. *Doctrinæ noſtræ caput.* Sanct. Hieronymus, *Chriſtianarum virtutem Matrem.* Sanct. Ephrem, *Virtutum columnam.* Sanct. Auguſtinus. *Virtutem arcem.* Sanct. Proſper. *Virtutum vitam.* Idem. *Actionum noſtrarum ſummam, & finem cæleſtium præceptorum.* S. Gregorius Magnus. *Matrem & cuſtodem omnium bonorum.* Denique S. Paulus Apoſtolus, binis voculis comprehendit omnia, dum dilectionem proximi vocat, *Plenitudinem*, ſive, perfectionem *legis*. Quæ elogia ſimul juncta excellentiam hujus virtutis ſummopere declarant. §.5. Elogia charitatis ex SS. PP.

Digitized by Google

§. 6. *Quam ſeriò illam Chriſtus D. inculcarit, & ipſius exemplo Apoſtoli.*

Quàm frequenter, quàm ſeriò Chriſtus D. in terris, nobis hanc dilectionem inculcarit, ſcimus ex ſanctis Evangelijs. Ideo, cum maximum & primum mandatum propoſuiſſet, ut, ſi velimus ad vitam ingredi, Deum amemus ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus, ſtatim addit, *ſecundum autem ſimile huic, Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* S. Bernardus Serm. 14. in Cœn. Dom. *Edictum dulce, ſuave præceptum,* cùm Joann. 15. v. 17. idem mandatum promulgaſſet, *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem,* ſimul protulit hæc graviſsima verba, *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Ibidem legere poteſtis, & alibi deduco, quàm ardentibus precibus Chriſtus D. Salvator noſter à cœleſti Patre donum hujus dilectionis poſtularit. Veſtigijs Magiſtri inhæſerunt ejus diſcipuli, & Apoſtoli. S. Petrus ep. 1. c. 4. v. 8. *Ante omnia autem, mutuam in vobismetipſis charitatem continuam habentes.* S. Joannes 1. Epiſt. cap. 4. v. 11. *Filioli, diligite alterutrum, ſic Deus dilexit nos & nos debemus alterutrum diligere.* verſu eod. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt.* Epiſtolæ S. Pauli, plenæ ſunt, ejusmodi ſententijs. Ex quibus modis loquendi, ſimul advertere poſſumus, quis ſit proximus noſter, vel quos debeamus diligere.

§. 7. *Quinam noſter proximus.*

Omnes nimirum homines, fideles & infideles, Chriſtianos & gentiles, amicos, & inimicos, turcas & Judæos. Rationes ſunt clariſsimæ. Quivis, ex omnibus quos nominavi, creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quā imaginem tam nobilem, in quovis homine debemus æſtimare & diligere, & in illâ DEUM. Quivis homo, nemine excepto, redemptus eſt precioſo ſanguine Filij Dei, quem Chriſtus D. adeò dilexit, ut pro illo mori voluerit, & nos debemus diligere, & in illo Redemptorem noſtrum. Quivis homo capax eſt gratiæ Spiritus S. ut per illam fiat filius Dei, cohæres Chriſti, hæres æternæ gloriæ, quare tam nobilem creaturam non diligemus? Evangelium tamen hodiernum, eò præcipuè collimat, illum ex nominatis eſſe proximum, qui ob quamcunque neceſsitatem, auxilio noſtro indiget, ut poſtea patebit. Finio primum punctum meæ concionis, illa

Digitized by Google

illa Virtus,quæ tam nobili gaudet principio, quæ reliquarum eſt Mater,cuſtos & vita,quæ nos facit diſcipulos JEſu, quæ eſt nota Electorum,ſive filiorum Dei,quæ efficit, ut Deus ſit & maneat in nobis, quæ adeo ab ipſo Chriſto D. & Apoſtolis nobis fuit commendata,magna, perfecta,eximia, excellens ſine dubio eſt Virtus,nimirum Charitas,& dilectio proximi, quod primo puncto, volui oſtendere.

§. 8. *Qualis illa charitas, eſſe debeat, præſertim inter vicinos, &c.*

Age nunc,veniamus ad alterum punctum,in quo exponam, qualis debeat eſſe illa dilectio,præcipuè inter illos, qui vel ob vinculum ſanguinis,vel quia ſimul vivere debent, vel ob alias cauſas ſibi invicem magis conjuncti ſunt,ſic diſcurrere placet. Si dilectio hæc inter omnes,& ab omnibus exigatur,multò magis neceſſaria erit inter illos,qui in unâ domo,vel familia, vel republica aliquâ ſimul commorantur. Quod S. Hieron in reg. min. dixit de domo religioſâ, de quâvis commmunitate dici poteſt. *Hæc* (ſcilicet dilectio) *religioſos facit,ſine hâc cœnobia ſunt tartara,habitatores ſunt dæmones. Cùm hâc verò,ſunt paradiſus in terris, & in eis degentes ſunt Angeli.* Petranſite quæſo plateas urbis hujus Moguntinæ, luſtrate ædes, quædam vocari poſſunt paradiſus, tanta inter conjuges,filios,filias, ſervos, ancillas eſt unio, & dilectio. Vivunt omnes veluti Angeli, ut locum habeat v. 20. cap. 28. Gen. *Verè Dominus eſt in loco iſto,& non eſt hic aliud niſi domus DEI, & porta cœli.* Aliæ verò domus vocari poterunt, infernus, nam ſi in inferno ſunt tenebræ, & caligo denſiſsima, in tali domo, nullus divinæ lucis radius,imo nulla divinæ gratiæ ſcintilla emicat, ſi in inferno ſunt ejulatus, vel potius ululatus, in tali domo perpetuus quoque clamor,furor,tumultus. Si in inferno terribilis eſt ex tot maledictis ſpiritibus ſocietas, heu, quæ ſocietas eſt hominum iniquorum in ejusmodi domo? Si in inferno æternus ardet ignis, in tali domo flagrant faces invidiæ, nec unquam deflagrant. Si in inferno deſævit malæ conſcientiæ vermis,ah, an non idem de tali domo,â quâ pax omnis,& quies, quàm longiſsimè exulant, dici poteſt.

§. 9. *Proſecutio.*

Sed mittamus nunc iſta, & quæramus porro,quod jam propoſuimus,qualis debeat eſſe dilectio,inter vicinos &c.Scio Sanct.

Paulum ſatisfacere quæſtioni 1. ad Corinth. c. 12. ſimilitudine deſumpta à membris unius corporis, ſub uno capite; quæ licet diverſiſſima ſint, tamen inter omnia admirabilis quædam unio, & pulcherrimus ordo conſpicitur. Scio ſanctos Patres, reſpondere per ſimilia deſumpta ab exercitu, ab apibus, à formicis &c. Verum his modo prætermiſſis

§. 10. *Symbolum veræ caritatis, vinea bene culta.* Reſpondebo ex cap. 6. Cant. ubi ſponſus v. 10. ait. *Deſcendi in hortum, ut inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.* Vinea bene culta, & mala punica, nos docent, qualis inter nos debeat eſſe dilectio. In tali vinea, invenietis 1. Pulcrum ordinem inter vites. 2. Palos, ſive ligna auxiliaria, quæ vites ſuſtentant. 3. Palmites inter ſe colligatos, ne ſeparati repant humi. 4. Eradicatis ſpinis, vites bene cultæ ſuis temporibus frondent & virent in folia, germinant in flores, qui denique maturеſcunt in fructus. Talis vinea debet eſſe quævis domus, 1. ut inter Dominos & ſervos, parentes & filios, inter magiſtratum & ſubditos, inter ſenatores & cives &c. Servetur pulcher ordo. Ut ne inferior anteponatur majori, ne meliori ſit loco ancilla, quam conjux, ne mariti regimen ſibi vendicet imperioſa uxor, ne ut dici vulgo ſolet, hyſteron, proteron, id ultimum primum, & primum fiat ultimum.

§. 11. *Profectio.* 2. Ut juvet alter alterum v.g. Maritus debet eſſe lignum auxiliare uxori, & hæc viciſſim viro &c. 3. Ut omnes vinculo dilectionis inter ſe ſint colligati. 4. Ut eradicentur omnia germina diſſenſionum; & ſpinæ rixarum, omnes fibræ, quæ amaritudinis poſſunt eſſe cauſa. 5. Omnes debent eſſe veluti vites, ornatæ foliis ſanctarum cogitationum; floridæ floribus virtutum, fœcundæ copia bonorum operum. Talibus vineis benedicit Dominus &c.

§. 12. *Alterum ſymb. veræ caritatis, Malogranatum.* Præterea, malum punicum, ſive malogranatum eſt pulcerrimum ſymbolum mutuæ dilectionis. 1. Hoc pomum ſub uno cortice continet multa grana. Dilectio proximi multas virtutes. Aliqua grana enumerat S. Paulus. 1. Corinth. 13. verſ. 4. Caritas patiens eſt. benigna eſt, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet

ſuper

ſuper iniquitate &c. O quàm pulcra, & ſapida grana! omnia continet aureum pomum dilectionis. 2. Pomum hoc, veluti Rex quidam fructuum, à natura, regia & pulcra redimitum eſt corona, caritas eſt regina virtutum, coronanda ſerto gloriæ æternæ. 3. Grana pulcro ordine inter ſe ſunt diſpoſita, & quod eſt mirabile, ſibi invicem conjuncta ſervantur diu, à ſe mutuo ſeparata, putreſcunt facillime. Pari ratione, concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Grana ſumus, quotquot in una domo vel familia vivimus; conjuncta creſcunt, ſeparata putreſcunt. Utinam hoc probe & pro dignitate rei, ac neceſſitate perpenderemus. Unione mutua & caritate, nihil pulcrius, fortiusque; diſſidio animorum nil turpius, nil periculoſius. Redeo ad malogranatum: 4. Cum maturum eſt, ultro ſe ſcindit & aperit; partim ob calorem radiorum ſolis; partim ob abundantiam nativi humoris; cum ſciſſum atque apertum eſt, aſpectantibus offert ſuas opes, & lucidos pyropos. Tale debet eſſe cor Chriſtiani, calidum calore amoris divini; plenum ſalutari ſucco, Chriſtianæ benevolentiæ & benignitatis. Sed non eſt ſatis, cum opus eſt, debet ſe ſcindere & quodammodo aperire, proximoque qui eget, offerre ſuccum & grana, id eſt, opere ipſo debet caritas ſuccurrere, proximo in neceſſitate conſtituto.

Tale pomum fuit Chriſtus D. in cruce; effuderat ſanguinem precioſiſſimum (botrus cypri ſub torculari ſanctiſſ. Crucis) ex manibus, pedibus, nervis, toto corpore. Sed in divino corde, latebat adhuc ſanguis, ſive ſuccus nobiliſſimus; ideo lancea voluit ſcindi & aperiri, ut omnibus paterent theſauri ſuæ miſericordiæ, & gazæ cœleſtium gratiarum. Imo copiam fecit omnibus intrandi, & rapiendi precioſiſſimos carbunculos divinæ Bonitatis. §. 13. *Cor Chriſti fuit tale Malogranatum.*

In Veteri Teſtamento tale malogranatum fuit cor Tobiæ, plenum granis & carbunculis, veræ dilectionis, erga proximum, & potiſſimum erga inopes. Aperuit ſe hoc pomum, oſtendit ſuas divitias, cum aperto ore dixit filio, cap. 4. v. 2. *Audi fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo, quaſi fundamentum conſtrue ex ſubſtantia* §. 14. *Cor Tobiæ, malogranatum.*

Digitized by Google

tua fac eleemoſynam. Intelligite ex his verbis, legite in hoc malogranato, veluti libro, quid ſit in hodierno Evangelio diligere proximum. Scilicet, illis, qui indigent, facere eleemoſynas. Pergit Tobias. v. 7. c. 4. *Et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Advertitis? quid ſit diligere proximum? ſive, qualis debeat eſſe noſtra dilectio? à nullo paupere debemus avertere faciem, ſed aperire oculos, deinde pectus & cor, denique manus & burſam, inſtar malogranati. Fructus erit. v. eod. *Ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* Ut denique Tobias ſenior, inculcet filio, quàm ſerio illi præcipiat hanc dilectionem, ait v. 8. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Conſiderate apud vos, Auditores, an in urbe hac inter ſæculares, inter Eccleſiaſticos, inter divites inveniantur talia poma. Multa ſunt ſatis plena ſucco divitiarum, & ſubſtantiæ, quam Dominus illis dedit, ſed ſuntne aperta? poteſtne tali pomo, vel domui hujus divitis, hujus Eccleſiaſtici, hujus mercatoris aſcribi; Habitat hic Charitas, & dilectio proximi.

§. 15. *Cor Iobi & cor Sancti Pauli, malogranata, &c.*

Malogranatum fuit cor Jobi, cum dixit. cap. 31. v. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ, egreſſa eſt mecum.* Malogranatum fuit cor S. Pauli, cum dixit ad Philip. c. 1. v. 8. Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos, in viſceribus JEſu Chriſti. Et quis infirmatur? & ego non infirmor? S. Joannes Evangeliſta, quale pomum dilectionis? *filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Ejus epiſtola, plena eſt granis tenerrimæ dilectionis.

§. 16. *Item corda S. Gertrudis Thereſiæ. Caroli Boromæi.*

Exemplo Chriſti D. & Apoſtolorum, cor veluti malogranatum habuit S. Gertrudis, de qua ait Vita, ſummum ipſius gaudium fuiſſe, ſuavibus verbis conſolari afflictos. Tale cor habuit S. Thereſia, cum propoſuit, nullum diem prætermittere, quo non exerceret aliquem actum dilectionis erga proximum. Cor tale habuit pijſſimus Mediolanenſium Archiepiſcopus S. Carolus Boromæus, qui aulæa, & omnem precioſum ſupellectilem vendidit, tempore peſtis & famis, ut ſubveniret pauperibus. O felices urbes, quæ tales habent hortos, tales vineas, in quibus creſcunt

vites

Digitized by Google

vites tam frugiferæ, & arbores, oneratæ malogranatis, tenerrimæ dilectionis erga egenos! Ex quibus omnibus intelligitis, qualis debeat eſſe noſtra charitas: ſive, quales nos eſſe oporteat. Jubente S. Paulo ad Rom. 9. 23. *Vaſa miſericordiæ.* Vel ſecundum Zachariam c. 4. v. 4. *filios Olei.* Secundum regium Pſaltem, Olivas & palmas fructiferas in domo Domini. S. Leo ſer. de Nat. ait de Chriſto D. *Cujus natura, bonitas, cujus opus, miſericordia.* O ſi talia de nobis dici & affirmari poſſent.

Ut pro Epilogo hujus concionis votum meum explicem, utar verbis celeberrimi cujusdam Concionatoris; *Quod Gillias* (fuit vir dives) *poſſidebat, erat, quaſi commune patrimonium omnium: propemodum ipſius Liberalitatis præcordia conſtat habuiſſe. Propitiæ fortunæ diceres eſſe benignum ſinum, & domus ejus quaſi quædam magnificentiæ eſſe videbatur.* Utinam Moguntia talibus poſſet gloriari heroibus! tam munificis pauperum patronis & Mecœnatibus! Utinam multorum ædibus hic titulus poſſet affigi. Hic Chriſtianæ Charitatis eſt Officina, &c. Agite nunc Auditores! quàm ſit nobilis margarita, quàm excellens virtus Charitas, percepimus! Porro percepiſſe non ſufficit, recepiſſe juvabit. Sint obſecro corda noſtra corda amantium! O cara unitas! O una Charitas! Quis mihi det aliquas ex tuis flammis ſcintillulas, quas in Auditores, fortaſſis frigidiuſculos, conjiciam! O quis mihi det poma aurea cum malogranatis, quæ ſunt ſinceræ ſymbola Charitatis. Tu Chriſte JESU! tu, qui fons es, & origo Charitatis; tu & mihi, & meis Auditoribus, cœleſtia hæc dona impertire.

§. 17. *Epilogus, cum voto Auctoris.*

CON-

CONCIO XLIII.

DOMINICA XIV. POST SS. TRINITATEM.

Occurrerunt ei decem viri leproſi.

Luc.17.v.12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUàm abominabilis animæ lepra ſit peccatum mortale. Et quis ejus Medicus; quæ medicina.

§.1. *Odiſſe debemus peccatum, quia DEus illud odit.*

§.2. *Propoſitio.*

§.3. *Lepra eſt abominabilis, abominabilius peccatum.*

§.4. *Peccatum, putredo, ſtercus, vermis, ideo eſt abominabile.*

§.5. *Proſecutio.*

§.6. *Lepra peccati aufert pulchritudinem. Patet in Lucifero.*

§.7. *Mirabilem metamorphoſin, quam lepra peccati cauſat in anima, ita deſcribit Sanct. Ambroſius.*

§.10. *Proſecutio.*

§ 9. *Deſcribitur animæ pulchritudo in gratiâ.*

§.10. *Lepra momento omnem tollit gratiam, & formam.*

§.11. *Templi Salomonis magnificentia & pulchritudo, fuit typus animæ, ornatæ gratiâ.*

§.12. *Antiochus vaſa templi, phialas &c. convertit in vaſa abominationis.*

§.13. *Peccatum mortale momento tollit omnes theſauros.*

§.14. *De antidoto contra lepram Spiritualem.*

§.15. *Modus, quo ſanetur leproſus, deſcribitur ex figura Capitis 14. Levitici.*

§.16. *Proſecutio.*

§.17. *Alia prædictæ figuræ explicatio moralis.*

§.18. *Epilogus, & apoſtrophe ad Chriſtum Medicum.*

Cum

Digitized by Google

§ 1. *Odiſſe debemus peccatum, quia DEus illud odit.*

CUm Deus Optimus Maximus ſit ſapientiſſimus, imò ipſa infinita ſapientia, ſanctiſſim9, imò fons omnis ſanctitatis, & in omnibus perfectiſſimus, cùm conſequenter omnia ejus opera talia ſint, ſapientiſſima, ſanctiſſima & perfectiſſima, ipſa regula & norma nobis eſſe debent, actionibus noſtris, præſertim ut amemus, quod Deus amat, & odio proſequamur, quod Deus odit, & inſuper illo modo, quo ipſe amat aut odit. Quapropter, quia Deus nihil odit aut deteſtatur, niſi peccatum, ſimiliter & nos illud odiſſe debemus: & ſicut ille, illud odit odio infinito, ſic & nos odiſſe debemus odio ſummo, quantum poſſibile eſt, ut concipiamus. Et ſicut Deus illud odit primum ratione ſui, quia ſibi eſt contrarium, deinde ratione noſtri, ob infinita damna, quæ nobis, quos amat, quos ad ſui imaginem creavit, quos redemit &c. inde provenirent, pari ratione nos illud deteſtari debemus, inprimis, quia Deus, ſummum bonum ab illo offenditur, deinde quia nobis eſt cauſa immenſæ infelicitatis. Odiſſe illud debemus, veluti mortalē inimicū Dei & noſtrū, Deo enim ſummam infert injuriam, nobis verò cauſat mortem ſempiternam. Lucifer de cœlo deturbatus in infernum, Adamus è paradiſo ejectus in exilium, aquæ diluvij, flammæ Sodomæ, impij abſorpti vivi ab hiatu terræ, ſubmerſi in mari, fames, bella, peſtis, morbi, omnia damna pœnæ, præſertim Chriſtus Dei, in cruce mortuus &c. omnia hæc germina, quæ è radice peccati, pullularunt, ingens ejus odium mentibus noſtris altiſſimè debent imprimere. Referunt aliqui Auctores, fluctus & undas maris rubri, poſt ſubmerſionem Pharaonis, ad litus ejeciſſe ipſum regium currum, è quo in abyſſum fuit deturbatus, jacuiſſe diu ad illa litora, ut tranſeuntibus prædicaret hanc maximam, Deum odiſſe & punire peccata, præſertim ſuperbiam, ideoq; à nobis illud cane & angue pejus eſſe fugiendum, Eccleſiaſtici c. 21. v. 2. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* Hoc odium peccati Chriſtus D. frequentiſſimè in Evangelijs nobis conatur inculcare, tum maxime, cum per fœtidos & graves morbos corporis explicat quanta ſit intus in anima peccati turpitudo, & malitia, & quantum nobis noceat.

§. 2. *Propoſitio.* In hodierno Evangelio id facit per lepram, morbum turpiſſimum. Utor ego ſæpius hoc argumento. Hac concione duo proponam. 1. Lepra corporis eſt morbus abominabilis, abominabilior eſt lepra peccati. 2. Lepra à corpore humano fugat omnem pulchritudinem, idem in anima facit peccatum mortale. Antequam pergam, dico cum Sancto Chryſoſtomo ep. 1. ad Olympiod. *In mundo unicum eſt malum! Peccatum!* Hanc veritatem ſemper inculco, & nunquam ceſſabo inculcare. Vos interim, ut ſpero, dictioni ſalutari, mentes aureſq; attentas parate.

§. 3. *Lepra eſt abominabilis, abominabilius peccatum.* Lepra illos, quos inficit, reddit abominabiles, teſtor experientiam. Quis cum leproſo libenter loquitur? quis ſine nauſea illi commoratur? ideo cap. 13. Levitici v. 46. ait, *Omni tempore, quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.* Verbo, abominabile quid eſt lepra. Sed Deo mundiſſimo, longo abominabilior eſt malitia peccati, turpior omni lepra corporali. Ideo Deus dixit per os Davidis Pſalm. 118. v. 163. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.* Per Oſeam. 9. v 20. *Ipſi autem intraverunt usque ad Beelphegor, & abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abomnabiles.* Per Jobum cap. 15. v. 10. *Impius abominabilis eſt, & inutilis.* Alii legunt. *Fœtidus & malè olens.* Vatablus, *factus eſt, quaſi matula.* Dicite mihi, ſi quis Princeps pulcherrimum aliquod vaſculum, ſive cryſtallinum, ſive argenteum, aut etiam aureum manu teneret, dein naribus admoveret, & mox irata fronte, irato ſimilis, & indignabundus vaſculum in terram, vel cloacam conjiceret, dicite inquam, an non luculentum id, ſignum eſſet, abominabilem huic vaſi liquorem ineſſe? O anima Chriſtiana! O anima Chriſti ſanguine redempta! O quàm nobile! quam pulchrum, quam decorum vas te condidit divina potentia, Vas, ad imaginem ſuam, vas gratiæ ſuæ, vas omnis pulchritudinis! ſed ah! quis illud reddidit tam abominabile? ſiquidem iratus Deus in tartareos, flammeoſque lacus illud deturbat? quæ cauſa furoris & abominationis? Peccatum! O lepra, O horror! O qualis es abominatio.

§ 4. *Peccatum putridũ ſer.* Agnovit hoc David, cùm dixit Pſalm. 37. v. 6. *Putruerunt & corrupta ſunt cicatrices meæ.* Putridum, verminoſum, corruptum vulnus,

vulnus, vel ulcus, quis non abominatur? Hugo l. de bona conſc. dixit, *Tolerabilior eſt canis putridus, fœtens hominibus, quam anima peccatoris Deo.* Joel. cap. 1. v. 17. *Computruerunt ut jumenta.* 1. Machab. cap. 2. v. 62. *Gloria viri peccatoris, ſtercus & vermis eſt.* Threnor. c. 4. v. 5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Caſſiodorus. *In ſtercore volvitur, cui carnis vitia dominantur.* S. Chryſoſtomus. *Peccatum ſanies eſt.* Putridum canem, vermes, ſtercora, quis non abominatur? Deus magis abominatur peccatũ.

cus, vermis. Ideo eſt abominabile.

Confirmat hæc omnia Oſeas c. 9. v. 10. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.* Et Ezechiel c. 16. v. 25. Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum. Publica meretrix merito dicitur abominabilis, multo magis in conſpectu Dei anima peccatrix.

§. 5. *Proſecutio.*

Proinde, licet anima hominis, conſtituta in gratia, coram oculis Dei ſit pulcherrima, tamen ſi contingat, expulſa gratia per peccatum, ipſam infici tam abominabili lepra, momento fit turpiſsima. De Lucifero ait Ezechiel c. 28. v. 12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Sardius, topazius & jaſpis, perfectus in viis tuis, à die conditionis tuæ.* Sed mox ſubdit Propheta. *Donec inventa eſt iniquitas in te.* Momento enim, quo ſuperbæ aſſenſum dedit cogitationi, quod ſimilis eſſe vellet filio Altiſsimi, ex formoſiſsimo Angelo, turpis draco de cœlo præcipitatus eſt in infernum. Tam abominabilis fuit ejus ſuperbia coram oculis Dei.

§. 6. *Lepra peccati aufert pulchritudinem. Patet in Lucifero.*

Hanc, vel ſimilem in anima peccatoris metamorphoſin gravibus ut ſolet verbis deſcribit S. Ambroſius. *Aperi oculos anima miſera, & vide, quid fuiſti olim? & quid nunc es? eras ſponſa Altiſſimi, eras templum DEi vivi, eras vas electionis, eras thalamus æterni Regis, eras ſoror Angelorum, eras hæres cœlorum. Ecce! cum hæc omnia fueris, quæ dixi, quoties dico, eras, eras, eras! toties tibi lachrymandum eſt, dum ſubitam tuam cogitas mutationem ſponſa DEI! facta eſt adultera diaboli! templum Spiritus Sancti mutatum eſt in ſpeluncam latronum! vas electionis, in vas corruptionis; thalamus*

§. 7. *Mirabilem metamorphoſin, quã in anima cauſat lepra peccati, ita deſcribit S. Ambroſius.*

Chriſti in volutabrum porcorum, ſoror Angelorum, in ſociam dæmonum! An non hi ſunt abominabiles effectus lepræ peccati? *Plange itaque ſuper te, O anima miſera, plange! quia te plangunt cœli, quia te plangunt Angeli, quia te plangunt omnes Sancti, te plangunt guttæ ſanguineæ Chriſti, quia peccaſti! & pœnitentiam non egeſti.*

§. 8. *Proſecutio.* Elevat diſcurſum, cum ſimilibus fere verbis, animam leproſi peccatoris ita alloquitur. Eras ſponſa Chriſti, eras virgo in paradiſo DEI, utique inter flores Eccleſiæ incedebas tanquam columba illa, de quâ ſcriptum eſt, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus, in pallore auri. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, eras tanquam ſtella in manu Domini. Quæ eſt iſta ſubitanea converſio? quæ eſt iſta repentina mutatio? De DEI Virgine, facta eſt filia Satanæ. De ſponſa Chriſti, ſcortum abominabile, de habitaculo Spiritus S. tugurium diaboli, illa columba latet in tenebris, ut ſtellio, quæ fulgebat ut aurum, facta eſt vilior luto platearum. Quæ fueras ſtella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cœlo, lumen tuum extinctum eſt, & converſa es in carbonem. Ut verum ſit illud S. Chryſoſtomi, homilia. 28. in 2. ad Corinth. *Sicut virtute nihil purius*, (vel gratia & charitate in anima) *ſic improbitate* (ſive lepra peccati) *nihil turpius, atque obſcœnius eſt. Illa enim ſole ſplendidior eſt, hæc fœdior cœno.*

§. 9. *Deſcribitur animæ pulchritudo in gratia.* Unica anima hominis, in gratia, quæ DEO placet, quæ eſt ſponſa Chriſti &c. pulchrior eſt, quàm omnis omnium aliarum creaturarum pulchritudo. Dum talem animam in mentis veſtræ tabula depingere vultis, cogitate aliquam Reginam Eſtherem, qualis deducta eſt, in conſpectum Aſsueti; vel Juditham in veſtimentis jucunditatis ſuæ, cum mitra in capite, cum dextariolis, cum lilijs & inauribus, cum annulis & ornamentis, & præcipuè cum illa pulchritudine, quam addidit illi Dominus, verbo, talem cogitate, qualis venit in caſtra Aſsyriorum ad Holofernem Juditha, vel qualis ad Aſsuerum Eſther. Hæc placuit Aſsuero, illa Holoferni.

Verùm

Digitized by Google

Verum dicite, ſi illo momento, quo Aſſverus ruit in amplexus Eſtheris, illo tempore, quo Juditha aſſedit in menſa Holoferni; ſi hæc vel illa, in facie fuiſſet infecta turpiſſima lepra; ſi projecta in cloacam, & ſubito inde extracta coram oculis Regis apparuiſſet, quid putatis? nunquid non Rex illam fuiſſet abominatus. Idem de Juditha judicium, de quavis anima juſti. Regina eſt, in veſtitu deaurato gratiæ, ornata mitra &c. Momento, quo labitur in peccatum mortale, inficitur lepra, præcipitatur in cloacam, cujus fœtor illam momento Deo reddit abominabilem. Gratia in homine juſto tam eſt pulchra, ut Deum ad ſe trahat, 1. Joan. c. 4. v. 16. *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in illo.* Conſequenter fons pulchritudinis. S. Thomas 1. p. q 43. art. 3. *In ipſo dono gratiæ, gratum facientis, Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem.* 1. Corinth. 3. c. v. 16. *Spiritus Dei habitat in vobis.* 2. Cor. 6. v. 16. *Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quoniam inhabito in illis.* Et Deus in tali anima eſt munificus & liberalis. Nihilominus, lepra peccati mortalis momento tantum hoſpitem expellit ex anima.

§. 10. Lepra, momento omnem tollit gratiam, & formam.

Vocula *templum* revocat mihi in memoriam, templum Salomonis, magnificentiſſimum & ditiſſimum, quod Orbis unquam conſpexit. In ædificationem & ornatum Salomon impendit ter mille milliones auri, qualem theſaurum à mundo condito nullus Regum habuit. Præterea in templo numerabantur, quadringenta millia ſcutellarum, phialarum, thuribulorum &c. & hæc ex auro puriſſimo. Vaſorum ex puro argento fuerunt unus millio. Ligna non fuerunt niſi ex cedro, & cypreſſo. Non alii lapides, quam marmora, porphyri, jaſpides. Divitias ſuperavit ars, cui tota Salomonis ſapientia ſe impendit. Pulchritudo columnarum, feneſtrarum, portarum, pavimenti, graduum, fornicum ſufficienter deſcribi non poteſt. Hoc templum Auditores intra paucos dies & horas per Aſſyrios & Romanos ab igne, adeo fuit devaſtatum ac diſſipatum, ut nec lapis ſuper lapidem manſerit; tantos theſauros vel abſtulerunt Romani, vel ignis conſumpſit. Idem facit lepra peccati mortalis in templo Dei vivo, in anima, quæ materiali illo templo, ſi gratia ſit ornata,

§. 11. Templi Salomonis magnificentia, & pulcritudo, typus animæ, ornata gratia.

 longe

Digitized by Google

longe eſt pretioſior, momento illam ſpoliat, vaſtat, diripit.

§ 21. *Antiochus templi phialas, &c. convertit in vaſa abominationis.*

Lib. 1. Mach. ait c. 1. v. 23. de Antiocho; *Accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & univerſa ejus, & menſam propoſitionis, & phialas, & coronas &c. & convertit in vaſa abominationis.* Hoc facit peccatum mortale; abominabilis lepra! Quoties v. g. accumbimus menſæ Euchariſticæ, toties corda noſtra, aureæ fiunt menſæ, quibus imponitur panis ille Angelorum, regum deliciæ, manna Cœlitum. Sed, o dolor, hanc menſam una cum diviniſſimo ferculo diſiicit, confundit, evertit peccatum. Quoties liberius indulgemus piis ſuſpiriis ac precibus, toties in aureas phialas, & in ſuaviſsimi odoris thuribula transformantur corda noſtra. Sed has phialas confringit, hæc odoramenta inficit & diſpellit peccatum. De homine juſto ait David, Pſalm. 111. v. 3. *Gloria & divitia in domo ejus.* Pſalm. 33 v. 11. *Inquirentes Dominum non minuentur omni bono.* S. Hieron. legit; *Quærentibus Dominum, non deerit omne bonum.* Non tamen Pſaltes loquitur de divitiis temporalibus, quæ potius ſpinæ ſunt, & ex mente S. Bernardi Ser. 4. de adv. *Vera divitiæ non opes ſunt, ſed virtutes, quas ſecum conſcientia portat, ut in æternũ dives ſit.* S. Ambr. l. 2. Offic. c. 28. *Veri theſauri, in quibus Chriſtus eſt, in quibus Chriſti fides eſt.* Sanct. Paulus 2. ad Corinth. cap. 4. v. 7. *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus.* Concludo ex omnibus, animam juſti ob dotes gratiæ eſſe ditiſſimam.

§. 13. *Peccatum mortale momento tollit omnes animæ theſauros.*

O peſtilentem lepram peccati mortalis, S. Laurentius Juſtin. Ser. de S. Joan Ev. *Vnius peccati conſenſu, homo immenſas animæ ac corporis ſpirituales amittet divitias. Innocentiæ candorem, immortalitatis ſtolã, carnis incorruptibilitatẽ, animæ puritatẽ, contemplationis dulcedinem, Spiritus libertatem, regnum cœlorum, Angelorum contubernium, amicitiam DEI.* Ipſiſsimi hi ſunt effectus ſpiritualis lepræ, lepra inducit atrum quendam & luridum colorem, inducit & peccatum, & pulcherrimum denigrat colorem innocentiæ. Lepra ex vivo homine efficit quaſi cadaver: peccatum ad mortem longè acerbiorem diſponit. Lepra corrumpit corpus, peccatum contaminat animam. Lepra excludit ab hominum

num ſanorum conſortio; peccatum à ſuaviſsima beatarum mentium, imò Dei ipſiusmet ſocietate arcet ac prohibet.

Age nunc videamus, quæ nam huic tam noxio morbo pharmaca medeantur. Medicus, qui ſanare poſsit unus eſt Chriſtus JEſus Salvator noſter. Medicina eſt unica, balſamum pretioſiſsimi ejusdem Chriſti D. Sanguinis. Non dubito hodiernos leproſos tentaſſe prius alia media, pellendi corporalem lepram, ſed fruſtra, tandem ad Chriſtum accurrunt, & orant, *IEſu præceptor miſerere noſtri*, q. d. alius nos juvare non poteſt. Verum quomodo leproſus leproſum curare poterit? ne miremini hanc quæſtionẽ, Iſaias ipſum Chriſtum vocavit leproſum cap. 53. v. 4. *Nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* Ut enim leproſos ad ſe traheret, ipſe quoque factus eſt leproſus, in anima, ob peccata aliena, quæ in ſe neſcivit, in corpore, ob tot vulnera, quibus in paſsione fuit vulneratus. De leproſo ait cap. 13. Levitici v. 45. *Habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.* Chriſto D. veſtem dedit B. Virgo ſcilicet SS. Humanitatem ſive Sanctiſsimum corpus, ſed quam illud flagris, ſpinis, clavis, lancea, fuerit perforatum, ſcitis ex hiſtoria Paſsionis. Capite nudo jacuit in monte Oliveti, capite nudo tractus eſt per plateas, capite nudo ſtetit ad columnam &c. Non os tantum, ſed totam faciem illius ſordido panno contexerunt illi nebulones, quia tota nocte illum illuſerunt, & ſputis, alapis, colapihs illam ita defœdarunt, ut dicere potuerit cum Pſalte Pſalm. 21. v. 7. *Ego vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*; cum Jeremia ex Thren. c. 12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam*, &c. Ita debuit tractari, qui lepram humani generis voluit curare.

§ 14. *De antidoto contra lepram ſpiritualem.*

Modum, quo ſanamur, ſcimus ex figura capitis 14. v. 5. 6. Lev. ubi DEus à leproſo mundando hæc requirit. *Offerat duos paſſeres vivos pro ſe, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyſſopum, & unum ex paſſeribus immolari jubebit in vaſe fictili ſuper aquas viventes; alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſpergit illum, qui mundatus eſt.* Ad hunc locum intelligendum, ſciendum eſt primis, in ex

§. 15. *Modus quo ſanetur leproſus deſcribitur in figura Lev. 14.*

ligno-

ligno cedrino, vivo paſſere, lana atque hyſſopo ſimul conjunctis, fuiſſe quaſi aſpergillum confectum; ſiquidem ligno cedrino alligabatur paſſer, ita tamen, ut liberæ eſſent & alæ, & cauda, quæ una cum lana & hyſſopo immergebantur aquæ vivæ, ex ſanguine occiſi paſſeris rubricatæ. Ridiculæ ſane videntur iſtæ cæremoniæ, verum ſi penitius rem inſpicias, nihil ex omnibus ſine myſterio, nihil ſine ratione, tam in myſtico, quam literali ſenſu, præſcriptum perſpicies. Et ad literam quidem, lignum oportuit eſſe cedrinum, illud enim quia incorruptibile, leproſum à putredine lepræ mundari denotabat. Paſſer vivus in auras avolare permiſſus, reſtitutam mundato leproſo libertatem, occiſi verò paſſeris ſanguis, uti & purpura, ſeu coccus, mundatum leproſi ſang. ſignificabant. Jam verò hyſſopus, cum & aquam & ſanguinem attrahat, pulcherrime morali in ſenſu nos inſtruit, quo pacto peccator à ſpirituali animæ lepra mundetur. Et *primo* quidem per lignum cedrinum, an non merito SS. Crucem intelligimus, cui affixus eſt mundi Salvat. An non paſſer vivus, divinitatem ejuſdem adumbrat, quæ nullam ex turpiſſima morte jacturam, nullum paſſa eſt detrimentum. Hinc ſequitur, per paſſerem occiſum commode explicari humanitatem Chriſti, quæ in cruce tormentorum vi preſſa tandem morti ſuccubuit. In cocco ſeu purpura accipio roſeum Chriſti ſanguinem, quo vere homines mundantur leproſi. Aqua denique viva, vel fontem baptiſmi, vel lacrymas pœnitentiæ exprimit. Sequitur tandem liber vivi paſſeris volatus.

§. 16. *Proſecutio.* Diſce, diſce leproſa anima, poſteaquam mundata es à ſcelerum lue, diſce inquam imitari paſſerculum. Enimvero paſſer prudens eſt avicula, nidum ſuum, non in terra collocat, ſed in alto, ut converſatio tua ſit in cœlo, paſſer eſt avis cauta, non facile capitur, ſolerter declinat laqueos, fugit pedicas, maxime quas ſemel evaſit. Imitare peccator; noſti, quis laqueos tibi ponat, noſti inſidias aucupis infernalis, noſti quid dicat Pſaltes regius, *anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt.* Paſſer gaudet ſolitudine. Iterum audi Davidem, *factus eram ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Et quænam illa ſolitudo? O benedictum Jeſu latus; O nidule, non jam paſſeris, ſed animæ pœnitentis. O ſecura; O dulcis; O amabilis habitatio

Digitized by Google

bitatio, huc, huc paſſeres, huc huc, animæ piæ, hic requies veſtra hic habitate, ingemiſcite, hic continuis Dei laudibus ſuaviſſimas inter divini cordis delicias vacate.

Audiviſtis præclaram ex Levitico figuram, ſupereſt adhuc alia ejusdem explicatio, quæ ſub cortice iſtarum ceremoniarum latitat, & eſt iſta. Prædicta ad mundationem lepræ requiſita, ut hyſſopus, lignum cedrinum, paſſer mortuus, & vivus, aqua recens, ſanguis aquæ mixtus, ſignificant varia virtutum ornamenta, quibus inſigniri oportet peccatorem, qui à lepra animæ mundari deſiderat. Hyſſopus humilis & parva eſt herba; at efficax & perutilis, humi ſerpit, nec excreſcit in altum, radicem lapides inter & petras abſcondit, ac proinde ſymbolum eſt humilis fidei, quæ in converſione peccatoris, primas tenet, & radicem ſuam in petra, quæ Chriſtus eſt, fundat ac ſtabilit. Peccator quisquis animæ lepram curari cupit, & fide, & humilitate Chriſto arcte aſtrictus maneat, neceſſe eſt. Cedrus excreſcit in altum, ramos ac folia ad ipſas uſque nubes extendit, proinde ſpei, quæ ad cœlum uſque atque cœleſtia erigitur, ſymbolum præbet. Hac ſine cedro, ſine hac ſpe atque fiducia, nequicquam ſperet ſanitatem leproſus. Igneus color purpuræ flammeam denotat caritatem, qua cor peccatoris ardere debet in Chriſtum Redemptorem. Amor Dei optima eſt leproſi medicina. Mors alterius paſſeris peccatorem inſtruit, ut mundo & carni moriatur. O felix mors, ad meliorem peccatoris vitam ſumme neceſſaria. Vita paſſeris alterius, volatuſque in aera docet, qualis eſſe debeat pœnitentis converſatio, nempe cœleſtis, elevata à terrenis concupiſcentiis. Aqua viva lacrymas deſignat. Verum hæc omnia, omnem ſuam virtutem medicam, omnem vim atque operationem non niſi à Jeſu Chriſti ſanguine trahunt.

§. 17. Alia prædicta figura explicatio moralis.

O! Jeſu! O medice animarum; O roſeo hoc tuo liquore, O Jeſu hoc tuo pretioſiſſimo, hoc tuo diviniſſimo ſanguine aſperge, riga, perfunde, munda cor meum lepra peccatorum infectum. Munda & corda meorum Auditorum; tu ſolus hanc artem medendi calles, O Jeſu miſerere noſtri; ah munda nos, ut mundo corde, mundis oculis, mundis affectibus, munda anima te Me-

§. 18. Epilogus & Apoſtrophe ad Ieſum Medicum.

dicum Salvatorem noſtrum aliquando in cœleſti patria cum gaudio videamus, laudemus, amemus.

CONCIO XLIV.

DOMINICA XV. POST SS. TRINITATEM.

Quærite primum regnum DEI.

Matth. 6. v. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRiplici Enthymemate utitur auctor, ad inculcandam animæ & ſalutis curam.

§. 1. *Exordium ex D. Chryſoſtomo de neceſſitate vigilantiæ.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Salus animæ, eſt negotium magni momenti.*

§. 4. *Mors animæ, quantopere ſit deploranda.*

§. 5. *Anima, velut Rachel in tuto collocanda.*

§. 6. *Digreſſio prima ad Sodales Agonizantis IEſu.*

§. 7. *Plurimi ſalutem animæ negligunt. Vos ergo quærite, ut ſalvemini.*

§. 8. *Cur Joan. 4. IESVS dicatur fatigatus ſediſſe juxta fontem.*

§. 9. *Quomodo multi fatigentur.*

§. 10. *Quomodo David pro anima, & ſalute ſua laborarit.*

§. 11. *Altera digreſſio ad Sodales Agoniæ.*

§. 12. *Plurimi damnantur! pauci ſalvantur! Vos ergo quærite, ut ſitis inter paucos.*

§. 13. *Fulmen D. Chryſoſtomi de paucitate Salvandorum.*

§. 1. *Exordium ex S. Chryſoſtomo, de neceſſitate vigilantiæ.*

ARbitror, Auditores, mentibus veſtris, altè impreſſam eſſe auream hanc Chriſti D. Salvatoris noſtri ſententiam ex cap. 16. v. 26. Matthæi. *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* Vel illam Sancti Maurilij, qui moriturus aſtantibus dixit:

Perpendi-

Perpendite animas veſtras Chriſti ſanguine eſſe redemptas. Quod ſi perpendamus, non dubito, primam noſtram curam fore, ut animas noſtras ſalvemus; & æternum ſimus felices. Itaque omnes moneo verbis S. Chryſoſtomi hom. 22. ad pop. *Vigilantia opus eſt, nam & miles, non in lecto dormit, ſed humi. Piſcator non dormiens piſcatur, ſed ſtans aliquando peragit noctem, agricola omnem adhibet vigilantiam, ne agro, ſegeti, vel vineæ damnum aliquod inferatur. Paſtor ſub dio vigilans cuſtodit gregem, ſicut Iacob dicebat, noctu diuq́; æſtu urgebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Et quæ ratio tantæ vigilantiæ? ne ovicula aliqua devoretur à lupo. Si verò tanta de irrationabili pecude cura, qualis eſſe debet de anima rationali? anima inquam Chriſti ſanguine redempta? huc tendit illud Chriſti D. ex hodierno Evangelio, quod legimus in miſſa, Luc. 14. v. 5. *Cujus veſtrum aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum.* Quantò magis de anima debemus eſſe ſolliciti, ne forte cadat in puteum æternæ damnationis.

Cùm citata Chriſti D. verba auream in ſe contineant doctrinam, hac concione triplici enthymemate vos alloquar. Primum erit. Res magni momenti eſt ſalvare animam, ſive æternum eſſe beatum, à momento pendet felix & infelix æternitas. Ergo omni ſtudio & labore eo contendite, & vires omnes intendite, ut quæratis regnum DEI. Alterum erit. Plurimi ſalutem ſuam negligunt, non curant cœlum. Ergo vos ſaltem regnum illud quærite. Tertium, Ideo pauci ſalvantur, multi damnantur. Vos ergo Auditores eſtote ſolliciti, ut cum paucis ſalvemini. Hæc erunt tria puncta præſentis concionis. Et cum de veſtra in Dei Verbum propenſione non dubitem, ea prout ordine propoſui, explicare aggredior. §. 2. *Propoſitio.*

Profectò magni momenti res eſt, Salus animæ. Si quis enim ſemel detrimentum ejus patiatur, perdita eſt, & erit in omnem æternitatem. Ideo contendite, quomodo illam ſalvetis, & ut regnum Dei vobis adjiciatur. Elegans eſt diſcurſus S. Laurentii Juſtiniani lib. de Spirit. interitu animæ. *Naturalis ingenii hoc cenſura exigit, ut tantò unaquaque res pluris æſtimetur, ac diligentius cuſtodiatur, quantò magis eſt proficua, & illius amiſſio majorem poſſidenti* §. 3. *Salus animæ eſt negotium magni momenti.*

Digitized by Google

jacturam facit. Plura in hoc mundo ab hominibus poſſideatur, v.g. aurum, argentum, theſauri, &c. Verùm nihil tanti æſtimandum eſt, quanti rationalis anima, quæ univerſas mundi hujus creaturas, dignitate præcellit. Et etiamſi aurum diſperdatur, vel à furibus & latronibus diripiatur, recuperari poteſt, ſicut & aliæ facultates, honores, & dignitates. At verò anima ſi ſimel amittatur & adverſum ſe damnationis ſententiam accipiat, ulterius recuperari non valet, nec prece, nec pretio, nec alicujus ſuffragio, etiamſi omnis Societas electorum oraret pro ea. Ergo Auditores, ſolliciti eſtote, ne ſemel animam perdatis, ſi ſemel perdideritis, æternum erit perdita.

§. 4. *Mors animæ, quantopere in deploranda.* Tantam jacturam, quis poterit condignis lachrymis deplorare? ſcriptura Sacra refert lib. 2. Reg. cap. 18. verba & lachrymas, quibus David deflevit mortem Abſolonis. Verſu 33. ait, *Fili mi Abſolon, Abſolon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Abſolon fili mi,* Pro altero filio, nato ex adulterio cum Berſabea, oravit quidem etiam ad Dominum, ne moreretur, poſtquam tamen audivit mortuum, ſereno vultu perrexit ad templum, gratiasque egit Deo. *Quia* (inquit S. Ambroſius) *puer ille parvulus recepta circumciſione deceſſit, non verò ita Abſolon, qui in peccato, & affectu parricidii obijt: Hæc enim mors deploranda eſt, non illa: illa enim cæli, hæc autem gehennæ janua fuit.* Advertite 1. Quid deflere debeamus, illam nimirum animæ immortalis mortem, quæ januam aperit gehennæ. 2. Quo cura noſtra præcipuè collimare debeat, niminem ut feliciter moriamur, quia plurimi moriuntur cum Abſolone, quibus mors eſt janua æternæ damnationis, ex qua in æterum egredi non poterunt. Vos ſaltem quærite ſalutem animæ, ne ſimiliter in peccatis veſtris moriamini. Res & negotium in hoc agitur omnium maximum.

§. *Anima veluti Rachel, in tuto collocanda eſt* Geneſis 33. v. 2 3. advertens Jacob fugitivus ſe premi à fronte à fratre ſuo Eſau, pleno furore & ira, cum quadringentis viris, timuit valde, & perterritus diviſit ſuam familiam, & comitatum, qui ſecum erat, greges quoque & boves, & camelos, in tres turmas: utramque ancillam, & liberos earum cum gregibus, poſuit in principio, Liam vero & filios ejus in ſecundo loco. Rachel autem & Joſeph noviſſimos, loco tutiſſimo. Fortaſſis Jacob cogitavit,

vit; etſi ancillas & greges auferat iratus Eſau, non æſtimo. Si etiam pereat Lia, parum intereſt; modo quæ mihi ſunt chariſſima, Rachel cum filio ſalventur. Has cogitationes ipſe Jacob inſinuat v. 8. cap. 32. gen. *Si venerit Eſau ad unam turnam, & percuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt* (præſertim formaſo Rachel) *ſalvabitur.* Hæc prima Jacobi fuit cura, & ſollicitudo, ſalvare Rachelem. O Chriſtiani! ancilla eſt caro noſtra, lippiens Lia eſt hic mundus, hic offert delicias, delicias illa, &c. Verùm etſi aliquis iratus Eſau, vel adverſus & ſiniſter caſus hanc turmam cædat, etſi ſpoliemini opibus, &c. ne triſtemini, etſi contriſtetur caro, &c. hoc agite, ut ſalvetis, quod vobis debet eſſe chariſsimum, ſcilicet, formoſam Rachelem, quæ eſt anima hominis. Hanc creavit Pater, hanc Dei Filius ſuo ſanguine redemit, hanc in ſanguine Chriſti lotam, monilibus gratiæ, gemmis virtutum, byſſo innocentiæ, purpura charitatis &c. veluti ſponſam ornavit Spiritus S. ſed perſequitur illam infernalis Eſau. Vos videte, quomodo in tuto illam collocetis. In hoc cardine volvitur negotium æternitatis.

Hic temperare mihi non poſſum, quin ex toto cordis affectu gratuler ſodalibus agonizantis in Cruce JEſu. O felices ſodales! Vos enim Rachelem veſtram ſecuriſſimo in loco poteſtis abſcondere, vobis, familiaris eſt mons Calvariæ, in quem animis veſtris ſæpius excurritis, vobis roſea Chriſti vulnera, ſunt velut loca refugii, ſunt velut ſecuræ latebræ, ſunt niduli quietis. Eja! ſic pergite! ſic animas veſtras, ſic formaſas Racheles ſalvate. *§. 6. Digreſsio ad Sodales Agonizantis IEſu.*

Voculam, *quærite*, ut quàm ſerio nos moneat, advertamus, ipſe Chriſtus D. aliis explicat verbis dum ait Luc. 13. v. 24. *Contendite intrare per anguſtam portam.* Non dicit ſimpliciter, intrate. Sed cõtendite, omnibus viribus, magno conatu inſtar ſtrenui militis, qui in oppugnatione urbis per anguſtam mœniorũ rimã, quã tormenta bellica aperuerunt, in urbem conatur irrumpere. Urbs eſt regnũ cœlorũ, ſed violenti rapiunt illud. Contendite, quærite, id eſt, laborate, ſudate veluti ſeduli operarii, pro denario & mercede cœleſtis gloriæ: hoc mandat cœleſtis Magiſt. 1. Pet. c. 4 v. 18. *Si juſtꝰ vix* ſalvabitur, S. Thom. gloſsa & ſic legunt, Vix, id eſt, æſtuando, *§. 7. Plurimi ſalutem animæ negligunt. Vos ergo, &c.*

ando, decertando, cum magno certamine, cum magna difficultate, debemus conari, ſalvi fieri. Verum, (quod ſanguineis lachrymis eſt deplorandum,) major pars hominum magis eſt ſollicita, & amplius laborat, pro rebus caducis & terrenis, quam pro regno cœlorum. Plurimi, bonam vitæ partem literis impendunt, ut ambitioni ſerviant, plurimi, præſertim mercatores, negotiatores, opifices, plurimum temporis impendunt negotiationi, & id magno labore, plurimis curis, ſæpe cum ingenti vitæ periculo, ob exiguum lucrum. Experientia docet, quo labore, quo ſtudio, proceres in aulis Principum, potius Principi, quam Deo ſtudeant placere. Paucis ſed pulchris verbis id ſuo tempore deflevit S. Chryſoſtomus l. 1. de comp. *Pro corpore, præſertim agro, valde ſumus ſolliciti, ut ad tempus illi ſit bene. Anima verò cum quotidie vulneretur, & præcipitetur, & modis omnibus pereat, nec parva pro ea nos cura ſollicitat.* O ſtulti, cæci filii hujus ſæculi! quid quæſo agitis pro anima veſtra? quid facitis pro cœlo? nihil, aut parum. De cœlo, de æternitate minima eſt cura; apud plurimos. Vos ergo ſaltem Auditores, eſtote inter paucos, & etſi laborandum ſit, etſi per anguſtam oporteat intrare portam, quærite regnum Dei.

§ 8. *Cur Ioan. 4. Ieſus dicatur fatigatus.*

Exemplo præivit Chriſtus D. de quo S. Joannes ait cap. 4. v. 6. *Fatigatus Ieſus ex itinere, conſedit juxta fontem.* Magnam ſimul ejus fuiſſe ſitim, colligimus ex illis verbis v. 7. *Mulier da mihi bibere.* In itinere ultimo ad montem Calvariæ fuit fatigatus adhuc magis, dum ſub onere crucis, præ virium defectu, aliquoties corruit in terram, quanta deinde in cruce, inter tam immania tormenta, fuerit vexatus ſiti, ſcimus ex verbo *ſitio.* De dolore vulnerum, de clavis, de ſpinis, ſiluit. ob ſitim fuit queſtus. Sed quid inauditum magis, quam fatigatum fuiſſe Filium Dei? cui quæſtioni reſpondit S. Auguſtinus. *Non fruſtra defatigatur Ieſus, non fruſtra fatigatur virtus Dei, per quem fatigati recreantur, non fruſtra fatigatur, quo deſerente fatigamur, quo præſente firmamur.* Cauſam fatigationis ego deſumo ex S. Bernardo. *Iam enim non eſt quærere Chriſtianis, cur voluerit Chriſtus D. fatigari, propter hoc ſiquidem fatigatus eſt, propter quod natus, propter quod paſſus, nihil propter ſe, ſed omnia*

omnia propter electos. Nobis enim natus eſt, nobis datus eſt, & totus in noſtros uſus expenſus eſt; Vt igitur propter nos & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, ſic propter nos homines, & propter noſtram ſalutem fatigatur in terris. Clarius adhuc rem explicat S. Ambroſius l. 5. in Lucam. *Species tibi datur, forma præſcribitur, quam debeas æmulari: quid enim te, pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus tanta fecit?*

Sed eheu! de multis dici poteſt, quod cap. 13. Judith v. 2. ait de aulicis Holofernis: *Erant omnes fatigati à vino.* Et hodie à crapula fatigantur plurimi, pro æterna ſalute pauciſſimi. Fatigantur multi à voluptatibus, amoribus & impudicitiis; pro æterna gloria, & deliciis in ſempiternum duraturis, pauci; Propter aurum verò, & argentum, O quot ſunt, qui fatigantur? fatigatur agricola, ut mercedem accipiat, quæ verò illa merces? quatuor vel quinque bazi. Fatigatur Vinitor, etiam pro paucis nummulis; fatigatur miles, ut modicum non perdat ſtipendium; fatigatur faber ferrarius, lignarius, ſerrarius, arcularius &c. atque ita fatigantur, ut totum corpus, continuis pœne ſudoribus laboribusque conficiant, & cur obſecro ita fatigantur? ut panem ſibi ac liberis comparent quotidianum. Quomodo non defatigatur nauta, ut portum teneat? quid de mercatoribus dicam? quid de opificibus pene ſingulis? an non defatigantur continuo? ſed eheu! pro anima, pro cœlo, pro Deo, heu quam pauci defatigantur! Fatigantur plurimi, diurnis, nocturniſque curis, ut coram Judice cauſam ſuam defendant, ut benignam obtineant ſententiam, pauciſſimi verò, ut olim coram tremendo illo Judice ſubſiſtant. Vos ergo ſaltem Auditores, eſtote inter paucos, ante omnia, ſumma cura quærite regnum cœlorum, ne aliquando dicere cogamini, cum damnatis. Sap. 5. v. 7. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* & quonam? in infernum, ad ignes æternos, in miſeram æternitatem.

§ 9. Quomodo multi fatigentur.

Cum eo hic labor noſter præcipue contendere debeat, ut ferventibus precibus & clamore cordis, regnum cœlorum obtineamus, proponamus nobis Regem Davidem, qui de ſe ait, pſ. 68. v. 4. *Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ.* Pſal. 6. v. 7. *Laboravi*

§ 10. Quomodo David pro anima, & ſalute ſua laboravit.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigavi. Quid intenderit innuit v. 1. pſ.68. *Salvum me fac Deus.* v.14. *In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi mi.* v.16. *ne abſorbeat me profundum.* v.17. *Secundum multitudinem miſerationum tuarum, reſpice in me.* v.18. *Ne avertas faciem tuam à puero tuo.* v.19. *Intende animæ meæ, & libera eam.* Quam ferventia deſideria? ut ſint efficaciora, in eodem pſalmo, æterno Patri repræſentat futuram paſſionem Meſſiæ, quam Spiritu prophetico prævidebat. v. 8. *Propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam.* v.10. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* v.13. *Adverſum me loquebantur, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum.* v.3. *Veni in altitudinem maris, &c.* Contigere hæc omnia in Paſſione Filii Dei, ſed præcipue, cum pependit in cruce. Hic ergo fuit ſenſus Davidis; O Deus, propter confuſionem Filii tui! Salvum me fac. O Deus, ne permittas me cadere in profundum inferni, per ſitim, per vulnera &c. Filii tui! Has preces, hos clamores, diu noctuque toties repetiit David voce tam alta, tot ſuſpiriis atque ſingultibus, ut raucæ factæ fuerint fauces ejus; ut fatigatus jacuerit ſuper terram in pulvere & cinere.

§. II. *Altera digreſſio ad ſodales agoniæ.*

Ah ſodales! ah filii Chriſti in cruce agonizantis, diſcite à Davide, quomodo ſalutem veſtram quærere debeatis, quam ferventibus & frequẽtibus precibus petere felicem mortem. Toties clamate, tam fortiter, O Jeſu per vulnera tua &c. largire nobis felicem mortem, ut veſtræ quoque fauces rauceſcant. Clamate, orate coram aliquo crucifixo, expandite brachia, percutite pectora, ſic flete, ſic plorate, ut fatigemini. Toties procumbite in genua, tam diu jacete humi, ut fatigemini. Toties orate Roſarium SS. Vulnerum, tanta devotionis contentione, ut fatigemini. Toties oſcula libate benedicto Chriſti cordi, ut fatigemini. Toties laxate fervens pectus ſuſpiriis, ut fatigemini. Et poſtquam ſic fueritis defatigati; tum licebit ſedere cum Jeſu ad fontem; qualem fontem? ad fontem crucis ad fontem SS. Vulnerum, ad fontem Venerabilis Euchariſtiæ. Ibi dicite, ſitio mi Jeſu! ſed nil, niſi tuum amorem ſitio. Ah pota me, tu meam

ſitim

ſitim leva, tu da mihi bibere; O quis mihi dabit aquam de fonte vivo lateris tui benedicti. His lymphis potatus, & confortatus, iterum ruam in genua, iterum pulſabo pectus, iterum clamabo, Jeſu ſalvum me fac. Et hoc quotidie, uſque in horam mortis meæ.

Supereſt tertium & ultimum hujus concionis punctum; quod plurimi damnentur, pauci ſalventur. Vos ergo contendite, ut ſitis inter paucos. Apocal. 20. cap. v. 12. agens Joannes de finali judicio, ait *Vidi mortuos, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vita.* In libris inſcripta fuerunt nomina damnandorum & ponuntur in numero multitudinis propter nimiam reproborum copiam. Libris & voluminibus opus eſt, ut nomina illorum deſcribantur. Liber vitæ, unus eſt, quia pauci ſunt, quorum nomina illi inſcribuntur. Pſalmo 16. v. 14. ait David, *Domine, à paucis de terra divide eos.* id eſt, ſepara juſtos ab impiis. Sed cur ait juſtorum eſſe paucos? Reſpondet Hugo Cardinalis; *Divide eos à paucis, id eſt, ab electis, qui pauci ſunt reſpectu præſcitorum.* Quod alia phraſi ſic exponit S. Paulus ad Coloſſenſes 1. v. 12., *Gratias agentes Deo, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum.* S. Anſelmus ſuper hunc locum. *Gratias Deo agite, qui nos per ſuam miſericordiam dignos fecit tranſire in partem, id eſt, participationem ſortis, hoc eſt, hæreditatis æternæ.* Emphaſis latet in ſorte. Sors jacitur inter multos, ſed cadit ſuper paucos. Sic gloria cœleſtis licet omnibus proponatur, pauci eam aſſequuntur: ad ſortem aſpirant mille homines, & forte decem accipiunt. Pari ratione, omnes ad gloriam ſunt vocati, ſed pauci ad illam perveniunt. Vos ergo ſaltem quærite, vos manum ad illam ſortem extendite, vos, quibus eſt melior occaſio, & major ſcientia, & vocatio efficacior.

§ 12. *Plurimi damnantur pauci ſalvantur, vos ergo quærite, ut ſitis inter paucos.*

Tempus urget ut finiam, præcipue cum punctum hoc de paucitate ſalvandorum alibi pertractetur. Faciam hoc, terribili loco, ex S. Chryſoſtomo, qui in concione ad pop. Antiochenum auſus fuit dicere, ad terrorem & metum, *Quot eſſe exiſtimatis in hac civitate noſtra, qui ſalvi fiant? Infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen, non invenientur inter tot millia centum, qui ſalventur. Quin & de his dubito.* Rationem ſubdit.

§. 13. *Fulmen D. Chryſoſtomi de paucitate ſalvandorum.*

Digitized by Google

Quanta enim quæſo in juvenibus malitia, quantus in ſenibus torpor, filiorum nemo curam gerit, nemo zelum habet, &c. (eſt locus, pro acerrima invectiva in temporis hujus enormia crimina, & abominabiles exceſſus.) O civa mei Bambergenſes! auſimne & ego imitari Chryſoſtomum, & hoc de paucitate Salvandorum fulmen in capita veſtra conjicere? Neſcio! at timeo, timeo! Applicate voſmet ipſi, quæ os aureum, hac de re, civitati Antiochenæ ominatur. Quanta quæſo, in juvenibus malitia &c. O S. Chryſoſtome, ſi ſupereſſes hodie, aut de tumulo redivivus hac in urbe, & quidem hac in cathedra compareres, an non eandem tuam ſententiam de hac quoque civitate repeteres? Timeo ſane! ne libere rurſum ediceres, tot inter hominum millia, reperiuntur centum, qui ſalvi fiant. Ut ut ſit, finio, & ſalutarem pro clauſula ſtimulum illum iterum, quàm poſſum altiſſimè defigo in corda veſtra, dilecti Auditores, Vos, Vos ſaltem inter illos pauculos eſſe ſtudete, laborate, contendite, ne æternum ſitis ex immenſo numero damnandorum. Quod Deus à me & à vobis clementiſſime avertere dignetur.

CONCIO XLV.

DOMINICA XVI. POST SS. TRINITATEM.

Ecce, defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ.

Luc. 7. v 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MOrs impiorum acerba, & terribilis. Variis ſcripturæ exemplis, & SS. Patrem ſententiis hoc thema, ad terrorem impiorum deducitur,

§. 1. *Ter-*

Digitized by Google

§. 1. *Terribile convivium Domitiani Cæſaris.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Mors tragica Regis Saulis.*
§. 4. *Proſecutio.*
§. 5. *Miſeranda mors Regis Balthaſaris.*
§. 6. *Vehemens Apoſtrophe ad impios.*
§. 7. *Mors acerba Siſaræ.*
§ 8. *Item Iezabelis.*
§. 9. *Variæ explicationes Interpretum, de morte impiorum. In v. 19. cap. 4. Sapientiæ.*
§. 10. *Mors correſpondet vitæ. Patet in Saule.*
§. 11. *Iuſtum Dei judicium in morte Abſolonis.*
§. 12. *Deſcriptio malæ mortis ex S. Petro Damiano.*
§. 13. *Horror moribundi impii, ob aſtantes dæmones.*
§. 14. *Alii tragici Imperatorũ obitꝰ.*
§. 15. *Merito propterea nobis eſſe timendum, pulchro ſimili Regulus quidam oſtendit.*
§. 16. *Epilogus, ad peccatores, & ad morientem in Cruce IEſum.*

OCcaſione hodierni Evangelii vobis terribilia vobis proponam, nam quia terribilium omnium terribiliſſimum eſt mors, faciam quod fecit Domitianus Imperator, ut Precibus Romanæ Curiæ incuteret terrorem, teſte Xiphilino, eos invitavit ad convivium. Qui cum veniſſent inducuntur in aulam, nigris periſtromatis ornatam, occluſis feneſtris mortuales ardent faces, famuli omnes atris induti veſtibus comparent, cum mortualibus larvis; primus miſſus in menſa fuit plane inſolitus, nam poſtquam hoſpites conſederunt, ecce tibi inferuntur patinæ, in illis vel calvariæ, vel demortuorũ oſſa, his involutæ fuerint ſcedulæ, quæ ſententias de mortis certitudine, legẽtium oculis ingerebant. Cohorruere omnes, & merito, ad triſtiũ epularum conſpectum. Terrorem maximum incuſſit menſæ impoſita clepſydra, cum neſcirent, an ad lapſum ultimæ arenæ, juſſu forte irati Imperatoris, omnes dandi eſſent neci. Talis menſa erit præſens hæc mea concio. Nam mortua ſceleſtiſſimorum Regum Saulis, Balthaſaris, Siſaræ, & impijſſimæ Jezabelis capita, in illa vobis ſpectanda proponam. De quibus dicere poſsũ cum S. Auguſt. *Verè ſi ipſa oſſa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt, & dicere. O miſer, quantum pro ſaculi hujus cupiditate diſcurris? aut quid ſuperbis?* §. 1. *Terribile convivium Domitiani Cæſaris.*

bus? vel luxuria infelicia oſſa ſubmittis? attende ad me, & intellige & conſidera me, ut vel ſic tibi horreat luxuria tua. Hoc quod tu es, ego fui, & quod ego ſum modo, tu eris poſtea.

§. 2. *Propoſitio.* Verùm, ut materiam latiſſimam de morte, intra certos cancellos conſtringam, funeſtas horum Regum calvarias, involvi candido ſerico, cui hanc maximam inſcripſi. *Impii moriuntur morte terribili & infelici.* Vel has tres voculas; *Sic moritur impius.* Quod thema hac concione latius & fuſius deducam.

§ 3. *Mors tragica Regis Saulis.* Miſerrima morte mori impios, pulcherrimis hiſtoriis & exemplis nos docent ſacræ literæ. Lib. 1. Reg. c. 28. videns Saul, repente appropinquantia caſtra Philiſtiim *timuit, & expavit cor ejus nimis.* v. 5. Nam impiorum, qualis erat Saul, proprium eſt timere, præſertim cum præ oculis cernunt mortem. Cum tamen adverteret, confligendi cum hoſte neceſſitatem ſibi eſſe impoſitam, dubius de victoria conſuluit Dominum, num alea belli tentanda. Verũ quia neq; per ſomniũ, nec per Sacerdotes, neq; per Prophetas, nec alio modo reſponſum accepit, adiit mulierem in Endor habentem pythonem, hanc conſuluit. Venefica hæc virum ſenem amictum pallio evocavit. Num Samuel ipſe, vel umbra tantum illius fuerit modo non diſputo: allocuta trepidum Saulem talia dixit. *Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer?* (ſiquidem quiete fruerer mortuorum) reſpondet Rex v. 15. *Coarctor nimis, ſiquidem Philiſtiim pugnant contra me, & Deus receſſit à me, & exaudire me non vult; vocavi ergo te, ut oſtenderes mihi, quid faciam.* Et ait umbra v. 16. *Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit à te? faciet tibi Dominus ſicut locutus eſt. Scindet regnum tuum, & dabit alteri, quia non obediſti voci Domini.* Triſtia verba! ſed triſtior fuit clauſula, *Cras tu & filii tui mecum eritis.* v. 19. Hæc dicens umbra diſparuit. Saul præ timore nimio corruit in terram. Quomodo? O miſer! propter mortis nuntium trepidus, quid fiet cum morieris? hoc factum eſt. l. 1. cap. 31. committitur prælium, vicerunt Philiſtiim, fugit exercitus Regis Saul, occubuere duo ejus filii, tandem, v. 3, *totum pondus prælii verſum eſt in Saul, qui timore plenus dixit ad armigerum.* v. 4. *Evagina gladium tuum & percute me.* Moriar libentius amica manu, quam ut hoſtis enſe & ferro occumbã. Perge! percute! patet regium pectus,

ctus, ſi placet, cor feri. Quid moraris? perge, ecce hoſtem! Sed quia armigero ad tantum facinus, animus defuit, ipſe v. 4. *arripuit gladium, & irruit ſuper eum.* Tremulum Regis corpus in regio volvebatur ſanguine, donec armiger ſtetit ſuper ipſum, & plane interfecit. Triſtem caſum! tragicam Regis necem!

Sed quid putatis Auditores? pœnituitne ante ſceleratus Rex? fortaſſis prius ruit in genua, percutiens pectus, & Dei miſericordiam implorans? præmiſitne ad ſuperos ex corde contrito & humiliato lachrymas, indices pœnitentiæ, veniæ patronos? nihil horum innuit ſcriptura, & ſi pœnituiſſet, violentas manus ex deſperatione ſibi non intuliſſet. Obduratum ejus cor, & Regem pertinaciter impium, juſtus Deus atroci punivit exitu, ut ſit ſpeculum, vel liber, in quo ſcriptum legimus; *Sic moritur impius!* Neminem ex vobis eſſe arbitror, qui Saulis morte deſideret occumbere. Sunt tamen qui cum Saule impie vivunt, qui non obediunt voci & mandatis Domini. Cavete, ne à vobis quoque recedat Dominus. Forte hodie, forte cras, forte brevi, eritis cum Saule, fortaſsis ſimilis mors à Divina Nemeſi eſt decreta. Peccatorum graviũ pœna, eſt mors infelix. Cavete, ne cum clepſydra oculis veſtris propoſita effluxerit, mors vos rapiat, & cogamini libro mortis triſtem hunc leſsum inſcribere; *Sic moriuntur impii.* Sed mittamus Saulem, & ad alterius purpurati ſimiliter viri, miſerandum fatum progrediamur.

§. 4. Proſecutio.

Danielis 5. cap. impius Rex Balthaſar, in convivio, veſpere ad candelam vidit manum, pauca verba ſcribentem in pariete. v. 25. *Mane, Thecel, Phares. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.* Et extimuit magis, poſtquam à Daniele intellexit verborum illorum ſenſum *Mane.* verſ. 26. *Numeravit Deus regnum tuum. Thecel, appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Phares. Diviſum eſt regnum tuum.* Hic tempus erat pœnitendi, ad has minas impius Rex debuiſſet procidere in genua; debuiſſet in ſuſpiria & fletus erumpere, gemere, abjicere purpuram, inducere cilicium, aſpergere cineribus caput, &c. Sed in illis anguſtiis, nihil horum fecit.

§. 5. Miſeranda mors Regis Balthaſaris.

Tradidit ſe quieti, & eadem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus. Hoſtium mucrones regius ſanguis, hiantia vulnera, infecta cruore pulvinaria, exſpirans è corpore anima, vulneratum cadaver, vel potius, juſta de cœlo Nemeſis, clamant, vel libro mortis regio ſanguine, veluti atramento inſcribunt has voculas, *ſic moritur impius*! tali nece juſtus Deus ſuos punit hoſtes.

§. 6. *Vehemens apoſtrophe ad impios.* O impii! ſcio, cum hoc Rege mori non deſideratis, & tamen ita vivitis, ut objicere vobis poſſim verba Danielis ad Regem. *Non humiliatis corda veſtra, elevati eſtis adverſum Dominatorem cœli.* c. 5 v. 22. Sed cavete! *Mane*; id eſt, numeravit Deus. O peccator! quid numeravit? audi. Numeravit beneficia, quibus te affecit; O quot, & quanta! Quid numeravit? Occaſiones boni quas neglexiſti, pœnitentiæ, quam diſtuliſti. Numeravit inſpirationes tibi factas, quam plurimas; conſcientiæ ſtimulos, concionatorum admonitiones. Quid numeravit? multitudinem tuorum ſcelerum, numeravit annos & dies, & momenta vitæ tuæ, quam vivendo luxurioſe conſumpſiſti. Numeravit, & jam videt; menſuram eſſe propediem impletam. Væ tibi peccator, niſi mox reſipiſcas. *Thecel.* appenſus es, inventus es minus habens, minus de virtutibus, de pietate, de amore Dei, de pœnitentia. *Phares*! diviſum eſt regnum vitæ tuæ, age, diſpone domui tuæ, peccator! filius mortis es, vide ſis, an non æternæ ſimul, & temporalis. Morieris tu, & non vives.

§ 7. *Mors acerba Siſaræ.* Judicum cap. 4. Fugitivus Siſara, venit ad Jahel, à qua ſuaviſſimis verbis invitatur ad ædes. v. 18. *Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas.* Ingreditur Siſara, aſſidet Jaheli; comedit oblatum lac, decumbit, operitur pallio, indormiſcit ſuaviter, ſed (v. 21.) *tulit Iahel clavum, aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſcondite ad eum in ſilentio, poſuit ſupra tempora capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram, qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt.* Epitaphium ipſi poſuit Debora cap. 5. v. 31. *Sic pereant omnes inimici tui Domine*: Sic periit Antiochus de quo l. 2. Mach. c. 9. v. 27. dicitur, *homicida & blaſphemus, peſſime percuſſus, miſerabili obitu, vita functus eſt.* Antiochi, Siſaræ, Saulis, Pharaonis, Abſolonis, divitis epulonis, ſimiliumque ſcelerato-

rum

Digitized by Google

rum tumulis, hoc debet inſcribi epitaphium: *Sic pereunt impii, ita moriuntur.* Sic mori, ſic perire, non deſideratis Auditores? quid ergo Jahelis ſive Veneris ingredimini domos? quid voluptatum paſcimini lacte? quid in periculoſo dormitis ſinu? Cavete! momento quo non putatis, Jahel, ſive Divina Nemeſis, malleo & clavo infelicis mortis, vos terræ affiget.

Impiis Regibus addo impiiſſimam Reginam Jezabelem. quæ dum de feneſtra turris adventanti Jehu, meretriciam objicit frontem, & venuſtam faciem, tibio pictam caput & comas gemmis lucidas, imperat Jehu Lib. 4. Reg. cap. 9. v. 33. *Præcipitate eam deorſum & præcipitaverunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam:* imò, devorata fuit à canibus, ut tranſeuntes quærerent, v. 37. *Hæccine eſt iſta Iezabel?* Ita' eſt ipſa, impia! ſceleſta! ſic pereunt inimici Dei, ſic moriuntur impii. *§. 8. Item Iezabelis.*

Impletus eſt in his omnibus, & impletur in impie morientibus, verſus 19. c. 4. Sapientiæ. *Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce, & commovebit illos à fundamentis, & uſque ad ſupremum deſolabuntur & erunt gementes, & memoria illorum peribit.* Plenæ emphaſi ſunt interpretum verſiones & lectiones. Vatablus legit: *Turpiter corruent.* Janſenius, *Erunt in ruinam ingloriam aut vile cadaver.* Alii, *Caſus, in manus dæmonum.* Addit Lyranus, *Sine obſequio Angelorum.* Hugo Card. *In infernum!* Omnes hi ſenſus declarant miſeram malorum ſortem in morte. *Diſrumpet illos inflatos ſine voce.* Ex græco, *Mutos, aut pronos, prono capite præcipites.* Janſenius, *Præ rubore ac timore, vultu in terram demiſſo: Loqui non audentes quaſi ſuffocabuntur.* Pro vocula, *deſolabuntur*, ponunt alii, *Deſerentur uſque ad ſupremum, erunt in dolore, velut parturientium.* Nec omittere oportet illas duas particulas, *poſt hæc!* ſcilicet, poſt peſſimam vitam; poſt Dei contemptum, & irriſum, poſt tot ſcelera, poſt hæc inquam decident, & impie morientur. Sic nimirum divina juſtitia juxta delicta, in vita patrata, impios punit in morte. Impii in hac vita ſuperbientes, inhonorant Deum; in morte decidunt ſine honore: impii in vita aures ob- *§. 9. Variæ explicationes Interpretum de morte impiorum, in v. 19 c. 4. Sap.*

res obturant Deo, & juſto Dei judicio fit, ut morientes mors diſrumpat ſine voce. Æternos ſe crediderunt in hac vita, acſi tales eſſent ſic laborarunt, ut corraderent divitias &c. & cum non putant, Deus per mortem illos commovet, à fundamentis eradicans omnia. In hac vita noluerunt habere ſocietatem cum Deo dum eum dereliquerunt: juſto Dei judicio fit, ut in morte ſint ſoli, derelicti, deſtituti, ut ad ſupremum deſolati remaneant. Impii in hac vita ſemper læti vixerunt, in morte erunt gementes, erunt triſtes, erunt miſerrimi. En quomodo par pari reddit illis Deus, en nihil omittit divina ejus juſtitia, quod non puniat, & caſtiget, licet tardo procedat pede.

§ 10. *Mors correſpondet vitæ. Patet in Saule.* Redeo ad infelicem mortem Saulis, ut quæ modo dixi, in illo lateant veluti ſpeculo. Conferte vitam cum morte, & luce clarius perſpicietis, veriſſimum eſſe dictum Sapientiæ paulo ante allatum. An non ejus vita, continua fuit erga Deum inobedientia, & rebellio? continuus ſtatus peccati; nunc inobediendo, nunc concupiſcendo, nunc invidendo, nunc præſumendo. Lib. 1 Reg. c. 15. fuit inobediens non occidendo Amelech. Ibidem, avarus & concupiſcens, dum res ejus non fuit demolitus. Ob eandem concupiſcentiam l. 2. Reg. c. 11. occidit innocentes Gabaonitas, ut civitates eorum diriperet. Lib. 1. Reg. c. 14. auſus fuit offerre victimas & ſacrificium. Invidia ejus indurata contra Davidem omnibus eſt notiſſima: & tanta illa fuit, ut l 1. Reg. cap. 20. proprium filium Jonathan, quia pro Davide loquebatur lancea voluerit confodere. Ingentis faſtus & ſuperbiæ teſtis fuit, triumphalis fornix, quem erexit in ſui memoriam, tum, cum Dei ſprevit mandatum. Verbo, ſceleratus fuit Rex. Sed quomodo occubuit. Equidem inglorius, infamis, ita deſolatus & ſolus, ut nec, qui eum occideret, habuerit. Ita à fundamentis ipſe, ejuſque domus fuit concuſſa, ut ſimul eodem die, in eodem prælio & loco, ipſe & omnes filii ejus occumberent. Ita derelictus à Deo, ut nunquam illum exaudierit &c. (eſt locus pro pulcra ſuperiorum interpretationum in locum hunc repetione.) Ecce! quam dira mors: & quam dure Deus impios puniat, & quam juſte. Vixit Saul obſtinatus, talis mortuus eſt. Vixit ſine voce, non implorando Dei opem talis mortuus eſt, &c.

Enim-

Digitized by Google

Enimvero admirari ſatis non poſſum, infeliciſſimam mortem Abſolonis, & hanc præſertim circumſtantiam quod ſcriptura non dicat, illum pendentem de quercu, vel verbo ab accurrente Joabo petiiſſe veniam & miſericordiam. Joab eum amaverat tenerrime, ipſe illum l. 2. Reg. c. 14. v. 33. jam ſemel Patri reconciliaverat, ergo Abſolon vidit ad ſe advolantem Joabum, triplici lancea minacem, nunquid clamare potuiſſet, O parce Joab! parce tu ſaltem, qui tot hactenus amoris argumenta mihi exhibuiſti. O Joab, ſcio, quod diligis me, parce, remitte lanceam; an non noſti me? Ego ſum ille tuus Abſolon; Joab parce Abſoloni. Nihil tale dixit. Conturbavit illum, ſuffocavit illum timor mortis, antequam lethali lancea crudele vulnus exciperet, &c. Contigit illi, quod deinde S. Petrus Dam. ſcripſit ad Blancam Comitiſſam, de ſignis malæ mortis. *Impius in agone, coram tremendo Iudice intolerabili mox terrore concutitur, repentini & impetus violentia turbatur, præcipitanter invaditur, ac de miſeræ carnis ergaſtulo violenter avellitur, ut ad æterna ſupplicia cum amaritudine pertrahatur.* Hæc omnia miſero evenerunt Abſoloni, qui etſi de arbore ſuſpenſus hæreret, non ideo illico fuit mortuus: ſed vel ideo tantiſper ejus vita protracta, ut ſentiret acriores ſtimulos conſcientiæ ſævientis; ut evelleretur de miſeræ carnis ergaſtulo violentius, & juſtum Dei vindicis judicium cum amaritudine animadverteret. Verbo, non ſtatim mortuus eſt, ut moreretur acerbius. Sic moriuntur impii. D. Chryſoſtomus in pſ. 7. *Non ſtatim de medio ſublatus eſt, ſed tanquam in judicio prius ſuſpenſus eſt, & ligno affixus, & Deo è ſuperis ferente ſententiam, longo tempore pependit, à conſcientia flagellatus.* Imo, Abſolon coactus fuit prius aſpicere ſuum interfectorem, debuit prius agnoſcere amabilem ante vultum; debuit prius oculis ſuis intueri, necis acerbæ inſtrumentum, triplicem lanceam. Nec tamen verbum potuit loqui! Nonne ſic & hodie moriuntur impii. Ah nimis verum eſt iſtud, quod quotidiana confirmat experientia. An non vidiſtis moribundos? ut ſe verſant atque reverſant, ex uno latere in aliud, dum colluctantur cum morte, ſæpe duos dies, noctesque hæc feralis lucta durat, tardius moriuntur, ut moriantur acerbius. Judicia Dei abyſ-

§. 11. *Iuſtum Dei judicium in morte Abſolonis.*

abyſſus multa. Non tamen punit ſine cauſa; per quæ quis peccat, per illa torquebitur. O peccator! cur iſta non conſideras.

§.12. *Deſcriptio mala mortis ex S.Petro Damiano.* Non poſſum, quin vobis etiam communicem deſcriptionem citati S.Petri Damiani qua infelicem impii mortem nobis depingit. *Penſandum* inquit *quippe eſt, cum jam peccatrix anima, vinculis incipit carnis abſolvi, quam amaro terrore concutitur, quantis mordacis conſcientiæ ſtimulis laceratur, recolit vetita, quæ commiſit, videt mandata, quæ implere contempſit: dolet indulta pœnitentia tempora ſeſe inaniter percepiſſe. Plorat immobilem diſtrictæ ultionis articulum, inevitabiliter imminere. Manere ſatagit, ire compellitur, recuperare vult perdita, non auditur. Poſt terga reſpiciens, totius tranſactæ vitæ curſum, velut unum reputabat, breviſſimum temporis ſpatium. Ante ſe oculos dirigit, & infinita perennitatis ſpatia deprehendit.* Quid mirum tale morientem à fundamentis concuti, & affligi?

§.13. *Horror ob aſtantes dæmones.* Quid faciet præſentia dæmonum? S.Anſelmus. *Anima dum de corpore exit, mox inimici ejus maligni Spiritus, qui eam in corpore degentem, per anfractus vitiorum, ſicut canes leporem perſecuti ſunt, crudeliter adſunt, parati, quaſi prædam rapere, & in mortem æternam præcipitare.* Nilus Abbas. *Vere tremendum eſt mortis ſacramentum, quando terribiles viſu formæ, & formidanda monſtra, animam aſſidue territant, atque ad egreſſum urgent, quando dæmones dira ei facinora objectant, & minitabundi velut in prædam inhiant. Hinc corpus ſudore perfuſum jacet, colliduntur dentes, erumpunt ſuſpiria, foriſque per ſigna prodit, quid interius patiatur.* S. Gregorius M. ait. *Maligni Spiritus animam è corpore exeuntem obſident*: quod ipſe Chriſtus D. prædixit Lucæ 19. v.43. *Circumdabunt te inimici tui, coanguſtiabunt te undique.* Expertus hoc fuit ille religioſus, qui in agone ad circumſtantes dixit, *videtis innumerabilem dæmonum turbam, quæ me undique circumvallat, meque terribilibus oculis intueri, & impugnare non ceſſat.* (Cui libuerit legere horribilem mortem Lutheri, quoad hanc circumſtantiam, reperiet illam, in Promontorio malæ ſpei. Et apud Tilm. Breidenbachium l.7. de collat. ſacris c.39.)

Non permittit tempus ut alias tragicas impiorum mortes vobis

Digitized by Google

vobis proponam. Herodes fuit devoratus à vermibus, Aman ſuſpenſus in patibulo, Antiochus mortuus in fœtore, Nero occidit ſe ipſum. Alii ultro venenata ebiberunt pocula. Anaſtaſius periit tactus fulmine. Julianus Apoſtata ab inviſibili manu lancea percuſſus cecidit &c. Omnium oſſa ex ſepulcris clamant, *ſic moriuntur impii.* §. 14. *Alii tragici Imperatorum exitus.*

Quæ omnia, amanti ſalutem, ſalutarem metum merito incutiunt, & timorem. Cum fructu timuit ille regulus, qui ob continuam triſtitiam reprehenſus à fratre, illum invitavit ad cænam in amœniſſimo horto. Verum in capite menſæ, ingens, in terra patuit profunda foſſa, plena ardentibus carbonibus. Super foſſam jacuit fragilis aſſerculus, illi impoſita fuit ſedes, cui hoſpes juſſus fuit inſidere. Utrinque quatuor armati, ſtrictis gladiis minabantur vulnera, hic cordi, hic capiti, hic lateri, hic pectori. Similis evaginatus mucro ex tenui filo imminebat capiti. Cum comedere nollet regius frater, cum reſpiceret, gemeret, ſuſpiraret, rogatus à fratre cauſam dixit; *in fragili ſedeo ſede, quovis momento me mori poſſe video, ſuſpicio, deſpicio, circumſpicio, & ubique video cauſas timoris*. Hic regulus; *Abi frater, jam intelliges, quare ego timeam. Cum ſuſpicio cælum, Iudicem meum cerno & vindicem ejus enſem. Cum deſpicio, inferi ſe aperiunt pœnasque æternandas minantur letiferis culpis. Cum circumſpicio, & noxæ meæ, ante oculos ſe objiciunt, & conſcientia teſtis, & mors inſidiatrix, & dæmones &c.* §. 15. *Merito nobis eſſe timendum, pulcro ſimili Regulus quidam exponit.*

Ite nunc Audit. audiviſtis qualis ſit mors impiorum, nempe mors juſta, acerba, horrenda! Attendite & cavete. Neſcitis quid ſerus heſper vehat. O Jeſu per dolores illos, ac cruciatus horrendos, quos tu pro nobis animam agens ſuſtinuiſti in cruce, obſecro fac mortem noſtram ſanctam, dulcem, placidam. Peccavimus fateor! cum ſeria pœnitentia ad te recurrimus, Jeſu per mortem tuam, concede nobis mortem ſuavem, blandam, amabilem. §. 16. *Epilogus ad peccatores, & ad morientem in cruce Ieſum*

Digitized by Google

CONCIO XLVI.

DOMINICA XVII. POST SS. TRINITATEM.

Hydropicus erat ante illum.

Lucæ. 14. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

HYdropicus eſt avarus dives. Hic animæ morbus eſt radix multorum ſcelerum. Trium combinatio, divitiarum, ſceleratæ vitæ, & infelicis mortis, probatur, 1. Ex ſacris literis, 2. ex SS. Patribus. 3. Ex tragicis hiſtoriis & exemplis.

§. 1. *Quomodo variis parabolis, varios animæ morbos propoſuerit Chriſtus D.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Probatur propoſitio ex variis S. Scripturæ locis præſertim ex cap. 4. Amos.*

§. 4. *Proſecutio, & confirmatio ex eod. cap. Amos.*

§. 5. *Cur Deus ſæpius fuerit minatus navibus Tharſis.*

§. 6. *Sodoma, dives, ſcelerata, horrendum à Deo punita.*

§. 7. *Divitiæ ſternunt viam ad ſcelera. Probatur exemplis ex ſacra ſcriptura.*

§. 8. *Alia exempla Salomonis & Oziæ.*

§. 9. *Teſtimonia SS. Patrum.*

§. 10. *Divitis epulonis ſcelera & mors. 1. fuit ſuperbus, ſed qualis mors?*

§. 11. *2. fuit immiſericors erga pauperes. Sed qualis mors?*

§. 12. *3. fuit luxurioſus. Sed qualis mors.*

§. 13. *Tragica ſepultura nobilis Hiſpani.*

§. 14. *Tragicum ſepultæ puellæ exemplum.*

§. 15. *Zeno Imperator vivus tumulatur.*

§. 16. *Facta Epitaphii mutatio in tumulo alicujus Canonici.*

§. 17. *Epilogus, ſive pathetica allocutio ad divites, de æternitate.*

Diver-

Digitized by Google

DIverſis parabolis, à diverſis morbis humani corporis potiſſimum deſumptis, Salvator noſter, diverſitatem & gravitatem, morborum animi nobis proponit. In Evangelio Dominicæ tertiæ poſt SS. Trinitatem ex Lucæ cap. 15. v. 4. mentionem fecit lupi rapacis inſidiantis oviculæ; lupus rapax eſt peccatum mortale, ovicula eſt anima, ſed per peccatum, miſera! ſe præcipitat in rictum infernalis lupi. Dominica octava poſt SS. Trinitatem ex cap. 7. v. 19. S. Matth. nobis depingitur ſterilis arbor, quæ exciſa proijcitur in ignem. Per peccatum mortale, anima hominis fit talis arbor, quæ ſecuri infelicis mortis exciſa, projicitur in ignem inferni, & ardet. Evangelium Dominicæ duodecimæ ex cap. 7. v. 32. S. Marci, ob oculos nobis ponit hominem ſurdum & mutum, Dominica decima tertia, ex cap. 10. v. 30. S. Lucæ viatorem, qui incidit inter latrones, à quibus letalibus vulneribus fuit affectus, Dominica decima quarta leproſos, decima ſexta mortuum filium viduæ de Naim: poſt aliquot ſeptimanas, videbimus Paralyticum, filiam Principis, laborantem febribus, ſervum ob graviſſima debita conjectum in carcerē, denique abominationem abominationum in Jeruſalem. Hodie hydropicus oculis noſtris obijcitur. Eò tendunt omnes hæ parabolæ, ut agnoſcamus gravitatem peccati. Peccator eſt ſurdus & mutus, peccator incidit in latrones. Letale vulnus eſt ſuperbia, letale vulnus luxuria, &c. Peccatum eſt lepra, eſt mors animæ, eſt paralyſis, eſt febris, eſt ingens debitum, denique eſt abominatio abominationum. Periculoſa hydrops eſt avaritia.

§. 1. Quomodo variis parabolis, varios animæ morbos propoſuerit Chriſtus D.

Cum hoc vitium ſit fons & radix variorum & graviſſimorum ſcelerum, æqvum eſt, ut Concionatores frequenter & ferventer dicant contra hoc vitiū. Ante octiduū occaſione demortui adoleſcentis in Naim, latius oſtendi, plerumque impios, ut impie vivunt, ſic impiè mori, Hodierni Evangelij hydropicus me movet, ut hac Concione oſtendam, id avaris divitibus præcipuè contingere. Vivunt inter vitia, inter eadem moriuntur. Hoc probabo 1. ex ſacris literis. 2. Exemplis, ex eodem fonte deſumptis. 3. aliquot teſtimoniis SS. Patrum. Vos interim, iis quibus ſoletis animis, attendite.

§. 2. Propoſitio.

Digitized by Google

§.3. *Probatur propoſitio ex variis locis S. Scripturæ ex c. 4. Oſeæ*

Inprimis Oſeas cap. 4. v. 16. pulchro ſimili declarat avaros plerumque impie vivere, & ita mori. *Sicut vacca laſciviens declinavit Iſrael.* Pro vocula *laſciviens*, ponunt alii; *indomita, rebellis vacca, excutiens jugum.* Chaldæus legit, *Sicut bos, qui ſaginatur, & recalcitrat, ſic rebellat Iſrael.* additque cauſam. *Propter multitudinem bonorum.* alibi dicitur, Deuter. 32. v. 15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit, receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Tales beſtiæ plerumque ſunt avari divites; Vaccæ! boves ſaginati in multitudine bonorum, in pinguibus paſcuis, ſed ideo laſciviunt, ideo declinant à viis mandatorum Dei, ideo recalcitrant; ideo ſunt indomiti, rebelles, excutientes jugum legis divinæ.

§.4. *Proſecutio & confirmatio ex c. 4. Amos.*

Confirmat hoc idem Propheta Amos cap. 4. v. 1. dum ait, *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis, afferte & bibemus.* Sed hæc dicit Dominus. Audiviſtis Auditores, ſub typo vaccarum, quomodo hi impii vixerint, audite quomodo moriantur. Oſeas v. 11. ait; *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* v. 14. *Populus non intelligens vapulabit. Vivit Dominus confundentur.* v. 19. Clarius iterum loquitur Amos c. 4. v 6. 9. 11. *Vnde & ego dedi vobis ſtuporem dentium, & non eſtis reverſi ad me. Ego quoque prohibui vobis imbrem, & non rediſtis ad me. Percuſſi vos in vento urente, non rediſtis ad me. Miſi in vos mortem in via Aegypti, percuſſi in gladio juvenes veſtros uſque ad captivitatem &c. & non rediſtis ad me. Subverti vos, ſicut ſubvertit Deus Sodomam & Gomorrham, & non rediſtis ad me.* Puto vos ex omnibus advertere, hunc eſſe verborum ſenſum, quod pingues vaccæ, quod recalcitrantes boves, quod avari, ex hac vita diſcedant impœnitentes. In ſupremo agone à commiſſis ſceleribus, ab irata Nemeſi, aufertur illis cor; non intelligunt, ideo vapulant & confunduntur. Hanc combinationem, inter divitias, gravia ſcelera, & infelicem mortem nobis inculcant Iſaias & Regius Pſaltes. Iſaias ait c. 2. v. 7. & 8. *Repleta eſt terra auro & argento, & non eſt finis theſaurorum ejus.* Sed ob eandem cauſam, *Repleta eſt terra idolis*, ſive, idololatria, quæ plerumque alia gravia ſecum trahit ſcelera. David ait Pſalm. 72. v. 5. *In labore hominum non ſunt, & cùm hominibus non flagellabuntur*; id eſt, divi-

Digitized by Google

divitibus in hoc mundo omnia fluunt ad votum; abundant rebus omnibus, creſcunt indies opes, erga quas apponunt cor ſuum, ſed ideo v.6. *tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, iniquitas eorum ex adipe.* Quæ verba Sanct. Hieronymus ſic explicat, *Per arrogantiam felicitatis, multiplicata iniquitate premuntur.* Idem agnovit Patientiſſimus Job. cap. 12. verſ. 6. *Abundant tabernacula prædonum.* Prædones vocat avaros; prædones ſunt uſurarii, prædones ſunt oppreſſores viduarum: prædones ſunt fraudulenti mercatores &c. horum ædes plerumque abundant omnium rerum copia; theſaurorum non eſt finis; & *audacter provocant Deum.* Sed quis exitus? pingues vaccæ & ſaginati boves ducuntur tandem ad macellum, & mactantur. Prædones rapiuntur, cum minime putant ad patibulum. Id eſt, hydropici, divites, avari, tandem miſerrime moriuntur, poſtquam multis annis vixerunt in divitiis, ſed ſimul in graviſſimis ſceleribus. Ecce combinationem. Divitiæ, abundantia omnium rerum. Gravia ſcelera. Impœnitentia, obduratio; Mors infelix, miſeranda æternitas.

Aliquoties in ſcriptura Deus graviter minatur civitati Tharſis pſ. 47. v. 8. *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.* Iſaiæ cap. 2. v. 14. *Dies iræ Domini, ſuper excelſos cedros Libani, ſuper excelſos montes, ſuper elevatos colles, ſuper excelſas turres, & ſuper naves Tharſis.* Sublimes cedri, excelſi montes, elevati colles; ſunt impii Reges, Principes & Monarchæ hujus mundi; Cedri, montes &c. ſunt divites; ſuper hos omnes veniet aliquando dies iræ Domini. Sed quare iidem comparantur cum navibus Tharſis? Quid cauſæ eſt, quod ira Dei in Spiritu vehementi illas velit conterere? cauſam ſubtiliter advertit D. Gregorius Nyſſenus. orat. 14 in Cant. *Navis Tharſis, idem eſt, quod innatans vitioſitas.* & S. Hier. in pſ. 47. *Navigio Tharſis comparantur, qui in hujus ſæculi fluctibus circumferuntur omni vento luxuriæ & vanitatis.* Et unde illa vitiorum colluvies in navibus Tharſis? quæ radix luxuriæ & vanitatis? idem S. Hier. ait fuiſſe aurũ & argentum, nã naves illæ mittebantur à Salomone in inſulã Ophir, unde redibant onuſtæ immenſis theſauris, erant naves ditiſſimæ; ſed (iterũ advertite combinationem) ſimul ſceleratiſſimæ

§. 5. Cur Deus ſæpius fuerit minatus navibus Tharſis.

quanta

quanta fuit copia auri, tanta fuit abundantia ſcelerum. Ideo ſequitur tertium, *venit tandem ira Domini*; *& confringit illas naves*, hoc eſt, ſceleſti divites impiè moriuntur. Quod ante citatus Amos prodixit c. 4. v. 2. *Juravit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies veniet ſuper vos, & levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus*, corpora ferentur ad terram, animæ ad ignes. Terribilem mortem avarorum Propheta deſcribere non potuit pulchriori ſimili; nam pro illis voculis, in *ollis* textus Hebraicus habet, *in vaſis piſciculorum*. Cum piſcatores ad mare ceperunt ingentem piſcium multitudinem, habent ad manum capacia vaſa, urnas & cacabos, cum aqua bulliente, in quam cum conjiciunt piſciculos, videre eſt ſpectaculum neſcio an magis lepidum, an triſte, ſaltant, ſubſultant, exiliunt miſeri piſciculi! ah! non eſt hic gaudii ſaltus, feralis ſaltus eſt, mortis vicinæ prodromus, ſaltus horroris non amoris. O avari! O impii; vobis hoc dictum verbum, vos olim ſummus piſcatorum magiſter capiet reti divinæ Juſtitiæ, incluſos, heu, qualis dabitis ſaltus. heu, in ferventem aquam, in ſtagnum ſulphuris ac picis vos conjiciet. Cavete, timete. Hic demum ſequitur exitus. In morte eſt finis theſaurorum. In morte omnia confringuntur idola, aurea, & argentea. Abſorbentur naves Tharſis à ſpiritu furoris Domini. Deciduntur alti cedri, & projiciuntur in ignem. Superba colla humiliantur, dum illis injicitur jugum æternæ damnationis.

§. 6. *Sodoma, dives. ſcelerata horrendum à Deo punita.*

Confirmat hæc tria, divitias, ſcelera, infelicem exitum Propheta Ezechiel cap. 16. v. 49. dum ait, *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ.* id eſt, hi fuerunt fontes & radices tantorum ſcelerum, *ſaturitas panis & abundantia*: fuerunt Sodomitæ ditiſſimi, ſed ſimul ſceleratiſſimi, horrenda illorum ſcelera clamarunt in cœlum. Manum egeno & pauperi non porrexerunt, ideo elevati ſunt, & fecerunt abominationes coram Deo. Sed quis exitus? Combuſtio, Cavete divites.

§. 7. *Divitiæ ſternunt viam ad ſcelera. Probatur ex-*

Divitiæ ſternunt viam ad gravia ſcelera Sacra ſcriptura ſuppeditat mihi pulchra exempla. Davide quis purior, quis juſtior & innocentior? ſed quamdiu paſtorem egit in ſylvis, quamdiu fuit in laboribus, cum miles fuit, cum pugnavit contra Goliath, quam-

quamdiu deinde durarunt perſecutiones Saulis, David fuit ſan- *exemplu ex*
ctus, deditus orationi, vir ſecundum cor Dei. David factus Rex, *S. Scriptura*
in regno confirmatus, confortatus divitiis, in ocio, in purpura, mox factus eſt adulter, ex adultero, homicida. D. Auguſtinus in pſ.50. *Quando David ſanctus, Saulem inimicum patiebatur non concupiſcebat alienam, factus eſt ſecurus, hic tumor* (ſive ſpiritualis hydrops) *excrevit.* D.Chryſoſtomus in pſ.9. *David poſtquam quietem & laxamentum aſſecutus eſt, difficilius bellum paſſus eſt, incontinentis cupiditatis.* D.Cyrillus. *Nam in his, qui tam bene agunt, hoc eſt, qui tanta rerum affluentia potiuntur, ſtimulus cupiditatis vehementior eſt. Semper enim divitiis comes eſt voluptatum amor, ſemper divitiæ vitiorum magis, quam virtutum ſunt miniſtræ.* Vidimus hoc in Davide; In divitiis, vitiis fuit ſubjectus. Opulentiæ comes fuit dementia. dementatus ſiquidem fuit impuro alienæ conjugis aſpectu. In ſummis opibus, ſumma fuit virtutum inopia. Rediit ad cor David, cum cito egit pœnitentiam, ſine illa ſine dubio miſerabiliter fuiſſet mortuus, æternum infelix. A Patre veniamus ad filium.

Sanctus fuit initio regni ſapientiſſimus Salomon, placens §.8.
oculis Dei; ſed factus eſt deinde vacca laſciviens, & excuſſit ju- *Alia exem-*
gum Dei. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: oblitus fuit *pla Salomo-*
Dei creatoris ſui. Non fuit in laboribus, ideo opertus eſt iniqui- *nis & Oziæ.*
tate. Repleta eſt regia ejus auro & argento, ſed ſimul idolis, & turpiſſimis idolis: confortatus fuit divitiis, & audacter Deum ad iracundiam provocavit. De utroque Patre & Filio, Davide & Salomone breviter S.Bernardus lib.2. de conſider. ad Eugen. *Sapiens David, ſapiens Salomon, ſed blandientibus nimis ſecundis rebus, alter ex parte, alter ex toto deſipuit.* Divitiæ fuerunt Salomoni aurea & argentea via ad ſumma ſcelera: qualis tandem fuerit ejus mors, Deo notum eſt. De Ozia Rege, primum piiſſimo dicitur 2.Paralip.cap.26.v.16. *cum roboratus eſſet* (regiis ſcilicet opibus & divitiis) *elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum* (ecce combinationem, divitiæ, ſcelera, interitus) *& neglexit Dominum Deum ſuum.* Similia quotidie cernimus oculis; in paupertate, in perſecutionibus, multi pie vivunt, timent Deum; quamprimum incraſſantur,

facti divites, elevantur, laſciviunt & recalcitrant. S. Ambroſius. *Magna illecebra delinquendi eſt rerum affluentia ſecundarum, ſupinat, extollit, oblivionem auctoris infundit.* Hinc lapſus in plurima ſcelera. Nam 1. ad Timoth. c. 6. v. 10. *Avaritia eſt radix omnium malorum.*

§ 9. *Teſtimonia SS. Patrum.*

SS. Patres ita quoque ſenſerunt S. Ambr. in pſ. 61. avaritiam ſive inordinatum divitiarum amorem, vocat fomitem iniquitatis. D. Hieron. ep. 4. ad Ruſt. Malorum omnium charybdim: hæc haurit navigia, avaritia animas peſſundat. D. Chryſoſt. hom. 20. in gen. ait eſſe arcem omnium peccatorum. Ignoſcite ſi hiſce graviſſimis SS. Patrum teſtimoniis interſeram dictum Juvenalis; ſatyra 1. *Et quando uberior vitiorum copia? Quando major avaritiæ patet ſinus.* Qualis ſubſequitur mors? qualis hydropicorum eſſe ſolet, imo infelicior. Hydropici quoad corpus moriuntur plerumque morte triſti; fieri tamen poteſt, ut quoad animam, mors illa ſit feliciſſima. Qui hydrope avaritiæ laborant, quoad corpus & animam decedunt morte miſerrima.

§ 10. *Divitiæ epulonis ſcelera, & mors. 1. fuit ſuperbus. Sed qualis ejus mors.*

Combinationem, cujus aliquoties feci mentionem, ſive hæc tria conjuncta, divitias, ſcelera, miſeram mortem, oculis veſtris clarius proponere non potero, quam id fecit Chriſtus D. Lucæ 16. in parabola de divite epulone. Graviſſima ejus ſcelera innuit ſacer textus paucis verbis cit. cap. v. 19. *Induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide.* Purpura, quia Reges & meretrices illa veſtiri ſolent, eſt ſymbolum ſuperbiæ & luxuriæ. Ut ſciamus divitem epulonem, fuiſſe ſuperbum & luxurioſum; quales plerumque ſunt divites. Amos. c. 6. v. 1. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael.* Talis fuit dives epulo. Sed qualis fuit ejus mors? Nocte qua non putavit, mortuus fuit & ſepultus in inferno. Cum ſceleratiſſimus Rex, à vermibus fere devoratus regio funere efferretur ad ſepulcrum, Joſephus Judæus, qui illud deſcribit, ait: *Quid miſero profuit portari in lecto aureo, lapidibus precioſis depicto? cui ſtamina erant oſtro auroq; contexta? quid ei proderat, quod ipſe jam mortuus ferebatur indutus purpura, & capite diademate coronato, &c.* loquitur Joſephus de morte tantum temporali, cum nos

ſciamus,

ſciamus, ſceleſtas horum animas ſepultas eſſe in inferno, longe potiori jure interrogare poſſumus, quid proſunt præterita corporis gaudia, cum jam anima tam acerba patitur tormenta? quid prodeſt regius dominatus, cum animam urit infernalis cruciatus? quid proſunt tot auri, argentique talenta, inter tot dolorum inſtrumenta? O vanitas vanitatum! recogitate hæc divites, perpendite avari.

Sacer textus clare meminit, eundem divitem epulonem fuiſſe immiſericordem erga pauperes, præſertim Lazarum, qui ante fores jacuit plenus ulceribus, *cupiens ſaturari de micis*, (v. 21.) *quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* Lazarus paſſus fuit multa acerba, ſed mortuus ab Angelis fuit deportatus ad ſinum Abrahæ. Ducebat interim dives, dies ſuos in bonis, ſed per ſubitaneã mortem in puncto ad infernum deſcendit; inde æternum clamabit, *Crucior in hac flamma,* in æternum ſuſpirabit, v. 24. *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremũ digiti ſui in aquã ut refrigeret linguam meam.* Sed in æternum, nec guttula dabitur. Perpendant hæc divites, an vivant in bonis; vicini verò pauperes patiantur &c. §. 11. *2. Fuit immiſericors erga pauperes. Sed qualis mors.*

Addit ſacer textus fuiſſe indutum byſſo, ut ſciamus, illum ſuperbum, guloſum, immiſericordem divitem, fuiſſe etiam luxurioſum. Ecce catenam ſcelerum in divitibus! ſub ſplendore auri, quod habent, ſub purpura, qua veſtiuntur, plerumque abſcondita eſt cloaca turpiſſimorum ſcelerum; His dives epulo fuit infamis? ſed quid contigit in morte? purpura, byſſus, aurum, gemmæ, omnia converſa ſunt in flammas, in quibus æternum cruciabitur. Et ubi nunc obſecro (dicite vos Eucliones avari, vos enim compello) ubi nunc byſſus divitis epulonis? heu! computruit. Ubi purpura? conſumpta eſt. Ubi molles plumarum lectuli? quibus tam ſuaviter incubuit? verſi ſunt in infernales carbones. Ubi vina illa generoſa, ubi ſpumantes dulcem bacchum calices? ah evacuati ſunt. In inferno liquato potatur plumbo. Ubi epulæ? famet. Ubi riſus? cytharæ? tympana? gaudia? ubi? mutata ſunt in luctum. Ubi corpus illud, quod ita habuit molliter ac delicate? corpus, cui ita indulſit in omnibus? hoc vermibus conſtat, & ſerpentibus; corpus fuit eſca vermium. Sed quid anima? §. 12. *3. Fuit luxurioſus. Sed qualis mors.*

 ubi il-

ubi illa, illa? O quæſtio gravis: ſed levis reſponſio. Cruciatur in flamma! & cruciabitur æternum. O flamma, O dolor, O æternitas, æternitas!

§ 13. *Tragica ſepultura Nobilis Hiſpani.*

Terribilem ſepulturam ſimilis divitis narrat P. Hier. de Florentia in vita P. Gaſpar Sanchetz. c. 13. Nobilis Hiſpanus ſicut impie vixerat, quod ſolent divites, ſic impie fuit mortuus. Cadaver magna pompa fuit elatum: dixiſſes triumphum, ſed non diu duraturum. Exorta enim repente horribili tempeſtate, dum funebris pompa procederet, tantus omnes invaſit timor & terror, ut qua quis poſſit fugeret, & ſub tecta ſe reciperet. Tumba demortui tracta fuit ad vicinum ſacellum. O gravem Dei manum, cum punit. Fulmen de cœlo delapſum corripuit primo majorum appoſita inſignia & vexilla, tum tapetem tumbæ inſtratum, denique ipſam tumbam, & demortuum cadaver momento redegit in cineres, relictis oſſibus avernali fuligine inductis. Quid quæſo prodeſt Auditores, tanta pompa efferri ad infernum? quid prodeſt corpus ita honorari, ſi anima jam jaceat ſepulta in flammis? Cavete! timete divites.

§. 14. *Tragicum ſepultæ puellæ exemplum*

Cavete quoque ſuperbæ Virgines & Matronæ; quæ in divitiis, in luxu impie vivitis. Prout vivitis, ſic moriemini: qualis vita, talis veſtra erit ſepultura. Speculum ſit illa puella de qua ait Cæſarius l. 4. c. 22. Dicam vobis rem terribilem; quæ meis temporibus in mea villa contigit. Puella dives, ſed impia, vanitatibus mundique gaudiis plus æquo addicta. tandem defuncta fuit, & ſepulta in atrio Eccleſiæ. Mane venientes ad templum, vidimus tumulum ejus, ad inſtar fornacis, fumum eructantem, unde exterriti, & videre volentes, quid hoc portenderet, terram ejecimus, & ecce! cadaver ipſum exarſit horribilibus flammis. Unde conjecimus, probabiliter etiam animam ſepultam fuiſſe in inferno. Repeto toties inculcatam combinationem; Divitiæ! ſcelera, impia vita! infelix mors! ſepultura in inferno.

§. 15. *Zeno Imperator vivus tumulatur.*

Zeno Imperator Orientis (ſic refert Zonaras) gulæ & ebrietati adeo fuit deditus, ut ſæpe à mortuo non differret. Cum propterea conjugi Ariadnæ eſſet inviſus, juſſit inebriatum veluti mortuum inferri ſepulcro, & immane ſuper imponi ſaxum. Zeno ſi-

no ſibi reſtitutus ſub lapide horrendum clamare, vociferari, ejulare! fruſtra. Noluit Ariadne removeri ſaxum; ſic inter ejulatus miſer tandem fuit extinctus. Cavete divites impii, ne ſimilis vobis ſit parata ſepultura.

Cavete divites, avari, impii Sacerdotes & Canonici! ſpeculum vobis ille Eccleſiaſticus, qui licet ex patrimonio Chriſti viveret luxurioſe & impie, ex ære ſibi vivus curavit fundi ſepulchralem imaginem. Statua ipſius flectebat coram imagine crucifixi, muto ore proferens v.1.pſ.50. *Miſerere mei Deus.* Moritur! infertur ſepulcro! erigitur præparata imago, ſed altera die mane, cæteris omnibus characteribus deletis remanſit hæc vocula ex primis literis. *Miſer!* ſine dubio, quia anima ſepulta fuit in inferno. Etiam in perſonis Deo Sacratis ſæpiſſime hæc tria non ſeparantur; Divitiæ! ſcelerata vita! Miſerabilis mors, & ſepultura in inferno.

§ 16. *Funeſta Epitaphii mutatio, in divitis Canonici tumulo.*

O divites, divites! (nam à vobis uti cœpit, ita & in vobis deſinet hæc mea dictio, utinam fructuoſa.) O divites, quæro ex vobis, quis veſter erit tumulus? quæ mors? quod ſepulchrum? quod epitaphium? hic ſileo! id vobis perpendendum relinquo, & unicam hanc obſecro, dum jam ex hoc templo egrediemini, vel dum cubitum conceditis, vel dum ambulatis! hanc inquam vocem frequenter conſiderate, *Aeternitas! æternitas! quam longa es æternitas!*

§. 17. *Epilogus, ſive pathetica allocutio ad divites de æternitate.*

CONCIO XLVII.

DOMINICA XIIX. POST SS. TRINITATEM.

Quid vobis videtur de Chriſto.

Matt. 22. v. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponitur Auditoribus hæc quæſtio, *Quid videatur de Chriſto?* & reſpondet auctor; eſſe objectum amoris noſtri digniſſimum. Miſcentur multa elogia Chriſti D. præſertim de ejus erga nos amore; variique affectus amoris intercurrunt.

§. 1. *Exordium breve & propoſitio.*

§. 2. *Objectum amoris noſtri digniſſimum Chriſtus D.*

§. 3. *Ejus elogia ſecundum eſſe increatum.*

§. 4. *Elogia ſecundum eſſe creatum.*

§. 5. *Ratione humanitatis à ſponſa dicitur candidus, & rubicundus.*

§. 6. *Conglobatio attributorum, quæ Chriſto Domino ſunt communicata.*

§. 7. *Eodem amore digna eſt ſanctiſſima Humanitas. Ejus elogia.*

§. 8. *Chriſtus Dominus eſt ipſe amor.*

§. 9. *Varia amoris hujus deſcriptiones, & circumſtantia.*

§. 10. *Tres ſelecti diſcurſus de magnitudine amoris Chriſti erga nos.*

§. 11. *Affectus Xaverianus de amore Chriſti.*

§. 12. *Diſcurſus Avilæ.*

§. 13. *Affectus amoris in Chriſtum per contemptum creaturarum.*

§. 14. *Epilogus ad Auditores.*

§. 1. *Exordium breve, & propoſitio.*

EX pulcherrima areola florum, hac concione non niſi unicum decerpam. Ex elegantiſſimo roſeto, roſam unicam ſelegi. Id eſt, ex lecto Evangelio, quod nil aliud eſt, quam roſe-

roſetum vel areola, plena pulcherrimis ſpiritualibus documentis, veluti floribus, unicum verſum vobis proponam; qui quæſtionem à Chriſto propoſitam nobis quoque proponit, Quid nobis videatur de Chriſto. Quæ quæſtio, cum altiſſima in ſe contineat fidei noſtræ myſteria, præſertim de infinita Chriſti Domini excellentia, ita conabor illi reſpondere, ut cupiam, omnes voces & verba quæ prolaturus ſum, nihil aliud eſſe, quam ſcintillas & flammas, quæ in nobis inflamment amorem erga Chriſtum D. Et vero ut rem ipſam aggrediar, pluribus præfari ſuperſedebo.

§. 2. Objectum amoris noſtri digniſſimum eſt Chriſtus Ieſus.

Suavius, delectabilius, & excellentius objectum amoris noſtri eſſe non poteſt, quam ſit Chriſtus Jeſus, Filius Dei & Mariæ; Redemptor & Salvator noſter; Hoc enim de illo credimus, quod in una perſona Verbi ſint duæ naturæ, divina & humana, ſine ulla confuſione, vel mixtura utriuſque ſubſtantiæ. Quæ perſona propterea in ſe continet omnes theſauros omnium perfectionum, æternarum & temporalium, increatarum & creatarum, ſpiritualium & corporalium, ſupernaturalium & naturalium. Verbo continet in ſe, & à ſe, & per ſe ipſum omnes excellentias, quæ ſunt in cœlo & in terra, in Angelis & hominibus, in omnibus creaturis, & in ipſa divinitate.

§. 3. Chriſti elogia ſecundum eſſe increatum.

Atque ut ex fundamento rem tractemus, certum eſt, quod ex una parte ſecundum eſſe increatum, æternus & diviniſſimus Jeſus ſit ſecunda perſona SS. Trinitatis, æqualis primæ; & principium atque origo, cum prima, ſive Patre, perſonæ tertiæ Spiritus Sancti. Et quoque ſplendor & gloria Patris; Patris omnipotentia, & ſapientia; viva ejus imago, & perfectiſſima ſimilitudo, eſt unicus Filius ejus Patris, & Verbum, Deus genitus de Deo, lumen de lumine infinitæ perfectionis; ut Pater omnipotens, ſapiens, æternus ut Pater &c. totus amabilis ut Pater; ab omni creatura adorandus ut Pater, in una divinitate, in una æternitate, in una majeſtate & gloria. Unus eſt Pater, alter Filius. Et quid videtur vobis Auditores de Chriſto, in quo tantæ ſunt perfectiones, ego verbo reſpondeo. Eſt Deus.

§. 4. Elogia ejus ſecundum eſſe creatum.

Ex altera parte, ſecundum eſſe creatum, temporale & humanum, Jeſus Chriſtus eſt Filius Mariæ, plenus gratia & veritate, Thronus gloriæ, in quo divinitas ſubſtantialiter reſidet;

Sanctus

Sanctus per unionem cum divinitate, ſanctitate infinita; hæc ſanctitas facit, ut ſit ſpeculum ſine macula, abyſſus gratiarum & meritorum, caput & primogenitus omnium prædeſtinatorum. Hic eſt ille admirabilis Princeps pacis, Angelus magni conſilii, Rex Regum, Judex mortuorum & vivorum, gaudium univerſi, gloria cœli, honor terræ, horror inferni, hæres cœleſtis gloriæ, à quo omnis eſt perfectio, in ordine naturæ, gratiæ & gloriæ. Conſequenter duo hi tituli, vel duæ naturæ in Chriſto, divina & humana, admirabili modo unita, eundem faciunt cœlo & terræ adorandum, & amandum, Principem & Regem amoris, amoris increati & creati, cujus omnes perfectiones, ſunt totidem radii, totidem faces, totidem ardentiſſimæ flammæ, ut Chriſti hujus amorem accendant, in Angelis & omnibus electis. Hoc mihi videtur de Chriſto.

§. 5. *Ratione humanitatis à ſponſa dicitur candidus & rubicundus.*

Quoad formam verò ſanctiſſimæ humanitatis, ſive ſpeciem corporis, quod in utero Virginis obumbrante Spiritu S. aſſumpſit, talis eſt Chriſtus D. qualis à ſponſa in Canticis cap. 5. v. 10. deſcribitur. *Candidus & rubicundus electus ex millibus.* Candidus propter divinitatem; rubicundus propter humanitatem. In divinitate candidus eſt, ratione generationis æternæ à Patre æterno, per quam eſt candor æterni luminis, & rubicundus propt r amorem ſive Spiritum S. In humanitate candidus eſt propter vitæ innocentiam & rubicundus propter ſanctiſſimam Paſſionem. Candidus eſt in ſinu pulcherrimæ Matris, rubicundus inter brachia crucis. Quid vobis videtur de Chriſto? mihi ob duplicem hunc colorem, ob duplicem hanc pulchritudinem duarum naturarum in una perſona, Chriſtus Jeſus eſt tam amabilis ut alium nullum cupiam amare, niſi propter ipſum. Ipſe ſolus in anima mea ordinavit vexillum charitatis, ut ſponſa loquitur. *Ipſe vulneravit oculos & cor meum.* Ipſi ſoli ſervo fidem, & meum illi conſecro amorem. Seraphini, Cherubini &c. omnes ſancti in cœlis, omnes electi in terris, nil aliud agunt, quam ut ament Chriſtum. Nec ego agere aliud cupio, quam illum amare, quia mihi omni amore videtur digniſſimus.

Et cui

Et cui majori ratione omnes affectus noſtros, omnium cordium amores conſecrare poſſumus, quam Chriſto Domino, qui eſt infinita perfectione pulcher; infinita perfectione ſapiens, potens, dives, ſanctus; ideo quoque infinite amabilis. Imo, eſt ipſa pulcritudo, ipſa ſapientia, ipſa ſanctitas, ſi omnes ſtellæ, quæ lucent in firmamento, ſi omnes atomi volantes in aere, ſi omnia folia in arboribus, ſi omnes floſculi in hortis, ſi omnes arenæ in littore maris, ſi omnes guttæ oceani, ſi omnia grana in agris, converterentur in corda, ſi omnia Seraphicis arderent amoribus, amplius dico, ſi omnes creaturæ, quæ fuerunt, ſunt & erunt, ſi decem alii producerentur mundi, ſi creaturæ omnes poſſibiles, omnes, omnes! converterentur in Seraphinos; cogitate ſimili gradatione intendi eorum amores, tamen Chriſtum D. Filium Dei, quantum dignus eſt amari, propter divinas ejus perfectiones, amare non poſſunt. Quid videtur de Chriſto? Nunquid æquum eſt, ut & nos amemus? æquiſſimum ſine dubio, licet amor noſter guttula ſaltem eſſet. Sed! O precioſa guttula, ſi Jeſum amat! licet ſtellula tantum eſſet, ſed O nobile aſtrum, ſi ab amore accenſum arderet. Licet atomus tantum eſſet, ſed O felix atomus, ſi ſol divini amoris illum ad ſe attraheret. Licet granulum tantum eſſet, ſed O fœcundum granulum, ſi in terra amantis Deum cordis ſuccreſceret.

§. 6. Conglobatio attributorum, quæ Chriſto D. ſunt communicata.

Eodem amore digniſſima eſt ipſa ſanctiſſima humanitas Chriſti, cum enim unita ſit divinitati, eſt Oceanus & abyſſus ſine fundo omnium perfectionum. Eſt palatium animatum ſanctitatis. Eſt templum vivum omnium virtutum, & ſanctuarium gratiarum. Eſt fons cœleſtium benedictionum. In quantum homo, eſt Filius Mariæ, ſpecioſus forma præ filiis hominum, eſt dulciſſimus, eſt ſapientiſſimus, eſt amabiliſſimus, & totus deſiderabilis. Ite, quærite ex filiabus Jeruſalem qualis ſit ſecundum Humanitatem; dicent, totus pulcher! Quærite ex Angelis; dicent, totus ſpecioſus! quærite ex Seraphinis, dicent, totus amabilis! Quærite ex aſtris, dicent, totus lucidus, ſerenus, igneus. Quærite ex argentea luna, dicet, O quantis partibus me pulcrior eſt Jeſus! quærite ex ſole, reſpondebit, nulla

§. 7. Eodem amore digna eſt humanitas Chriſti. Ejus elogia.

Digitized by Google

eſt mea lux, nullus decor, præ illius fulgore longe Sereniſſimo. Proponite hanc quæſtionem floſculis & gemmis, quid illis videatur de Chriſto. Fatebuntur ultro, ſe eſſe tantum umbras vel atomos, reſpectu infinitæ pulcritudinis, quæ eſt in Chriſto. Quid vobis videtur Auditores? Ego dico, infinite pulcrum, infinito amore eſſe digniſſimum. Proinde, etſi amor omnium Seraphinorum, & Cherubinorum &c. etſi amor omnium hominum, qui hactenus in terris ardentiſſime amarunt Chriſtum D. & eorum qui amabunt adhuc; & omnium noſtrum amor, quo actu illum proſequimur, plus dico, ſi omnis amor creaturarum quem nobis imaginari poſſumus; addite, augete, multiplicate, numerate, quantum poteſtis, ſi inquam omnis hic amor diſtillaretur quaſi in quintam eſſentiam; hæc eſſentia hæc perfectio & intenſio amoris, erit tantum guttula reſpectu amoris infiniti, quo Chriſtus D. dignus eſt amari. Hoc mihi videtur de Chriſto. Abſit! ut ullus ſit ex meis Auditoribus, qui huic veritati velit reluctari.

§ 8. *Chriſtus D. eſt ipſe amor.* Chriſtus D. non tantum pulcher eſt; non tantum amavit nos, ſed eſt ipſe amor. O formoſe amor! O ſpecioſe Jeſu! quis in hac concione dabit mihi vocem, ut de hac cathedra, me audiat Oriens, audiat Occidens, audiat Meridies, audiat Septentrio; Jeſus Chriſtus eſt pulcer & dulcis amor. Cupio ut hæc mea vox aſcendat ad cœlos; cupio ut penetret abyſſum terræ, ut qui in cœlis, & qui in terris ſunt, imo ut audiant & tremiſcant diaboli in inferno, quod agnoſcam, credam, & ſciam, Chriſtum Dominum eſſe pulcerrimum & dulciſſimum amorem; filium Patris, & matris pulcræ dilectionis. Ipſe enim eſt fons & origo omnis ſancti & caſti amoris; increati in cœlis, & creati in terris. Ab æterno (ita oportet diſcurrere) omni momento, inceſſabiliter producit cum Patre, in unitate principii, amorem perſonalem ſubſiſtentem in ſanctiſſima Trinitate. Jeſus eſt amor Patris & Spiritus S. Eſt amor B. Virginis, Angelorum & omnium Electorum. Ab æterno conceptus & genitus eſt à Patre per operationem amoris. In tempore, amor detraxit illum de throno divinitatis in uterum Virginis. Parvulus de Bethleem fuit amor univerſi. Triginta tribus annis vixit in hoc mundo inter continuam operationem

amoris

Digitized by Google

amoris erga Deum & nos homines. In cruce pro nobis mortuus eſt, propter infinitum amorem. Ardebit hæc amoris flamma, in corde amoris, in corde Jeſu in omnem æternitatem. Agnoſcitis hæc mortales; hoc vobis videtur de Chriſto, & non redamatis amorem? Bene S. Paulus; *Qui Chriſtum non amat, anathema ſit.* Hoc eſt, qui cor non habet, ut Chriſtum amet, & ex toto corde, ille, qui vult vivere & mori ſine hoc amore, talis ſit privatus benedictione cœli & terræ, talis æternum ſubjaceat æternis maledictionibus, anathema ſit, ut æternum ardeat in inferno. Alterutrum eligite Auditores, & ſtatim, hac hora! mora eſt periculoſa. Eligite inquam, aut æternum ardere, aut amare Jeſum. Quid vero dicam de commodis & utilitate; quam nobis cauſat amor dulciſſimi hujus amoris, ſive dulciſſimi Jeſu Chriſti? quid proferam de fructibus dulciſſimæ hujus radicis, quæ vocatur, amor Chriſti? niſi quod ipſe Chriſtus dixit, *Hæc eſt vita æterna, ut homines me cognoſcant & ament.*

Sed qualis eſt amor Chriſti? Amor, genitus in cœlo, ab æterno! natus in tempore ex utero Virginis in ſtabulo; quam pulcer amor? quam dulcis amor? Amor! qui inſtar radii illuminat cor amantis. Amor! qui inſtar ignis ſuaviter illud accendit. Amor! qui inſtar mellis illud replet ſuaviſſimis affectibus & conſolationibus. Amor, quem veluti aquam bibimus in vitam æternam. Amor qui gratuito, ſine omni ſuo commodo nos amavit; & tantum amavit! antequam ab ullo homine ametur; imo etſi homines ſint ingrati, barbari; qui non tantum non amant amantem, ſed oderunt, & graviſſimis ſceleribus offendunt, quos nihilominus pergit amare. Amor, tam generoſe liberalis, ut ſe totum diverſiſſimis modis nobis profuſa quadam beneficentia communicaverit. Amor, totus ſollicitus, & nil aliud pro gratiarum actione deſiderans, quam ut à nobis iterum ametur; amor! qui amavit ab æterno, amat, & amabit in omnem æternitatem. Talis eſt Chriſtus Salvator noſter, ipſe eſt pulcerrima hæc lux, ardentiſſimus hic ignis, dulcis flamma, fons aquæ ſalientis in vitam æternam: qui quantum Deus nos amavit ab æterno: quantum homo à primo momento ſuæ conceptionis vel incarnationis in utero Virgi-

§. 9. Aliæ deſcriptiones amoris.

nis. Ipſe nos amat gratis, ipſe amat ingratos & peccatores; eſt liberaliſſimus, munificentiſſimus, nec aliud deſiderat, quam ut ametur. Quid videtur Auditores? an æquum judicatis, ut ejus deſiderio ſatisfaciamus; illum amando ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus noſtris.

§. 10. *Tres ſelecti diſcurſus de magnitudine amoris Chriſti D. erga nos.*

Exceſſum amoris Chriſti erga nos homines, putant aliqui ſancti Patres ſe altius extollere non poſſe, quam hoc diſcurſu. Si Patri æterno placeret, Filium ſuum Unigenitum, iterum deſcendere de cœlo, fieri hominem, vivere in terris, alios triginta tres annos, in iiſdem laboribus in quibus ſemel vixit; denique iterum mori in cruce, (ut paucis omnia comprehendam) illum iterum dicturum ex pſ. 39. v. 8. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem Patris mei.* Deus meus volui. Amor, quo nos amat Chriſtus Dominus, coget ipſum, ut faciat hæc omnia. Caritate, alacritate qua ſemel bibit calicem Paſſionis, ebibet iterum, iterumque. Altius hunc amorem elevat hic diſcurſus. Si Pater cœleſtis voluiſſet Filium ſuum pro redemptione generis humani in cruce, in illis doloribus, in illis anguſtiis, in quibus pependit trihorio; ſi inquam pater ita voluiſſet vel imperaſſet pendere uſque ad conſummationem ſæculi, facturum id fuiſſe libentiſſime, cum eadem caritate, cum illa patientia, cum illa humilitate, omniumque virtutum exercitio, quibus ſemel mortem in cruce ſuſtinuit. Quid addi poteſt magnitudini hujus amoris? & quod efficacius motivum ſuggeri nobis poteſt, ut Chriſtum, ſive amorem noſtrum amemus.

§. 11. *Affectus Xaverianus de amore Chriſti.*

Agnovit S. Franciſcus Xaverius Indiarum Apoſtolus, qui ſuſpirare ſolebat, præſertim coram imagine crucifixi; *Non me movet Domine ad amandum te, cælum, quod mihi promiſiſti, nec horrendus infernus movet me, ut non offendam te. Tu me moves, mi Deus! Movet me, quod videam te cruci clavis affixum, & excarnificatum. Movet me, quod videam corpus tuum tam vulneratum. Movet me mors tua. Et ita movet, ut ſi non eſſet infernus ullus, & ſi nullum eſſet cælum, adhuc amarem te &c.* Hi Xaveriani affectus, ſunt ſcintillulæ tantum, guttulæ tantum, ad oceanum, ad immenſum ignem amoris, quo nos amat Chriſtus D.

Avila,

Digitized by Google

Avila, piiſſimus ſcriptor, ita diſcurrit; *Si, quod eſt impoſſibile, cogitemus eſſe poſſibile, ſcilicet Chriſtum Dominum in ſtatu corporis glorioſi, in quo ſedet ad dexteram Patris, poſſe mori, & id placeret Patri, pro quovis peccatore, mortem acceptaret.* Quid grandius de amore Chriſti dici poteſt? Quid vobis videtur? §. 12. *Diſcurſus Avila.*

Meus hic eſt ſenſus. Valete omnes creaturæ; Valete honores, divitiæ, deliciæ hujus ſæculi; ex hoc momento vobis abrenuntio, ut adhæream Chriſto, qui vos contempſit, & paupertatem amavit: licet videamini pulchræ, nobiles, pretioſæ, ſuaves! non eſtis niſi vanitas; veſtra gloria eſt fumus, veſtra pulcritudo eſt lutum, ſpecies veſtra umbra; robur veſtrum, fragile vitrum, tota veſtra magnificentia, eſt flos, qui momento flaceſcit. Vanitas, & omnia vanitas, præter amare Jeſum. Valete iterum! Jeſum amabo, qui ſemper idem eſt, ſemper eadem pulcritudo, eadem bonitas &c. ſine omni mutatione & fine. Amor Chriſti, ita poſſidet cor meum, ut eum plus amem, quam Regum coronas & purpuram, imo totum mundum. Ament, qui volent dignitates, pompam honorum, aurum, argentum, gemmas, theſaurum, odores, convivia, Muſicam &c. Ego mi Jeſu, plus his omnibus te amo. Tu es Deus cordis mei; tu mea gloria, mea voluptas, meus theſaurus. Nihil eſt in cœlis, nihil in terris quod plus & magis, & ardentius amem, quam te. Hoc doleo, quod in tam paucis ſit hic amor; quod plurimi magis ament creaturam, quam creatorem, magis voluptates, quam Jeſum. Doleo adhuc magis; quod à multis meus amor offendatur. Super hos iterum ſit anathema. Alii volunt amorem ſuum dividere, volunt amare creaturas & Deum: & Chriſtum Dominum ſed amator noſter Jeſus, eſt zelotypus. Solus & totus vult amari. Cum ſermo ſit de diviſione, de ſociis, fugit! Vel totum; vel nihil! ait, cœleſtis amor. Cor amantis Jeſum hanc præferre debet ſibi inſcriptam epigraphen; Totum ſolius, & unius Jeſu Salvatoris. Hoc probe intellexit Elias 3. Reg. 18, 21. Iſraelitas hoc modo increpans: *Uſq; quo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* §. 13. *Affectus amoris in Chriſtum, per contemtum creaturarum.*

Agedum itaq; Aud. mei, nunc enim ultimo ex vobis interrogo, quid vobis videtur de Chriſto? audio plerorumq; reſponſa. *Satis eſt.* §. 14. *Epilogus ad Auditores.*

 Placet

Digitized by Google

§.13. *Omne & totum patiendi motivum, fuit amor.*
§.14. *Væ! non amantibus tantum amorem.*
§.15. *Ardentia hujus amoris deſideria & propoſita.*
§.16. *Varii alii, ejuſdem amoris, affectus.*
§.17. *Epilogus, cum affectu amoris.*

FIrma credo adhuc memoria viget eorum, quæ ante octiduum de amore Dei à me ſunt dicta, dum præclaram illam vobis proponerem quæſtionem, *quid vobis videtur de Chriſto?* audiviſtis, quid mihi de illo viſum fuerit, dum illum digniſſimum amoris objectum dicerem, dum ſanctiſſimam ejus humanitatem variis elogiis exornarem, dum illius amoris amore, creaturis univerſis remittendum eſſe nuntium contenderem. At ecce hodie, iterum ſe pectori meo, imo cordi, quin & linguæ inſinuat idem amor divinus. Nam non alterius hæc vox, *Confide fili*, quam amantis. Bene habet, adverto ſcopum amoris divini, hiſce verbis commendat nobis filialem in ſua bonitate fiduciam.

§. 1. Exordium per Anacephalæoſin concionis ſuperioris.

Repetam itaque eandem quæſtionem, quid videatur de Chriſto? & illas dabo reſponſiones, quæ eſſe poterunt ſolidiſſima fundamenta excellentiſſimæ hujus virtutis. Intentio mea fuit ante octiduum, ut Jeſus ſit ſolus & unicus noſter amor, intendo modo, ut idem ſit ſpes noſtra. Si placet, benevole attendite.

§. 2. Propoſitio.

Si verum eſt, quod ante octiduum dixi, & veriſſimum eſt, quod tantus ſit amor Chriſti D. erga homines, ut ſi Patri placeret, paratus ſit iterum deſcendere de cœlis, fieri homo, & mori in cruce, vel pendere in illa uſque ad finem ſæculi, &c. *Confidite filii*, confidite peccatores, tantus amor non projiciet nos à facie ſua, dummodo pœnitentiam agamus, & convertamur ad Dominum Deum noſtrum. Sed quid opus eſt diſcurſibus, qui ſupponunt pias fictiones, & rem quæ nunquam fiet. Non morietur Chriſtus D. iterum, neque opus eſt, ſufficit, ſatis eſt, ſemel fuiſſe mortuum, ſemel mori voluiſſe, infinitum arguit amorem, ſufficit, quod per tres horas pependerit in cruce, inter atrociſſima tormenta. Sufficit ſemel copioſiſſima liberalitate in ara crucis effudiſſe ſanguinem. Quisquis peccator, qualis & quantus ſit, hanc carita-

§. 3. Ingens ſolatium peccatoris ex amore Chriſti.

Digitized by Google

tem voluerit conſiderare, ſufficientiſſimas inveniet rationes, ut fiduciam ſuam ponat, in uno Salvatore Jeſu.

§. 4. *Quid peccator de bonitate Ieſu debeat cogitare pro ſolatio.*

Peccator pœnitens, dum hanc fiduciam in ſe vult excitare, ſic cogitet. Jeſus non ſolum Deus & Redemptor eſt, in communi, ſed eſt meus Deus, & meus Redemptor. Hæc fuit cogitatio Jobi, hoc ejus ſolatium, *ſcio quod Redemptor meus vivit.* O quam eſt ea dulcis cogitatio! quam hæc ſunt verba ſuavia! Meus eſt Jeſus, meus eſt Deus. Seraphicus S. Franciſcus paucis his verbis, una hac cogitatione, *Deus meus & omnia*! integras noctes potuit traducere. Unica hæc cogitatio ſufficiens eſt, ut in corde hominis accendat ingentem amorem, ut generet tenerrimum gaudium, & cordialiſſimam fiduciam in tanto bono.

§. 5. *Ieſus ubique meus eſt.*

Quomodo enim fieri poteſt, ut cogitem, Redemptor Chriſtus Parvulus de Bethleem, jacens in præſepio, meus eſt, in vita ſua meus eſt. In cruce & morte meus eſt. In Reſurrectione meus! ſedens ad dexteram Patris, meus! Breviter, in omni ſtatu, in omnibus myſteriis, in triſtitia, in gaudio, in humiliatione & contemtu, in honore & exaltatione, in doloribus & in deliciis Paradiſi &c. eſt quoddam bonum infinitum, quod voluntarie ſe nobis totum communicavit. Factus Redemptor noſter, ſimul facta eſt hæreditas noſtra; quotidie in Euchariſtia, admirabili & ſuaviſſimo modo, per cibum & potum repetitur hæc communicatio, in cœlis exſpectat nos, ut ibi illum poſſideamus in gloria in omnem æternitatem. Quisquis hæc cogitat, cur non exclamabit cum ſponſa cap. 2. Cant. v. 16. *Dilectus meus mihi & ego illi.* per tenerrimum ſcilicet amorem, & affectuoſam fiduciam, fundatam in hac maxima, Jeſus Chriſtus eſt Deus, eſt redemptor, & meus Redemptor, meus Deus. Quid vobis videtur Auditores? nunquid ex hodierno Evangelio merito dicimus; Confidite filii.

§ 6. *Proſecutio affectuoſarum cogitationum.*

Si quis ulterius cum S. Paulo ep. 1. ad Corinth. c. 1. 30. verſu velit conſiderare, quod Chriſtus D. ſit noſtra ſapientia, noſtra juſtitia, noſtra ſanctitas, noſtra juſtificatio, & principium omnium benedictionum in gratia & gloria quas deſiderare & ſperare poſſumus, in hac & in altera vita, ſi cogitemus Chriſtum D. fuiſſe primum objectum exemplar, & motivum, ad quod divina providentia or-

tia ordinavit, & fecit omnia, quæ fecit; ſi cogitemus omnes Dei adinventiones fundatas eſſe in Chriſto, tanquam in capite electorum, & Principe omnium, qui aliquando erunt beati in cœlis. Si cætera quæ hinc ſequuntur, nobis ponamus ob oculos, quod ſit noſter Pater, noſter ſponſus, noſter amicus, noſter frater, noſter Paſtor, noſter Dux, noſter Medicus, noſter tutor, noſter Magiſter, noſter Rex; verbo omnia! Et qualis obſecro Pater? ah, quid interrogo? amabilis Pater, dulcis Pater, benignus Pater, melleus Pater, verbo Pater, non de terra, ſed de cœlo Pater noſter, qui eſt in cœlis. At qualis ſponſus? ſponſus ſanguinum, quos noſtri amore profudit. Sponſus amoris, ſponſus cui nihil eſt in amoribus præ ſponſa ſua, anima Chriſtiana. Sileo reliqua, quæ obiter commemoravi elogia, vos ea cogitando melius, quam ego prolixius explicando aſſequemini. Si inquam hæc omnia conſideremus in Chriſto, nunquid fatebimur, nos habere inprimis graviſſimas obligationes, ut illum Patrem &c. amemus & revereamur, ut poſſibiles reddamus gratias, ut nobis gratulemur de tanto bono. Deinde ut cognoſcamus innumerabiles rationes, & firmiſſima fundamenta, ſuper quæ fundare homines poſſunt, etiam graviſſimi peccatores, cordialem quandam fiduciam, quam à nobis exigit, & quæ illi eſt longe gratiſſima. Quid vobis videtur Auditores; an non putatis nos poſſe fidere huic Patri, huic ſponſo &c. ego judico, bene dixiſſe Chriſtum Paralytico, *Confide fili!* & nos ſumus filii, confidamus.

Quisquis hanc fiduciam ſubinde vult firmare, hoc cogitet; Quid pro nobis fecerit Chriſtus D. O ſuavem rurſum cogitationem! cujus objectum ſunt admirabiles exceſſus, & effectus divini amoris & bonitatis. Pro nobis! Verbum æternum, & Deus infinitæ Majeſtatis, reliquit gloriam; reliquit ſocietatem Angelorum, reliquit ſinum Patris. Pro nobis! deſcendit de cœlis in hanc vallem lacrymarum. Pro nobis! quaſi annihilavit pondus ſuæ majeſtatis, & perſonam divinam univit Humanæ, in Incarnatione, factus homo! Et verbum caro factum eſt. In circumciſione, ſanctitatem, innocentiam, & puritatem ſuam infinitam quodammodo velavit mundo, dum ſe, pro nobis! ſignari voluit ſigno & cha-

§. 7. Creſcit amor ex alia cogitatione, quid pro nobis fecerit.

ractere peccatoris. Pro nobis! triginta annis vixit vitam abſconditam & laborioſam. Pro nobis triennio prædicavit Evangelium. Pro nobis: patravit tot miracula. Pro nobis! quadraginta diebus & noctibus jejunavit. Pro nobis oravit dies & noctes. Pro nobis ſuſtinuit tot opprobria, injurias, & contumelias. Pro nobis flevit! pro nobis pridie ante paſſionem ſanctiſſimum Euchariſtiæ inſtituit ſacramentum. Pro his omnibus, à nobis repoſcit amorem, & ut illi confidamus.

§ 8. *Proſecutio.*

Eramus in ſtatu miſerabili, in ſervitute & captivitate diaboli; in certiſſimo periculo æternæ ſalutis. Jacebamus in tenebris &c. eramus indigni vel minima gratia &c. Sed, ipſe venit, & redemit nos, & fecit nos dignos, ut ſimus filii Dei Ex filiis iræ, & mancipiis diaboli, quales eramus, deſtinati cum dæmonibus ad æternam damnationem; reſtituit nos libertati filiorum Dei, & cohæredes gloriæ æternæ. Nec hoc ſemel fecit, quoties poſt lapſum in peccatum mortale, per ſacramentum pœnitentiæ, & juſtificationem, reſtituimur in ſtatum gratiæ, renovantur hæc omnia mirabilia. O amorem! O caritatem! quoties ex iræ filiis reddit nos filios amoris & gratiæ? quoties nos eripit veluti ex faucibus inferorum? quoties aſſerit in libertatem filiorum Dei, animas noſtras, quæ ſub gravi ſcelerum dæmonumque jugo gemuerunt. Omnia hæc beneficia nobis præſtitit & præſtat Chriſtus; quid vobis videtur? an illum amare, an illi debeamus fidere; quod tam ſuaviter petit, confide fili.

§ 9. *Suſpirium Auctoris.*

Me quod attinet, ſupplico tuæ Majeſtati, mi Redemptor, mi dulcis Jeſu! Deus cordis mei, ut (mi Jeſu, ut ſic impleatur, & perficiatur menſura innumerabilium tuorum erga me beneficiorum) cor meum convertas in ardentem clibanum & fornacem, vel, carbonem ſaltem, ſed ſuccenſum & ſemper ignitum, flamma tui amoris. Volo mi Jeſu, ut ſis amor meus! ſpes mea! unica & tota fiducia mea.

§ 10. *Maxime amabilis eſt Chriſtus propter ca-*

Scio, alios innumeros eſſe titulos & obligationes, ut Chriſtum D. amemus & illi fidamus. Omnibus conſideratis, nullus eſt, qui illum nobis magis reddat amabilem, quam calix Paſſionis, quem pro nobis ebibit. S. Bernardus ſermone 20. in Cantica.

Vul-

Vulnera, quæ pro nobis ſuſtinuit, ut eſſent medicina; dolores, quos perpeſſus eſt, ut nobis æternum eſſet bene, infamia! quam pertulit, ut nobis acquireret gloriam! mors! per quam nobis peperit vitam. Verbo tota ejus Paſſio, nos maxime movere debet, ad illum amandum, & illi confidendum. Quis homo, niſi ſaxum ſit, aſpicere illum poteſt pendentem in cruce, affixum clavis; ut illi clavi, non ſimul aperiant oculos ad fletum, pectus ad ſuſpiria, cor ad amandum. Quis niſi tigris ſit, conſiderare poteſt Regem gloriæ, unicum Dei Filium quoad corpus ſubmerſum in Oceano dolorum, quod animam in abyſſo amaritudinis, ut non moveatur ad amandum? quomodo poſſibile eſt ut talis deſperet? Quid ſi conſideretis dolores continuos, & crucem continuam, ſive perpetuam per triginta trium annorum ſpatium? Quid ſi hanc circumſtantiam velimus perpendere, quod uno non integro die naturali, intra horas viginti quatuor, pro nobis fuerit venditus, traditus ſuis hoſtibus, captivus tractus fuerit in urbem, tractus per plateas Jeroſolymæ, ad Annam, ab Anna ad Caipham, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem; ab hoc iterum ad Pilatum; pro nobis tota nocte illuſus, conſputus colaphis cæſus, poſtpoſitus Barrabæ, flagellatus, ſpinis coronatus, damnatus ad mortem, denique in cruce mortuus?

licem Paſſionis.

§ II. Affectuoſa invitatio ad amorem Chriſti mutuum.

O vos omnes, qui hæc auditis; qui oculis fidei ſubinde aſpicitis Jeſum pro nobis expirantem in cruce, dicite, quid vobis videtur? ſi eſt, vel fuit, dolor ſimilis dolori Redemptoris? O vos omnes qui ſubinde tranſitis aliquem crucifixum, ſtate ut audiatis ultimum Chriſti morientis clamorem, illo tempore quo coopertus lachrymis, ſudore, & ſanguine in manus Patris tradit ſpiritum ſuum, interna eadem voce ita videtur nos alloqui; Videte mortales, exceſſum mei erga vos amoris. Omnia conſummata ſunt in materia caritatis. Nihil poteſt addi doloribus, in quibus me videtis, nihil amori! vere ſum vir dolorum, & multo magis ſponſus ſanguinis, ſive amoris & dilectionis, imo ſum ipſe amor. Quid videtur Auditores de Chriſto? eſtne talis dignus, ut ametur? mereturne illius bonitas, & infinita miſericordia, ut ſpem & fiduciam noſtram in illa collocemus? mihi non lubet reſpondere, ipſi

eſtote judices; ipſi quærenti & interroganti Jeſu, in cordibus veſtris: reſpondete, num velitis illum amare, & ſperare ab illo miſericordiam.

§. 12. *Trophæum & monumentum amoris.*

Addo prioribus ſuaviſſimas alias cogitationes, plenas ſolatio, de meo Chriſto. Sanctiſſima illius Humanitas in cruce, plena eſt myſteriis amoris. Eſt enim monumentum & glorioſiſſimum trophæum, erectum in monte Calvariæ, veluti theatro, ut à toto mundo poſſit videri. Hiantia Vulnera in manibus, pedibus, in latere, corde, & toto corpore, ſunt divites & patentes rimæ atque foramina, ex quibus amor ſuper nos effundit rivos ſui ſanguinis. Sunt eædem plagæ, literæ & characteres amoris, quos cordibus noſtris debemus inſcribere. Sunt eloquentes linguæ, quæ loquentur amorem, quibus reſpondere non poſſumus, niſi reciproce amando. Sunt ebullientes thermæ, ex quibus haurire licet ardentes aquas, quibus ſolis ſedatur ſitis amoris. Extenſa brachia nos invitant ad amabiles amplexus! Confidite peccatores! ad vos, vos inquam illa extendit. Cum caput inclinat, ſanguinis labiis vocis offert oſculum pacis & reconciliationis. Confidite filii, vobis offert! Spiritus quem tradit in manus Patris ardet amore, plenus eſt bonitate, ſpiritus dulcis, & vadit, ut ſit advocatus noſter apud Patrem; Confidite animæ pœnitentes, veſter eſt advocatus. Quid videtur Auditores de his myſteriis amoris? de tanta bonitate, de tanta miſericordia, mihi videtur, hoc judico, hoc aſſero & affirmo; peccatorem etiam graviſſimum, errare non poſſe ſi pœnitentiam agens, amet Chriſtum Salvatorem, & illi confidat.

§. 13. *Omne & totum patiendi motivum fuit amor.*

Quod in immenſum auget Chriſti Domini amorem, & ſpem noſtram roborat, eſt, quod omnia quæ fecit Chriſtus Dominus omnia quæ paſſus eſt, pro nobis fecit & paſſus eſt, ſine ullo debito vel obligatione ex ſua parte, ſine ulla neceſſitate, ſine ullo commodo, imo licet ſciret, milliones hominum fore ingratos, tamen tam atrocia in vanum voluit pati, ſolum quia nos amavit, & ut ſatisfaceret inclinationibus ſui amoris. Hic itaque amator, in hodierno Evangelio, ſuaviſſime nos alloquitur, vocat filios,

filios, & rogat nos, ut confidamus; *Confide fili.* Iterum ego nolo reſpondere; in cordibus veſtris ipſi reſpondete, & quid de illo ſperare velitis. Si haberem vocem, quam optavi ante octiduum, ut audiatur in Oriente &c. clamarem, Jeſus amor meus, & una ſpes mea! atque fiducia.

Quid verò vobis videtur Auditores, de illis hominibus quorum corda, licet divinus amor, vel amans Chriſtus effundat flammas amoris, rivos bonitatis, nihilominus manent corda illorum frigida & ſordida! vel dura inſtar petræ vel ſaxi. S. Paulus dudum reſpondit, *ſunt anathema.* Ignis inferni aliquando diſſolvet illam glaciem, in igneas lacrymas deſperationis; in inferno æternum ardebunt illorum ſordes, & non exurentur. Ardebunt illæ petræ, & in æternum ad utilem pœnitentiam non liquefient. Confidite vos Auditores, & nolite timere infernum. Corda enim veſtra ita ſunt diſpoſita, ut concipiant flammas dulciſſimi illius amoris; ut liquefiant radiis tantæ bonitatis. Jeſus eſt Deus cordium noſtrorum, ipſe ſolus eſt amor noſter. Chriſtus eſt unica ſpes noſtra. Si ita eſt, confidite, æternum cum eodem Chriſto erimus felices in gloria.

§ 14. Væ non amantibus tantum amorem.

Suaviſſimæ cogitationes, de excellentia, de amore, de bonitate CHRISTI, quas hac concione vobis propoſui, in filiis Dei generant excelſa deſideria, & firma propoſita. Invocant cœlum & terram in teſtes, quod licet inpoſterum, Chriſtum Dominum tantum amare non poſſint, quantum dignus eſt! velint tamen illum amare ſuper omnes alias creaturas amabiles, quæcunque illæ ſint. Sine ulla exceptione: & plus quam ſe ipſos. Amamus v. g. noſtros oculos; plus debet amari Jeſus. Ille noſter dexterrimus Oculus. Conſulit ille bonis, proſpicit ille malis. Amamus amicos? quis illo amicior? Amamus quæ pulcra ſunt, quis illo formoſior? amamus honores? Rex gloriæ JESUS eſt! Amamus delicias; ille fons eſt omnis voluptatis. Amamus vitam, & vita noſtra, & Spiritus noſter ab illo eſt. Amemus ergo, amemus amabilem, &c. Deſiderium mei amoris eſt, ut inpoſterum

§. 15. Ardentia hujus amoris deſideria

vivam captivus amoris, ad pedes Jeſu, & moriar inter brachia mei Redemptoris; has gratias ſpero à bonitate Jeſu mei.

§.16. *Varii alii amoris affectus.* Hoc prætereà ſolet eſſe deſiderium & firmum propoſitum, Jeſum amantis animæ, dum ita gemit & ſuſpirat. O anni! O menſes! O dies! O horæ! O quadrantes! O momenta præteriti temporis, ubi eſtis, quibus Jeſum meum non amavi! opto, deſidero, volo, nullum præterfluxiſſe, quo non deſiderem amaſſe Jeſum; quis verò mihi dabit inpoſterum, annos, menſes &c. momenta innumerabilia, ut in illis amem amorem meum! In hoc ſum beatus; habeo fiduciam, me id facturum in omnem æternitatem. Ardens fuit deſiderium S.Pauli, cum dixit 2.Cor.5. verſ.14. *Caritas Christi urget me*, ſic eſt, ſentio, & ego urgeor, ut inpoſterum ſervem mandata amoris. Caritas urget me, ut amem Chriſtum inpoſterum ex toto corde &c. Caritas urget me, ut deinceps ita adhæream Chriſto meo, ut nihil ab illo me poſſit ſeparare. non vincula, non fames, non nuditas, non gladius, non perſecutio, non ipſa funeſta feralis mortis imago. Caritas Chriſti urget, ut ab hoc momento inpoſterum malim millies mori, quam peccare mortaliter. Caritas urget me, ut inpoſterum propter ipſum, diligam etiam inimicos meos. Urget me, ut doleam ſerio de peccatis meis. Urget me, ut ſincera exomologeſi tandem aliquando illa expiem, urget me, ut cum Davide identidem exclamem flebile illud, miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. vel, devotum illud, pſ.41.v.1. *Quemadmodum deſiderat cervus &c.* Et inter hos affectus, amabo Jeſum meum; in hoc pono ſpem atque fiduciam meam.

§.17. *Epilogus cum affectu amoris.* Finio. O Amor! O ignis ſemper ardens! O Jeſu accende me tuo amore, qui eſt ſanctus, bonus, caſtus, purus, ſuavis, cœleſtis, divinus. Amo te ex toto corde. Permitte Jeſu, ut te inveniam theſaurum meum, ut te poſſideam, beatitudinem meam. Ut te teneam & deoſculer dilectum meum. Ut te amplectar ſponſum meum, ut te amem conſolatorem meum, ut tibi fidam, ſpes mea! ut te ſequar, Ducem meum, ut à te paſcar, Paſtore meo. Ut te videam, lumen meum, ut te guſtem, manna meum! Ut te bibam, fontem meum, ut te reverear Regem meum. Ut te com-

plectar,

plectar, Patrem meum; Ut te adorem, Deum meum. O amor! O Jeſu! Jeſu.

CONCIO XLIX.

DOMINICA XX. POST SS. TRINITATEM.

Ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores.

Matt. 22. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TErribilis eſt hujus concionis materia. De inferni flammis agit. 1. Ubi & quantus ſit futurus infernus. 2. Qualis ille locus. 3. Qualis ignis. Hæc legant, audiant, perpendant obdurati peccatores, affectu varii timoris.

§.1. *Duabus columnis regna omnia innituntur.*
§.2. *Propoſitio.*
§.3. *Inferni exiſtentia probatur ex ſacris litteris.*
§.4. *Ubinam ſit, & quantus.*
§.5. *Leſſii ſententia de compreſſione damnatorum in inferno.*
§.6. *De eadem re ſententia P. Ribera & aliorum terribilior.*
§.7. *Pars ſecunda, qualis locus ſit infernus.*
§.8. *Affectuoſa Apoſtrophe ad peccatores, & hypotypoſis.*
§.9. *Pars tertia, qualis ignis in inferno.*
§.10. *Mirabilis inferni ignis, ardebit, at non lucebit.*
§.11. *Ubi quinta eſſentia dolorum omnium.*
§.12. *Terribilis ignis, quod ſine remiſſione & quod æternus.*
§.13. *Ignis abominabilis ex fætore.*
§.14. *Graves ſententiæ ſanctorum Bernardini & Cypriani.*
§.15. *Exemplum fructus ex conſideratione inferni.*
§.16. *Epilogus cum ſeria paræneſi & affectu timoris.*

Sapien-

§.1. *Duabus columnis regna omnia innituntur.*

SApienter dixit Democritus adminiſtrationem regni inniti veluti duabus columnis, amori & metui, id eſt, ut Rex rempublicam bene gubernet, à ſubditis debet amari & timeri. Amorem ſibi conciliabit beneficiis erga bonos; timorem injiciet pœnis erga malos. Cyrus Rex Perſarum dicere ſolebat, debere Regem habere duo brachia, vel duas manus, unam ornatam ſertis & gemmis ad remunerandum fideles. Alteram armatam gladio ad caſtigandum rebelles. Rex talis eſt Rex Regum & Dominus dominantium Chriſtus Jeſus Salvator noſter pſ. 24. v. 8. *Dulcis & rectus eſt Dominus.* Caſſiodorus, *Dulcis, ut ametur, rectus* (juſtus) *ut timeatur.* Eo fere tendunt omnia Evangelia per annum, in multis & pleriſque, quia miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus, videmus quam ſit dulcis erga ſuos, erga electos. In aliis, præcipue hodierno, videmus quam ſit terribilis! miſerum hominem ob defectum veſtis nuptialis jubet ligatis manibus & pedibus projici in tenebras exteriores, id eſt, in infernum.

§.2. *Propoſitio.*

Ante biduum in feſto omnium ſanctorum duxi vos ad cœlum, hac concione ducam vos ad infernum; ſed optima intentione, ut impios terream. Triplicem autem proponam quæſtionem. *Prima* erit: ubi & quantus ſit infernus. *Secunda.* Qualis ſit locus, infernus. *Tertia*, qualis ignis ibi torqueat damnatos. Materiæ gravitatem videtis; proinde de benevola attentione non dubito.

§.3. *Probatur inferni exiſtentia ex ſacris litteris.*

Et primo quidem ſuppono ut indubitatum ex ſacris litteris, certiſſima fide vos credere eſſe infernum, ſic enim lego Numer. 16. v. 31. *Confeſtim dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos, deſcenderuntque vivi in infernum.* Deuter. 32. v. 22. *ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima.* 2. Reg. 22. v. 6. *funes inferni circumdederunt me.* Jobi 14. v. 13. *ut in inferno protegas me.* Job. 21. v. 13. *in puncto ad inferna deſcendunt.* pſ. 9. v. 18. *Convertantur peccatores in inferno.* pſ. 17. v. 6. *pericula & dolores inferni circumdederunt.* pſ. 48. v. 15. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt.* Sap. 5. v. 14. *Talia dixerunt in inferno.* Iſ. 7. v. 11. *in profundis inferni.* Baruch, Ezech. Daniel, Oſeas, Amos, &c. Luc. 16. v. 22. *Mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno.* Hinc articulus eſt fidei, eſſe infernum.

Prima quæſtio eſt, ubi ſit infernus, & quantus ſit. Reſpondent SS. Patres S. Aug. S. Hier. Damaſcenus, Beda, S. Thomas eſſe in medio terræ, ſive centro terræ; in illa, quam damnati, dum in hoc mundo viverent, adeo amarunt, juſtus Deus poſuit carcerem, in quo reprobi æternum punientur. Imaginamini ergo vobis totum elementum terræ, veluti ingentem globum, & in medio igneum carcerem inferni. Magnitudinem quod attinet, id eſt, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, duplex eſt ſententia. P. Leſſius l.13. de perfect. d. c.24. putat magnitudinem illius non excedere unum milliare germanicum in omni dimenſione, ita ut alius ſit uno milliari, & uno profundus &c. quod mirum videri non debet, nam etſi juxta Mathematicam ſupputationem cuivis corpori damnato aſſignentur ſex pedes in longitudine, duo in latitudine, unus in craſſitie, in uno tali miliari locus erit, ut compingantur octingenta millia millionum corporum, quot fortaſſis non erunt. Hanc damnatorum compreſſionem per ſimilia aliquo modo comprehendere poſſumus. *§. 4. Ubinam ſit & quantus.*

Vidiſtisne hac vindemia quot millia botrorum in unum torcular injiciantur, quam deinde à torculari comprimantur. hoc modo in igneo torculari cogitate comprimi corpora damnatorum. Qui premunt torcular miniſtri ſunt, die Kelterſknecht/ diaboli, juncturæ, die Schraube/ pondera, ignea ſaxa, ignei montes &c. Vidiſtisne aliquando, qua ratione in parva ignea fornace multa millia laterum componantur, quos tamen omnes ignis penetrat, &c. hac ratione cogitate vos videre in infernali fornace milliones damnatorum. Vel accedite vas halecum, & videte quot millia in parvo vaſe ſint compreſſa, hoc modo damnati compreſſi jacebunt. Vel accedite ferventem ſalis lebeten, ein brennenden Saltzkeſſel/ inſpicite bene, qua ratione ſe comprimant ardentia ligna, vel quot millia carbonum in uno & exiguo jaceant cumulo, hac ratione cogitate vos videre ardentia damnatorum corpora in inferno. Ratio ob quam P. Leſſius tam exiguum facit infernum, eſt, quia putat hoc fore in majorem damnatorum pœnam, ut nullo modo ſe movere poſſint. *§ 5. De compreſſione damnatorum in inferno, ſententia Leſſii.*

P. Ribera, & alii putant capacitatem inferni fore ad minimum quinquaginta millia, non quod putent prius fieri non poſſe, ſed *§ 6. De eadem*

Digitized by Google

re ſententia P. Riberæ & aliorum terribilior.

quia putant infernum magnum fore terribiliorem, quam parvum. Compreſſionem corporum & hi concedunt, ſed præter illam dicunt, diabolos ſubinde damnatos educere vel raptare in altiſſima juga igneorum montium, indeque ad terrorem præcipitare in igneas abyſſos & voragines. Dicunt in inferno eſſe igneas ſylvas, per quas damnati à diabolis agitantur veluti tauri & beſtiæ. Dicunt ignea circumire ſpectra à quibus terreantur, igneos rugire leones, à quibus diſcerpantur; igneos volare dracones, à quibus intoxicentur, dicunt igneos manare fluvios, in quibus ſubmergantur, igneas ardere fornaces, in quibus uſtulentur, ignèas exſtare columnas, quibus alligentur, igneas extare catenas, quibus flagellentur; igneas jacere craticulas, in quibus extendantur, igneas adeſſe incudes, in quibus contundantur. Quid ſentitis Auditores? annon ſunt hæc dira, ſæva, terribilia? Ah quicquid de inferno dicitur vel cogitatur, reipſa longe minus eſt. *Majora vidi*, dicebat nonnemo, apud Drexelium. S. Bernard. ait, ***ibi clamabit dæmon ad dæmona, percute, dilacera, injice prunis & ebullientibus impone lebetibus.*** Quæ quia veriſſima ſunt, major capacitas inferni, quam unius milliaris requiri videtur. Quænam ex his duabus ſententiis verior ſit, damnandi aliquando videbunt, ego nec magnum nec parvum infernum ingredi cupio.

§. 7. Pars altera. Qualis locus ſit infernus.

Quæſtio altera eſt, qualis ſit locus? reſpondebo cum ſanctis Patribus. 1. cum Hugone l. 4. de anima. *Infernus locus eſt plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali.* 2. cum S. Bernard. ſer. 5. de regionibus. *O regio dura & gravis, regio extimeſcenda, regio fugienda, terra oblivionis, terra afflictionis, terra miſeriarum* addit multa &c. tandem concludit. *Totus tremo, atque horreo ad memoriam iſtius regionis, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea.* 3. cum Cyr. Alexandr. de exitu animæ. *Huc demerguntur animæ peccatorum, in omne ævum cremandæ, in terram noctis æternæ, ubi non lumen. Sed jugis ægritudo, ſed mæror inceſſabilis, ſed planctus per noctes, væ illic æternum, illic heu me! heu me! illic ingemiſcunt aſſidua, nec illic miſeretur, clamant è profundis,* (Heu dolor! clamant, ejulant, vociferantur, lamentantur, fruſtra

Digitized by Google

fruſtra omnia, ***non exaudiuntur.*** Clamant ex igneis fornacibus, fontibus, ollis, catenis, columnis, craticulis. Fruſtra eſt, ***non exaudiuntur.*** Ingeminant lachrymabile illud *væ, væ, væ*, fruſtra ***non exaudiuntur.) & nemo flectitur, lamentantur, & nullus eripit, exclamant & plangunt, & nemo miſeretur.*** 4. cum S Gregor. in cit. th. con. ***in inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cadentium, horrida viſio dæmonum, confuſio peccatorum, deſperatio bonorum omnium.***

§. 8. *Affectuoſa Apoſtrophe ad peccatores.*

O peccatores, adesdum, adesdum: vivi deſcendite in infernum, ne mortui deſcendatis. En animas maledictas, fingite vos illas videre in flammis illis Tartareis! En ut ſuſpirant, ut ingemiſcunt, ut horrendis clamoribus omnia implent! Aſpicite illas, fortaſſis ex iis ſunt, quas noviſtis olim dum viverent. Et cur obſecrò damnatæ ſunt? quærite ex iis. Reſpondebit *una*, ego ob unum alterumque adulterium: Tu, tu peccator quot adulteria commiſiſti, nec adhuc per confeſſionem expiaſti? Reſpondebit *alia*, ego in ebrietate morte præventa ſum. Tu, tu peccator adhuc vivens quoties vah, quoties te inebrias? nec adhuc ardes in flammis inferni? Dicet *Tertia:* Ego ob fornicationem unam occultam; *Quarta*, ego ob tres vel quatuor detractiones, Quinta, & ego ob invidiam, quia nolui hoſtibus ignoſcere. O peccator, quid ad hæc loqueris? non agnoſcis hinc alterum divinæ Juſtitiæ, inde alterum divinæ clementiæ brachium? Tu, tu quod necdum ardeas; habes quod gratias agas miſericordiæ; Illas quod cruciari videas, habes quod agnoſcas divinæ juſtitiæ rigorem. Vale, & mox fac dignos fructus pœnitentiæ. Deus non irridetur. Plura talia habent SS. PP. ſed propero ad quæſtionem Tertiam.

§. 9. *Pars Tertia. Qualis ignis in inferno.*

Qualis ignis ſit in inferno? S. Auguſtinus reſpondet primo hic ſerm. 181. de tempore. *Ignis illius potentiam nulla vox exprimere, nullius poterit ſermo explicare.* Alibi dicit, omnem ignem elementarem in hoc mundo reſpectu illius eſſe veluti pictum. S. Chryſoſt. hom. 49. ad pop. Ant. *Pone ignem, ferrum & beſtias, & ſi quid his difficilius attamen nec umbra ſunt ad illa tormenta.* Cogitate vos videre ardentem fornacem, magnum veluti montem,

Digitized by Google

cogitate vos videre Ætnam vel Veſuvium, cogitate vos videre ardentem Sodomam, cogitate ardere totum mundum (poteſt fieri pulchra deſcriptio & inductio omnis ignis, qui à mundo condito arſit in fornacibus, in viſceribus terræ, in aere &c.) hoc fiet illa die! & quid? picturæ ſunt, umbræ ſunt reſpectu ignis infernalis: in hoc damnati æternum ardebunt. Audi ſuperbe! diabolus in obſeſſa Toledi Anno 1604. coactus concionari, poſtquam multis egiſſet de inferno, dixit, *huc peccatum meum me præcipitavit. Eundum igitur & vobis erit, niſi caveatis, cum infernis Satanis ad ſulphur, ad ignem, ad pontem, ad caſtellum, ad fluvium, ad rotundam domum.* Idem vobis dico impii, niſi egeritis pœnitentiam, niſi alter alteri ignoverit, niſi occultas illas libidines, illas fornicationes fœdas, illa adulteria deteſtanda ſacra exomologeſi expiaveritis, niſi converſi fueritis à viis veſtris peſſimis; certum eſt, ſtatutum eſt, fixum ratumque eſt, in his quoque flammis una mecum in æternum ardebitis.

§. 10. *Mirabilis inferni ignis ardebit, at non lucebit.*

Secundo hoc erit mirabile in igne inferni. Ardebit, ſed non lucebit. Erit enim denſiſſimus, plenus ſulphure, fumo, & ſimili materia, quæ damnatorum oculos quaſi excœcabit. Ideo in hodierno Evangelio Salvator ait, *projicite in tenebras exteriores.* Sanct. Petrus Dam. opuſc. [illegible]. c. 2. *Illa ultrix flamma vitiorum habet ardorem, non habet penitus lucem.* D. Baſilius in pſ. 33. *Cum te appetitus invaſerit peccandi, velim cogites profundum barathrum, inextricabiles tenebras, & ignem carentem ſplendore, urendi quidem vim habentem, ſed privatum lumine. Niſi* (ſecundum S. Thom.) *Subinde in majorem pœnam, ut videant quæ affligant.* D. Greg. l. 9. mor cap. 19. *Gehennæ flamma reprobis nequaquam lucet ad conſolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam; ut magis torqueat, aliquid lucet. Nam ſequaces quoque ſuos ſecum in tormento, flamma illuſtrante viſuri ſunt, quorum amore deliquerunt.* Item ut videant horrendas larvas dæmonum, ut videant inſtrumenta tormentorum, ut videant, non quæ conſolationem aut levamen afferant, ſed quæ magis magisque excrucient, ut videant ignitos forcipes, catenas flammeas, virgas, dracones, ſerpentes, &c. Heu qualis ille viſus

viſus! Heu quales terrores! O peccator, cur hæc non frequenter perpendis? *Memorare, memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis: & memento iræ, quoniam non tardabit*, inquit Eccleſiaſt. c. 7. v. 18. 40. *Vtinam cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem ſunt tibi*, Luc. 19, 42. ex lamento Chriſti ſuper indurata Jeruſalem.

Tertio ignem inferni merito aliqui vocant quintam eſſentiam omnium dolorum, id eſt, huic igni permixti erunt infiniti alii dolores. Ignis hic materialis urit, & dolorem cauſat ſibi proprium, ſed non alios dolores verbi gratia, podagræ, calculi &c. ignis inferni affliget omni genere dolorum. Deuteron. 31. verſu 17. *Et iraſcetur furor ejus contra eum. & invenient eum omnia mala & afflictiones, ita ut dicat in die illo, vere quia non eſt DEVS mecum, invenerunt me hæc mala.* & 32. cap. verſ. 23. *Congregabo ſuper eos mala.* Oleaſter. *Omne genus malorum in eos mittam*: non unum aut aliud, ſed omnia mala, omnes dolores. Pater Leſſius in acutiſſimis doloribus calculi exclamare ſolebat: *O Peccatores ſi DEVS hic in uno membro ita torquet* (& ſæpe bonos) *quid in inferno erit? ubi nec membrum, nec nervus, nec muſculus ſine cruciatu erit.* Omnia hic ignis vi ſua penetrabit, & ipſas animas. Sanctus Iſidorus in ſyn. cap. 1. *Intende animo quaſcunque ſaculi pœnas, quoſcunque tormentorum dolores, quaſcunque dolorum acerbitates, compara hoc totum gehennæ, & leve eſt omne quod pateris.* Sanctus Auguſtinus de catech. rud. capite vigeſimo quarto. *Nullus cruciatus pœnarum temporalium poteſt ſempiternis ignibus comparari, aut par excogitari.* Hæc certa ſunt Auditores, & quid facimus? bene dixit Sanctus Chryſoſtomus homilia 55. ad populum. *Quamvis ignis ille exæſtuet, nos tamen ridemus & delicias amplectimur, & delicioſe vivimus.* §. 11. *Quinta eſſentia dolorum omnium.*

Quarto hoc terribile. Ignis hic cum omnibus his tormentis per totam æternitatem non habebit ullum gradum remiſſionis. Duo dico, quod æternus ſit, quod ſine remiſſione. Hodie ignis conſumitur, remittitur, niſi materia nova addatur. Ardebunt ergo damnati ſine omni remiſſione, ſine omni vel mini- §. 12. *Terribilis ignis, quod ſine remiſſione & quod æternus.*

Digitized by Google

mo ſolatio. Daß Feuer wird nicht ſchwächer oder kühler werden. S.Cypr. ep. ad Demetr. *Cremabit ardens ſemper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna: nec erit unde habere poſſint tormenta vel requiem vel finem.* S.Ber.l. Medit.c.4. *Sic ignis ibi conſumit, ut ſemper reſerveat, ſic tormenta aguntur, ut ſemper renoventur, ardebunt miſeri in igne æterno in æternum.* Pulchre Seneca ep. 78. *hoc ſolatium vaſti doloris nemo poteſt valde dolere, & diu.* In hoc mundo verum eſt, acuti ſunt dolores calculi; at *non diuturni*: acute vexat podagra, at *non diu*: maligne cruciant malignæ febres; at *non diu:* mire torquent dentes computreſcentes, aut ex catarrho intumeſcens gingiva, at *non diu.* Infeſti ſunt dolores cholici, at *non diuturni.* Et ſic de omnibus ac ſingulis loqui licet morbis hujus ſæculi. Sed eheu, eheu aliter de tormentis inferni. Ibi & acuti ſunt dolores, quia infernales, & diuturni quia æterni! O æternitas, æternitas.

§ 13. *Ignis abominabilis ex fœtore.*

Quinto ignis inferni erit plenus fœtore & ſummopere penetrativus. Itaque omnes ſenſus corporis affliget. Fumo oculos, ſtridore aures, fœtore nares, ſulphure guſtum, ardore tactum. Præterea totum corpus penetrabit, v.g. nec muſculus erit, qui non ardebit, nec guttula ſanguinis, nec pilus in capite, nec porus in toto corpore, qui non ardeat, imo ipſa anima ardebit, pſal.20. v.10. *pones eos, ut clibanum ignis.* Job.20. v.26. *devorabit eos ignis.* S.Greg. l.15. mor. *Vt oſtendant* (David & Job) *exterius interiusque reprobos ardere.*

§.14. *Gravis ſententia DD. Bernardini & Cypriani.*

S. Bernardinus Senenſ. *Habebit* (damnatus) *in oculis continuas lachrymas, in auribus timorem & terrorem, in manibus inſupportabilem fœtorem, in dentibus terribilem ſtridorem, in ore horribilem clamorem, & in corde inconſummatum dolorem?* addo ego in anima &c. Quid ad hæc cogitatis impii? D.Cyprianus ait dæmones, quoties infernum audiunt nominari, contremiſcere. Quid vos? vivitis quaſi non eſſet infernus &c. (eſt locus pro pulchra invectiva.) Vos quæſo Auditores alia cogitate.

§ 15. *Exemplum fructus ex conſidera-*

Lovanii 1602. Bertrandus Cornelius inter epulas & choreas adeo motus fuit cogitatione inferni, ut tandem ſociis dixerit: *definitum eſt mihi ſocii, deinceps alium hominem agere, nullam ſalutis occaſio-*

occaſionem negligere. O ſocii eſt infernus! his dictis abiit, ingreſſuſque eſt Soc. Jeſu, in qua 34. annis piiſſime vixit. *tione inferni.*

Finio cum dicto quodam Angeli Tutelaris, Petri Eremitæ; §.16. cum in ecſtaſi putaret ſe jam adjudicandum ignibus æternis, quos quaſi coram ſe cernebat, dixit ei Angelus Cuſtos. *Regredere, & qualiter tibi poſthac vivendum ſit, cautiſſime attende.* S. Chryſoſt. hom. 10. in c. 5. ep. 2. ad Cor. *Si ignem concupiſcentiæ habueris, oppone alium ignem, & hic ſtatim extinctus evaneſcet.* Ite nunc peccatores, ite domum, ſed quæ dixi, ſerio vobiſcum ipſi perpendite Eſt infernus, & eſt terribilis, atque horrendus! Væ, væ vobis, niſi pœnitentiam egeritis, peribitis, peribitis. Tu verò O anima pia, quæ Deum times, time & hos ignes; vel potius, time peccatum quodlibet mortale. O Judex ſupreme, timore concutior, dum cogito flammas illas tartareas! ah ne projicias me à facie tua, ſi vis ut ardeam, ardebo equidem, hic ure, ſeca, hic ſeca, modo in æternum parcas. Amen.

Epilogus cum ſeria paraneſi & affectu Timoris.

CONCIO L.

DOMINICA XXI. POST SS. TRINITATEM.

Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus.

Joan. 4. c. v. 49.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Circa educationem liberorum proponuntur parentibus valde neceſſaria & utilia.

§.1. *Qui corporibus liberorum conſulant, plurimi; qui animis per pauci ſunt parentes.*

§.2. *Propoſitio.*

§.3. *Primum punctum, quod à ſollicitis parentibus circa educationem liberorum exigitur.*

§.4. *Conglobatio ſimilium.*

§.15 *Abra-*

§.5. *Abraham ſpeculum proborum parentum.*

§.6. *Mores pueritiæ præſagia vitæ futuræ.*

§.7. *Parentes cur Aquilis debeant eſſe ſimiles.*

§.8. *S. Ludovici Gall. Regis ſanctitas à pia educatione ſumpſit initium.*

§.9. *Philippi II. Hiſp. Regis & Ferdinandi ejus fratris Cardinalis, amor in pauperes, unde?*

§.10. *S. Monicæ triplex ſollicitudo imitanda parentibus.*

§.11. *Pia monita Betſabee Matris Salomonis ad filium.*

§.12. *Documenta liberis danda à Matribus ex S.Hieronymo.*

§.13. *Correctione quomodo ſit opus.*

§.14. *Molles parentes confunduntur à male educatis liberis.*

§.15. *Sunt ſimiles cunctabundis & timidis medicis.*

§.16. *Correctio ſit diſcreta.*

§.17. *Rarum Ethnicæ Matronæ exemplum pro educatione liberorum.*

§. 1. *Qui corporibus liberorum conſulunt, plurimi, qui animus per pauci ſunt parentes.*

PArentum, qui cum hodierno regulo, pro ſalute corporali liberorum valde ſunt ſoliciti, ingens eſt copia; ſed in multis urbibus ſunt pauci, qui animas filiorum potius quærant & ament. Conquirunt opes, congregant theſauros, ædificant ædes, colunt vineas, ut filiis pinguem relinquant hæreditatem. An verò timeant creatorem, an ſerviant Deo, an virtutem colant, an Chriſtiane vivant, poſtrema & minima eſt cura. Ideo dicebat Crates Thebanus; ſi liceret, in altiſſimam urbis partem conſcenderem, & acclamarem: quo ruitis? O ſtulti homines! quid agitis? qui totum ſtudium in conquirendis opibus ponitis, filiorum verò veſtrorum curam non ſuſcipitis. Quid ſi Crates ille his noſtris temporibus videret parentes, qui non tantum non ſunt ſoliciti de bono ſpirituali filiorum, ſed ſunt illis cauſa ruinæ? ſed non indigemus Crate, S.Chryſoſt. hom. de educatione filiorum ſuam fert ſententiam: *qui verò Patres moderationem & temperantiam negligunt, liberorum ſunt interfectores, atque ideo illis crudeliores, quod ad interitum & mortem animæ hæc res tendat.* Timeo, ne de aliquibus parentibus dicere poſſim cum S. Bern. *Sed quid de avunculi* (parentum) *dicam malitia, qui à Chriſti militia retrahit nepotes, ut ſecum trahat ad inferos* (hoc multi parentes hodie faciunt)

ciunt) *quos Chriſtus vocat in æternum ſecum manſuros, avunculus revocat in æternum arſuros! Chriſtus dicit, ſinite &c. hic ait: Sinite ut ardeant mecum. Chriſtus, mei ſunt, mihi debent ſervire, avunculus, mecum debent perire. Sic quos bonis cupit onerare terrenis, cæleſtibus exhæredat.*

Sed alias in hos impios parentes invehor! hac concione potius inſtruam parentes pios, ut ſciant, quænam ſolicita educatio prolis potiſſimum ab iis exigatur, quod dum paucis exequor punctis, vos precor benevole interim aures animosque advertite. *§. 2. Propoſitio.*

Solicita educatio prolis exigit *primo* ut à pueritia ſtatim & in tenera ætate inſtruantur odiſſe malum ſive peccatum, & facere bonum, hinc plurimum pendet, ut filii evadant boni; Tabula vel pictura, quæ initio ſtatim craſſis & nigris obducitur coloribus, non facile deinde elegantes ſuſcipiet. Vaſculum, quod ſemel fœtido liquore fuerit imbutum, non facile mundatur. Cera candida, ſed vitiata, non facile ad Virgineum & niveum redit colorem. Floſculus qui ſemel emarcuit, non facile reviviſcit. Arbuſcula curva, non facile deinde flectitur. Gemma perdito ſemel nativo ſplendore, non facile potitur. *§. 3. Primum punctum, quod à ſolicitis parentibus circa liberorum educationem exigitur.*

O Parentes, animæ liberorum veſtrorum poſt baptiſma ſunt tabulæ, quas roſeo ſanguine Chriſti pinxit & ornavit Spiritus Sanctus, ſunt vaſa imbuta oleo divinæ gratiæ, ſunt cera mollis, & candida, candore nimirum primæ innocentiæ conſpicua, ſunt floſculi & arbores vivæ in horto ſponſi. (Clemens Alex. *Matrimonii flores* liberos appellat) ſunt gemmæ nobiliſſimæ, ſed cuſtodite illas à prima pueritia. Non dormit Satan, ſed circuit & quærit parvulos, ut in pueritia ſtatim imbuat nigris coloribus, & venenato ſucco, ut candorem innocentiæ auferat, ut illis floſculis ſubtrahat ſuccum, & vitam gratiæ, ſpe plenus tales deinde in virili ætate & ſenectute fore ſceleratos & impios. *§. 4. Conglobatio ſimilium.*

In hac ſolicitudine ſpeculum parentum fuit Abraham miſſurus filium ſuum Iſaac ad quærendam ſponſam, dixit famulo, ſive ductori Iſaac (Gen. 24. v. 2.) *pone manum tuam ſuper femur meum, ut adiurem te per Dominum Deum Cæli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo, de filiabus Cananæorum, &c.* *§. 5. Abraham Speculum proborum parentum.*

Digitized by Google

Cauſam ſolicitudinis invenio apud Abulenſem: quia Cananæi idololatræ erant, & timebat Abraham, ne pertraherent ipſum Iſaac ad idololatriam, ac maxime filios inde genitos, quia filius magis converſatur cum matre, quando tener eſt, & quando poſſunt fieri fortes impreſſiones in eo: atque ideo ſi mater male imbuit filium ſuum in tenera ætatula, ſemper erit vir malus, niſi ex magna Dei miſericordia, ſummoque cum labore aliam in viam dirigatur.

§. 6. *Mores pueritiæ præſagia vitæ futuræ.*

Ex moribus pueritiæ filiorum veſtrorum ſumitur præſagium vitæ futuræ. Ideo S. Greg. Naz. de impudente Adoleſcente Juliano exclamavit: *O quantum malum Romanum Imperium in hoc adoleſcente alit!* O Moguntia, habes parentes, qui filiis in juventute permittunt blaſphemias, luſus, amicitias impuras &c. Sed O quantum malum in illis alis. Nam, *oſſa ejus* (eorum) *implebuntur vitiis adoleſcentiæ, & cum eis in pulvere dormient.* Job. 20. v. 11. *Adoleſcens juxta viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Prov. 22. v. 6. Ideo in tenera ætate ſuos filios & filias pii parentes & piæ matres bene inſtruunt. Ob ſimilem curam educandi bene filium S. Chryſoſtom. hom. 12. in ep. ad Eph. laudat Annam matrem Samuelis, *non exſpectabat Anna donec creſcat puer, ut rebus mundanis utatur, ut paululum puerili ætati immoretur, ſed relictis his omnibus, unum duntaxat intendit, quomodo ſtatim ab ipſis vitæ exordiis ſpiritualem imagunculam Deo fingendam offeret.*

§. 7. *Parentes cur aquilis debeant eſſe ſimiles.*

Similes eſſe debent Aquilæ, de qua dicitur Deuter. 32. v. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos.* Duo facit aquila. 1. Quamdiu pulli in nido ſunt, alis ſuis protegit. 2. dum plumæ creſcunt, provocat ad volandum, educit in altum, ut ſolem intueantur. Parvæ Aquilæ ſunt hic Moguntiæ, cum primum è lectuli plumis ſe tollunt, oculos defigunt in ſolem amabiliſſimum, Jeſum, O non degeneres Aquilæ! O aquilæ genuinæ! quid præterea? evolant in altum, de cœlo ac cœleſtibus, de Deo ac divinis ſermocinari incipiunt; oſtendunt ſe non eſſe de genere corvorum turpium, aliarumve volucrum viliorum, aquilarum pulli ſunt. Recte: nam & Patres illorum ſunt aquilæ, aquilæ ſunt & matres, quæ pullos ſuos non tantum providentia tuentur, ſed & bono exemplo prævolant.

S. Lu-

Digitized by Google

S. Ludovicus Rex Galliarum filius Blancæ; cum in virili ætate ex illo quæreretur, cur ſingulis menſibus confiteretur & communicaret, cur quavis feria ſexta jejunaret, cur pauperibus pedes lavaret, cur ſingulis noctibus ſurgeret ad orandum, reſpondebat: *Ita me puerum Mater inſtruxit.* Cur hodie tam pauci Ludovici? cur plures ſunt adoleſcentes, qui blaſphemant, qui jurant &c. Ita illos pueros parentes impii inſtruxerunt. §. 8. *S. Ludovici Gall. Regis ſanctitas à pia educatione ſumſit initium.*

Laudatur hodie Philippns IV. Rex à liberalitate erga pauperes. Eadem virtus ante annos aliquot amabilem fecit Belgio Regis fratrem Card. Ferdinandum, ſi cauſam quærere liceret, forte reſponderent cum Ludovico: ita nos pueros mater inſtruxit. Fuit illa Anna Auſtriaca piiſſima matrona. Cum eum parvulis in publicum prodiret, Regiis filiis crumenulas auro plenas de collo ſuſpendebat, ut regiis & teneris manibus pauperibus eleemoſynam darent. Ita pueros, ita Regem pia mater inſtruxit. § 9. *Philipp IV. Hiſp. Regis & ejus fratris Ferdin. Card. amor in pauperes unde.*

Secundo tria præcipue exigit ſedula & ſolicita educatio prolis, quænam illa ſint, diſcemus ex S. Aug. qui de S. Monica Matre ſua ait. *Mater mea, præcepta vitæ, quæ in animo plantaverat verbo, rigabat lacrymis (& orationibus) alebat exemplis.* Tria ergo fecit Monica, *primo* dedit bona monita, exemplo Betſabee, de qua filius ejus Abſolon, Prov. 4. v. 3. *Filius fui tenellus, unigenitus coram Matre* (quaſi diceret, amavit me mater mea unice, ſed dum tenellus fui) *docebat me atque dicebat, ſuſcipiat verba mea cor tuum.* §. 10. *S. Monicæ triplex ſollicitudo imitanda parentibus.*

Quænam verba illa fuerint ſcire poſſumus ex cap. 31. verſ. 2. Prov. Talia Betſabee dicebat Salomoni: *dilecte mi! dilecte uteri mei! dilecte votorum meorum ne dederis ſubſtantiam tuam & robur mulieribus.* (Sed patres & matres ſunt Moguntiæ, à quibus opere & verbis via oſtenditur filiis ad omnem impudicitiam.) *Noli regibus O Samuel, noli regibus dare vinum.* (hic ſunt parentes, quorum culpa adoleſcentes duodecim, tredecim &c. annorum ſunt potatores) ulterius dicebat Betſabee, *ne obliviſcaris judiciorum* (ſive juſtitiæ) *& mutes cauſam filiorum pauperum* quaſi diceret: O fili, quem genui utero, & nunc ſalutaribus præceptis parturio, qualis mihi dolor, quale væ fili mi (ſic habet Chaldæa) *quod væ, fili votorum meorum, ſi te dederis mulieribus, &c.* Talibus monitis pii §. 11. *Pia monita Betſabee matris ad Salomonem filium.*

 paren-

Digitized by Google

parentes ſuos liberos, cum tenelli ſunt, inſtruunt. *Secundo S.* Monica ferventiſſime & calidis lacrymis ſæpe oravit pro filio, præcipue cum adhuc adoleſcens vitam viveret malam. ideo ait S. Aug. l.3. Conf. c. 11. *Miſiſti manum tuam ex alto Domine, & de profunda caligine eruiſti animam meam, cum ad te ploraret pro me mater mea, fidelis tua, & exaudiſti eam Domine, nec deſpexiſti lacrymas ejus.* Sciebat hoc S. Ambroſius, ideo dixit ad S. Monicam: *vade, fieri non poteſt, ut filius tantarum lacrymarum pereat.* Præter lacrymas & orationes S. Monica pro filio S. Aug. frequenter dedit eleemoſynas; quotidie audivit miſſam, bis quotidie ivit ad templum, hac intentione ut filium Deo commendaret. O Matres Moguntiæ, veſtras ego hic conſulo conſcientias! dicite, an Monicam hac in parte imitamini? nunquid quotidie in S. Miſſæ ſacrificio, in precibus veſtris ardentibus, ſalutem amantiſſimorum liberorum commendatis Deo? Suntne filii veſtri, filii multarum lacrymarum, quemadmodum fuit Auguſtinus? nunquid identidem liberis cum lacte materno pia ſimillima monita inſtillatis? Ah quæſo vos, ſi non feciſtis hactenus, nunc facere incipite; dicite frequenter, mi fili ama Mariam Cœlorum Reginam, matrem miſericordiæ, mi fili cave ſis à malis tibi ſociis, fili dilecte frequenta templum, conjunge manus, inſiſte precibus &c. *Tertio* bona monita S. Monica aluit exemplis. Non eſt efficacior modus inſtruendi bene liberos, quam bonum exemplum, econtra nec eſt facilior pervertendi methodus, quam pravi regula exempli. Natura illorum in juventute prona eſt ad malum, ſi illorum, qui cum illis converſantur, quales ſunt parentes, malum exemplum accedat, actum eſt, bene ille Poeta:

Et ſequitur leviter filia Matris iter.

Cur aliquæ filiæ in hac urbe tam ſunt liberæ, cur, &c. tales ſunt, vel fuerunt matres. Cur aliqui juvenes blaſphemi, &c. Tales ſunt, vel fuerunt patres. Sed de hoc alibi ago integra concione.

§. 12. *Documenta quæ matres dare debent liberis ex S. Hieronymo.*

Qualia documenta matres debeant dare filiis, præſcripſit, S. Hier. Lætæ de inſtitutione Paulæ. *Poſtquam ablactaveris eam cum Iſaac, & veſtieris cum Samuele, redde precioſiſſimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Ieſu vagientis impone. Nutriatur in monaſterio,*

naſterio, ſit inter choros Virginum, jurare non diſcat, mentiri ſacrilegium putet, neſciat ſæculum, vivat angelice, ſit in carne, ſine carne. Hæc dicite parentes filiis, fili ama Mariam, fili cave malos ſocios, fili cave jurare &c.

§ 13. *Correctione quomodo ſit opus.*

Modo dico *Tertio* ſolicita educatio prolis, requirit correctionem. nam *ſtultitia alligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit illam.* Prov. 22. v. 15. & Prov. 13. v. 14. *qui parcit virgæ odit filium, qui autem diligit, inſtanter* (verbis, monitis, exemplo, & cum opus eſt, verberibus) *erudit.* Hebræa lectio habet, *maturat ei correctionem.* alia lectio. *Mane* (id eſt, à puero) *quærit ei caſtigationem.* Mane, antequam arbuſcula in ſua curvitate indureſcat, mane, à puero, dum cera adhuc mollis eſt, & lana candida &c. mane, à puero, cum equus indomitus adhuc eſt capax frœni. Si mane non fiat, vix talis equus domabitur. Eccleſ. 30. v. 8. *Equus indomitus fit durus, & filius remiſſus evadit præceps.* quis ſit filius remiſſus, explicat Prov. 29. v. 15. *Filius qui dimittitur voluntati ſuæ, confundet matrem ſuam.* Verbi gratia, hic Moguntiæ in quibuſdam ædibus ſunt filii, ſedecim vel viginti annorum quibus domo egredi licet, quando lubet, etſi redeant circa decimam & undecimam noctis, nec verbulum dicitur &c. aliqua talis libertas conceditur à quibuſdam matribus filiabus.

§. 14. *Molles parentes confunduntur à male educatis liberis.*

O liberos dimiſſos voluntati ſuæ, confundent parentes. Hæ ſunt deinde illæ Virgines, quæ pariunt in cellis &c. hi ſunt filii, qui in conſpectu parentum audent ludere chartis, loqui, obloqui, jurare, peierare, ad hæc tacent, diſſimulant, connivent: imo & rident ſubinde & arrident. Sunt [illegible]iæ, quibus licet &c. Sed erunt confuſio parentum, veniet tempus, quo parentes volent tales arbores inflectere, tales æthiopes lavare &c. Sed fruſtra.

§ 15. *Sunt ſimiles cunctabundis & timidis medicis.*

Hi parentes ſimiles ſunt medicis, qui initio morbi ægris timent ſecare venam, vel amaram offerre potionem, vel ferro, cum opus eſt, adurere. Cum deinde vis morbi increvit, cum morbus eſt lethalis & inſanabilis, tum varia præſcribunt media, ſed ſerius. O Parentes, vos vos potiſſimum liberis veſtris medicinam adhibere debetis. At nolite cunctari, mora hic omnis noxia, prævenire præſtat, quam præveniri; ne quæſo vos retrahat ſtulta commiſeratio; hic du-

hic durum eſſe pietas eſt, amor eſt, non odium. Pendet hinc æterna, non veſtra tantùm ſed & liberorum ſalus atque felicitas.

§. 16. *Correctio ſit diſcreta.* Correctio tamen hæc debet eſſe diſcreta. Indulgentia nimiá eſt culpabilis, ſed etiam crudelitas. Arbor cum nimium flectitur, frangitur. Vitrum cum nimium politur, rumpitur. Oportet cum Samaritano adhibere vinum & oleum. Pater vel Mater cum Zacharia dicere debet cap. 11. v. 7. *aſſumpſi, mihi duas virgas, unam vocavi decorem.* (id eſt, amorem, ſuavitatem, dona, &c.) *alteram vocavi funiculum.* (id eſt, virgam, baculum) *& pavi gregem.* Contra faciunt primo parentes nimium indulgentes, ſecundo, nimium crudeles. quales ſunt, iſti imprecatores, percuſſores, calumniatores &c. prô quanta horum parentum ubique eſt multitudo! qualis iſta inſtitutio, jurare continuo, imprecari tonitrua, fulmina, mortem, dæmonem, dura, diraque omnia? ſunt parentes (pudor eſt eſſe Chriſtianos) quorum tertium quodque, vel quartum verbum, eſt juramentum, imprecatio, execratio. Et quis inde fructus? quæ Dei benedictio? quod gaudium? voſmet ipſi perpendite.

§. 17. *Rarum Ethnica matronæ exemplum pro educatione liberorum.* Finem imponam toti huic diſcurſui ac concioni, cum eo quod Jarricus in Hiſtor. Indicis narrat, matronam fuiſſe Gentilem, quæ cum diu multumque, at fruſtra ſemper, à Diis prolem petiiſſet, inſtructa tandem eſt, ut hunc in finem Chriſtianorum Deum invocaret. Fecit id mulier, & coram crucifixo in templo Soc. Jeſu oravit quam potuit optime. Nec voti fruſtrata fuit; intra anni ſpatium maſculam prolem feliciter enixa. Itaque & ipſa ad fidem converſa ſacro fonte tincta fuit, & filium ſimul iiſdem ſalutaribus aquis ablui voluit, cui & mirabile nomen impoſuit. Quod illud? Crucem vocavit, tum in honorem ſanctiſſimæ crucis, tum ut oſtenderet ſe ſatis ſuperque intelligere, filios in matrimonio cruces afferre ſolere. Duos deinde alios filios eodem crucis nomine inſignivit matrona piiſſima. Præterea ſingulis feriis ſextis una cum ſuis crucibus ad templum ſe contulit, & ante crucifixum proſtrata in terram; amantiſſimos liberos ſacroſanctis Vulneribus includi, ac denique patientiam ſibi neceſſariàm conferri

ferri enixe rogavit. Nec ſine fructu. O parentes! diſcite, ſi quando ejuſmodi cruces habetis, cui & quomodo eaſdem commendare oporteat! diſcite, quid faciendum in adverſis! diſcite veſtros filios, ac filias Deo ac Divis mature offerre. Finio ego cum D. Chryſoſt. hom. 9. in ep. 1 ad Timoth. Magnum habetis præcipuumque depoſitum, filios, ingenti illos ſervate cura, ne fur id vobis aſtutus auferat.

CONCIO LI.

DOMINICA XXII. POST SS. TRINITATEM.

Sic faciet vobis, Pater meus cæleſtis, ſi non remiſeritis unuſquisque fratri ſuo de cordibus veſtris.

Matt. 18. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COnatur hæc concio triumphare de obduratis cordibus eorum, qui nolunt ignoſcere inimicis. Potiſſimum telum eſt; Amore Jeſu id faciendum. Huic nihil denegandum, ut & nobis nihil deneget.

§. 1. *Bonitas ſimul & Iuſtitia Dei hodie oſtenſa.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Exempla terribilia, quam dulcis ſit vindicta.*

§. 4. *Alia.*

§. 5. *Licet ſit difficile ignoſcere eſt tamen id poſſibile, quia Ethnici fecerunt.*

§. 6. *S. Ludovicus Galliæ Rex, quantus in hoc heros.*

§. 7. *In libro crucis deſcribendæ ſunt injuriæ nobis illatæ.*

§ 8. *Maria Stuarda, Regina Angliæ, qualis Heroina.*

§. 9. *Præceptum Chriſti hac de re.*

§. 10. *Ejuſdem exemplum efficaciſſimum fuit, in S. Ioanne Gualberto, & S. Eliſabetha.*

§. 11. *Requiruntur duo. 1. Vt ex corde.*

corde. 2. Vt ſtatim ignoſcamus.

§.12. *Acuta & pia obſervatio, cur ex aperto Chriſti latere in cruce, continuo exiverit ſanguis & aqua.*

§.13. *Tragica hiſtoria, agri vindictam meditantis.*

§.14. *Apoſtrophe ad Auditores & Ieſum.*

§.15. *Exemplum Davidis, parcentis poſteritati Saulis propter Ionatham, parcamus nos propter Chriſtum.*

§.16. *Ioſeph ignoſcit fratribus amore, mortui parentis! Quid nos?*

§ 1. *Bonitas ſimul & Iuſtitia oſtenſa in hodierno Evangelio.*

DEnuo in hodierno Evangelio, eximia duo Dei attributa, nobis revelantur, Bonitas & Juſtitia! Bonitas! dum debitori decem millium talentorum debitum dimittit; quia ſupplex, tantum dilationem aliquam rogavit. Miſertus eſt ſtatim, dum vidit ſervum procumbentem humi. Ut bene exclamaverit David pſ.72. v.1. *Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde*, id eſt illis, qui licet cor & oculos averterint à Deo creatore; licet per peccata, gravia contraxerint debita; tandem tamen cum filio prodigo redeunt ad Patrem, & revertuntur ad cor. His bonus eſt Deus! hos facile, & citò exaudit. Multa habemus exempla in Evangeliis. Pater, cum à longe vidit reducem filium, ſurrexit, & occurrens illi obviam, amplexatus eſt illum. Filius nil aliud fecit, quam quod cogitaverit, & dixerit, revertar ad Patrem meum. Publicanum impulit Spiritus S. ut aſcenderet ad templum & oraret (modum ſcitis) agnovit ſecum debitum; dixit paucula, ſed humiliter, & vere pœnitens; *Deus! propitius eſto mihi peccatori! & deſcendit juſtificatus.* Mulieri peccatrici, ad pedes Chriſti proſtratæ, publice & ex corde deflenti peccata ſua, dixit ſtatim piiſſimus Salvator, *Remittuntur tibi peccata tua*, Joann.8. v.11. adducta fuit ad Chriſtum D. mulier deprehenſa in adulterio; accuſatur; ſtat illa pœnitens coram illo, & audiit; *Neque ego te condemno, vade noli amplius peccare.* Quam bonus Deus Iſrael. Act.2. cap verſ.36. S. Petrus objecit Judæis. *Vos Filium Dei crucifixiſtis.* Quale debitum? ſed compuncti aliqui Judæi interrogant verſ.37. *Quid faciemus viri fratres.* Reſpondit Petrus, *pœnitentiam agite.* Aliqui fecerunt, & obtinuerunt remiſſionem tanti peccati. Quam

Quam bonus Deus Iſrael! Idem fecit in prima parte hodierni Evangelii; quamprimum ſervus &c. Sic infinitam ſuam bonitatem revelavit. Sed quia idem ſervus, cum altero ſervo debitore ſuo patientiam non habuit, ſed ob leve debitum illum conjecit in carcerem, mutavit piiſſimus Rex, quaſi naturam ſuam, nam iratus, juſſit illum tradi tortoribus, &c. Ita oſtendit juſtitiam! Parabolam clauſit Chriſtus Dominus hoc epiphonemate, ſive themate hujus concionis; *Sic faciet vobis Pater meus cæleſtis.*

Quapropter in duas partes dividam præſentem meam dictionem. In prima oſtendam, difficile quidem eſſe, poſſibile tamen, ut hodiernam Chriſti Domini miſericordiam imitemur, ut debitoribus noſtris nos quoque ex corde dimittamus. In altera, ab illis qui Salvatorem noſtrum in hac eximia virtute imitari volunt, petam duo 1. Ut ignoſcant ex corde. 2. ſtatim. *§. 2. Propoſitio.*

Difficile quidem, & arduum eſt, inimicis ignoſcere; pro illis orare, illis bene velle; per Dei tamen gratiam poſſunt illa fieri. Difficultas inde oritur, quia corrupta natura, ab hac paſſione, à deſiderio vindictæ, quaſi rapitur & cogitur, ut de inimico ſe vindicet: quæ paſſio ſine difficultate non premitur; præterquam quod irato animo, jucundum & volupe ſit, ſe vindicare. Ante annos aliquot, quidam nobilis conſtituit hoſtem ſuum occidere, atque ut letalis ictus non aberraret, multo tempore ante in imagine probavit, quomodo data occaſione vellet ferire caput, vel latus, vel ipſum cor. Quia verò alio loco hoſtem deprehendere non potuit, tandem præ furore iræ (Vah! execrandum ſcelus) oranti in templo, ante altare pugionem letalem in latus adegit. Ob tam crudele homicidium, ob tam infame ſacrilegium damnatus fuit ad ebulliens oleum, & flammas, cum in flammis pœnæ exultaret, cauſam rogatus reſpondit. *Magna quidem tormenta, ſed pulcra vindicta!* Quid non cogit vindictæ fames? *§. 3. Exempla terribilia, quam jucunda ſit impiis vindicta.*

Anno 1605. alius hoſtem in ipſas Indias inſecutus fuit, inventum peremit, perempto, infami cultro pectus aperuit, palpitanſque cor radicitus evulſit, dentibus laniavit, & comedit; addit hiſtoricus: Et ſapiebat hic bolus, hoc fruſtulum carnis, quia ſapiebat vindicta. Terribilius auditu eſt, præſertim *§. 4. Alia.*

Digitized by Google

matribus, quod iratus juvenis ante paucos annos erga fratrem commiſit. Quia mater hunc videbatur tenerius diligere, odit illum, & odium in tantum invaluit, ut fratrem in campis peremerit, perempti cor conſcidit in particulas, illas injecit carnibus, quas coquebat mater; & cum avide deinde eadem illas comederet (retulerat fratrem alibi detineri in menſa) quæſivit, mater! *quomodo ſapit hic cibus?* reſpondenti matri, *bene mi fili*, dixit, non miror cor dilecti filii tui comedis. Inauditum, atrox, Thyeſtæum facinus! ſed dulcis vindicta! ideo hoc gaudio ſe privare, vindictam cohibere; imo amare hoſtem, eſt difficile: poſſibile tamen. Quid enim impoſſibile dicam, quod & ipſos Ethnicos moralis virtutis ſtudio feciſſe comperimus.

§ 5. *Licet difficile ſit ignoſcere, eſt tamen id poſſibile, quia Ethnici fecerunt.*

Certo de Julio Cæſare dixit Tullius; quod nihil obliviſci ſoleret, niſi injurias. Idem Cæſar cum intellexit Catonem, ſuum hoſtem, ex metu inſtantis à Cæſare vindictæ, violentas manus ſibi intuliſſe, cum gemitu dixit, Invidit gloriæ meæ, quam parcendo peperiſſem. Lucio Cinnæ, juratiſſimo hoſti, cum in inſidiis occidendi eum deprehendiſſet, dixit Cæſar: *Vitam tibi Cinna iterum dono, prius hoſti, nunc inſidiatori & parricidæ.* Ex hodierno die, amicitia inter nos incipiat, contendamus; utrum ego meliore fide vitam tibi condonarim, an tu debeas. Addit Seneca. *Poſt hac detulit ultro conſulatum, &c.* hæres ſolus illi fuit. Quantus animus Cæſaris! de Romanis univerſim dixit S. Auguſtinus ep. 5. ad Marcellinum. *Acceptam injuriam ignoſcere, quam perſequi malebant. illius opinionis, generoſius eſſe ignoſcere, quam ulciſci.* Phocion Imperator ab Athenienſibus condemnatus fuit ad venenum; cum venenatum poculum imperterritus ori applicaret, quæſivit ſatelles, quidnam filio dici vellet; & reſpondit, *Dicite, ut obliviſcatur hujus poculi.* Plures tales heroes invenietis in profanis hiſtoriis; ex quibus ſcimus illos potuiſſe inimicis ignoſcere, imo benefacere.

§ 6. *S. Ludovicus Galliæ Rex, quantus in hoc heros.*

Inter innumeros heroes Chriſtianos primo loco merito laudandus eſt, piiſſimus Galliarum Rex S. Ludovicus. Cum Rex fuiſſet coronatus, quidam proceres illi ſuggeſſerunt, nunc tempus eſſe perſequendi hoſtes; ſed Chriſtiane & regie reſpondit,

Reges

Reges non decet vindicta. Mutemus verbulum, & dicamus; Chriſtianos non decet vindicta. Aliqui nobiles ſibi male conſcii cogitarunt ab eodem rege, humillime petere delictorum veniam; in quem finem, illi obtulerunt libellum ſupplicem, Rex perlectum, clauſum obſignavit ſigno crucis miſitque illos ad Judices. Cum trepidarent, cogitantes hoc ſignum eſſe characterem mortis, rex dixit, *Nolite timere*; crux non mortis, ſed vitæ & miſericordiæ eſt ſignum. quaſi diceret, crux, in qua Salvator meus mortuus eſt, crux, quam ipſe mea cauſa purpureo ſanguinis ſui colore tinxit, crux, quæ noſtræ facta eſt teſſera ſalutis, crux in qua vita noſtra pependit, crux, pignus gloriæ noſtræ, non equidem monet me de ſumenda vindicta, ſed ut ex corde ignoſcam, perſuadet, incitat, impellit. Hoc facio ex animo, ite in pace. Ex hoc ſigno mei Judices intelligent, me vobis vitam condonare.

Si ego aliquibus ex meis Auditoribus oſtenderem modo libellum, atque in illo notatos, vel illorum nomina, qui injuriam aliquam vobis intulerunt, quid ſi fortaſſis aliquorum corda, ſint tales libelli ex ære, quibus ſtylo ferreo inſcriptæ ſunt injuriæ; quæſo vos, quænam apponitis ſigna? quos characteres? nunquid virgas, flagra, catenas, rotas, gladios, ignes? Sed hoc Chriſtianum non eſt. Crucem Chriſti apponite; propter crucem Chriſti illis ignoſcite; Alium librum contra nos deſcripſit divina Nemeſis; eſt liber conſcientiarum noſtrarum; nunquid ſtatim vobis occurrunt injuriæ quas Deo & Chriſto intulimus. Sed bonus Jeſus eſt benigniſſimus Rex; ſi humiles veniam petamus, quovis momento paratus eſt, apponere ſignum crucis, in ſignum veniæ & condonationis; verum idem nobis faciendum eſt, erga proximum noſtrum &c. §. 7. *In libro crucis deſcribenda ſunt injuria nobis illata.*

Regi adjungo Reginam, heroinam heroi; Eſt hæc Maria Stuarda, inclytum decus Angliæ. Patet ejus vita, patet & mors; quam etſi coram mundo probroſam, ipſa tamen invicto tulit animo, nempe ut heroinam & Martyrem decebat. Jam erat in fatali theatro capite plectenda; jam lictor ſecurim expedierat, jam denudarat illa niveum collum, cum ecce tibi coram omnibus in crucifixi Jeſu effigiem oculos defigit; tum ei dulce figit oſculum, §. 8. *Hoc fecit heroina Angliæ Maria Stuarda.*

mox proteſtatur, innocentem ſe quidem perimi, ignoſcere tamen ex animô Eliſabethæ. O Stuarda! O heroina! quo te titulo condecorem? hoc ſane facto mihi tuarum reliquarum virtutum decora multis partibus ſuperaſſe videris. Ecquid te movit, ut ignoſceres, tam cito & facile? crucifixus! bene habet, amore Jeſu ignoſcis, amore tui & tibi ignoſcet Jeſus.

§. 9. *Præceptum Chriſti D. hac de re.* Omne dubium de hac potentia noſtra ad ignoſcendum tollere debet præceptum Chriſti D. Matt. 5. v. 44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* verſ. 23. *Si offers munus tuum &c.* Hoc intendit hodierna Evangelica parabola vel hiſtoria. Non ſine myſterio fit mentio altaris. In altari crucis, Chriſtus omnia nobis condonavit, & pro inimicis ſuis oravit; idem ſacrificium vult Chriſtus D ut offeramus in altari cordis. Altare eſt locus, in quo quotidie offertur incruentum ſacrificium agni immaculati. Altare, eſt veluti theatrum, in quo quotidie renovatur tragica hiſtoria Paſſionis, in quo quotidie immolatur caro & ſanguis Chriſti, in quo quotidie luditur tragœdia, quam amor ſemel luſit in monte Calvariæ. Mater Eccleſia ſub gravi præcepto nobis imperat, ut diebus Dominicis & feſtis ſimus præſentes tremendo miſſæ ſacrificio, ob nobiliſſimos fines &c. Verum Chriſtus D. vult nos hic comparere ſine odio, reconciliatos cum fratribus noſtris. Offerre enim ſanguinem Chriſti, & ſitire ſanguinem inimici, Chriſtianum non decet. Quid ergo dicendum de illis, qui quidem quotidie audiunt ſacrum, frequenter communicant, & tamen fovent odia? Ah Pater, inquiunt, non poſſum aliter: nimis acerba eſt, quam patior injuria! ſit acerba, acerbior erit, niſi ignoſcas, æterna damnatio. Jacturam famæ meæ, & boni nominis paſſus ſum. Quid tum? hoc proprium ſanctorum eſt, quid quereris? Ah! vulnerant cor meum calumniæ & mendacia de me ſparſa, non poſſum ignoſcere. Imo vero & potes, & debes. Chriſtus jubet, hodiernum Evangelium oſtendit te poſſe, potuerunt & alii. Si non facis, certus eſto, nec tibi Pater, qui in cœlis eſt, ignoſcet. Noſtin' debita tua, quot? & quanta?

§. 10. *Ejuſdem exemplum* Nec præceptum hoc Chriſtus D. tantum impoſuit, ſed exemplo præivit. In hod. Ev. debitori præivit Rex remittendo tantum debi-

debitum. Quod re ipſa quoque fecit Chriſtus Salv. noſter in cruce & qui imitantur rem ipſi faciunt gratiſſ. S. Joann. Gualb. fundator Ordinis vallis umbroſæ, ob amorem crucifixi donavit vitam inimico, quem perimere poterat, & mox Chriſtus de cruce inclinato capite illum ſalutavit annuitq; ſibi; placere heroicum hunc actum. S. Eliſabetha Regina, cum ex corde cum Chriſto D. diceret, *O Pater ignoſce meis inimicis*, cum per ſang. Filii à Patre cœleſti peteret, hanc gratiam, ut patienter ferre poſſet injurias, divinitus agnovit, Orationem hanc Deo eſſe gratiſſ. obtinuitque veniam omnium peccatorum. Marcus Antoninus Imperator, offenſus, cum poſſet ſumere vindictam, dicere fuit ſolitus, *ab avo meo didici placidis eſſe moribus, & ira abſtinens*. Dicamus nos, hoc didicimus à Chriſto D. in cruce, ut ignoſcamus &c.

efficaciſſimum fuit in S. Ioanne Gualberto, & S. Eliſabetha.

Itaque, dum exemplum Chriſti imitari velitis, duo à vobis poſtulo, Aud. 1. ut ex corde ignoſcatis. 2. ut ſtatim. Primum juſſit ipſe Salv. cum dixit, *de cordibus veſtris*. Aliqui enim exterius videntur reconciliati, intus tamen hæret aliqua amaritudo. De his ait S. Bern. ſer. de 7. par. *Sunt aliqui, qui donantes injuriam, ut non ulciſcantur, ſæpius tamen improperent. Sunt & alii, qui ſileant licet, manet tamen alta mente repoſtum, & rancorem in animo tenent, quorum utique neutra eſt plena indulgentia. Longe benigniſſima eſt divinitatis natura, ignoſcit plenarie &c.* S. Chryſ. l. 1. de compunct. *Chriſtus non ſolum vult nos ignoſcere delinquentibus, ſed ut etiam amemus eos, & oremus pro illis. Nam ſi duntaxat non lædas eum, qui te læſit avertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet ſine dubio vulnus in pectore, & dolor augeſcit in corde. Quod ſi ita eſt, nondum utiq; quod Chriſtus mandavit, impletur. Nunquid tu ita vis, propitium fieri Deum, ut non quidem te lædat, avertat ſe tamen abs te, & peccatorum tuorum meminerit, & te videre nolit. Igitur qualem vis erga te eſſe Deum, cum delictorum tuorum veniam poſcis, talem te exhibere debes his, qui deliquerunt in te.* Non puto fieri poſſe, ut quisquis ſit concionator, finem Evangelicæ parabolæ, de qua agimus, explicet clarius.

§. 11. Requiruntur duo 1. ut ex corde. 2. Vt ſtatim ignoſcamus.

Advertite acutam ſimul & piam ingenioſi capitis obſerv Joan. 19. poſtquam in cruce exſpiraſſet Salvator, miles lancea latus ejus aperuit, & ecce, ſcriptura teſte, *exivit ſanguis & aqua*. Quid ſibi vult hoc Auditor.? Reſp. Cyr. Catech. 17. duo notari ſcelera; per

§. 12. Acuta & pia obſervatio, cur ex aperto Ieſu latere, continuo exiverit ſanguis & aqua.

 ſangui-

Digitized by Google

ſanguinem quidem, odium Judæorum, ac rabiem clamantium, *ſanguis ejus ſuper nos.* Per aquam vero injuſtum Pilati judicium, dum innocentem condemnavit ad mortem; in cujus innocentiæ ſignum manus aqua paulo ante abluerat. Utrumque, id eſt, & odium Judæorum, & Pilati judicium, acerbiſſimæ fuerunt injuriæ Salvatori noſtro illatæ, quæ in benedicto ejus corde tantiſper reſederunt. Jam ad id, quod dicam, advertite. Adeſt Longinus, lancea aperit ſacratiſſimum pectus, diſponente ſic & permittente ipſo Deo. Cur pectus ferit? erant in eo, adhuc aliquæ ſanguinis guttæ, & has evacuari oportebat. Cur? ne qua in Jeſu corde ſuper eſſet guttula, quæ vindictam clamaret! In capite, nullus erat ſanguis, reſiduus, qui id faceret: illum ſpinæ jam exſuxerant, nullus inter carnem, & cutem; flagella jam expreſſerant; nullus in nervis! ferrei clavi jam ebiberant. Nullus in aliis corporis partibus; nam tot ictus, verbera, tunſiones, alapæ, tot vulnera, omnem jam ſanguinem profuderunt. Solo in corde, modicum reſtabat adhuc tenerrimi ſanguinis, tunc lancea opus fuit, quæ illi quoque viam aperiret. O Chriſtiani! O ſi quorundam ex vobis corda feralis lancea modo aperiret, videremus non dubito, videremus in illis ſanguinis guttas, ſed clamantes vindictam, iram, vulnera, cædes, ſtrages! O Chriſtiani, lancea! lancea opus eſt, ut fervens hic ſanguis, accenſus ira, furoreque effluat. Lancea ſit timor Dei. Ignoſcite ex corde, quia Deus præcipit, mandat, imperat. Lancea eſt amor Dei, ignoſcite, quia Deus id deſiderat, rogat, obſecrat. Apertum pectus! Vulneratum cor Jeſu! cruentata lancea, clamant; Ex corde ignoſcite.

§. 13. *Tragica hiſtoria ægri, vindictam de hoſtibus meditantis.*

Sed fiat hoc momento! hoc eſt alterum quod rogo. Differre condonationem, eſt periculoſum. Punit ſubinde iratus & juſtus Deus, cum minime putamus. Non patitur tempus, ut late hoc explicem. Illud tamen omittere non poſſum, quod in vita P. Gaſparis Barzæi refertur. Civis erat nominatus in urbe Armuzia, cujus cor odio, ſtudioque vindictæ in adverſarium ſuum à longo tempore fervebat; quo tempore noſter P. Gaſpar Barzæus, vir Apoſtolico zelo præditus, & velut alter in Indiis Xaverius, quibus potuit modis, rogando, monendo obſecrando inſtitit,

Digitized by Google

ſtitit, ut amore Chriſti tandem aliquando ignoſceret. Fruſtra omnia! tandem in morbum incidit fatalem. Audit id P. Gaſpar, accurrit, hominem alloquitur, monet periculi, rogat ut odium deponat, non eſſe amplius protrahendum, agi de negotio animæ, ſalutisque æternæ. Sed ſurdo fabula! Proponitur ejus oculis imago crucifixi, hujus amori dandam eſſe veniam inimico clamatur. In vanum! Inſtat per roſeum Jeſu ſanguinem, per quinque SS. Vulnera, per cor Jeſu apertum! fruſtra. Siquidem æger nil niſi vindictam! vindictam! meditari ac loqui: uſque adeo ut tandem in execrandas voces eruperit, Nolle ſe, niſi ultum, cœlum ingredi, neque veniam ſuorum criminum à Deo impetrare velle, ſi eam neceſſe ſit injuriarum condonatione comparare. O impium dictum! O vox deteſtanda! O lingua infernalis! His dictis offenſus, & merito Pater mox ſurgere, & hæc viciſſim ægro occinere. Sit ergo ita! ſic fiat, ut vis; Verum ſcias, O infeliciſſime mortalium! antequam craſtina lux, ad meridiem pervenerit, tu! tu ipſe! plus quam quinquies Confeſſionem! Confeſſionem! inclamabis, at fruſtra, ſerius erit, juſto Dei judicio confiteri non poteris. His dictis abiit; & certe omnia, uti prædixerat Pater, ſic poſtero die circa ægrum evenere. Abiit è vivis ad inferos; Confeſſarium ſæpius inclamans, at antequam is accederet, jam animam è corpore rapuerunt Spiritus tartarei! O mors infelix! O fatum horribile.

Diſcite Auditores, diſcite, quid ſit meditari vindictam, nolle ignoſcere, nolle cor durum divini amoris flammis ſubjicere. O Jeſu Crucifixe! O dulcis amor noſter! Audi vota ac preces; Ignoſcimus! ignoſcimus! amore tui mutamus odium in amorem, amore tui proſcribimus è corde noſtro cogitationes acerbas: amore tui, omni juri vindictæ, ultro cedimus. Tu tantum ignoſce & nobis, O Jeſu dulcis! Jeſu bone! Jeſu vere amabilis. *§. 14. Apoſtrophe ad Auditores, & Jeſum.*

Davidem imitemur. l. 2. reg. c. 9. v. 1. quærit ex uno procerum, *Putaſne, eſt aliquis qui remanſerit de domo Saul.* Quare cogitatis hoc illum interrogaſſe; fortaſſis, quod cogitaverit ipſe, ſumere de illo vindictam? nequaquam, ait enim eod. verſ. *Ut faciam cum eo miſericordiam, propter Jonatham*, cujus ſcilicet in me amor *§. 15. Exemplum Davidis, parcentis poſteris Saulis, propter Jonatham*

parcamus nos propter Christum.

& fides id promeruit. Propter Jonatham! cui conglutinata fuit anima mea. O Chriſtiane, huc quæſo te recipe, Davidem imitare! inquire, ſi ita lubet inimicum tuum, at non, ad vindictam, ſed gratiam, non ad iram, ſed ad benevolentiam. Quæris, qua de cauſa? propter Jonatham. O dulce nomen! ſcis, quis ille tuus Jonathas? ille dulcis, ille dilectus, ille amabilis Jonathas, ah aſpice pendentem in cruce, illius amori hoc dona, ut ignoſcas. Ni facias, contriſtabis tuum Jonatham, mœrore illum afficies.

§.16. *Joſeph ignoſcit fratribus, amore mortui parentis. Quid nos?*

Geneſ. 50. Jacob jacet in agone, circumſtant filii, adeſt tandem & Joſeph, in cujus manibus paulo poſt exſpiravit. Hic cogitaverunt fratres, jam Joſeph de nobis ſumet debitam vindictam, jam effundet ſanguinem noſtrum, hactenus hoc dedit amori Patris ut parceret, puniendo nos noluit illum contriſtare. Ergo ſimul procumbentes ad ejus genua dicunt, v. 16. *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Nimirum, perſuaſum ſibi habebant, non poſſe ſe fortius afferre argumentum ad emolliendum Joſephi pectus, quam ſi memoriam dilecti Patris, ejuſque voluntatem ultimam illi objicerent. Ah Aud. dicite an non potior nobis eſſe debeat Filius Dei moriens, quam Jacob? ah Jeſus, Pater noſter, præcepit nobis in cruce moriens, ecquid præcepit? ut ignoſcamus, ſicut ignovit dicens, *Pater &c.* Ignoſcamus obſecro, Jeſus id obſecrat, id exigit. Non ſpero nos fore tam degeneres filios, ut tam ſanctæ optimi Patris voluntati refragemur.

CON-

CONCIO LII.

DOMINICA XXIII. POST SS. TRINITATEM.

Cujus eſt hæc imago & ſuperſcriptio,

Matt. 22. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXhibentur primo imagines & ſuperſcriptiones, quas imprimit dæmon animabus. Secundo imagines & inſcriptiones Chriſti.

§.1. *Quæ ſint imagines & ſuperſcriptiones ſenſu literali & morali.*

§.2. *Propoſitio.*

§.3. *Prima pars concionis. Deus imaginem ſui nobis quaſi conſubſtantiavit. Allegatur D. Gregorius Nyſſenus.*

§.4. *Dæmon, invidus alia erigit ſigna & ſtatuas.*

§.5. *Signum, ſeu character Anti-Chriſti, qualis?*

§.6. *Hodiedum quomodo Dæmon utatur iiſdem ſignis.*

§.7. *Periculoſum eſt imaginem Principis inhonorare. Exemplum de Scipione Africano.*

§ 8. *Annulus Dei quomodo commaculetur?*

§.9. *Modus reparandi hanc imaginem.*

§.10. *Altera pars concionis. Signa & inſcriptiones Dei.*

§.11. *Secundum ſignum, Nomen Ieſus.*

§.12. *Tertium ſignum, crucifixus.*

§.13. *Quartum ſignum, quinque Vulnera.*

§.14. *Varia alia ſigna, ut crux, confiteor, agnus, ſpina &c.*

§.15. *Epilogus cum pio ad hæc ſigna & imagines affectu.*

AD literam Salvator noſter in hodierno Evangelio loquitur de imaginibus & inſcriptionibus, quæ monetis ſolent imprimi, ex quibus facile colligitur, cujus Principis vel Reipublicæ juſſu moneta illa excuſa ſit. Talia ſigna ſunt Aqui-

§.1. *Quæ ſint imagines & inſcriptiones ſenſu myſtico & literali.*

Digitized by Google

Aquilæ, vel leones, vel lilia, in nummis Franciæ, Hiſpaniæ, Imperii. Senſu myſtico, Anima hominis eſt aurea moneta, cui ipſe Deus ſuam ſimilitudinem & imaginem impreſſit, juxta illud S. Bernhardi: *Forma animæ Deus eſt, cui debet imprimi, ſicut cera ſigillo ſignatur. hoc fit cum ratio perfecte illuminatur ad cognitionem Dei, & voluntas perfecte afficiatur ad amandam ſummam bonitatem, & memoria abſorbetur ad intuendum & fruendum æterna felicitate.* Idem S. Ber. in medit. c. 1. *Per memoriam patri ſumus ſimiles, per intelligentiam Filio, per voluntatem & amorem Spiritui Sancto. Itaque in te imaginem tanti myſterii circumfers. O homo, vide ne in uſus viles adhibeas.* Jacobus de Voragine ait: *Memoria eſt camera* (vel aula) *Patris, in qua habitat per continuam recordationem. Intelligentia camera Filii, in qua habitat per veram fidei cognitionem. Voluntas camera Spiritus S. in qua habitat per ſincerum amorem.* In his conſiſtit perfectio imaginis, ad cujus ſimilitudinem Deus nos condidit, præcipue ſi donis Spiritus Sancti, & chariſmatis gratiæ, ſi gemmis virtutum exornetur.

§. 2. *Propoſitio.* Huic imagini valde inſidiatur Dæmon. Itaque prima parte hujus concionis proponam vobis aliqua ſigna, imagines, ſigilla, characteres, ſuperſcriptiones, quibus ſuos ſolet diabolus conſignare. In altera parte illis opponam aliqua ſigna, ſigilla, &c. Chriſti Domini, quæ in electorum ſolent animis reſplendere. Materia cum ſit per ſe gravis & utilis, facile veſtram poſt ſe trahet attentionem.

§ 3. *Prima pars concionis. Deus imaginem ſui nobis quaſi conſubſtantiavit. verba D. Greg. Nyſſ.* Scite vereque ſanctus Gregorius Nyſſenus dixit l. de humilit. capite decimo nono & or. 6. de beatitud. *Deus qui te formavit, tale bonum* (vel talem perfectionem, ſcilicet imaginem ſuam) *ſtatim naturæ quaſi ineſſentiavit, ſive conſubſtantiavit & incorparavit. Tui enim fabricationi & conſtitutioni Deus ſuæ naturæ bonorum* (vel perfectionum.) *Simulacra, ſimilitudineſque, & quaſi imitamenta impreſſit & informavit, veluti ceram quandam ſculptili figura præformans & fingens. Sed vitioſitas*, vel diabolus per peccata, *divinam imaginem turpibus velamentis obducere & occultare ſolet.* Creator noſter animabus noſtris pulcherrimam imaginem impreſſit pulcherrimo ſigno vel ſigillo hominem,

Digitized by Google

minem, veluti theſaurum ſuum conſignavit, ſed invidet homini tantum bonum malus dæmon, conaturque hanc imaginem & ſignum amoliri, & quantum poteſt deſtruere, ut alias imagines erigat,& alia ſigna ſupponat.

In hoc Satanas eſt beſtia illa Apocalyptica, quam cap. 13. v. 1. *§. 4.*
S. Joannes vidit aſcendentem de mari, habentem capita ſeptem *Dæmon invidus alia*
& cornua decem, *ſuper cornua decem diademata, ſuper capita nomina* *erigit ſigna*
blaſphemiæ, Vidit deinde aliam beſtiam, quæ fecit homines inſi- *& ſtatuas.*
gniri charactere prioris beſtiæ, puſillos & magnos, divites & pauperes, liberos & ſervos, ſignum vero beſtiæ his omnibus impreſſum fuit, vel in dextera manu, vel in frontibus. Secundum literam hoc fiet tempore Antichriſti in fine mundi. Hic erit rabida illa beſtia, quæ in hominum animis imaginem creatoris, & Chriſti conabitur deſtruere.

De charactere, ſigno, vel imagine, qualis illa futura ſit, quæ- *§. 5.*
ſtio eſt inter interpretes. 1. Alcazar cenſet fore ipſum nomen *Signum ſeu character*
Antichriſti, quia in omnibus ſe Chriſto opponet. 2. Si ſancto *Antichriſti*
Hippolyto aſſentiamur, hæc beſtia ſuorum frontibus inuret hanc *qualis.*
voculam græcam, ἀρνοῦμαι, id eſt, Nego; nam aſſeclas ſuos eo adiget, ut publicis & blaſphemis vocibus negent Deum, & Jeſum, & baptiſma. 3. P. Ribera putat fore draconis, vel. 4. literam græcam ρ, vel voculam ῥόδον, quæ roſam ſignificat, in ſignum voluptatum & impudicitiarum, per quas aſſeclæ Antichriſti dabuntur in reprobum ſenſum. Hæc ad literam ut dixi, fient in conſummatione ſæculi, ultimis annis ante finale judicium.

In ſenſu myſtico, cura & ſolicitudo infernalis hoſtis Anti- *§. 6.*
Chriſtum prævenit, dum & hodie in plurimorum animis, imagi- *Hodiedum quomodo*
nem Dei obducit, & ſuis characteribus ſignat. Sunt enim fortaſ- *Dæmon*
ſis inter vos, qui non verbis, ſed factis Deum negant, improba *utatur iiſdem ſignis.*
ſua vita negant Chriſtum. in his loco imaginis Dei, relucet imago diaboli. *Sunt fortaſſis inter vos* (S. Chryſoſt. hom. 23. ad pop.) *qui recalcitrant ut aſini, laſciviunt ut tauri, inhiant poſt mulieres tanquam equi, indulgent ventri tanquam urſi, carnem impinguant ut muli, rapaces ſunt ut lupi, ſibilant ut ſerpentes, feriunt ut*

 ſcorpii,

Digitized by Google

ſcorpii, ſubdoli ſunt ut vulpes, pleni veneno ut viperæ &c. imago Dei & Chriſti in his omnibus non reſplendet, ſed draconis, quam malus dæmon ſuppoſuit. Sunt fortaſſis inter vos, quorum animas turpis Venus ſignavit ſigno roſæ, quorum nota eſt cantilena Sap. 2. v. 8. *Venite coronemus nos roſis, non ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Quæſiverunt illi prata, hortos, agros, eheu! hodie à multis eliguntur templa, quæruntur loca ſancta, ut ibi relinquant veſtigia libidinis ſuæ. Sub his roſis non latet imago Dei, ſed Antichriſti & diaboli. Tales ſunt indigni, qui ferant imaginem tam nobilem.

§. 7. *Periculoſum eſt imaginem Principis inhonorare. Exemplum de Scipione Afric.*

De Scipione, filio Magni Scipionis Africani ait Valerius Maximus: hic cum Magni Scipionis eſſet filius, tamen in tanta domeſtica gloria ortus, Patris ſui ſplendorem, tenebris vitiorum ſuorum obnubilavit. Quapropter decrevit Senatus, ut annulum, quem gerebat, in quo imago Patris ſui erat depicta, de manu ſua detraheret, neque enim paſſus eſt Senatus, ut illud honoris inſigne manu gereret, quod operibus ſuis inhonorabat. Vos Chriſtiani Magni Regis eſtis filii; Deus, Pater veſter eſt, & cum peccatis eſſetis mortui, Dei Filius in cruce morte ſua denuo vos peperit, Chriſtus Pater veſter eſt; annon quotidie oratis, Pater noſter qui es in cœlis, *Pater veſter eſt*; nam & ille panem & alia corporis alimenta benefica manu ſubminiſtrat; *Pater veſter eſt*, ipſi enim cura de vobis, ipſe eſt, qui & recreavit vos in cruce. *Pater veſter eſt*; vos filii, hæreditas quam poſt ſe reliquit in terris, ſunt ejus ſacroſancta merita; quam reſervavit in cœlis, eſt æterna felicitas. Itaque vos filii hujus Patris; ſi autem filii, ubi ſunt opera filiorum? nonne filium decet veſtigiis inſiſtere parentis chariſſimi? nonne filium oportet eſſe moribus & vita alterum patrem? ubi ergo opera Chriſti patris? ubi eſt humilitas, ubi manſuetudo, ubi patientia, ubi reliquæ virtutes, quas pater veſter vos docuit? quid Chriſto cum Belial? quid illi cum ſuperbia, ira, & vitiis &c. propter hæc indigni eſtis, qui feratis imaginem Chriſti, indigni, in quibus reſplendeat ſimilitudo Dei, tanti honoris inſigne vos non decet.

§. 8. *Annulus Dei quomo-*

Rhodiginius l. 9. c. 17. ait, capitalem admiſiſſe fraudem, qui Principis imaginem nummo vel annulo inſculptam latrinæ aut

lupa-

lupanari intuliſſet. O homo, annulus aureus eſt anima tua, illi Deus Optimus Maximus ſuam imaginem incluſit, & toties commaculas? hinccine annulum tam pretioſum, tam pulchrum toties abjicis ante porcos? audesne cum hac imagine ingredi ædes Veneris? Cave; capitale ſcelus eſt. Niſi tuis lacrymis, niſi pretioſo ſanguine Chriſti in hac vita has ſordes eluas, æternum lues. licet enim hæc imago Dei in homine vitiis deturpari poſſit, nunquam tamen plane delebitur. In damnatorum animabus inter flammas æternum phyſica hæc Dei imago permanebit, in majorem pœnam, S.Bern. *Imago hac in gehenna ipſa uri poterit, exuri non poterit, ardere, ſed non deleri.* Si qui fortaſſis hanc imaginem Dei vitiis quibuſdam hactenus commacularunt, ſi in cordibus ſuis peregrinas imagines & characteres admiſerunt; his ſuadeo ut eluant ſordes, ut prior imago Dei denuo relucere incipiat. Modum, quo id fieri poteſt, intelligere poſſumus ex hoc ſimili S.Greg. Nyſſeni ſupra citati.

de commaculetur.

§ 9. *Modus reparandi hanc imaginem.*

Si diligenti & accurata vita ſordes cordi illitas & obductas, rurſus ablueris, reſplendebit in te divina pulchritudo quemadmodum in ferro fieri ſolet, cum id quod paulo ante nigrum erat, per cotem detracta rubigine, ſplendores quaſdam in ſe ad ſolem refulgens, & nitores edit; efficitur illud idem aqua & igne. Ita homo quoque internus, quem cor Dominus nominat, cum ſordes rubiginoſas abſterſerit, rurſum cum originali & principali forma, ſimilitudinem recuperabit. Aqua, qua ſordes eluuntur, ſunt lacrymæ contriti cordis, ignis ſunt actus ferventis charitatis. S.Catharinæ Senenſi faſſus eſt cœleſtis Pater, dial. c.91. placere ſibi *lacrymas ignitas*; has fundite animæ piæ, diſtillate tales lacrymas, his animæ eluuntur, ut imago Dei, ut character Chriſti denuo incipiat relucere.

§ 10. *Altera pars concionis. Signa & inſcriptiones Dei.*

Sed hinc oritur quæſtio pro altera parte meæ concionis, quænam ſit illa imago, & quiſnam ille character? Theologice, Phyſice, moraliter alibi hæc latius deduco, modo vobis proponam illas imagines, & characteres, qui ſignis beſtiæ opponuntur. *Primo* character, quo impii ſignantur, eſt vox; *Antichriſtus*. Piorum & Electorum character, eſt vox, *Chriſtus*. hic character in ſanctiſſimo ſacramento baptiſmatis nobis imprimitur, cujus vi & efficacia effi-

vobis imprimitis, quoties memores mortis Chriſti, & agoniæ il- *ſignum.*
lius, felicem mortem petitis, præcipue roſario quinque Vulne- *Quinque*
rum, quæ etiam ſunt ſigilla, ſigna, characteres, & imagines, qui- *Vulnera.*
bus cœleſtis ſponſus electorum ſuorum corda ſolet obſignare. De
his ſignis ſibi impreſſis gloriatur S. Paulus ad Galat 6. verſ. 17. *Ego
ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Admirabili ſed ſuavi mo-
do eadem ab ignito & crucifixo Seraphim impreſſa ſunt magnis
quibusdam ſanctis, veluti S. Franciſco & S. Catharinæ Senenſi.

Per literam C. alii intelligunt ſanctam crucem, quam Seve- §. 14. *Varia alia*
rus vocat, *ſigillum timentium Dominum.* S. Petrus Dam. *ſignaculum ſigna, ut*
Redemptionis æternæ. Arnoldus Abbas, *paſſionis formam & chara- crux, confi-*
cterem, cujus inſpectio terrorem dæmonibus incutiat. Sed propero ad *teor, agnus,*
reliqua. Secundum ſignum beſtiæ fuit græca vocula, ἀρνοῦμαι, id *ſpina &c.*
eſt, nego, character Chriſti eſt, ὁμολογέω, confiteor. Tertium
fuit imago draconis, imago Chriſti eſt agnus. Denique literæ R.
vel roſis, oppono literam S. ſive ſpinas, roſæ ſunt ſymbolum re-
proborum, ſub illis roſis latet imago diaboli, ſpinæ, ſive patientia
in tribulationibus, ſunt ſignum Chriſti; ſub illis ſpinis lucet ima-
go Dei. Ideo S. Catharina Senenſis, abjecta aurea, ſpineam co-
ronam elegit. Spineam Chriſti coronam veluti ſignaculum po-
nite ſuper corda veſtra, & dico in vobis eſſe imaginem Chri-
ſti &c.

Agedum Auditores, ſi portâſtis hactenus in cordibus veſtris §. 15.
imaginem terreni Regis, portate poſthac imaginem cœleſtis, O *Epilogus cum pio ad*
quam nobilis eſt imago crucifixi; Eia piæ animæ, imprimite *hæc ſigna &*
mentibus veſtris hoc ſigillum. Quam ſunt præclaræ imagines, *imagines affectu.*
quinque Jeſu Vulnera! O Jeſu, O amor mi! fortiter imprime
noſtris animis hæc ſigna ſalutis. Et tu O ſacroſancta Crux,
quis mihi det ut in hoc ſigno cum glorioſo illo Cæſare Con-
ſtantino vincam! vincam, ſi mihi fueris ut ſignaculum impreſ-
ſum. Vos denique dulciſſima Nomina, Jeſus, Chriſtus! O fe-
licem animam meam ſub his ſignis! ſolent hoſpitia ex ſignis
ante fores affixis dignoſci, hinc hoſpitium aliud ad leonem,
aliud ad aquilam, aliud ad aureum anſerem, ad jucundum vi-
rum, ad Cygnum, ad auream coronam, & ſimilia. O cor meum,

Tu hos

Digitized by Google

Tu hoſpitium eſſe debes ſanctiſſimæ Triados, ecquod aliud ſignum eliges, quam dulce nomen Jeſu, vel quinque ejus Vulnera! Ita, ita fiat. Sub his ſignis & vivere & vincere certum eſt.

CONCIO LIII.

DOMINICA ULTIMA POST SS. TRINIT.

Cum videritis abominationem deſolationis, ſtantem in loco ſancto.

Matt 24. c. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ADoleſcentum, vel aliorum ſeductores ſunt abominabiles.

§. 1. *Quid in ſenſu morali S. Scriptura intelligat per abominationem.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Seductores ſunt peſtilentes. g. abominabiles. Probatur. 1. ex Pſalmo 1. & S. Baſilio.*

§. 4. *Ex Cicerone.*

§. 5. *Ex Salviano & S. Gregorio.*

§. 6. *Seductores ſunt miniſtri diaboli. g. abominabiles.*

§. 7. *Quomodo ſeductores peccent in Chriſtum, ſecundum deſideria Satanæ.*

§. 8. *Pulcer locus ex Sancto Bernhardo.*

§. 9. *In quibus peccatis ſiant periculoſæ ſeductiones.*

§. 10. *Brevis repetitio concionis, per ſeptem maximas, cum acri invectiva in ſeductores.*

§. 11. *Invectiva longe acerbior.*

§. 12. *Acrior epilogus.*

§. 1. *Quid in ſenſu myſtico S. Scriptura intelligat*

DE qua abominatione, ſecundum literam, Salvator noſter loquatur in hodierno Evangelio, alias declaro. quidnam in ſenſu myſtico per abominationem Spiritus Sanctus intelli-

intelligat, melius explicare non poſſum, quam ex ipſis ſacris literis, in quibus inprimis abominatio dicitur, ſervitus & cultus idolorum. 2. Paral. 33. v. 2. *Manaſſes fecit malum coram Domino juxta abominationes gentium, conſtruxit enim aras Baalim, & fecit lucos, & adoravit militiam cæli:* 2. Paral. 34. v. 33. *abſtulit deinde Ioſias cunctas abominationes, & omnes, qui reſidui erant in Iſrael, fecit ſervire Domino Deo ſuo.* 2. Abominatio in conſpectu Dei ſunt peccata, quæ committuntur in loco ſancto, ſive in templis. 2. Paral. 36. v. 14. *Sed & univerſi principes ſacerdotum, & populus prævaricati ſunt inique juxta univerſas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini, quam ſanctificaverat ſibi in Ieruſalem.* Ezech. 8. v. 6. *Fili hominis putasne, vides tu quid iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſrael facit hic, ut procul recedam à ſanctuario meo fode parietem, ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic.* 3. alia multa ſcelera ſunt abominatio in oculis Domini, præcipue luxuria, ſuperbia, oppreſſio pauperum, ut multis locis patet in Proverbiis, in Eccleſiaſtico, in pſalmis & libris Prophetarum. Exordium meum erit concio, ſi illis enarrandis tantum velim inhærere. Illis quæ hac concione dicturus ſum, occaſionem mihi dedit c. 21. v 9. lib. 4. regum. *Illi verò* (filii Iſrael) *ſeducti ſunt à Manaſſe, ut facerent malum ſuper gentes & quia Manaſſes Rex Iuda fecit abominationes iſtas peſſimas, ſuper omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare etiam fecit Iudam in immunditiis ſuis, propterea hæc dicit Dominus &c.* *per abominationem.*

Ex hoc loco concludo abominabiles eſſe ſeductores aliorum, quod probabo triplici argumento. 1. Abominabiles ſunt peſtiferi. 2. diaboli. 3. incendiarii, rabidi canes &c. ergo etiam ſeductores &c. cogitate habere me cauſam, quod hanc materiam elegerim. *§. 2. Propoſitio.*

Seducere alios, eſt, eſſe illis cauſam alicujus peccati, vel verbis vel facto & exemplo illos trahere ad malum; convenit autem præcipue illis, qui juventutem corrumpunt, ſunt enim aliqui Magiſtri ſcelerum, qui parvulos & parvulas docent ſcelera, quæ nominare non licet, explicabo me paulo poſt clarius. De his dico primo, quod ſint abominabiles ſicut peſtiferi. probo propoſitio- *§ 3. Seductores ſunt peſtilentes ergo abominabiles Probatur primo ex pſ. 1. & S. Baſilio.*

Digitized by Google

nem ex v.1.pſ.1. *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Quinam ſunt iſti cathedratici in ſede peſtilentiæ? reſpondet S. Baſilius in ſcholiis ſuper Pſ. 1. *peſtilentes eos dicit, qui non ſolum ſe ipſos perdunt, ſed & in alios peſtem ſuam, juxta peſtilentis morbi rationem, transferunt.* Peſtilentes tales vocantur à Davide & S. Baſilio, ut ſicuti tempore peſtis, unusquisque ab eo, qui peſte infectus eſt, cavet, ſic cum videris aliquem peccatorem ſcandalo tibi eſſe, ab eo ſolicite caveas, & fortiori ratione; nam ſi fugis peſtilentem ad evitandum periculum mortis temporalis, multo magis cavere debes periculum mortis æternæ, neque minus ſed majus eſt periculum ſcandali ad mortem æternam, quam peſtis ad temporalem.

§.4 Ex Cicerone. Hac ferme metaphora uſus eſt Cicero l.3. de legibus. *Perniciose merentur de Republica vitioſi Principes, qui non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed & infundunt in civitatem: neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur* (quod ipſi peſte ſint infecti) *ſed etiam quod corrumpunt* (quod peſtem diffundunt) *pluſque exemplo quam peccato nocent.* juxta illud S.Chryſoſt. tom.5. h. contra concubinarios: *Admirabile quiddam dicam, etiamſi graviter quis peccet, & clam hoc faciat, & neminem ſcandalizet, minorem dabit pœnam, quam qui leviter peccavit, ſed cum ſcandalo multorum.*

§.5. Ex Salviano & S. Gregorio. Salvianus de providentia de tali peſtifero vel ſeductore ait: *multos ſecum præcipitat in mortem, & neceſſe erit, ut ſit pro tantis reus, quantos ſecum traxit in reatum.* & S.Gregorius. *Scire debent, qui præſunt, quod tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos perditionis exempla tranſmittunt: quia pereuntium animarum ſanguis requiretur de manibus eorum* Hoc dictum urgebo poſtmodum magis. Pro primo puncto ſufficiat oſtendiſſe, ſeductores &c. cum peſtiferis eſſe conferendos.

§.6. Seductores ſunt miniſtri diaboli, ergo abominabiles. *Secundo* tales ſeductores & ſcandalizantes ſunt miniſtri & inſtrumenta diaboli, ergo ſunt abominabiles. Antecedens eſt S. Thom.1 p.q.114.art.2. *Proprium officium dæmonis eſt tentare homines, eos in peccatum præcipitando, quod ſi homo aliquando ſic tentet, hoc agit in quantum eſt diaboli miniſter.* Sicut contra magna gloria hominis eſt, Dei inſtrumentum eſſe, & cooperatorem in reductione

anima-

Digitized by Google

animarum ad ipſum, ſic ex oppoſito ingens malitia hominis eſt, eſſe cooperatorem & inſtrumentum diaboli in averſione animarum à Deo. Ejuſdem opinionis eſt S. Leo Papa ſer. 7. de Nat. Christi. *Habet hoſtis antiquus multos ex eis, quos tenacius obligavit, aptos artibus ſuis, quorum ad alios decipiendos, & ingeniis utatur & lingua.*

Acribus verbis in illos invehitur S. Paulus 1. Cor 8. v 12. *Sic autem peccantes in fratres* (ſi ſcilicet ſcandalizetis, vel ſitis illis cauſa peccandi) *& percutientes conſcientiam ipſorum infirmam in Chriſtum peccatis.* S. Chryſoſt. hom. 20. in cit. ep. *In Chriſtum, hi ſcandalizantes proximos, peccant* (variis modis, ſed præcipue) *quia opus Chriſti, quod propria morte abſolvit, deſtruunt.* Latet pulchrum ſimile. Diabolus eſt contrarius Chriſto, ejus ſanguini & paſſioni, hoc unum quærens, ut hominibus non proſit, pari ratione hoc exequitur ſeductor, ſcandalizans, &c. Illa verba, *peccantes in Chriſtum,* hoc modo expendit S. Chryſoſt. hom. 7. ſuper Geneſin: *Mina iſta* (nimirum verba illa Chriſti Domini Matth. 18. v. 6. *Qui ſcandalizaverit unum ex his puſillis, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*) *auſtera ſunt, & magnam ſecum afferunt condemnationem: dicere enim vult: ne opineris quod damnum hoc ad eum qui offenditur ſolum pertineat, tranſit etiam, ad Chriſtum ipſum, qui propter illum crucifixus eſt.* §. 7. *Quomodo ſeductores peccent in Chriſtum, ſecundum deſideria Satanæ.*

Cum magno affectu ait S. Bernardus in quadam concione: *ſi Dominus proprium ſanguinem dedit in pretium Redemptionis animarum, non tibi videtur, graviorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione mala, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione, avertit ab eo animas, quas redemit, quam ab illo, qui ſanguinem ſuum fudit.* Altior & profundior in his verbis latet conſideratio: ex qua patebit, quam inique agant ſeductores animarum, miniſtri Satanæ: nimirum in graviſſimis tormentis, v. g. in flagellatione, coronatione, crucifixione &c. hoc Chriſtus Dominus habuit ſolatium, quod viderat fore, ut illi dolores prodeſſent animabus (eſt pulcher locus) Vos igitur ô ſeductores, additis ſuper dolorem Vulnerum, & quantum in vobis eſt, privatis Chriſtum D. illa conſolatione, §. 8. *Pulcher locus ex S. Bernardo.*

 & labo-

Digitized by Google

& laborum ſuorum fructu, quem perciperet ex illis animabus, quas ad peccandum inſtruitis, quid aliud intendit diabolus? ideo incarnati eſtis diaboli, & abominabiles ut diaboli, vel ſaltem ejus inſtrumenta; ſive ut ipſe Chriſtus Dominus ait Joan. 8. v. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.: ille homicida erat ab initio.* id eſt, deſiderium diaboli eſt, ut hæc vel illa anima Deum offendat, quod ſæpe ſe ſolo facere non poteſt, per vos efficit. Diaboli deſiderium eſt, ut à tali vel tali anima conculcetur ſanguis Chriſti. hoc per vos efficit. Ipſius deſiderium eſt, ut perimat, ut occidat, ut in infernum trahat animas, per vos perimit. per vos occidit, per vos illas trahit ad infernum. ideo animæcidæ eſtis, ſicut pater veſter, & abominabiles ſicut diaboli.

§. 9. *De quibus peccatis fiant periculoſa ſeductiones.*

Verum dum tam gravia contra tam abominabiles homines profero, non dubito quin clarius intelligere deſideretis, quinam ſint hi peſtiferi & miniſtri Satanæ. Mox deſiderio veſtro faciam ſatis. 2. Mach 4. v. 12. dicitur, *Iaſonis nefarium & inauditum ſcelus qui auſus eſt ſub ipſa arca gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque Epheborum in lupanaribus conſtituere,* id eſt, fuit Magiſter in cathedra & ſchola peſtilentiæ, ſive docuit adoleſcentes gravia & nefanda ſcelera. Hoc fuit nefarium & inauditum ſcelus. Sed late illa ſcelera (in quibus maxime in juventute eſt periculum ſeductionis) enumerat S. Paulus ad Rom. 1. verſ. 26. *Propter quod tradidit Deus illos in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Maſculi exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes.* His alibi annumerat molles, qui regnum Dei non poſſidebunt. facile intelligent, quos volo intelligere, quænam & quam gravia ſcelera hæc ſint. Et tamen ſunt plerumque in magna juventute Magiſtri peſtilentiæ, quia talia docent, habet diabolus ſuos miniſtros, qui innocentiſſimos juvenes corrumpunt. Sæpe talis Magiſter eſt frater major erga minorem, vel contra &c. ſæpiſſime tales magiſtræ diaboli ſunt ancillæ &c. ſæpe etiam ſunt Pædagogi &c. Experientia ſciunt Confeſſarii, ſubinde puerulos decem, vel duodecim annorum, vel virgunculas ejus ætatis, accuſare ſe de criminibus peſſimis. Si forte Confeſſarius motus rei indignitate, & com-

compaſſione quærat: eia mi agnicule, quis ille lupus eſt infernalis, quis rabidus ille canis, qui tam cito te momordit? quis ille ſerpens, qui venenum infudit, quænam illa vipera, quis ſcorpius, qui feriit? Eia columbula Chriſti, quisnam accipiter ſuis unguibus tam cito te apprehendit? reſpondere ſolent, à fratre vel ancilla, à malo ſocio, præcipue à Pædagogo noſtro hæc didici. per colloquia, per libros, per imagines, per alia, quæ loqui non licet. Ecce, quinam ſint infernales lupi, quinam rabidi illi canes &c. (eſt locus pro pulchra inductione.) Quid ſi ſæpe parentes ſint illi lupi &c. fieri id poteſt, cauſam eloqui me hoc loco non decet.

Sed, O miniſtri Satanæ, jam ante à me dicta, animis veſtris repetite, Vos ergo eſtis *primo* iſti peſtiferi, qui non ſolum perditi & corrupti eſtis, ſed præterea alios perditis & corrumpitis, dum in illos peſtem veſtram transfertis. *Secundo* vos eſtis, qui innocentes animas præcipitatis in mortem æternam; *Tertio* tot vos mortibus, tot vos infernis eſtis digni, quot animabus cauſa mortis fuiſtis. *Quarto* veniet hora, qua, præcipue in agone, præcipue coram tremendo Judice, pereuntium animarum ſanguis à vobis exquiretur. ſtabunt varii qui vos accuſabunt NN. ſed vehementiſſime illi, quos ſeduxiſtis. Hæc fuit materia primi puncti, ac proinde eſtis abominabiles. Abominatio ſtat in cordibus veſtris. *Quinto*, vos eſtis miniſtri diaboli, qui cooperamini cum illo in interitum animarum. Chriſtus pro illis mortuus eſt & ſanguinem ſuum fudit, vos cauſa eſtis ut fruſtra ſit mortuus. Fures eſtis, furamini illi animas. Animæcidæ eſtis, ſicut diabolus. *Sexto*, peccatis peculiari modo in Chriſtum Dominum, quia opus, quod ille morte ſua abſolvit, vos deſtruitis, & hoc damnum tranſit in Chriſtum, qui pro animabus crucifixus eſt. Vos *ſeptimo* denique eſtis, qui Chriſtum privatis fructu acerbiſſimæ ſuæ Paſſionis & mortis, & quid aliud diabolus quærit & intendit, ideo, ut ipſe, eſtis abominabiles. Abominatio ſtat in cordibus veſtris.

§. 10. Brevis repetitio concionis per ſeptem maximas, cum acri invectiva in ſeductores.

Sed bene monet Lactantius l. 6. divin. inſtit. c. 23. *Non poteſt hæc res pro magnitudine ſceleris enarrari. Nihil amplius illos appellare poſſum, quam impios & parricidas* (dico ego animæcidas) paulo poſt, *quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas proſequar?*

§. 11. Invectiva longe acerbior.

vincit officium linguæ ſceleris magnitudo. Graviter S. Bernard. ſer. de converſ. ad Clericos c.29. *Nunquid non & ipſam, utpote conſcientiam tantæ confuſionis tellurem abſumpſit ignis, ſulphur & ſpiritus procellarum? Amputata ſunt hydræ capita quinque, ſed heu innumera ſurrexerunt! Quis readificavit urbes flagitii? quis turpitudinis mœnia dilatavit? quis extendit propagines virulentas? væ, væ: inimicus hominum ſulphurei illius incendii reliquias infelices circumquaque diſperſit.. Execrabili illo cinere Eccleſiæ corpus aſperſit, & ipſorum quoque miniſtrorum illius nonnullos, ſanie fœtidiſſima abſurdiſſimaque reſperſit &c.* Ex hoc loco S. Bern. fieri poteſt pulcherrima invectiva.

§.12. *Acrior Epilogus.* Culpæ aliquando reſpondebit pœna, ideo S. Chryſoſtomus. *Quot tandem obſecro, gehennæ his plectendis ſuffecerint?* de Jeroboam dicitur 3. Reg. c.22. v.54. *Irritavit Dominum Deum, quia peccare fecit Iſrael.* Pœnæ, quibus Jeroboam punitus fuit, fuerunt terribiles, & ſacra ſcriptura in l. 3. & l. 4. Reg. undecies, vel duodecies repetit cauſam, *quia peccare fecit Iſrael.* Idem, diabolus, in agone ſuis miniſtris objiciet, peccare feciſti, hunc, illam &c. poteſt fieri pulcher Epilogus.

Punctum Tertium, ſeductores eſſe latrones & incendiarios in aliam concionem rejicio.

ALVEI QUINTI PARTIS SECUNDÆ

FINIS.

ALVEI

Digitized by Google

Digitized by Google

ALVEI QUINTI,

SIVE

CONCIONUM

IN

Omnia feſta ab Adventu uſque ad Pentecoſten,

PARS III.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO LV.

FESTO S. FRANCISCI XAVERII, INDIARUM APOSTOLI.

Quæſivit Dominus ſibi virum, juxta cor ſuum.

Lib. 1. Reg. c. 13. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEſcribit igneam S. Franciſci caritatem erga DEum & proximum, item igneam & ardentem ejus devotionem, præſertim erga SS. Euchariſtiam, & Paſſionem Chriſti Domini. Offeruntur eidem variæ coronæ.

§. 1. *Cadaveri S. Xaverij variæ imponuntur Coronæ.*

§. 2. *Proſecutio & Propoſitio.*

§. 3. *S Xaverius fuit cæleſtis & igneus Talus.*

§. 4. *Vnde primi ignes & ardores in corde S. Xaverij.*

§. 5. *S. Xaverius fuit fons ſolis. Primùm fluens lachrymis ardentiſſimæ Contritionis.*

§. 6. *Converſus deinde in lucem, & ignem divini amoris.*

§. 7. *S. Xaverius, igneus ſol, in curſu ſuo velociſſimus.*

§. 8. *Ignea caritas S. Xaverij vicit omnia obſtacula.*

§. 9. *Ardens Xaverij ſitis ad patiendum ardua.*

§. 10. *Ardor S. Xaverij in ſtudio Orationis.*

§. 11. *In cultu Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.*

§. 12. *In devotione erga Paſſionem Chriſti.*

§. 13. *In exercitio omnium virtutum. Declaratur fervor S. Xaverij per varia Symbola.*

§. 14. *Alia Symbola.*

§. 15. *Caritas S. Auguſtini, eſt ardens Speculum ardentis amoris in corde S. Xaverij.*

§. 16. *Epilogus, ſit repetitio gratulabunda Exordij.*

Digitized by Google

§. 1. *Cadaveri S. Franciſci Xaverij varia imponuntur Corona.*

IN fine illius, quam anno ſuperiore, hodierno feſto, ex hac eadẽ cathedra ad vos, in honorem glorioſiſſimi Patris S. FRANCISCI XAVERII Indiarum Apoſtoli recitavi panegyrin pervenit oratio ad beatiſſimum Viri Sanctiſſimi obitum, qui in Sanciano Chinarum Inſula tum contigit, cùm is, in florentiſſimum illud regnum, vexillum Crucis & fidem Chriſti inferre cogitaret. Sed aliud placuit Superis! ſiquidẽ febriculâ tentatus paucis poſt diebus, ſanctiſſima nomina JESU & MARIÆ, inclamans, in expoſito ventis mapali, ad littus maris ſuper ſtoream ex ſtramine contextam, veluti lectulum Crucis, quam ſemper ut ſponſam adamaverat, incumbens, ſanctiſſimè expiravit. Spes, (nomen eſt ſancti cujusdam Epiſcopi) cùm ex hâc vitâ decederet, ſuper ejus caput colũba è cœlo volitans, hæc ſcripta reliquit verba: *Corona ſuper caput ejus hodie pretioſa.* S. Nicetũ Epiſcopũ in agone Angeli invitârunt ad quietem ſempiternã, & coronam cœleſtibus margaritis ornatã illi exhibuerunt. S. Demetrio morienti Angelus coronam impoſuit, & dixit, *Pax tibi! Chriſti Athleta!* S. Raymundo Nonnato Cardinali ipſa Cœlitum Regina in amœno horto coronam texuit, dicens: *meritò his ſertis coronabitur, qui pauperi amore Chriſti ſuum pileum obtulit.* S. Maternus Epiſcopus vidit Sanctos Eucherium & Valerium geſtantes Coronas in capite, roſis, liliis, gemmisque mirè contextas, qui ad aliam ejuſdem decoris & artis coronam, quã manibus oſtentabant, S. Maternum invitârunt. S. Galganus moriens hanc è cœlo vocem audivit: *Satis eſt, quod laborâſti, metes nunc quod ſeminâſti.* S. Roſalia, cœleſtis Sponſi manu, in ſinu Matris ſedentis coronata eſt, & ita dormientis inſtar moriens Roſis redimita Angelo duce ad cœleſtes Agni nuptias deducta.

§. 2. *Profectio & Propoſitio.*

Eheu! itane corruit Orientis Atlas! eheu! cecidit fortis illa columna Eccleſiæ in Indiis! eheu! obiit S. XAVERIUS. Si cœleſtis eſſem columba, pulcherrimis plumis, aureis literis ſcriberem has voces. *Corona ſuper Caput ejus, hodiè pretioſa.* O S. FRANCISCE hìc ſiſte! portum non Chinarum tantùm, ſed cœleſtis gloriæ attigiſti! audin'? cœleſtes genij ad quietem ſempiternam te invitant; viden? coronam cœleſtibus margaritis ornatam tibi oſtendunt. Athleta Chriſti! fortiſſime pugil Pax tibi! ſatis eſt quod laborâſti, metes nunc

Digitized by Google

tes nunc quod ſeminâſti. Ita eſt Auditores, coronandus eſt roſis & liliis, & gemmis, & ſtellis, qui amore Chriſti tanta fecit, tantaque fortiſſimo pertulit animo. Meritò aureis & igneis ſtellis rutilat, quem in hâc vitâ ignita charitas totum fecit igneum. Talem fuiſſe S. Xaverium, talem fuiſſe ejus ardentem caritatem, hæc oſtendet Panegyris. Veni Ignite Spiritus, & cœleſtibus tuis flammis eandem accende & inflamma.

Si Poëtis credimus, Talus, vir ferreus, Vulcaniis adjacens fornacibus, per quietem ita incanduit, ut ex ignito illo antro, & flammeâ ſpecu prorumpens, obvios quoſque præfervido afflârit calore, quin & in cinerem atque favillam redegerit univerſa. Fabula eſt, fateor: ſed & umbra veritatis in S. Xaverio. Non à Vulcano, ſed ab igneo viro S. Ignatio in igneam Spiritualium exercitiorum ſpecum inductus, cœleſtibus flammis ſubitò ita incaluit, ut indè prorumpens, non per Galliam, Italiam nobiliſſimaſque Europæ tantùm Provincias, obvios afflaverit, & divinæ charitatis ignibus accenderit, ſed ad ultimos mundi terminos proceſſerit, ubique ſpargens ſcintillas, igniculos, incendia. Omnia enim quæ per æſtuantium fervorem meditationum ſibi depinxerat, in privato exercitiorum ſeceſſu S. Xaverius; eadem inflammatiſſimæ voluntatis executione, in ampliſſimum alterius orbis theatrum deduxit. §. 3. *S. Xaverius fuit cœleſtis & igneus Talus.*

Ajunt, cuidam in Ægypto, (quæ calidiſſima eſt Regio) ſævienti in arborum ſtrages, caſu elapſam ſecurim, & in ſubjectum impactam ſilicem, excuſſiſſe ignem, qui illicò animatus vicinas corripuit ſegetes; & deinde exundans devolutus in arbores, toti ſylvæ & nemori intulit incendium. Tum vicinæ urbis mœnia corripiens acrius ſævit, ædes, tecta, turres, templa, palatia demolitus, omnia in flammas, & ex flammis in cineres convertit. Fabulamnè narro, an Xaverianæ, id eſt, ignitiſſimæ caritatis allegoriam? ſit fabula; dummodò conſtet, S. Ignatii ignes, in ſilicem fortiſſimi pectoris S. Franciſci Xaverij illapſos, illos in eodem excitâſſe flammas, quæ ex Europa in Orientis devolutæ Provincias, idololatriæ aras & lucos demolitæ ſunt; humana verò cœleſtibus flammis accenderunt. Ignea fuit S. Xaverij caritas. §. 4. *Unde primi ignis & ardores in corde S. Xaverij.*

Digitized by Google

Quamprimùm in Indias appulit, poteſtates tenebrarum non potuerunt ferre ardentis amoris lumina; Tartari tenebriones fugerunt caritatis ſplendorem, Erebi noctuæ percuſſæ fuerunt tantâ luce: S. Xaverij ignis in fugam compulit ipſos immaniſſimos Orci leones.

§. 5. S. Xaverius fuit fons ſolis. Primum fluens lacrymis ardentiſſimæ contritionis

In libro Eſter cap. 10. v. 6. vidit Mardochæus in ſomnio parvum fontem, qui cum excreviſſet in fluvium, in lucem denique ſolemque converſus eſt. Duplicem hunc fontem in corde S. Xaverij per ſpiritualia ſua exercitia excitavit S. Ignatius. Clarius; fons fuit Cor S. Xaverij, ex hoc fonte manârunt aquæ lacrymarum, aquæ ardentiſſimæ Contritionis; Hæc verba; *Non me movet ad amandum te Domine, cælum, quod mihi promiſiſti; nec horrendus infernus movet me, ut non offendam te. Tu me moves mi DEus! Movet me, quod videam te cruci clavis affixum; movet me, quod videam corpus tuum tam vulneratum: movent me opprobria tua, & mors tua. Denique movent me hæc mi DEus! & ita movent, ut ſi non eſſet infernus ullus, tamen adhuc timerem te, & ſi nullum eſſet cælum, adhuc amarem te, & nunc amo te, & amabo aeternum.* Hæc inquam verba, annon ignitæ ſunt guttæ, vel ſcintillæ, fluentes & proſilientes ex igneo fonte, in corde S. Xaverij? crevit deindè ille fons in lucem & ſolem ardentiſſimi amoris, cum Incremento quaſi continuo.

§. 6. Converſus deinde in lucem, & ignem divini amoris.

Ignis divini amoris in pectore S. Xaverij ſemel à S. Ignatio accenſus, fons fuit amoris, ex quo S. Xaverius indies, & ſingulis pænè momentis bibens, ſitim non ſedavit, ſed accendit; ut cum pro Deo patiendum aliquid, vel fortiter agendum pro ejus gloriâ occurreret, ex ardenti pectore, veluti ſuccenſâ fornace, vel igneo fonte illa verba eructaret; *Amplius Domine, amplius Domine!* Poſtquam cœleſtem hunc ignem S. Ignatius in cor Xaverij injecit, totum ejus animum paribus flammis involvit. Primus amor, quotidiè imò in ſingula pœnè momenta novi amoris fuit illicium, & nutrimentum. Ardens cor S. Xaverij converſum fuit in ſpeculum amoris, quos à ſe diſperſit radios erga DEum, erga proximum, ſemper recepit cumulatiores. Ita parvus fons crevit in fluvium; donec in lucem & immenſum ſolem fuit commutatus

Digitized by Google

mutatus, qui totum Orientem clariſſimâ luce illuſtravit, ut ſi cum Poëtis ſolem velim vocare oculum cœli, ego non immeritò S. Xaverium appellare poſſim, oculum Orientis.

Solem cernimus quotidie, ad ſua proferenda beneficia, incredibili celeritate ab Oriente properare in Occaſum. Sol fuit S. XAVERIUS incitatiſſimo curſu, ex Europâ ſive Occidente, per ſexaginta & amplius regna, atque Provincias properans uſque ad Japones & Chinenſes; ita feſtinavit, ita cucurrit, ita volavit ignea XAVERII caritas. Iterum fabulæ mihi ſuggerunt veritatem. Referunt illæ, Abaridem eâ à Diis fuiſſe dotatum gratiâ, ut quo arcus jactu & impulſu telum præmiſiſſet, eò incitatiſſimo corporis volatu raperetur. Abaris cœleſtis fuit S. XAVERIUS; dum veluti ſagitta totum Orientem admirabili velocitate pervolavit, non animo tantùm ſed corpore. Nam poſtquam ex Europâ exceſſit, Mozambicum, Melindam, Socotoram, Goam, Comorinum, Travancoridem, Cellanum, Negupotunum, Meliaporam, Malacam, Molucas, Amboinum, Mauricas Inſulas, Japoniam, Sancianum, Sinas, & ſi quid eſt amplius barbarorum nominum, ac nationum, ideſt, vaſtiſſima Orientis Regna & Provincias, populos & nationes, ſinus & maria, littora & promontoria, brevi decennij ſpatio, per centum milliarium millia percurrit & excoluit. O ſol illuſtris! Sol velox in curſu! gratioſus in lumine!

§. 7. S. Xaverius, igneus ſol, in curſu ſuo velociſſimus.

Cum hoc ardentis animi propoſito, conjuncta erant deſideria, pro DEI gloria, JESU Crucifixi amore, & Animarum Salute agere & pati fortia. Sed oppoſuit natura montes? igneus amor S. XAVERII igneas habuit pennas & alas, ut Supervolaverit. Sed deciderunt graves è nubibus pluviæ? Sed maria immanes objecerunt fluctus? Aquæ multæ igneam S. XAVERII caritatem extinguere non potuerunt. Sed in Japoniâ S. XAVERIO gelatæ reſtiterunt nives? S. XAVERII charitas ſol fuit, qui illas eliquavit. Sed ſterilis illa tellus protruſit ſpinas? S. XAVERIUS igneo ſuo ſanguine illas aſpergens, eaſdem convertit in roſas. Sed crudelis Maurica minata illi fuit arcus, tela, ſaxa? omnia idololatriæ arma, arcus, & ſpicula contempſit, confregit, combuſſit

§. 8. Ignea caritas S. Xaverij vicit omnia obſtacula.

buſſit ignea S. XAVERII caritas. Convolutæ in ſemetipſas indignantis Oceani tempeſtates, infames mille naufragiis ſcopuli, conſpirantia in navigantium funera ventorum prælia, ſublatæ ad cœlum procellæ, depreſſi in profundiſſimam abyſſum Aquarum hiatus, mille in mari mortis diſcrimina, ardentem XAVERII animum deterrere non potuerunt. Minantes in Cœlum caucaſos, cana perpetuis nivibus Acroceraunia, ſanguineis veſtigiis purpuranda, horrentes Japonico gelu ſcopulos, lubricas continuâ glacie rupes, ſummâ velocitate fuit emenſus. Armatus in unius interitum Badagarum exercitus, contracti adverſariorum arcus, volantes ſagittæ, igniti acinaces, frementes Bonzij, inſanientes Brachmanes, immanes inferni copias, unus irriſit S. Xaverius. Denique quidquid barbaries terrâ marique periculorum ad terrorem, violentiæ ad perſecutiones, ferociæ ad vulnera, immanitatis ad interitum potuit excogitare, invictum Xaverij animum perturbare non potuit. Cum videret naufragia, emergebat animus; cum ſentiret frigora, inardeſcebat ſpiritus; cum obijcerentur pericula, armabatur pectus; quicquid fuit ſævum, dirum, aſperum, horribile, Xaverij ſitim ad agendum & patiendum fortia reſtinguere non potuit, quin repetitis vocibus ingeminaret: *Amplius Domine!*

§. 9. *Ardens Xaverij ſitis ad patiendū ardua.*

O ardentem patiendi ſitim in ardentiſſimo S. Xaverio! Contigit non raro, ut cœlum illi cœleſtium deliciarum propinaret mella, tum, *Satis eſt*, exclamabat, *ſatis eſt Domine.* Si pluviam minaretur: *amplius*, ingeminavit, *amplius.* Cum de cœlo paradiſi deciderent roſæ, *Satis eſt*, inquit, *ſatis eſt.* Cum ſpinæ illum pungerent, *Amplius Domine! amplius!* Cum cœleſti veluti muſicâ intus fuit recreatus; *Satis eſt* cecinit; cum nubes, cum fulgura, cùm tonitrua fulminârunt, *Amplius!* exclamavit Xaverius. Notatu dignum eſt, quod Turſellinus narrat l. 3. c. 13. in hæc ferè verba: Cum quid adverſi pateretur Xaverius, orabat inſtanter DEum, non ut ex hâc ipſum tempeſtate eximeret; Sed ut in majorem turbulentioremque conjiceret; *Amplius Domine; Amplius*; majora ſunt quæ deſidero tormenta, majores quos ambio labores; dummodò ex his aliquod divinæ tuæ gloriæ incremen

crementum accedat. Annon ardens illa ſitis? annon igneus animus ad ardua?

Ardoris hujus fontem hunc puto fuiſſe; S. Anno, ex milite factus Epiſcopus Colonienſis, virtutibus & miraculis eximius, divino Miſſæ ſacrificio aliquando intentus, vidit de cœlo globum igneum in ſacrum calicem illabi, quem cum pretioſiſſimo Chriſti Domini ſanguine totum hauſit. Similes ego globos arbitror quotidiè de cœlo fuiſſe delapſos in omnes actiones, & eximias virtutes S. Xaverii. Hinc in orationis ſtudio, qualis fervor & ardor in viro hoc ſanctiſſimo? Tanto ſpiritus fervore frequenter in oratione perſeveravit, ut in illâ integras noctes tranſigeret; fieretque aliquando talis ſuper illum mentis exceſſus, ut oculis in cœlum defixis, divinâ vi è terrâ elevaretur, vultu adeò inflammatus, ut Angelicam prorſus claritatem repræſentans, totus cœleſti quodam igne exardeſceret, ac in præſentes quoque, qui illius aſpectu ad amorem DEI accendebantur, flammam pietatis emitteret; accensâ etiam linguâ, dulciſſimorum horum verborum ſcintillis, *mi JESU! dulcis JESU!* globum igneum puto illapſum in calicem, vel potius Cor S. Xaverii, cum in ardentiſſimos illos erumperet affectus, & ignea illa verba ex inflammato pectore eructaret: *O JESU Chriſte, DEUS cordis mei, obſecro te per quinque illa vulnera, quæ tibi in Cruce noſtri amor inflixit, famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.*

§. 10. *Ardor S. Xaverij in ſtudio Orationis.*

In Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cultu qualis ardor? quotieſcunque in itineribus, in urbibus, in Noſocomiis, in Eccleſiâ orandi copia fuit, ante aram maximam Sacroſanctam Euchariſtiam ſubmiſſis genibus adoravit; cum à laboribus feſſus eſſet, quies illius erat recurrere ad templum, ſuper aræ gradus projectum perſeverare in oratione, donec illum aut ſomni neceſſitas obrueret, aut lux auroræ ad novos labores evocaret. Cum Goæ populo Sacroſanctam Euchariſtiam porrigeret, cum ſtaret ad altare; à compluribus conſpectus eſt, ampliùs cubito à terrâ ſublimis divinitùs ſubſtineri. Inter celebrandum exſuperanti in DEum amore flagrans, ſæpè numero à ſenſibus adeò uſque fuit

§. 11. *In cultu Sanctiſſimæ Euchariſtia.*

Digitized by Google

abalienatus, ut etiam ſucceſſione veſtium ad ſe non potuerit revocari. Ita omnes ſenſus abſondit in Deo, ut quidquid illis ageret, eſſet ſacrificium laudis, & holocauſtum amoris, DEO in odorem Suavitatis. Omnes cogitationes, affectus, motus S. Xaverij ſub Sacrificio Miſſæ, & coram Sacroſanctâ Euchariſtiâ adeò erant inflammati, ut ejus Cor eſſet quaſi lampas, lachrymis veluti oleo plena, amore accenſa, ardens jugiter coram Sanctiſſimo Sacramento, donec in ferventiſſimâ DEI caritate penitùs fuit conſumpta. Quo tempore Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificium peragebat, in aliis item ſuis coram SS. Sacramento precibus, omnes ſuas actiones, labores, conatus, cogitationes cum JEſu ſanguine ita DEO ſacrificabat, ut omnia deinceps ageret ex motivo amoris DEI, & ſtudio id faciendi, quod maximè placere DEO intelligeret.

§. 12. *In devotione erga Paſſionem Christi.*

Jam verò quid dicam de inſigni ejus erga Chriſti Domini paſſionem pietate? O qualis quantusque erat fervor & ardor S. Xaverij! In miſſis de Paſſione præſertim ſolenne illi fuit, ingentem lacrymarum vim profundere. Ajunt aliquando è cœlo varias Cruces illi fuiſſe oſtenſas, atque ex illis clarè perſpecta, quæ pro Chriſto perpetienda reſtarent, & tum quaſi de ſingulari munere, vel gratiâ; cum admirabili guſtu & gaudio, quod vocaretur in conſortium Crucis Chriſti, gratulabundum exclamâſſe, *Amplius Domine, Amplius!* Hæc fuit cura S. Franciſci, JESU Crucifixi quotidiè meminiſſe, & amore illius, adverſa quæcunque patienter, imò & jucundè perferre. Cor ejus illâ amoris dulcedine imbutum erat, ut pro dulciſſimo JESU, dulce illi eſſet, pati! dulce mori! JEſum Crucifixum cordi ſuo ſemel impreſſum nunquam dimiſit. Hoc illi volupe fuit, quadraginta millia idolorum confringere, in unum cumulum congeſta comburere, & glorioſa Crucis Vexilla eorum loco undequaque erigere. In Cordibus verò mortalium ignem illius amoris, quem JEſus Crucifixus venit mittere in terram, ita conatus fuit accendere, ut viveret, jam non ille, ſed Chriſtus JEſus ex amore in Cruce pro nobis mortuus. Per breves & pias aſpirationes ſæpè repetitas, offerebat DEO cum ſanguine Crucifixi, ex ardenti motivo divini amoris, quidquid cogitaret, diceret, ageret.

Non

Digitized by Google

Non permittit, ut video, appoſita mihi clepſydra, ut diſcurram per actus nobiliſſimarum virtutum, humilitatis, obedientiæ &c. vobiſque oſtendam, qualis in illarum exercitio fervor & ardor fuerit in S. Franciſco Xaverio. Hæc vobis perſuadete de viro ſanctiſſimo. Clemens VII. Rom. Pontifex pingi juſſit globum, vel Sphæram cryſtallinam, quæ illuminata à luce & igne ſolis objecta ligna combuſſit, cum hâc epigraphe; *fortior ignis in illâ.* Talis globus fuit S. Xaverius; accendit alios igne divini amoris; ſed hic ignis longè fuit fortior in corde S. Xaverij. In alio Symbolo reperio tubum papyraceum, repletum pulvere, qui accenſus in altum aſcendit, lucidiſſimas evomens ſtellulas, cum lemmate, *Dum ardeo, extollor*; vel illo Claudiæ Rangoniæ, *Nunquam deorſum*; vel illo Guidobaldi Ducis Urbini, *Quies in ſublimi.* Talis fuit ignis divini amoris abſconditus in pectore S. Xaverij; dum ardere illo cœpit, ſemper altius atque altiùs aſcendit, nunquam deorſum; quies ejus in ſublimi. Cor ejus ſpeculum fuit Archimedis; quibus arſit ignibus, illis accendit Orientem. Capaneus ſtrenuus miles, in ſuo ſcuto curavit depingi facem, quam portæ urbis admovit, additis his voculis, *Cremabo Vrbem.* S. Xaverius fuit igneus hic heros, facem fidei admovit portæ Idololatriæ, & ſuperſtitionum in Oriente; *cremavit!* facem lucis Evangelicæ admovit turri & regno Satanæ; *cremavit!* Eandem intulit in Japoniæ regna facem: *cremavit!* Eandem in undecies centena hominum millia injecit; *cremavit!* O qualis ac quantus hic ignis? O quales flammæ! Eſt ſanè lætitiæ ſymbolum, eſt feſtivitatum præcipuarum ſolenne inſtrumentum ignis: & quis dubitet, quin viſis his flammis, cœlites, & ardentes potiſſimum Cherubini feſtivos lætitiæ dies habuerint, Deumque in igneo ſuo ſervo Xaverio præcipuis laudum elogiis commendârint! O Xaveri! O ignei Patris Ignatij nate ignitiſſime! En cor meum frigidum, en corda meorum Auditorum; quidni & ignem in nos inijcis? Tu tot cremâſti populos; O concrema & nos! felices ſunt tuæ flammulæ; *dum conſumunt, vivificant! dum urunt, recreant! dum vulnerant, ſanant!*

§. 13. In exercitio omnium virtutum. Declaratur fervor S. Xaverij per varia Symbola.

§. 14. *Alia Symbola.* Cæſar Dux Mutinæ, ſoli inter nubes, eaſdem diſſipanti appoſuit hæc verba, *Obſtantia ſolvit.* Scilicet vehementiâ ſuæ lucis, & ardore ſui caloris. Talis ſol fuit S. XAVERIUS in Oriente. Solem illum fuerunt conati opprimere Brachmanes; *fruſtra!* Bonzij; *fruſtra!* Orcus; *fruſtra!* Sol fuit S. XAVERIUS, cujus luci, ardori, & calori nullus reſiſtere potuit. Quam lucem, ſive facem, ut denique finiam, rurſum includo vitreo globo, cum fortiſſimo illo heroë, qui tamen globum, ſive facem exornavit hoc lemmate, *Vt latiùs illuſtret.* Experientia docet id fieri. Idem ego aſſero, de Xaveriano ſole, vel face; arſit, luxit, & Orientis regna latiſſimè illuſtravit.

§. 15. *Caritas S. Auguſtini, eſt ardens Speculum ardentis amoris in corde S Xaverij.* Lib. 9. Conf. c. 2. ait. S. Aug. *Sagittaveras Cor noſtrum caritate tuâ - & verba tua - congeſta in ſinu cogitationis meæ, urebant & accendebant me valdè.* Quàm validè, quàm potenter & ardenter cor S. Aug. ab amore divino ſuccenſum fuerit, oſtendunt igneæ viri ſanctiſſimi voces, veluti ignea jacula ex igneo corde emiſſa, cum in fervore & æſtu caritatis diceret, *Domine, ſi omnia corporis oſſa forent lampades aureæ, & ſanguis omnis per venas, perque membra diffuſus, balſamum foret, & lampades arderent, & balſamum conſumeretur, in tui ſolius honorem;* Sicque totus in holocauſtum tibi conflagraret Auguſtinus. - *Si & venæ meæ omnes, & nervi vincula forent aurea* (ignea) *te utique illis cordi meo alligarem, & æternùm.* Talia cogitate de S. Franciſco Xaverio, & dicetis *O S. Xaveri, accende quoque corda noſtra, ut & nos divinis his ignibus ardeamus, ut & nos ſimile ſimus holocauſtum.*

§. 16. *Epilogus ſit repetitio gratulabũda Exordij.* Finio cum eo, quod de S. Catharinâ Senenſi ait Surius. Amoris Chriſti in eâ vis tanta fuit, ut Cor Virginis à ſummo deorſum crepuerit, ruptiſque vitalibus venis, ſolâ vi divini amoris Spiritum reddiderit. Ergò ades Glorioſe mi Pater Xaveri, age, ſubmitte coronæ caput; contexta eſt honori tuo corona verè pretioſa; non deſunt floſculi, non roſæ, non lilia, non Narciſſuli; aſpice Xaveri, etiam in hyeme vernant virtutum tuarum floſculi; veni proinde, veni Xaveri, veni coronaberis. Coronabit te mundus, quem tu prius coronâſti. Corona-

nabunt

Digitized by Google

nabunt te tui Luſitani, Indi, Japones; Veni, Coronabit te Hiſpania; nam illa te genuit; Gallia, nam inſtituit; Italia, nam in virum efformavit, Luſitania, nam direxit in Indiam. India, nam ad Japones deſtinavit, Japonia, nam ad Chinas ablegavit, ut undique & ex omnibus terrarum regnis illuſtres gloriæ tuæ coronas conquireres. Conquiſiviſti nunc illas; En & noſtram clementi vultu dignare coronam Xaveri; *Europaa* eſt, id eſt, amabilis; *Europaa*, id eſt, amans Xaverii. Plus dico, *Germana* eſt, id eſt, vera & ſincera; *Germana*; id eſt, fraterna; *Germana*, id eſt, Corona favoris, honoris, amoris.

CONCIO LVI.

FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

De quâ natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus.
Math. 1. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IMponit auguſtiſſimæ Virginis capiti coronam ex ſpinis rubi, ex roſis, & aureis foliis? quæ tria pulcherrima & myſterioſa Symbola ſunt Immaculatæ Conceptionis.

§. 1. *Lucifer oppugnavit thronum DEI, ſed fruſtra.*

§. 2. *Pari ratione thronum DEI myſticum, ſive Mariam.*

§. 3. *Fruſtra oppugnat draco peccati Originalis.*

§. 4. *Accenſus rubus, in quo Moyſes vidit Dominum, fuit ſignum Mariæ. Prima Cauſa.*

§. 5. *Altera cauſa.*

§. 6. *Cur B. Virgo ab Eccleſiaſtico non vocetur Roſa, ſed quaſi plantatio Roſæ.*

Digitized by Google

§. 7. *Maria fuit Roſa in horto Concluſo.*
§. 8. *Progerminans ex terrâ benedictâ.*
§. 9. *DEus in utero Virginis Incarnatus fuit Roſa, ſed partus terræ benedictæ.*
§. 10. *Maria in Conceptione fuit benedicta Corpore & Animâ.*
§. 11. *Aurea folia intexta Roſis & Spinis, ſive, aurum eſt pulchrũ Symbolum Immaculatæ Conceptionis.*
§. 12. *Radix auri idem ſignificat, quod cuſtodire.*
§. 13. *Et munire, ſive fortificare.*
§. 14. *Aurum etiam ſignificat ignem.*
§. 15. *Maria in Conceptione fuit aurea radix.*
§. 16. *Maria, aurea ſtatua.*
§. 17. *Nunquam denudata aureo veſtitu charitatis.*
§. 18. *Epilogus, ſivè dictum alicujus Armeni.*

§. 1. *Lucifer oppugnavit thronũ Dei; Sed fruſtra.*

CAp. 14. deſcribit Iſaias prælium quod contigit in cœlis inter duos magnos belli Duces, Luciferum & Michaëlē; inſolens, ambitioſa, & temeraria ſuperbi ſpiritûs cogitatio fuit, oppugnare thronum DEI; eoque arrogantes proceſſerunt cogitátiones, ut diceret, v. 13. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo:* verùm, dum temerariis auſibus ſe oppoſuit Archangelus Michaël, *factum eſt prælium magnum in cœlo; Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus & projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas. Et projectus eſt, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt in profundum laci. Superbia eorum detracta eſt uſque in infernum.* Teſſera militaris inter beatos ſpiritus fuit hæc vox Michaëlis Archangeli, *Quis ut DEus?*

§. 2. *Pari ratione Thronum DEI myſticum, ſive Mariam.*

Hæc ad literam ex Iſaia. In ſenſu myſtico Thronus DEI eſt Beatiſſima Virgo Maria: quem ſibi fecit cœleſtis *Salomon ex ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis, quale opus non fuit in univerſis regnis.* Hunc myſticum thronum Andreas Cretenſis vocavit, *Magnificum æterni DEI.* Buteo, *Thronum Cherubicum.* S. Bernhardus, *Cruciformem & cœleſtem.* Chryſippus, *Thronum Regum.* Lud. Bloſius. *aureum.* Joannes Geometra, *Summum! Superantem Thronos.* In Litaniis Laureta-

Lauretanis vocatur, *ſedes Sapientiæ*. l. 2. Reg. c. 7. v. 16. *Firmus*. l. 3. Reg. c. 2. v. 45. *Stabilis*. l. 4. Eſdræ. c. 8. v. 21. *ineſtimabilis*, Pſal. 88. v. 30. *lucidus, ut Sol*. Eccleſiaſtici 24. v. 34. *Thronus honoris*. A. S. Paulo ad Hebr. 4. v. 16. *thronus gratiæ*. In Apocal. c. 7. v. 17. *Thronus Agni*.

Hunc thronum hodiernâ die, turpis ſerpens, venenatus draco, ſcilicet peccatum originale oppugnat; ſub hoc ſolio infame monſtrum quærit latibulum; in belli ſocietatem veniunt, qui palam audent dicere, puriſſimam Virginem eſſe thronum DEI myſticum, ſed ob labis originariæ maculam contractam, primo ſaltem vitæ rationalis momento, in illo ſediſſe Luciferum; Ad arma Angeli; ad arma Archangeli, ad arma cœleſtes Spiritus! ad prælium, ad pugnam, ad certamen vos effundite, ut ſolium Reginæ veſtræ defendatis. Ad arma, mei Auditores, pulcherrimæ Virginis amatores; ad arma omnes Creaturæ, ut Creatoris veſtri Matrem propugnetis. Ad arma leones, ut thronum Salomonis; ad arma Cherubini, ut hunc paradiſum; ad arma ſexaginta fortiſſimi, ut regium lectulum, contra turpiſſimi draconis aſſultum tueamini. Ego ero Michaël, audite teſſeram, *Quænam ut Maria*, DEI Mater? certè ſi Michaël forem, hoc momento ignitâ romphæa turpiſſimum hoc monſtrum de Mariano Solio detractum, præcipitarem cum Lucifero in tartarum. Verùm fortiſſima Heroina, Virgo Maria, noſtris non indiget armis, ipſa primo Conceptionis momento, venenati ſerpentis caput contrivit, & de hoc hoſte triumphum longè nobiliſſimum triumphavit. Victricis capiti, in hâc panegyri coronam ſivè ſertum ex ſpinis, roſis, & auro imponam; ſub his ſpinis, ſub his roſis, ſub hoc auro pulcherrima latent Immaculatæ Conceptionis ſymbola, quæ paucis evolvam. Fave Virgo immaculatè Concepta. §. 3. *Fruſtra oppugnat draco peccati Originalis.*

Cap. 3. v. 2. in libro Exodi, apparuit Dominus Moyſi *in flammâ ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur*. In accenſo & lucido hoc rubo ſedit Dominus veluti in regio ſolio, cum magnâ Majeſtate. Apud myſticos rubus hic eſt Symbolum, umbra & figura Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & præſertim Virginalis ejus uteri, in quo veluti throno, inter ignes, §. 4. *Accenſus rubus, in quo Moyſes vidit Dominum, fuit figura Mariæ. Prima Cauſa.*

ignes, flammas & incendia divini amoris, Sapientia DEI Incarnata, novem menſium ſpatio voluit quieſcere. Sed cur Dominus, & Rex gloriæ, pro throno elegit rubum? cur non Cedrum de Libano? vel cypreſſum ex monte Sion? vel palmam exaltatam ex Cades? vel olivam ſpecioſam ex amœniſſimis campis Palæſtinæ? cur non terebinthum honoris & gratiæ, vel roſam ex Jericho, vel vitem ex vineis Engaddi? Rubum elegit Dominus, *quia* (inquit Eucharius in form. ſpirit. c. 4.) *Maria Virginis præfiguratio erat, eo quod quaſi de humani corporis rubo, Salvatorem tanquam roſam emiſerit.* Miraculum naturæ eſt, à deſpicabili & ſpinis horreſcente plantâ prodire roſam, tam pulcram, tam floridam, verbo Reginam florum. Miraculum verò gratiæ, imò opus Spiritûs Sancti fuit, ex Utero Virginis, famulæ, ancillæ, veluti radice, prodire pulcherrimum florem campi, pulcherrimum lilium, pulcherrimam roſam, floſculum venuſtiſſimum, qualis fuit JESULUS in utero Virginis. Rubus ergò eſt B. V. quia pulcherrimam roſam germinavit. Verùm profundius latet pro hodiernâ Virginis feſtivitate myſterium.

§. 5. *Altera Cauſa.* Planta rubi eſt inimica ſerpentibus. S. Ambr. Hexam. 3. c. 8. *Rubi folia ſuperjacta ſerpenti, interimunt eum.* Hoc eſt in controverſiâ, an cum hodierno die in utero Annæ plantatus eſt rubus myſticus per Virginis Conceptionem, an inquam ſub ejus foliis latuerit, momento ſaltem, venenatus ſerpens, qui veneno peccati radicem ſive Conceptionem infecerit. Affirmant aliqui, nego ego, pernegoque cum graviſſimis Patribus & Doctoribus. Rubus eſt inimicus ſerpenti, ejus folia & ſpinæ venenatas beſtias interimunt. De Virgine dico, quia futura erat thronus myſticus Filij DEI, Spiritus Sanctus & gratia primo Conceptionis momento illam formârunt ut rubum, id eſt, Spiritus Sanctus illam foliis gratiæ ornavit tam ſalutiferis, munivit eam ſpinis tam acutis, ut antequam venenatus ſerpens peccati Originalis ad radicem accederet, B. V. illum peremerit, & acutâ ſpinâ caput ejus virulentum confixerit. Quid ergò ſub hoc throno ſerpentem quæritis? ſivè in pulcherrimâ Virgine, quæ primo Conceptionis momento rubus fuit illi inimicus. Rubus ille Moyſi viſus fuit ardere,

ſed

ſed non comburi. Pari ratione rubus myſticus quibusdam videtur arſiſſe flammâ & igne peccati Originalis, quo totum humanum genus conflagravit, ſed re ipsâ combuſtus non fuit. Perennet hic thronus, floreat hic rubus, vivat Virgo immaculatè Concepta. Aureis ſimul & ſpineis in primo in hanc vitam introitu calceis ita fuit à ſponſo calceata, ut mox caput ſerpentis contriverit; applaudentibus Angelis, filiabus Sion congratulantibus Cant. 7. v. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui, in calceamentis filia Principis!* In ſignum victoriæ, pulcherrimæ roſæ mixtæ ſpinis de cœleſti rubo vernant & florent in pulcherrimo ſerto, quo cœleſtis Pater filiam, Filius Matrem, Spiritus Sanctus Sponſam coronavit.

Aliud myſterium latet ſub roſâ. Cap. 24. v. 17. Eccleſiaſticus Virginem vocat exaltatam Cedrum in Libano, Cypreſſum in monte Sion, Olivam ſpecioſam in campis, & quaſi plantationem roſæ in Jericho; cur vocat Cedrum, Palmam, Cypreſſum, Olivam, & non Roſam, ſed quaſi plantationem roſæ? Innuere voluit Spiritus Sanctus, Mariam non fuiſſe roſam, qualis hodie creſcit cum ſpinis, ſed qualis in primâ rerum productione plantata eſt, de quâ ait S. Ambroſius Exam. lib. 3. c. 11. *Surrexerat antè floribus immixta teneris ſine ſpinis Roſa, & pulcherrimus flos ſine ulla fraude vernabat: poſtea ſpina ſepſit gratiam floris, tanquam humanæ proferens ſpeculum vitæ.* Talis Roſa fuit Maria ob commune maledictum, cui omnis poſteritas Adami ſubjecta fuit, ad Rom. 3. v. 23. *Omnes in Adam peccaverunt; eramus enim naturâ filij iræ.* &c. cogitare forſan poſſemus, Mariam quoque fuiſſe Roſam cum ſpinis; ſed non fuit, prima ejus plantatio contigit in paradiſo cœleſtis ſponſi; fuit quaſi roſa cum ſpinis, ſed de rubo ſerpentibus inimico, ſine ſentibus, qui à venenatâ orginariæ labis radice pullulârunt.

§. 6. Cur B. Virgo ab Eccleſiaſtico non vocetur Roſa, ſed quaſi plantatio Roſæ.

MARIA in primâ Conceptione fuit Roſa, ſed in horto ſponſi, de quo ipſe ait Cant. 4. v. 12. *Hortus Concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus.* Immaculatæ conceptionis æmuli, aſſerunt primo momento non fuiſſe concluſum. Patuiſſe

§. 7. Maria fuit Roſa in horto Concluſo.

Digitized by Google

proinde aditum infernali ſerpenti, ad radicem pulcherrimæ noſtræ Roſæ; aſſerimus nos, ne primo quidem momento patuiſſe vel rimulam, per quam penetraret. Hailgrinus Cardinalis apud Delrium. *Hunc hortum* (in quo tam venuſta crevit Roſa) *ita clauſit DEus, ut nulli maligno pateat aditus: concluſit eum tota Trinitas; Potentia Patris munivit Virginem, contra diaboli violentiam; Sapientia Filij contra hoſtis fraudulentiam, bonitas ſpiritus S. contra ejusdem malitiam.* Primum paradiſum intravit ſerpens, & decepit Evam, ſed à paradiſo, qui plantatus fuit pro Adamo cœleſti, pro Filio Dei, excluſus eſt. Ne ad radicem quidem pulcherrimæ Roſæ in hoc horto fuit admiſſus. Prima ejus plantatio fuit quaſi inter ſpinas, ſed revera ſine ſpinis. Spinas de rubo, quo ſerpentes enecant, intexite roſis, & capiti victorioſæ Virginis imponite.

§. 8. *Progerminans ex terrâ benedictâ.*

Roſa fuit Maria! Roſa fuit ejus Filius JESUS. Cant. 2. verſ. 1. *Ego flos campi*; alij legunt: *Ego Roſa campi.* Sed duæ Roſæ, quæ ex terrâ benedictâ progerminârunt. Geneſis. cap. 1. v. 11. ait DEUS: *Germinet terra herbam virentem.* Momento campi, agri, horti, tota ſuperficies terræ floruit; hic prodiit palma, ibi Cedrus, illic omnis generis herbæ & flores, violæ, lilia, roſæ. Quærunt Interpretes, num hoc factum fuerit ab auctore DEO per miraculum, vel potius an hoc contigerit ſecundum leges naturæ, ob admirabilem quandam terræ fœcunditatem; & placet mihi opinio S. Ambr. Hexam. l. 3. c. 10. ubi ait, *tunc proventu ſpontaneo, terra fructus* (& flores) *locis omnibus invehebat; Verbum enim DEI fructificabat in terrâ, nec ullo adhuc terra erat damnata maledicto.* Poſtquam verò infernalis ſerpens decepit Evam, & hæc Adamum impulit ad transgreſſionem divinæ legis, ob cujus culpam DEUS terræ maledixit; & ideo neceſſe eſt ligone illam perfodi, aratro ſcindi, ſudoribus excoli, ut paulatim germinet flores & fructus ſuos.

§. 9. *DEus in utero Virginis Incarna-*

Hoc ſacro tempore adventûs, aptius Symbolum ad declarandam Immaculatam Virginis Conceptionem, non arbitror, me poſſe reperire. Quotidie ſuſpiramus, *Rorate cæli deſuper, & nubes*

& nubes pluant juſtum ; aperiatur terra & germinet Salvatorem, de quo Iſaias cap. 45. v. 8. ait; *flos*, vel roſa *de radice ejus egredietur*. Roſa ergò fuit DEI Filius in utero Virginis Incarnatus. Quæri poteſt ; num Sanctiſſimum illud corpuſculum, cui anima Sanctiſſima cum Divinitate fuit unita , formatum fuerit in utero Virginis paulatim, prout humana corpora natura ſolet efformare? Sed fide certum eſt , omnia hæc contigiſſe in momento ; quo momento Spiritus Sanctus de puriſſimo Virginis ſanguine formavit corpus, illo & condidit Animam , illo eodem momento animam corpori infuſam, cum corpore univit Divinitati ; uterus Virginis veluti fœcunda terra, momento cœleſtem hunc florem, ſive Roſam progerminavit. Cauſam ex initio hujus diſcurſûs advertite. Uterus Virginis fuit fœcunda tellus, maledicto peccati Originalis nunquam ſubjecta; roſa ſine ſpinis, id eſt, Filius DEI, à peccato Originali ex naturâ ſuâ liber, prodiit de roſâ, immuni à peccati illius noxâ, ex gratiâ peculari à ſanctiſſimâ Trinitate, à Patre Filiæ, à Filio Matri, à Spiritu Sancto Sponſæ collata.

tus fuit Roſa ; ſed partus terra benedicta.

Maria! Roſa! & fœcunda tellus! nunquam maledicta ; ſed (prout in Angelicâ ſalutatione illi gratulamur, ſemper) *benedicta*. Benedictum millies auguſtiſſimum Virginis Caput in primâ Conceptione, ſpinis rubi & pulcherrimis roſis coronatum. Benedictæ pulcherrimæ ejus comæ & cincinni! quibus in primo momento Conceptionis vulneravit, & ad ſe traxit oculos ſponſi. Benedicta amabilis ejus facies ! quæ (ſi *tota* fuit *pulchra*, ut ait Sponſus. Cant 4. v. 7. annon in Conceptione etiam pulchra fuit atque decora? Benedicta frons! in Conceptione ſedes gratiarum. Benedictæ genæ! in Conceptione depictæ Roſis. Benedicta labia! quibus in Conceptione cœleſtis ſponſus impreſſit oſculum amoris. Benedicti gratioſi oculi ! in primo Conceptionis momento loti aquis gratiarum. Benedictum collum ! in Conceptione turris David, ædificata cum propugnaculis, ex quibus mille clypei pependerunt, & omnis armatura fortium. Hunc turrim, ne primo quidem momento, peccatum originale potuit expugnare. Munita fuit ſpinis, ornata roſis; cœleſtis ſponſa contecta fuit clypeo, cui igneæ ſagittæ nequicquam potuerunt officere. Benedictus venter!

§. 10. Maria in Conceptione fuit benedicta Corpore & Animâ.

Digitized by Google

in Conceptione eburneus, diſtinctus ſapphiris, circumvallatus liliis. Benedictæ tornatiles manus! quæ ſtatim cœleſtis ſponſus ornavit annulo Originariæ puritatis, & hyacinthis auroque divinæ charitatis. Benedicti pedes! qui in Conceptione contriverunt caput ſerpentis. Benedicti greſſus! qui in Conceptione fuerunt puriſſimi & immaculati! Benedicta ſanctiſſima Virginis anima! primo ſtatim momento DEO deſponſata, in veſtitu aureo, in quo aſtitit à dexteris Regis, tanquam Domina & Regina, nunquam ſerva, nunquam famula, nunquam mancipium. Hoc modo in Conceptione fuit roſa ſine ſpinis, tota! tota pulchra & Immaculata! Pulchrum caput, pulchri capilli, pulchri oculi, genæ pulchræ, os pulchrum, labia pulchra, collum pulchrum, pulchrum pectus, pulchra brachia, pulchræ manus, pulcher uterus (nam ſemper Virgineus) pulchra crura, pulchri pedes. O quid non pulchrum eſt in hâc pulchritudinum idea! Guilhelmus Pariſienſis. MARIA! *Roſa pulchra, & munda! quamvis procedat ex ſpinoſâ arbore. Maria proceſſit ex Judæis ſpinoſis per culpam; ſed ipſa ſine culpâ!*

§. 11. *Aurea folia intexta roſis, & ſpinis, ſive, aurum eſt pulcrum Symbolum Immaculatæ Conceptionis.*

Age nunc ſpinis & roſis in Mariano ſerto intexamus folia ex auro mundiſſimo. Monet me regius Pſaltes, qui in v. 10. Pſ. 44. pulcherrimum nobis proponit Symbolum Immaculatæ Conceptionis, dum ait, *aſtitit Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato.* Neque ſoli veſti, ſed multis aliis modis hoc elogium Virgini tribuitur. A SS. Patribus vocatur *aureum vellus, vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo. ex* Eccleſ. 50. v 2. *Candelabrum aureum.* ex Zach. 4. v. 2. in Litaniis, *domus aurea*; aliàs, *thronus Salomonis veſtitus auro mundiſſimo.* Aliàs, *arca obducta auro puriſſimo; Aurea Columna, aurea domus Sapientiæ.* ex. c. 25. Exodi. v. 11. Ex Canticis Cant. de ſponsâ dicere poſſumus c. 5. v. 11. *caput ejus aurum optimum*; *manus illius aureæ*, v. 14. *pedes aurei, crura illius columnæ marmoreæ fundatæ ſuper baſes aureas.* v. 15. In auro, quod toties Virgini tribuitur, agnoſco ego Symbolum Immaculatæ Conceptionis: ob varias cauſas.

§. 12. *Radix auri idem ſigni-*

I. Radix græca à quâ aurum derivatur, idem ſignificat, ac cuſtodire, ſiquidem in mundo nihil majori curâ ac ſollicitudine cuſtodi-

cuſtoditur. Quæritur nunc an illa aurea Virgo, an illa Regina in veſtitu deaurato, an illud vas aureum primo momento Conceptionis ita cuſtoditum fuerit, ut manſerit mundum. Sunt, qui dicant illud primo ſaltem inſtanti neglectum, & quaſi contemptui habitum, ſicut in hoſtiles etiam manus pervenerit! Sed apage, apage; non ſic dicit quisquis Marianus eſt, non ſic loquitur, quisquis aurei hujus vaſis præſtantiam probè habet exploratam. Nota eſt vel hiſtoria, vel fabula, quâ ratione Rex Colchorum in templo Martis cuſtodiverit aureum Vellus. Diodorus Siculus. lib. 4. c. 3. *Templum muro circumdedit, cuſtodesque appoſuit - decantatum enim eſt, ignem ſpirantes Tauros circa templum eſſe, à dracone inſuper cuſtodiri vellus* &c. Et putamus illam, quæ aureum vellus eſſe debuit, in quod deinde ros cœleſtis divini verbi deciderat, non meliùs fuiſſe cuſtoditam, non quidem à draconibus, ſed contra draconem peccati originalis, & quidem ab igneis Cherubinis? Saxo Grammaticus apud Chaſſamæum in catal. par. 12. conſid. 96. - *Trothonij veſtis erat, quâ circumamictus nullo telorum acumine lædi poterat.* Hujusmodi aureâ veſte cœleſtis ſponſus ſuam ornavit ſponſam primo momento. Negas? Ergo amorem ſponſi divini negas, vel amore ſponſi terreſtris inferiorem concedis. *ficat, quod cuſtodire.*

2. Inter alia vocabula, quibus ſancta Hebræorum lingua aurum appellare ſolet, eſt pax (vide Pinedam l. 4. de rebus Sal. c. 28. n. 9.) quod apud Latinos ſignificat, *munire & fortificare.* Quæritur, an aurea illa Virgo, an columna illa ita ſteterit firma atque immobilis in primo momento, ut eam aries peccati originalis deijcere non potuerit. Sunt qui negant, ſed apage, abſit hoc à cliente Mariæ? ideò David dixit Pſal. 44. verſ. 10. *aſtitit Regina*, quod verbum durabilitatem, ſtabilitatem, & firmitudinem ſignificat. S. Chryſoſt. in Pſ. 44. *Aſtitit, hoc eſt, ſtabilita eſt, firmiter ſtetit, ſtetit immobiliter.* Ipſi pedes in primo ingreſſu in mundum, fuerunt columnæ aureæ, ſtantes ſuper baſes aureas ſanctitatis & innocentiæ. *§ 13. Et munire, ſive fortificare.*

3. Aurum etiam derivatur ab *Vr*, quod apud Hebræos ignem ſignificat, aureo itaque amictu, ſive igne DEUS B. Virginem in primo momento Conceptionis circumdedit, ut eſſet paradiſus- *§ 14. Aurū etiam ſignificat ignem.*

 diſus-

Digitized by Google

diſus-ſeptus (Iſidorus lib. 14. c. 3.) *undique romphæâ flammeâ, ſive, muro igneo*, (vel aureo) *cinctus*. Quæſtio eſt, an in paradiſo huic ſerpenti patuerit aditus? ſunt, qui affirment: an & ego? abſit. Charior mihi eſt dulciſſima mea Maria, quàm ut de illâ hoc probrum vel ſcribat calamus, vel lingua ediſſerat. Vos Auditores judicate, an talem tamque floridum deliciarum Paradiſum ille Cherubinorum Magiſter divinus Amor, non pro quovis temporis momento ab invido ſerpentis ingreſſu vindicârit?

§. 15. *Maria in Conceptione fuit aurea radix.* 4. Pro verbis illis, *in veſtitu deaurato*, legit Aquila, *in auro Ophir*, quod ſecundùm quoſdam DD. eſt aurum obrizum (vide Pined. cit. l. 4. c. 18. n. 3.) obrizum autem in græco idem eſt, quod, *curizon* ab εὖ quod eſt bonum, & *riza*, quod eſt radix. Ut aurum ſit quaſi aurea radix in terra, de terrâ, ſive à parentibus quidem concepta eſt Virgo &c. ſed ipſa radix, ipſa conceptio, fuit aurea. p. Unde B. Virgo S. Brigittæ dixit l. 6. Rev. c. 55. *Hora, in quâ ego concepta fui, benè vocari poteſt aurea.*

§. 16. *Maria aurea ſtatua.* Eleganter ait S. Chryſoſt. hom. 11. ad pop. *Vis diſcere quale ab initio nobis DEus finxerit corpus? in paradiſum eamus, & ab initio factum hominem videamus. Non enim ſic erat corpus illud corruptibile & mortale, ſed tanquam aurea ſtatua de fornace egreſſa recenter & ſplendide fulgens.* S. Baſilius Seleuciæ Arch. or. de annunt. ait de Adamo, *quasdam divini illius ſplendoris immenſæque pulchritudinis quaſi ſcintillas initio poſſidebat.* Talem nobis imaginemur B. Virginem in primâ Conceptione ſtatuam, nobilem DEI Creaturam, ſed auream, auroque undique coruſcantem. Ecquis jam ſibi perſuadeat hoc aurum fuiſſe aliquando carbonem nigrum, fuiſſe turpem peccati maſſam. Nefas eſt, ſi Mariæ filius hoc in animum inducat ſuum. Proinde abſit, abſit à meo corde talis cogitatio, abſit abſit à meâ linguâ talis locutio.

§. 17. *Nunquam denudata aureo veſtitu charitatis.* Videant proinde quid faciant, qui B. V. aureâ hâc veſte volunt ſpoliare. Refert Franciſcus Petrarcha, quod dum Gualterius Marchio Griſeldem conjugem ſuam è domo pellens, non ſolum monilibus & gemmis, ſed neceſſariis etiam veſtibus ſpoliaret, ut nuda ab omnibus rideretur, piiſſimè illa dixerit, *nuda è domo Patris egreſſa, nuda eodem revertar, niſi quod indignum reor, ut hic*

uterus,

Digitized by Google

uterus, in quo filij fuerunt, quos tu genuiſti, populo nudus appareat. Hoc quæritur an illa Virgo, quæ deindè Mater DEI fuit, quæ deinde in Virginali utero filium DEI novem menſibus tulit, & Virgo peperit, an illud Virginale Corpus, an illa Anima ſanctiſſima unquam fuerit ſpoliata veſte gratiæ, ut illa nudata riſui fuerit expoſita dæmonum. Sunt qui aſſeverant. Quâ fronte? O Maria, O dulcis JEſu mei Mater ac Sponſa! millies ego prius mortem oppetam, quàm ut hoc de te vel ſentiam, vel cogitem, vel ſcribam, vel eloquar.

Cum quidam Regis Armenorum filius Avenione in præſentiâ Joannis XXII. & Card. audiviſſet dici, Matrem DEI fuiſſe conceptam in peccato Originali, dixit Pontifici (refert Jacobus Valentia in Magnificat) *ſi quis talia dixiſſet de Matre Mahometis, nullo pacto evaſiſſet mortem.* Siquidem id ſibi perſuaſiſſimum habent Turcæ, Pſeudo-Prophetæ ſui matrem puriſſimè fuiſſe conceptam. O DEUS hocne Turcæ de Mahometis ſui, hominis undique nefarij matre & credunt & ediſſerunt: quid nos Chriſtiani? Sileo, & linguam & pennam retraho; utraque confunditur: Cur? quia utraque tota quanta quanta eſt, Mariana eſt. O Maria! O Mater non Pſeudo-Prophetæ, ſed Prophetarum omnium ſummi! O Maria! O Mater DEI! Mater DEI? Ergo, ergo ſemper pura, innocens, munda, Immaculata! Finio O Mater DEI, audi votum poſtremi Clientis tui, Benedicta ſit puriſſima, & Immaculata Conceptio meæ dulciſſimæ Virginis, Matris, Dominæ, Mariæ!

§. 18. *Epilogus, ſive dictum alicujus Armeni.*

CONCIO LVII.

FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.

Joan. 20. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUàm utilis fuerit S. Thomæ SS. JEſu Vulnerum aſpectus & contactus: variis id ſimilitudinibus à ſole, fontibus, telis, &c. petitis explicat Author. §. 1.

Digitized by Google

§. 1. *An S. Thomas realiter manibus ſuis attigerit Sanctiſſima* (*Vulnera.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Felix fuit S. Thomas, cui licuit contingere Vulnera Chriſti.*
§. 4. *Iidem fontes nobis patent.*
§. 5. *Eadem SS. Vulnera Chriſtus Dominus offert graviſſimis peccatoribus.*
§. 6. *Si incaſſum id fiat, in judicio nos accuſabunt.*
§ 7. *Ex Sanctiſſimis Vulneribus non tantùm fluunt aquæ vitæ, ſed erumpunt, radij & ſplendores, quibus S. Thomas,*
§. 8. *Et viri ſancti fuerunt illuminati.* (*Romanæ.*
§. 9. *Pulchra viſio S. Franciſcæ*
§. 10. *Hi radij non tantùm illuminant, ſed accendunt.*
§. 11. *Alia viſio S. Mechtildis.*
§. 12. *Alia viſio S. Franciſcæ Romanæ.*
§. 13. *Epilogus ex S Auguſtino.*

§. I. An S. Thomas realiter manibus ſuis attigerit SS. Vulnera.

DUbium eſt, an S. Thomas re ipsâ ſanctiſſima contigerit vulnera, an immiſerit digitos in fixuras clavorum, an manibus latus Chriſti contrectârit; vel an ſolo aſpectu ad debitam DEO fidelitatem fuerit inductus. Euthymius, Cajetanus, & alij pauci judicârunt, ipſum non tetigiſſe propter reverentiam, & timorem quendam, quo ſinè dubio cohorruit, cum audiret à Chriſto, *Pone manus tuas*, &c. Itaque S. Thomas ſolo aſpectu motus exclamavit, *DEus meus, DEus meus!* Solus aſpectus liquefecit nives & gelu cordis Thomæ. Solus aſpectus SS. Vulnerum inſtar ſolis diſſipavit illas tenebras. Aſpectus ſolvit linguam Thomæ,& os aperuit, ut exclamârit: *Dominus meus* &c. Verùm alia aliorum eſt Patrum & plerorumque ſententia: ſiquidem S. Leo, S. Gregorius, Ambroſius, Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, quæſtioni reſpondent affirmativè,& & dicunt illum Sanctiſſima Vulnera tetigiſſe & palpâſſe quantùm libuit. Hæc ſententia altiùs extollit infinitam Chriſti erga incredulum charitatem, quod perditam oviculam modo tam ſuavi reducere dignatus ſit. Meo judicio benigniſſimus Salvator in converſione S. Thomæ fecit quod Auceps vel venator, ut falconem ad ſe revocet, agere conſuevit. Hic enim ne volucris hæc longiùs avolet, monſtrat eidem, vel objicit cor cujuſdam animalis, quo viſo tantoperè delectatur falco, ut quamprimùm ad venatorem revertat. Venator vel auceps Animarum eſt Salvator noſter; Thomas erat falco alis arrogantiæ & ſuperbiæ altùm volitans; Sed quamprimùm vidit

Digitized by Google

vidit latus & Cor benedicti Magiſtri ſui; Ecce tibi demiſit alas; ſtatim rediit ad brachia Paſtoris, altâ voce clamans, *Dominus meus, & DEus meus!* S. Gregorius, *hominem vidit, glorioſè reſurgentem à mortuis*; addo ego, vidit vulnera in manibus & pedibus, vidit præcipuè vulnus Diviniſſimi lateris, vidit benedictum Cor, *& DEum confeſſus eſt.*

Quam hic conſpectus & contactus ſanctiſſimorum Vulnerum S. Thomæ fuerit utilis, oſtendam duobus punctis hujus Concionis; in Primo audietis, ſanctiſſima vulnera fuiſſe S. Thomæ fontes aquarum vitæ & ſalutis. *In ſecundo*, fuiſſe ſoles, radios, ſplendores, qui tenebras in corde S. Thomæ diſſipârunt, deindè verò illud flammis & telis amoris accenderunt, & confixerunt. Utroque puncto intendo peculiarem devotionem erga vulnera Chriſti, ut per illam corda noſtra venturo Domino præparemus. Attendite. *§. 2. Propoſitio.*

S. Joannem Baptiſtam dicimus felicem, quod digito ſuo monſtrârit Agnum DEI, *qui tollit peccata mundi*, Joan. 1. v. 29. quod in fluvio Jordanis baptizans Chriſtum, manibus ſuis tetigerit benedictum verticem Meſſiæ, Matth. 3. 16. Joannem Evangeliſtam prædicamus fortunatum, quod in cœnâ ultimâ recubuerit ſupra pectus & in ſinu Magiſtri, Joan. 13. v. 23. Magdalenam vocamus beatam, quod ſuis manibus, capillis, lachrymis, tetigerit, laverit, deterſerit pedes Salvatoris, Luc. 7. 38. quanta ergo fuit felicitas, fortuna, & beatitudo S. Thomæ? quod permiſſum illi fuerit contingere atque palpare vulnera Chriſti in corpore impaſſibili atque immortali. Contactus hic illi fuit utiliſſimus. Piè S. Cyprianus ait Ser. de Reſur. *De latere tuo Domine JEſu fons egreditur, ex hoc non ſolùm ablutionis primæ, baptiſmi ſcilicet venas haurimus, ſed & compunctionis, & lachrymarum, & miſericordiarum perennes effluunt rivi.* Exiſtimo prorſus S. Thomam, cumprimùm vidit JEſum à mortuis redivivum, cum tangendo latus, veluti bibit ex illo fonte. 1. in corde tenerrimum intimæ Contritionis dolorisque de præteritâ incredulitate ſenſum percepiſſe. 2. Videre mihi videor lachrymas, quæ defluxerunt ex oculis S. Thomæ; cũ vidit ac tetigit ſacras manus ac pedes, præcipuè cum manũ impoſuit lateri Salvatoris: lachryma-

§. 3. Felix fuit S. Thomas, cui licuit contigere Vulnera Chriſti.

Nam hæc primò fuerunt illi fons ex quo hauſit.

1. Compunctionem. 2 Lacrymas

3. miſericordiam. rum iſtarum fons egreſſus eſt de latere JESU; in eodem fonte S. Thomas invenit miſericordias Domini, quas in æternum decantabit.

§. 4. Iidem fontes nobis patent. Et nobis Auditores quotidiè patent hi fontes, quâvis horâ ex illis haurire poſſumus aquas vitæ, ſi volumus; quovis momento ſcelerum noſtrorum ſordes in illis abluere poſſumus; licet nobis in ſanctiſſimâ Euchariſtiâ illa tangere & palpare, quotieslibet, Cor Chriſti ingredi poſſumus, imò ſi placet, in illis dies noctesque habitare. Sed quo pacto? Si nos ad illud amoris opus ſedulò comparemus. Quomodo comparabimus? dolendo & flendo. Ex corde dolor, ex oculis mœſtæ proſiliant lachrymæ. Sed ubi eſtis ô lachrymæ? O aridi oculi mei! ubi eſtis cordis dolores? O durum Cor meum! Quid conqueror? Scio ubi lachrymæ, ſcio ubi dolor, ſcio ubi vera lateat cordis compunctio. Ubi; in latere Salvatoris. In fixuris clavorum ejus. Veni, anima mea, veni ad hoc lateris vulnus, veni ad has clavorum fixuras, quære quod deſideras, & invenies quod exoptas. Sed eheu! verè dixit S. Gregorius hom. 20. in Ezechielem, *Quærere deberemus miſericordiæ fontes, etiamſi clauſi eſſent; patent modò in Vulneribus Salvatoris, & tamen à nobis negliguntur.* Illis, qui ſoliciti ſunt, ut adventanti Jeſulo præparent Cor mundum, ſuadeo, ut his diebus cum S. Thomâ ex fonte cordis JEſu hauriant rivos compunctionis &c.

§. 5. Latus Chriſtus Dominus offert graviſſimis peccatoribus. Non tantùm S. Thomæ vulnera ſua obtulit, ſed & nobis offert, imò graviſſimis peccatoribus. Fuit impius, qui (cùm in agone aſtantes illi pœnitentiam & ſeriam Confeſſionem ſuaderent) deſperabundus dixit; *Quid mihi nunc cum pœnitentiâ? qui certè ſum damnationi addictus. Noſtis meam vitam, & peccata, quid ultra mihi eſtis moleſti?* In his anguſtiis apparens illi Salvator dixit, *Ego ſum Redemptor tuus, pro te mortuus, & miſerationes meæ excedunt peccata tua; confitere illa cum dolore, & ego tui miſerebor.* Cum etiam ſuaviſſimis his verbis æger non moveretur, Chriſtus Dominus remotâ parte pallij oſtendit illi purpureum latus, & dixit; *Hæc vulnera pro te ſuſtinui; nec volo te addicere damnationi, ſi pœnitentiam vis agere, & in his vulneribus medelam quærere.* Cataſtrophe ſive exitu hujus hiſtoriæ utor alio in loco: modò illos, qui hoc ſacro

tempore

Digitized by Google

tempore de ſeriâ cogitant Confeſſione, commonefacio, ut ne in deſperationis barathrum ruant præcipites, quantumvis plurima ſint & graviſſima, quæ commiſerunt peccata; ſed quin potius obſecro, ut cum S. Thomâ in genua procumbant ante Crucifixum, ut ingenti cum dolore audacter palpent vulnera Salvatoris. Hoc faciamus & miſerebitur noſtri, miſerationes ejus excedunt peccata noſtra. Ah non! non cupit nos addicere damnationi, modò ad ſanctiſſima hæc vulnera confugiamus: Sed confugiamus maturè, confugiamus dum tempus eſt.

Benè enim monet Cæſarius Arelatenſis: *Quid illo tempore facturi ſumus, quando contra nos Crucifixi cicatrices & notæ peccatorum proferentur? - verendum eſt, ne etiam in judicio judex hanc vocem ad vaſa iniquitatis proferat: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; affer manum tuam & mitte in latus meum, & agnoſce quæ pro te impio pietas Divina perpeſſa ſit.* S. Auguſtinus ait talia Judicem prolaturum. *Ecce hominem quem Crucifixiſtis: videtis vulnera quæ inflixiſtis? agnoſcite latus quod pupugiſtis! per vos & propter vos apertum eſt, nec intrare voluiſtis.* O mi JEſu, nos nos intrare volumus, dum patet oſtium cordis tui dulciſſimi; per hoc oſtium quisquis non ingreditur, fur eſt & latro: imò & quisquis ingreditur, fur eſt & latro. *Fur eſt*, ſed qui nil aliud auferat, quàm tuum amorem & gratiā, *Latro eſt*, ſed qui nil aliud mactet, quàm concupiſcentias & vitia *Fur eſt*: ſed qualis fuit, qui paradiſum furabatur. *Latro eſt*; ſed qualis fuit dexter in Cruce latro: *Fur eſt*; ſed cujus furta decori ſunt, non dedecori: *Latro eſt*; ſed cujus latrocinia ſunt clementiæ patrocinia. Mi JEſu, nos nos intrare volumus, dum patet oſtium cordis tui dulciſſimi.

§. 6. Si incaſſum id fiat, in judicio nos accuſabunt

De hoc fonte benedicti cordis & lateris Salvatoris, quod Thomas tetigit & palpavit dicere poſſumus ex c. 10. Eſtheris v. 6. *fons parvus crevit in lucem, & converſus eſt in ſolem.* confirmat hoc S. Auguſtinus tr. 34. in Joannem, in v. 10. Pſ. 35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, id eſt, quinque ſanctiſſima vulnera non tantùm ſunt fontes, ex quibus pij hauriunt aquas vitæ, ſed ſunt præterea quinque lucidiſſimi ſoles, quorum radiis cœca corda illuminantur. Ambulabat Thomas in tenebris, non poterat

§. 7. Ex Sanctiſſimis Vulneribus non tantùm fluunt aquæ vitæ, ſed erumpunt. Radij & ſplendores, quibus S. Thomas

intueri veritatem Reſurrectionis Chriſti, ut palam diceret, *Niſi videro plagas in manibus* &c. *non credam.* Simulatq; autem ſanctiſſima Vulnera radiantia inſtar ſolis conſpexit, vidit & lumen, in quo Magiſtrum ſuum à mortuis redivivum agnovit.

§. 8. *Et viri Sancti fuerunt illuminati.* Cum S. Franciſcus Suaretz aliquando ante Crucifixum ardentiſſimè ſublimis à terrâ oraret, viderunt nonnulli ex Vulneribus Chriſti prodeuntes lucidiſſimos radios, qui in pectore Suaris coibant in arcum & ſagittam ad facienda utique vulnera amoris. Sic mihi hodiè imaginor S. Thomam; cum tetigit pedes Salvatoris, ex illis Sanctiſſimis Vulneribus prodiêrunt radij, qui cor increduli Thomæ adeò illuſtrârunt, ut non potuerit non exclamare: *Dominus meus, & DEus meus!* Cum digitos impoſuit in fixuras clavorum, in manibus, hæ tam lucidos emiſerunt ſplendores, ut momento omnes fuerint tenebræ ex intellectu Thomæ fugatæ. Cũ verò manum in latus impoſuit, cum Cor JEſu tetigit, tanta erupit flamma, tantus ſplendor, tanta vis luminis, ut in illo ſtatim agnoverit Salvatorem. Spero omnes eſſe huic curæ intentos, ut his feſtis feriam peragant Confeſſionem. Primum quod ad illam requiritur, eſt cognitio peccatorum? Sed quis memoriam & intellectum illuminabit, ut omnia agnoſcat! hoc facite ante Confeſſionem; cum S. Thomâ ingredimini latus Crucifixi, oſculamini pedes & manus, ex his veluti fontibus non poteritis tantùm haurire lachrymas Contritionis, ſed & radios illius, qui Amor dicitur, ſolis pulcherrimi. O dulces lachrymæ: O radij illuſtres! Felix es anima mea ſi in hunc lucis fontem te mergas, ubi pro aquis ſunt lachrymæ, pro liquore Amor; pro fluxu clementia.

§. 9. *Pulcra viſio S. Franciſcæ Romanæ.* S. Franciſca Romana rapta in cœlum vidit glorioſiſſimum Corpus Salvatoris; & notavit lucidiſſimos radios erumpere ex Sanctiſſimis Vulneribus; aliquos vidit dirigi in B. Virginem, aliquos in SS. Angelos, alios ſuper Martyres, alios ſuper Virgines, verbo, Sanctos omnes, imò ipſum quantum eſt cœlum his fulgoribus irradiari conſpexit. Obſervavit prætere a hos radios penetrare cœlos & nubes, pro ſolatio piorum in terris. Quosdam homines vidit illuminari radiis prodeuntibus ex ſanctiſſimis manibus. Alios illuminârunt ſplendores pedum, alios lux erumpens

pens ex divino latere. Paucos vidit eſſe participes omnium horum radiorum. Fortè fuerunt illi qui erga omnia Sanctiſſima Vulnera peculiarem foverunt devotionem? O S. Thoma! O quanta tua fuit hodiernâ die felicitas! qui coram tuis oculis hos ſoles, & radios es intuitus, qui digitos poſuiſti in loca clavorum, cui manum lateri imponere, & Cor ipſum contrectare licuit. Quæſo animæ piæ colite peculiariter hæc pignora Amoris. Nec dubitate, cùm v. g. piis oſculis veneramini pedes Crucifixi, quot oſcula libabitis, tot lumina ſpectabitis: nolite dubitare, quot ex pio vulnerum aſpectu pia fundetis ſuſpiria; tot & pia recipietis ſolatia: nolite dubitare, quoties vel ore dicetis, vel corde cogitabitis,

Ave latus Salvatoris,
in quo latet vis Amoris,
ex quo patet fons honoris;

toties in vos Amoris ſui radios ex hac ignitâ amoris officinâ ardentiſſimus Amoris ſponſus reflectet.

Sed advertere debemus, quod advertit Bloſius; hos radios erumpentes ex Vulneribus Chriſti, ſive ex his fontibus lucis & ſolis, non illuminare tantùm, ſed etiam accendere, & comburere flammis caritatis, ſic ait Bloſius: *O Beatos! qui horum radiorum ſunt participes, quorum corda ſic configit amoris Chriſti lancea, ac ſagitta* (itaque quot radij ex Sanctiſſimis Vulneribus Chriſti emittuntur, tot ejaculatur lanceas & ſagittas, lucidas atque igneas) *ut deinceps perenni fluant caritatis ardore.* Expertus eſt S. Thomas, quamprimùm Vulnera tetigit, ſenſit ſagittas: quomodo non ſenſiſſet ſagittas, qui totus quaſi ſaucius exclamat: *Dominus meus, & DEus meus!* perinde acſi diceret, O Tu, Tu me vulnerâſti, Tu mihi cor transfigis, ſentio telum, amoris telum eſt, O Amor, O JESU, O *Dominus meus, & DEus meus!* vulnerâſti Cor meum non ut ſponſa in uno crine colli ſui, ſed Cor corde Vulnerâſti, Cor meum corde tuo; Cor immundum puriſſimo; cor frigidum ardentiſſimo, Cor humanum Divino.

§. 10. *Hi radij non tantùm illuminant, ſed accendunt.*

§. 11. *Alia viſio S. Mechtildis.* Cum S. Mechtildis ferventi oratione Salvatori gratias ageret pro beneficio redemptionis, inſtaretque & optaret cor ſuum tot lædi ſagittis amoris, quot ipſe hominis causâ præcipuè in Cruce, pertuliſſet cruciatus & dolores; ſenſibus abalienata viſa ſibi fuit deduci ad ſplendidiſſimum palatium, quod mox advertit eſſe vulnus benedicti lateris Chriſti; in medio coruſcans ſtabat Crux, à quâ velutiarcu emiſſum fuit telum aureum & igneum, quod cor Sanctiſſimæ Virginis penetravit, ſauciavit, transfixit, de hoc telo cecinit Sidronius.

Me pete Amor, telis in Chriſti vulnere tinctis,
Quem læſi toties, ſic ego læſus amem.

O fortia tela, quæ in fornace ardentis amoris, in corde Chriſti ſunt parata, quæ ejus ſanguini ſunt intincta! Juglaris elogio 76. *Officinam in petrâ faber Amorum habet, ubi tela procudat ſua.* Vim expertus eſt S. Thomas, quamprimùm has officinas acceſſit, lethali ſed felici telo ſaucius exclamat, *Dominus meus, & DEus meus!* Vix acceſſit, & erumpentes ſcintillæ accenderunt Cor Thomæ. Ah animæ piæ, aliam officinam amoris paucis abhinc diebus aperiet ſtabulum Bethlemiticum, alias ſagittas ibi parat DEus amoris, parvus Puer. Ut Corda noſtra ſint felix ſcopus, emundemus illa prius in fontibus Sanctiſſimorum Vulnerum. 4. Reg. 13. v. 15. dixit Eliſæus Joadi Regi Iſraëlis, *Affer arcum & Sagittas:* cumque attuliſſet ad eum arcum & ſagittas, dixit ad Regem, *pone manum tuam ſuper arcum*; & cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſæus manus ſuas manibus Regis & ait: *aperi feneſtram Orientalem*, cumque aperuiſſet, dixit Eliſæus: *Jace ſagittam, & jecit.* Tùm ait Eliſæus: *ſagitta ſalutis Domini.* Orientalis illa feneſtra figura fuit Sanctiſſimi Vulneris lateris Chriſti, per hanc feneſtram Rex amoris jacit ſagittas ſalutis & amoris: S. Thomæ cor adeò tetigit feliciter, adeò accendit fortiter, ut ſubitò ardentiſſimos elicuerit actus Caritatis.

§. 12. *Alia viſio S. Franciſca Romanæ.* Redeamus ad illam, cujus ſuprà meminimus, Divam. S. Franciſca Romana in extaſi vidit ex aperto vulnere Chriſti in Cruce decidere igneas & aureas catenas, ad colliganda corda Amatorum Chriſti. O mi JESU ex theſauro divini cordis tui tales mihi concede

Digitized by Google

cede catenas, quibus inprimis meum, & deinde & Auditorum corda, cum tuo ita colligabo, ut in æternum non diſſolvantur.

Finio cum S. Auguſtino. *Inſpicite obſecro vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendum. hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtaterâ Cordis veſtri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus eſt in Cruce.* Faciemus quod mones optime Pater Auguſtine, *inſpiciemus vulnera*, ut acquiramus lumina: *vulnera pendentis*, ut æſtimemus amoris inſignia; *ſanguinem morientis*; ut diſcamus amoris merita; *pretium redimentis*, ut redamemus Crucifixi præcordia. §. 13. Epilogus ex S. Auguſt.

CONCIO LIIX.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI DOMINI.

Evangelizo vobis gaudium magnum.

Lucæ. 2. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

NAtivitas Chriſti fuit clara, inopinabilis, lætiſſima, amabiliſſima; neceſſaria, & utiliſſima.

§. 1. *Nativitas Chriſti eſt inopinabilis.*

§. 2. *Nativitas Chriſti ſingularem in nobis excitare ſolet lætitiam. Figura fuit nativitas Iſaaci.*

§. 3. *Cur Angelus annuntians hanc Nativitatem, in mediâ nocte, dixerit,* Hodie.

§. 4. *Cur illum circumfulſerit Claritas DEI.*

§. 5. *Quomodo Parvulus? ſive, quare dicatur ſol & ſponſus.*

§. 6.

§. 6. *Quantas hic humaniſſimus Sponſus ſecum tulerit delicias.*
§. 7. *Pax, idem eſt, quod gaudium.*
§. 8. *Sic naſci voluit, ut ſuam humanitatem demonſtraret.*
§. 9. *Proſecutio.*
§. 10. *In JEſulo omne bonum! digreſſio ad gaudium B. Virginis.*
§. 11. *Diligimur à JEſulo, ſi illum diligimus.*
§. 12. *Parvulus in præſepio omnibus eſt acceſſibilis.*
§. 13. *JEſulus eſt gaudium cordis noſtri.*
§. 14. *Dulce nomen! Salvator!*
§. 15. *Nativitas Chriſti nobis fuit neceſſaria & utiliſſima.*
§. 16. *Parvulus! multum nobis contulit & profuit.*

§. 1: *Nativitas Chriſti eſt inopinabilis.*

DIcamus hodie cum Theodoto hom. de Nativ. *Clara & inopinabilis præſentis cauſa Feſtivitatis. Clara quidem, quoniam communem hominibus introduxit ſalutem. Inopinabilis* (ſive incomprehenſibilis, & ineffabilis) *quia rationem naturæ vicit. Natura poſt partum neſcit ulterius Virginem; gratia verò & parientem oſtendit, & Matrem fecit, & virginitati non nocuit.* Enimverò (D. Arnadeus hom. 3 de Virginit) *ut claritas ſolis vitrum ſine læſione penetrat, & ut radius oculorum tranquillo & claro liquori, ſine ſciſſione & diviſione immergitur, & uſque ad fundum univerſa rimatur; Sic DEI Verbum Virgineum adiit habitaculum, & inde prodiit clauſo Virginis utero. Quippe qui facilè poſſet extra Virginem corpus de nihilo creare, facilè potuit corpus acceptum de Virgine, extrà ſine ſciſſione traijcere. Neque enim legi naturæ ſe ſubdidit, ſed legem naturæ ſubdidit ſibi.* Naturæ legibus niti non debet, qui de glorioſiſſima Chriſti ſalvatoris noſtri nativitate rectè vult ſentire. Virginem, gratia præſtitit Matrem, non natura. Ideoque hodiernâ die, nativitatem & feſtivitatem celebramus inopinabilem. Cùm hæc vocula plurima alia Nativitatis Chriſti elogia involvat, non ingratum fore duxi, ſi ex multis paucula quædam hâc Concione vobis proponerem, illa præſertim quæ textus Evangeliorum tum nocte præteritâ, tum luce præſenti exhibuit, indicarem. Quiſquis amat mundi delicium, Puerum de Bethlehem, naſcentem Salvatorem JESULUM; ejus honori tantiſper auſcultet.

Nativi-

Digitized by Google

Nativitas Chriſti hoc habet, ut peculiarem quandam in nobis excitet lætitiam, & inſolitum gaudium atque ſolatium. Figura fuit Nativitas Iſaaci; quæ vocula (ut volunt Rupertus, Rabanus, &c.) *riſus interpretatur*; *& Dominus JEſus quoque riſus eſt, & gaudium omnium Electorum, quoniam ipſe eſt deſideratus cunctis gentibus; ideoque nato illo gaviſi ſunt Angeli, & Paſtores, quibus dictum eſt, Ecce, evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodiè Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Luc. 2. v. 10. 11. Quis explicet gaudia ab ortu Salvatoris emanantia? quæ Creatura non riſit, & inſolitâ geſtiit lætitiâ? D. Amedeus, hom. 4. de Virg. *Puta; quando enixa eſt puerpera Maria, faciem univerſitatis riſiſſe, & latum Orbem ſuo plauſiſſe Domino, puta cælum abſterſis nubibus induiſſe decorem, & ſidera dicentia, adſumus, luxiſſe ei cum jucunditate. Puta, noctem effudiſſe lumen in tenebris; & pro caligine miniſtrâſſe ſplendorem. De hâc nocte Pſalmiſta dicit, & Nox illuminatio mea, in deliciis meis.* O noctem delicioſam!

§. 2. *Nativitas Chriſti ſingularem in nobis excitare ſolet lætitiam. Figura fuit Nativitas Iſaaci.*

Nocte intempeſtâ venit Angelus ad Paſtores, & ait; *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Subdit cauſam, *natus eſt vobis hodiè Salvator.* Et cur ait *hodiè*, quaſi loqueretur de die, & non potiùs dicit, hâc nocte, vel in his tenebris? nonnè mediâ nocte natus fuit Parvulus? Cur Angelus loquitur quaſi dies eſſet, non nox? nox pertinere ſolet ad planctum, dies ad lætitias & gaudia. Unde Angelus videns nato Domino omnia præ gaudio exilire, noluit illud lætiſſimum tempus noctem, ſed diem appellare Ita Aymon hîc. *In nocte loquebatur Angelus, & quare dixit hodie? quia nox pro tribulatione, pro adverſitate ponitur; dies pro lætitiâ.*

§. 3. *Cur Angelus annuntians hanc Nativitatem, in mediâ nocte dixerit.* Hodiè.

Nec mea me fallet ſententia, ſi affirmem, idem latere myſterium in verſu illo: *Ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas DEI circumfulſit illos, & timuerunt timore magno.* v. 9. Adeſt Angelus & ſimul ſumma & maxima claritas DEI, quæ omnes illuſtret. Cæterùm ſæpe aliàs in Veteri teſtamento ſpectandos ſeſe dedêre Angeli, ſed nunquam fit mentio ſimilis claritatis; teſte Venerabili Bedâ homilia 1. in præſenti. *Quid eſt,*

§. 4. *Cur illum circumfulſerit Claritas DEI.*

quod apparente Angelo, divinæ quoque claritatis ſplendor illos circumfulſerit, quod nunquam in totâ teſtamenti veteris ſerie reperimus, cum tam innumeris vicibus Angeli Prophetis, & Juſtis apparuerint; nuſquam eos fulgore divinæ lucis homines circumdediſſe legimus; niſi quod hoc privilegium hujus temporis dignitati ſervatum eſt. Cum enim vera lux mundi naſcebatur in mundo, dignum profectò fuit, ut præco nativitatis illius, etiam corporales hominum viſus novivitatę cœleſtis perfunderet lucis. Et hoc magno quodam gaudio Pſ. 111. v. 4. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde; miſericors & miſerator, & juſtus Dominus.* Quàm felix eſt, qui ad tantum lumen, ad Angelicam & divinam claritatem, ad ſplendorem æterni ſolis non cœcutit! Unde D. Ambr. in Malachiam Prophetam benè monet; *Nolo te imitatorem eſſe noctuæ, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, ſplendorem ſolis horreſcit.* Mirum enim in modum illuminatur obſcuritate, luce cœcatur. Eſt certè noctua illorum figura, qui tenebras amplectuntur diaboli, qui lucem Salvatoris horreſcunt, qui grandibus oculis cernunt vana, non reſpiciunt ſempiterna. Non equidem mihi perſuadeo ex meis Auditoribus adeſſe tales noctuas; ſed quid ſi eſſent? Sciant ejuſmodi, & ut certiſſimum in animos inducant ſuos, Nativitatem Chriſti ſibi non eſſe lætitiæ, gaudij, riſûs; ſed potiùs triſtitiæ, doloris, ac fletûs cauſam. Nullibi lux eſt, nullibi eſt gaudium, nullibi lætitia, ubi JEſus non eſt.

§. 5. *Quomodo, Parvulus, ſive quare dicatur ſol, & Sponſus.*

Lætitiam Nativitatis Chriſti Domini prævidit David in Pſ. 18. v. 6. Cum de nato Meſſia diceret, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo;* ſi novem menſibus hactenus latuit in utero Matris & Virginis, veluti ſol, cur non dicitur proceſſiſſe veluti ſol, ſed inſtar ſponſi? Cur ſol & ſponſus vult vocari in Nativitate. Sol diſpellens tenebras, ſol illuminans; & ſimul ſponſus formoſus, gradiens in ſtolâ ſuâ? ut inde intelligamus, diem hodiernam eſſe diem nuptialem, in quâ ſponſa dixit Cant. 1. v. 3. poſtquam v. 1. mentionem feciſſet oſculi à ſponſo accepti, *Introduxit me Rex in cellaria ſua, exultabimus & lætabimur in te.* Illis, qui diligunt natum JEſulum veluti ſponſum, etiam ſtabulum eſt cella vinaria lætiſſimi amoris, in quâ exultant & lætantur. In

dic

die ſuâ nuptiali, dixit ſponſa Cant 3. v.11. ad ſocias. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Vos animæ piæ egredimini ad ſtabulum Bethlemiticum, & videte ſolem mutatum in ſponſum; ô læta metamorphoſis! egredimini, & videte frontem illam pulcherrimam! Sedem in eâ defixit majeſtas Dei. Egredimini & videte oculos illos amabiles; ex illis Amor jacit ſagittas. Egredimini & videte genas illas roſeas; qui has pinxit, non Apelles fuit, ſed DEus. Egredimini & videte bella illa labella, ſponſa deſiderat iis dulce oſculum libare. Quidni & tu pia anima deſideres? illam faciem, illos oculos pulcherrimi pueri aſpicere non poteritis, niſi in lætitiâ cordis. Sponſi hujus Nativitas toti mundo fuit lætiſſima. Salvator mundi ex utero Virginis proceſſit ut ſponſus; pulcher & decorus; ſed addit ſponſa, Cant. 7. v.6. *in deliciis!*

Verba illa Davidis in cit. Pſ.18. v. 6. *tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo*; ita exponit D. Baſilius ſel. orat. 33. *Olim quidem in ſolitudine DEus igni Sinæum montem circumdedit, ſeque accenſa flamma in cœlum jaculabatur; & terror, & caligo, & tubarum crepitus miſto ululatu, confuſiſque ſonis videntes perterrefaciebant.* (hinc timor, anguſtiæ, triſtitia! in populo.) *At nunc* (hâc nocte) *omiſſo terrore, Dominus formam ſervi induit; in humanitatis naturâ demonſtrans humanitatem. --ferens ſecum delicias.* Quæſo vos Filiæ Sion! ingredimini ſtabulum Bethlemiticum, luſtrate benè thalamum & thronum ſponſi veſtri, circumſpicite circumſtantes! & attendite, an quid veſtros incurrat oculos, quod terrorem poſſit injicere? annon potiùs omnia vos invitent ad lætitiam, gaudium, amorem? Celebramus lætiſſimam Nativitatem!

§. 6. Quantas hic humaniſſimus Sponſus ſecum tulerit delicias.

Ad quam nos invitant Angelicæ illæ voces, *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. v.14. Cur non magis redemptio noſtra nuncupatur, & ſalus mundi; quam Pax? quæſtionem non mirabuntur, qui ſciunt voculam *Pacis* etiam ſignificare gaudium, lætitiam, & exultationem. Proinde valdè congruebat, ut nativitas externa ſecundum carnem reſponderet generationi divinæ ab æterno, quâ prodiit à Patre, de quâ acutè obſervavit

§. 7. Pax, idem eſt, quod gaudium.

ſervavit S. Bernardus Ser. de S. Benedicto. *Filius proceſſit à Patre, & venit in hunc mundum, ut qui prius erat cogitatio Patris, in corde Patris; fieret & ipſe Pax noſtra in Utero Matris*, & talis naſceretur in ſtabulo in Bethleem, idem filius DEI in corde Patris, fuit gaudium & lætitia Patris; cum eâdem pace, gaudio, & exultatione venit in hunc mundum, ut & nos illius gaudij & lætitiæ redderemur participes. Eja animæ piæ, lætiſſimam humaniſſimi Sponſi celebramus feſtivitatem, lætemur, exultemus, jubilemus, cantemus cum Angelis, *Gloria in excelſis Deo*, at nobis in terrâ *pax, gaudium, lætitia, exultatio*. D. Chryſoſt. orat. in Paraſceve. *Laudetur dies lucis* (addamus nos, pacis, gaudij, lætitiæ) *genitrix, per quam cætera dies ad lætitiam ſunt vocata.*

§. 8. *Sic naſci voluit, ut ſuam humanitatem demonſtraret.* Sed viam relegamus, ut ad verba D. Baſilij paulò antè citata revertamur: DEI Filius ita naſci voluit, *demonſtrans ſuam humanitatem*; quod textus cap. 2. v. 7. S. Lucæ, ſive hodierni Evangelij inſinuat, dum ait; *Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.* Permultas agglomerant cauſas SS. Patres, quare rerum omnium Dominus hoc modo naſci voluerit; inter quos Heſychius t. 7. bibl. PP. Deiparam ſic fuit allocutus; *Ne ſis anxia- O benedicta Mater - ſi parias in ſtabulo univerſæ Creaturæ opificem: ne hæſites, ſi ſedere facias in præſepio eum, qui ſedet in dorſo Cherubim: Si non habeas locum in diverſorio, cum ſis Mater Regis eorum, qui ſurſum ſunt & deorſum. Libens enim, qui ex te natus eſt, pauper efficitur*: percipite rationes, *ut divitum refrænet ſuperbiam, ut egenis ſit argumentum patientiæ, ut ſuperbis ſit ſpeculum demiſſionis, ut ſe præbeat exemplar humilibus, ut doceat mundi faſtum contemnere*; annon hæ ſunt ipſiſſimæ jacentis in præſepio JESULI cogitationes: at eſt adhuc alia, quæ illa? ut Humanitatem demonſtret, ut oſtendat ſe eſſe miſericordem Salvatorem; cujus adventus nos excitare debet ad lætitiam & exultationem, ut cum SS. Angelis cantemus, *Gloria in Excelſis DEO.*

§. 9 *Proſecutio.* Utitur ijsdem pænè verbis Angelus ad Paſtores Luc. 2. v. 11. & 12. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis*

hodiè

hodiè Salvator, & hoc vobis Signum; invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Profectò ſi hoc ſignum conſideretur, quod Angelus exhibet, videtur deſtruere, quod aſtruere conatur; Infantem nominat pauperculis pannis involutum, in pecuino ſtabulo natum, in bruto reclinatum præſepio, & eundem tanquam Chriſtum DEum jubet adorari? Quid DEI Verbo cum infante? quid Divinitati cum vili præſepio & ſtabuli humilitate? Scio S. Bernardum dixiſſe; *fortè ſpecialiùs commendat Angelus humilitatem; quia ruentibus cæteris per ſuperbiam, ipſe nos erigere voluit per humilitatem.* Scio alios alias dediſſe rationes; in hâc Concione mihi placet ratio D. Baſilij: voluit ita demonſtrare ſuam humanitatem; per pulchritudinem, amabilitatem, & delicias formoſiſſimi & humaniſſimi Pueri, jacentis in præſepio, excitare nos vult ad hilaritatem. Celebramus lætiſſimam Nativitatem!

Verſu 16. ait S. Lucas in cap. 2. de Paſtoribus; *Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio.* Quæ verba eloquenter ſic elucidat D. Cypr. tr. de Nat. Chriſti. *Præſentia Parvuli ſic eorum, qui aderant, oculos occupaverat, ſic illuminaverat animos, ſic corda illuxerat - tantâ cæleſtium deliciarum ubertate illa repleverat - ut in hoc ſummo bono,* (in hoc Parvulo, in JESULO) *omnium bonorum unita collectio videretur, nec opus eſſet evagari, & emendicare per partes, quod ſimul in ſe uno, fidelibus omnibus Infantia præſentabat.* Conſiderate, animæ piæ, quâ amoris & gaudij exuperantiâ Virgo Mater affecta fuerit, quæ illum Parvulum DEum corporaliter in utero geſtavit, quæ illum genuit, quæ in gremio peramanter illum fovit, quæ lacte puriſſimo illum nutrivit. Pergit S. Cypr. *Cor Matris, quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuerunt, fuitque utrimque mira jucunditas! cum pia ſanctiſſimæ Matris devotio, & immenſus Filij amor, confœderatis affectibus mergerentur,* id eſt, JESULUS fuit quaſi quoddam immenſum pelagus gaudij, in quo Cor Mariæ ſubmerſum eſt. Et vos Filiæ Sion? ubi inquam vos hodiernâ feſtivitate quæritis gaudia? O infelices quarum oculi in alienas formas ſæpenumero cum detrimento pudoris

§. 10. *In JEſulo omne bonū. Digreſſio ad gaudium B. Virginis.*

ac verecundiæ divagatur! Felices, quarum oculos unus occupat JESULUS! Infelices, quæ de deliciis cogitant illicitis atque inconceſſis! Felices, quæ voluptatem quærunt in ſtabulo cum JESULO: Infelices, quæ turpes noctu ſomniant amores. Felices, quæ cum Sponsâ dormiunt, dum corda earum vigilant in amorem laudemque pulcherrimi JESULI defixa. Ecce Parvulum! ecce pelagus gaudij! in quo veſtros cupio mergi affectus. Non deerunt affectus confœderati; amemus JESULUM, & amabimur.

§. 11. Diligimur à IEſulo, ſi illum diligamus.

Experta id fuit ſponſa, cum Cant. c. 2. v. 16. dixit, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Quæ verba ad rem meam melliflué exponit ſuaviſſimus S. Bernardus Ser. 71. *Mihi adhærere Deo bonum eſt; bonum planè, ſi omni ex parte adhæſeris. Quis eſt, qui perfectè adhæret Deo, niſi qui in Deo manens tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominus in ſe traxit diligendo; Ergo cum undique ſibi inhærent DEus & homo; inhærent autem undique intimâ & mutuâ dilectione, inviſcerati alterutrum ſibi*; En ſuaviſſimam praxin, quâ hodiernam nativitatem nobis reddere poſſimus lætiſſimam. Parvuli de Bethleem lectulus floridus eſt, paſcitur inter lilia; ſi ita nobis placet, & nos paſcere vult liliis. Ah animæ piæ, JESULO adhærere bonum eſt; bonum planè ſi omni ex parte illi adhæreamus. Adhærebimus, ſi ex toto corde eundem diligamus. Prius dilexit nos, ergò ſi & nos mutuo illum amore complectamur, intimâ & mutuâ dilectione illi inviſcerari poſſumus. Verùm quomodo hoc fieri poterit ſine ineffabili lætitiâ & exultatione?

§. 12. Parvulus in præſepio omnibus eſt acceſſibilis.

Necdum exhauſi fundum myſteriorum, quæ latent in illis verbis S. Baſilij, *ſic naſci voluit, ut demonſtraret humanitatem, ad conciliandam nobis lætitiam & exultationem.* Repeto citata ſæpius verba ex Evang. *peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat locus in diverſorio.* Theodotus hom. 3. de Nat. *Omnia paupera & vilia elegit; omnia mediocria & plurimum obſcura, ut Divinitas ſola cognoſceretur Orbem transformâſſe terrarum; propterea pauperculam elegit Matrem, pauperiorem patriam. Et hoc exponat tibi præſepe. Sed cur tandem? Vide ergò, quomodo paupertas eum, qui propter nos homo factus eſt, acceſſibilem univerſis oſtendit.* Scilicet DEUS, nunquam

magis

magis factus eſt nobis acceſſibilis, niſi quando Parvulus jacuit in præſepio. Accurrite Filiæ Sion; in gaudio & jubilio nos admittet; in lætiſſimâ ſuâ Nativitate.

Gaudium hoc prævidit Jeremias cap. 23. v. 6. *Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Quæ ſic vertit Syrus. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus æquum noſtrum, quod congruit & ſufficit nobis, quod voluntati noſtræ ſatisfacit, Domino contenti ſumus, quia ſatis eſt nobis ipſe.* Cum hæc ab Jeremiâ prædicta ſint de Nativitate JESU infantuli, patet, quod præter hunc puerum nihil aliud poſſimus requirere, ſed habeamus in illo omnia perfectiſſimè & abſque defectu. Proinde verſio Arabica ſic habet. *Dominus gaudium noſtrum abſconditè*, ſive in abſcondito cordis noſtri. Pulchrè! jacet JEſulus in duro præſepio, fœnum, ſtipulas inter, & ariſtas! *Noſtrum gaudium.* JEſulus inſtar cæterorum infantium vagit & in argenteas lachrymulas eliquatur; *noſtrum gaudium!* JEſulus amantibus ocellis modò Virginem Matrem, modò Nutritium Joſephum dignatur: *Noſtrum gaudium!* JEſulus acerrimo jacet frigori expoſitus, & totis tenellis artubus tremit præ ſummo frigore, *noſtrum gaudium!* O verum gaudium! gaudium cœleſte! gaudium Cordis, gaudium totius animæ! Siquidem (D. Athan. in vitâ S. Antonij) *ipſe eſt fons & origo lætitiæ.* D. Chryſoſt. hom. in c. 6. Iſ. *Ipſe eſt gaudium cordis, de quo clamavit Angelus, Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodiè Salvator.* §. 13. *IEſulus eſt gaudium cordis noſtri.*

De lætiſſimo nomine Salvatoris ait S. Paulus ad Titum. c. 3. v. 4. *Apparuit nobis benignitas & humilitas Salvatoris noſtri.* ut à dulciſſimo hoc nomine in magnam erigamur ſpem, atque fiduciam, quæ ſolidam ſecum trahere ſolet cordis lætitiam. Ideo S. Bernard. ait Ser. 1. circa cit. verba S. Pauli. *Benè dulce nomen, quia hoc maximè mihi neceſſarium fuit; alioquin quid agerem, audiens venientem Dominum? Nunquid non fugerem ſicut Adam fugit, & non effugit, nonnè deſperarem audiens, quia venit ille, cujus legem ſum prævaricatus? Quæ verò major conſolatio, quàm in dulci vocabulo, in nomine conſolatorio? jam confidenter accedo, jam ſupplico fiducialiter;* §. 14. *Dulce nomen! Salvator!*

liter; quid enim timeam, quando Salvator venit in mundum, dulce nomen Salvatoris præbet nobis confidentiam & ſecuritatem; hoc nomine ſpem ſuam firmare fuit ſolitus, quoties dixit, *DEus in nomine tuo ſalvum me fac*. D. Ephrem hom. in 40. Mart. Dicamus igitur ad miſericordiſſimum Dominum, *DEus in nomine tuo ſalva nos: & mox mittet auxilium ſuum ab alto.* Hoc enim Daniel proclamans, etiam in lacu ferarum, illarum fauces effugit. Hujus nominis meminit Jonas in ventre ceti, & ab omni interitu ſalvata eſt vita ejus. Ex medio ardentis ignis ſanctiſſimum hoc nomen tres pueros liberavit. Et perpendite, annon feliciſſima Angelorum annuntiatio, ſive verba illa, *Evangelizo*, &c. ingentem in nobis debeant excitare lætitiam? Nos projecti jacebamus in lacu diabolicæ ſervitutis, nos hærebamus in Inferni faucibus, futuri pabulum ignis æterni. Sed ecce Salvator adeſt, ecce Patronus noſter, Dux noſter, Vindex noſter, Rex noſter, imò DEus noſter adeſt: ille ille nos periculis vindicat, ille è lacu extrahit, ille ſervitutis vincula reſcindit, ille priſtinæ nos aureæque reſtituit libertati. Benedictus DEUS Salvator! Benedictus ſalutis noſtræ Vindex! Benedictus JESULUS! Plaudite mortales, gaudete, congratulamini.

§. 15. *Nativitas Christi nobis fuit neceſſaria & utiliſſima.*

Si voluiſtis advertere, potuiſtis, me hactenus hodiernam Nativitatem vocâſſe claram, inopinabilem, lætam, & neceſſariam; ſequitur ex his elogiis eandem nobis fuiſſe utiliſſimam. S. Bern. Ser. 1. in die Nat. *Licet Parvulus ad nos venerit, non parum contulit nobis.* Si quæris, quid attulit? primò omnium attulit miſericordiam, ſecundùm quam teſte Apoſt. ad Tit. c. 3. v. 5. *Salvos nos fecit.* Parvulus eſt, ſed miſerationibus affluens, & ſupereffluens caritate; corrigamus v. 6. Pſ. 35. & non dicamus, *Domine in cælo miſericordia tua!* ſed, in ſtabulo, in præſepio. O peccatores! nolite pertimeſcere, nolite in fugam vos dare, non venit JEſulus cum armis, non ad puniendum, ſed ad ſalvandum; confidite, gaudete, plaudite. Parvulus factus eſt, tenera membra Virgo Mater pannis alligat, & adhuc timor vos obruit? Vel in hoc ſcietis, quia non venit perdere nos, ſed ſalvare; eripere, non ligare.

§. 16. *Parvulus! multum*

Parvulus venit, ſed innumeris modis nobis prodeſt. Forma ſervi, quam ſuſcepit, ſive humana noſtra ipſum humiliat; humi-

liavit ſemetipſum uſque ad præſepe, &c. Sed per hanc humilitatem nos exaltavit! Infirmitas fortiſſimi JEſu, fecit illum parvum, nos verò confortavit; Panniculi JEſuli manus & pedes ligant, nos ſolvunt. Lachrymæ rigant pulcerrimos ocellos; nos lavant & mundant ab omni maculâ delictorum. Frigus tremorem infert tenellis ejus membris, & à frigore illo nos accendimur flammis tenerrimi amoris. O JEſule! Eja! accende nos. Jacet in præſepio nudus, & ita nos veſtit veſte nuptiali gratiæ & gloriæ. Paupertas ejus nos reddit divites, Fames Parvuli nos paſcit, ſitis ejus nos inebriat nectare charitatis. Labores ejus nos reficiunt; Annon hic Parvulus multa nobis contulit? annon fateri cogimur ejus Nativitatem nobis fuiſſe utiliſſimam? Verùm enimverò memores ſimus Parvulum de Bethleem propterea noſtrum exigere amorem, adorationem, cultum, reverentiam, laudem, benedictionem, gratiarum actionem, omnia obſequia, & mille voces exultationis, jubilando cum Angelis, *Gloria in Excelſis DEO*, Gloria Parvulo de Bethleem, Gloria JEſulo, Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine!

nobis contulit & profuit.

CONCIO LIX.

FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Invenietis Infantem pannis involutum & poſitum in præſepio.

Lucæ. 2. cap. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

NEctit ex variis annulis ardentium deſideriorum erga JEſulum, auream catenam, offerendam Cunis Parvuli de Bethleem.

Digitized by Google

§. 1. *Gaudium, eſt adeptio rei deſiderata.*
§. 2. *Deſiderat Auctor, Auditoribus oſtendere JEſulum, illumque eorum brachiis imponere.*
§. 3. *Deſiderat illum illorum cordibus, veluti gemmis imprimere.*
§. 4. *Deſiderat Auditorum cordibus, veluti libris, vel Arboris pulcherrima foliis inſcribere nomen JEſuli.*
§. 5. *Cum illis vocibus, malo mori, quàm fœdari.*
§. 6. *Vt viciſſim Cordi hujus Parvuli, veluti libro vitæ inter electos noſtra nomina inſcribantur*
§. 7. *Sed ornanda ſunt corda noſtra pulcherrimis gemmis.*
§. 8. *Deſiderat Auctor, idem benedictum nomen JEſuli imprimere fronti, pectori, & brachiis.*
§. 9. *Amatores JEſu ardent piiſſimis deſideriis.*
§. 10. *Deſideria S. Magdalenæ de Pazis.*
§. 11. *Pia adhortatio ad amandum JEſulum, per varios amoris actus.*
§. 12. *Cum quodam influxu cœleſtium voluptatum.*
§. 13. *Auctor optat eſſe Seraphinus, ut ardeat coram præſepio.*
§. 14. *Et ſimul alios ijsdem flammis inflammet.*

§. 1. *Gaudium eſt adeptio rei deſiderata.*

CUm Iſaias Nativitatem Meſſiæ temporalem in Spiritu præ videret, exultans præ gaudio exclamavit c. 51. v. 3. *gaudium & lætitia, &c.* hodiernâ tandem die jucundiſſimum hoc vaticinium eſt impletum. De gaudio ait Angelus, qui apparuit Paſtoribus, *Ecce*, &c. additque cauſam, *quia natus eſt vobis Salvator*, gravis cauſa veri gaudij, ſiquidem vera eſt definitio data à S. Thoma; *Gaudium eſt delectatio rationalis Creaturæ, proveniens ex adeptione deſiderij*: proindè magno & multorum deſiderio, quod expletur, reſpondere debet magnum & multorum gaudium. Itaque cum hâc nocte natus ſit in Bethleem ille puer, quem flagrantiſſima Patriarcharum vota à tot annis petiverunt; ille, quem diviniſſima Prophetarum oracula prædixerunt, ille, ad quem ardentia Regum anhelârunt ſuſpiria, ille, quem tot ſæculorum portenta præſignârunt, cui tot figuræ præluſerunt, ille, quem Jacob vocavit Gen. 49. v. 26. *deſiderium collium æternorum*. Aggæus cap. 2. v. 8. *deſideratum cunctis gentibus*. Sponſa, Cant. 5. v. 16. *totum deſiderabilem*, verbo cum Salvator mundi ſit natus, meritò gaudemus, exultamus, tripudiamus. Meminiſtis deſiderij ſponſæ, Cant. 1. v. 1. *quis mihi det, ut oſculetur me oſculo oris ſui*; hâc nocte deſiderio

Sponſæ

Sponſæ factum eſt ſatis. Meminiſtis ardentis ſuſpirij; *Dilecte mi, oſtende mihi faciem tuam.* Hodie in præſepio videmus faciem pulcherrimi Sponſi, &c. quidni gaudium & lætitia inveniatur in nobis? Voces laudis & gratiarum actionis nos docent SS. Angeli, & Mater Eccleſia. Illi lætiſſimam præcinentes Symphoniam, *Gloria in Excelſis,* nos invitant, ut pari ardore Sanctiſſimæ Trinitati dicamus gloriam; Cantuique Angelico cum Eccleſia ſubdamus voces laudis, *laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi.* Atque hunc ipſum in finem, ut ad gaudium, ad lætitiam, ad voces laudis vos inflammem magis, hâc concione aureos ſuaviſſimorum deſideriorum & devotionum annulos erga Parvulum de Bethleem connectam in auream catenam; hanc deinde deponam coram præſepio ad pedes JEſuli, aut ſi placere advertero, inijciam ejus collo & pectori, ut eâdem, Cor amabilis Pueri, & noſtra arctiſſimè hâc torque amoris colligentur. Hoc eſt ardens deſiderium cordis mei. Favete Auditores.

D. Th. Oroſius & alij referunt, quod Sibylla Tiburtina die Nat. Imperatori Auguſto in cœlo vel aureâ nube oſtenderit pulcherrimũ Infantulum, longè auguſtiore formâ, quàm humanâ, in ſinu ſplendidiſſimæ Virginis recubantem. Utinam & ego hodie meis Auditoribus divinum infantem, qualis in ſtabulo, in præſepio, in ſtramine, in ter bovem & aſinum jacuit, poſſem oſtendere, O qualem infantem videretis! amplius deſidero. Seraphicus S. Franciſcus obtentâ licentiâ à ſummo Pontifice noctem Nativitatis magnâ ſolennitate celebravit in campis & ſylvâ. Ipſo dirigente (amor Parvuli de Bethleem illum conſtituit architectum) paſtores ruſticum erexerunt mapale, extruxerunt præſepe, adduxerunt bovem & aſinum. Vir Sanctus in fœno poſuit pulcherrimum infantem. Poſt decantatum Sacrum tam tenero mentis affectu peroravit de Parvulo in Bethleem, ut omnes Auditores ubertim in pias lachrymas fuerint effuſi; quin & colles valleſque partim lætis ruſticorum vocibus, partim ſonoris Paſtorum fiſtulis reſonuerunt. Inter hæc gaudia vir nobilis fortè præſens vidit in brachiis & ulnis S. Franciſci jacentem JEſulum, radiantem inſtar ſolis, quo jucundo ſpectaculo permotus, mundo nuntium remiſit, ordinem verò S. Franciſci amplexus eſt. Ah utinam, (ex viſceribus cordis hoc deſidero) utinam hâc concione eundem

§. 2. *Deſiderat Auctor Auditoribus oſtendere IEſulum, illumque illorum brachiis imponere.*

puerum Auditorum meorum brachiis poſſem imponere, utinam lucidiſſimus hic ſol omnium oculos pulcherrimâ ſuâ luce irradiet. Si Parvulus de Bethleem veſtris arridet affectibus, animos & corda veſtra mihi reſerate, ut illis JEſulum imponam. Puer natus hodiè aliud præſepium, alium thronum, aliam habitationem non deſiderat, niſi corda veſtra.

§. 3. *Deſiderat illum illorũ cordibus veluti gemmis imprimere.*

Variæ piæ Virgines ſuaviſſimum myſterium Nativitatis Chriſti, tam tenerâ devotione, tam piis affectibus, mentibus animiſque ſuis impreſſerunt, ut poſt mortem in cordibus repertæ fuerint gemmæ & uniones, pulcherrimâ imagine JEſuli jacentis in præſepio. B. Maria de Ognes dicere ſolebat, *O ſorores ſi ſciretis theſaurum, qui latet in corde meo.* Poſt mortem in illo repertæ ſunt tres gemmæ: in una, Imago JEſuli, in alterâ, B. Virginis, in tertiâ, S. Joſephi. Utinam! utinam hâc concione Auditorum meorum corda poſſem convertere in tales gemmas, utinam poſſem illis imprimere Parvulum de Bethleem; hoc facite, mille actus fidei exercete erga hunc puerum, mille actus fiduciæ, mille actus ardentiſſimæ charitatis, hæ virtutes ſunt ſtyli, quibus gratia nobis imprimit imaginem JEſuli; B. Virginis, & S. Joſephi.

§. 4. *Deſiderat Auditorum cordibus, veluti libris, vel arboris pulcherrimæ foliis inſcribere nomen JEſuli.*

Magdalena de Pazis cum in profundâ hodierni myſterij contemplatione defixa hæreret, præcipuè, quod filius DEI eſſet factus homo in utero Virginis, & ab eâdem natus in ſtabulo, ſpectabilem habuit S. Auguſtinum, qui literis partim aureis, partim ſanguineis cordi virginis inſcripſit tremenda hæc verba; *Verbum Caro factum eſt.* Cum B. Mechtildis feriis natalitiis ſimili contemplationi inhæreret, vidit pulcherrimam arborem è terris ſurgentem in cœlum, dilatantem ramos ab ortu ſolis uſque ad occaſum, & folia, quibus aureis literis inſcripta legit myſteria vitæ Chriſti, inter alia hæc, *Verbum Caro factum eſt, & Natus ex Mariâ Virgine.* En pulchrum annulum aureæ meæ Catenæ. Audite deſiderium Cordis mei. Utinam Corda veſtra hâc Concione, hoc momento coram præſepio dulci metamorphoſi convertere poſſem in tales arbores, mox foliis (O Angeli date mihi aureos colores, O Seraphini date ardentes calamos) inſciberem, *Parvulus datus eſt nobis, JEſulus natus eſt nobis.*

Ex

Ex corde ejuſdem S. Mechtildis, dum ferventer oraret ante præſepium, Angelus ejus cuſtos candidiſſimam ſchedam extraxit, in quâ delicatiſſimo ſanguine cordis hæ voculæ fuerunt ſcriptæ. *Malo mori, mi dulciſſime JEſu, quàm ut per peccatum à te diſſolvar*; placuit hoc donum oculis Parvuli de Bethleem. O annulum meæ catenæ! O ſuave deſiderium cordis mei! agite animæ piæ, ſtatim guttis ſanguinis, ſtatim pio deſiderio cordis cordi inſcribite has voces, *Malo, &c.* & mihi corda reſerate, ut cum his ſchedulis properem ad præſepe, ut abjiciam ad pedes JEſuli, donum illi erit gratiſſimum. *§. 5. Cum illis vocibus, malo mori, quàm ſedari.*

Liberaliſſimus puſio non fuit ingratus erga Mechtildem. Hæc ſiquidem in dulci extaſi vidit cœleſtem Sponſum, & dum hic cor ſuum & pectus aperiret, in illo veluti aureo libro vitæ, inter nomina Electorum & ſuum perlegit. Quis prohibebit, quò minùs hic erumpam in ſuaviſſimum deſiderium? nemo utique. Itaque O Parvule de Bethleem ad te ſuſpiro! O JEſule en offerimus tibi corda noſtra, ſi opus eſt parati ſumus etiam ſanguine conteſtari, *mori malumus, quàm peccare.* O benedicte puer, aperi viciſſim tuum dulciſſimum Cor. Scimus, latet in eo liber vitæ. O ſi! O ſi videre liceat an illi, & meum nomen ſit inſcriptum! idem puto veſtrum eſſe deſiderium. Sed ſiſte Curioſitas! dum vivimus, ignoramus an odio, an amore digni ſimus? ne tamen propterea contriſtemur, interim cordibus noſtris alias quoque voces inſcribamus, quæ poſt mortem aperto pectore repertæ fuerunt in corde Catharinâ Raconiſiæ, *JEſus ſpes mea.* Amemus Parvulum de Bethleem, & de ſalute noſtrâ benè ſperemus. Hoc faciamus inſuper. Anno 1632. Sodales Chamberij B. Virgini obtulerunt Cor aureum, coronatum ſtellis; in corde jacuit aureus libellus, cui nomina ſodalium fuerunt inſcripta. O ſancti Angeli, qui adfuiſtis præſepio, duo à vobis peto. 1. Date mihi talem libellum. Titulus ſit, *liber amatorum JEſu.* Statim meum & Auditorum nomina, ſi opus eſt, ſanguine inſcribam. Cum hoc factum fuerit, rogo 2. ut hunc eundem libellum noſtro nomine JEſulo præſentetis. Verba, quibus offeretis, hæc vel ſimilia erunt. En JEſule, en libellum ſupplicem amantium te mortalium! En corda tuorum ſervulorum; lege JEſule libellum, & approba. Auctor Amor eſt, materia Amor eſt, Initium Amor eſt, *§. 6. Ut viciſſim Cordi hujus Parvuli, veluti libro vitæ inter electos noſtra nomina inſcribantur.*

medium Amor eſt, finis Amor eſt, ſtylus amor eſt: atramenti loco ſit ſanguis. Hunc approba libellum JEſule.

§. 7. *Sed ornandæ ſunt corda noſtra pulcherrimis gemmis*

Dum paulò ante memini B. Mechtildem vidiſſe Cor ſui Sponſi, non addidi fuiſſe illud ornatum aliquot pretioſiſſimis gemmis, per quas intellexit ſignificari præcipuas virtutes nati pueri, humilitatem, paupertatem, obedientiam, charitatem. Tale nimirùm eſt Cor JESULI, humile, obediens, patiens, caritate fragrans. Utinam me amor meus doceret eſſe gemmarium, quamprimùm ſimilibus gemmis & veſtra corda exornarem & exornata offerrem JEſulo.

§. 8. *Deſiderat Auctor idē benedictum nomen JEſuli imprimere fronti, pectori & brachiis.*

Pergamus, & in tam pretioſâ catenâ nectamus annulum annulo, affectum affectui. Certè in vitâ pijſſimi Alexandri Luciagi invenio formoſiſſimum annulum. Siquidem inter alias devotiones erga Chriſtum Salvatorem, ejusque paſſionem, frequenter digitis fronti imprimebat ſignum S. Crucis cum his verbis, *JESUS Crucifixus ſit in meis cogitationibus*; frequenter ori, cum hoc ſuſpirio, *JEſus Crucifixus ſit in meis verbis*. Frequentiſſimè cordi & brachiis, cum dulci gemitu, *JEſus Crucifixus ſit in meis operibus*. Facilè advertitis quo hodiè tendant mea deſideria. Permittite itaque ut unicam mutem voculam, & dicam: Utinam his feriis veſtras frontes ſignare poſſem ſigno, quo ipſe Salvator ſignavit frontem S. Edmundi, nimirum nomine JEſu. *Utinam*, inquam, *JEſulus ſit in veſtris cogitationibus*. Ut ſit, quæſo animæ piæ, millies millies his diebus cogitate de Parvulo de Bethleem, quidquid cogitatis, cogitate in honorem JEſuli. Eodem ſigno cupio ſignare veſtras linguas, utinam in illis ſit JEſulus! ut ſit, hoc facite; melleis, aureis, eximiis vocibus laudate, benedicite, ſuperexaltate Parvulum, cantando, pſallendo, jubilando. Utinam idem JEſulus vel maximè ſit in veſtris operibus. Quidquid agitis, agite in honorem JEſuli. Annon hæc ſuavia, dulcia ſunt deſideria? Ne miremini Auditores.

§. 9. *Amatores JEſu ardent piiſſimis deſideriis.*

Plerumque illis ſuccenſi ardent amatores JEſu. Amator fuit S. Joannes Evangeliſta, ſed in gravi ætate nonaginta novem annorum, vix aliud habuit in ore, quàm, *filioli diligite invicem, & veni Domine JEſu, veni*. Amator Chriſti fuit S. Paulus; ſed nota ſunt illius ſuſpiria, *Coarctor, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum*

cum Chriſto, ad Philip. 1. v. 23. Amator Salvatoris fuit S. Bern. ſed anhelavit millies, *Deſidero te millies, mi JEſu quando venies.* Qualis amator S. Auguſtinus, ſed quotidie ex ejus ore decidebant tales ſcintillæ, *ubi es abſconditus, pulcher, quem deſidero? cur faciẽ tuam abſcondis? Non videbit me homo & vivet. Eja Domine moriar ut videam te, videam & hic moriar. Nolo vivere, volo mori, diſſolvi cupio & eſſe cum Chriſto. Advertite anima pia, qui ſic amat, ſic deſiderat, patienter vivit, delectabiliter moritur*, delectabiliter vivit, & moritur patienter. Amator Chriſti fuit S. IGNATIUS M. ſed auſus fuit proferre admiranda deſideria, Crux, beſtiæ, &c.

Aureum dictum S. Auguſtini.

Amatrix ardentiſſima Chriſti fuit Magdalena de Pazis; ſed continuò Cor ejus languebat ejuſmodi deſiderijs, *O Jeſu mi dulcis amor, ex intimo corde te amo. O amor, quàm pauci te agnoſcunt, quàm pauci te amant, ergo ego ſaltem amabo, ingredere Cor meum, O amor, ibi invenies fidelem amatricem.* Subinde ſe ipſam alloquebatur, *O Magdalena cur non amas amorem*, ſubindè ſorores, *O ſorores amatiſne amorem? & cur non amaretis? utinam amaremus amorem quantùm amabilis eſt.* O annulos aureæ meæ catenæ. Ah animæ piæ, ubi hodiè eſt amor noſter, niſi in ſtabulo & præſepio: amor noſter eſt Parvulus de Bethleem, amate millies. Ubi eſt amor noſter, niſi in ſinu Virginis, amor noſter eſt filiolus Mariæ. Ubi eſt amor noſter? jacet inter bovem & aſinum, totus amabilis. Amatiſne & vos Auditores? quid quæro, cur non amaretis? O mi JEſule ita amamus. Scio multi in mundo te non agnoſcunt, multi non diligunt; ſaltem in noſtra veni corda, in nobis invenies fideles amatores. Utinam te amare poſſemus, quantum es amabilis!

§. 10. *Deſideria S. Magdalenæ de Pazis.*

Suaviſſimos affectus opto in Corda veſtra. Opto ut Parvulum ametis tenerrimè, nunc *amore electionis*, cum ſuavi ſuſpirio, *mi Parvule elegi te ex millibus*; valeant opes, valeant honores, te volo. Nunc *amore complacentiæ*, cum dulci anhelitu, *O Puſio quàm mihi placet, quod ſis filius DEI & Mariæ.* Nunc amore *laudis* cum tenero deſiderio, *Parvulum de Bethleem laudate cæli & terra. Sol, luna, ſtella, &c. benedicite JESULO!* nunc *amore æſtimationis*, *JEſule amo te ſuper omnia*, nunc *amore benevolentiæ*, *O Parvule quàm mihi benè eſt, quod tibi ſit benè.* nunc *amando & ſuaviter*

§. 11. *Pia adhortatio ad amandum JEſulum, per varios amoris actus.*

ſuaviter ſalutando; *Salve milles benedicte JEſule*, nunc *amando & adorando*, *Parvule adoro*, *laudo te.* nunc *amando & conformando ſe amori.* *Mi JEſule fiat voluntas tua.* Nunc *amando & flendo.* *Ah quod unquam Puerum tam amabilem offenderim*! &c. nunc *amando & obſecrando*, *O Salvator mundi propitius eſto mihi peccatori.* Tales affectus efficiunt pulcherrimos annulos pro aureâ catenâ, quam hodiè & meo & veſtro nomine cupio offerre Parvulo de Bethleem. Non erit ingratus.

§. 12. *Cum quodã influxu cœleſtium voluptatum.*

S. Gertrudis feſto Virginis annuntiatæ in meditatione Incarnationis vidit in Cor B. Virginis confluere tres ingentes fluvios, unum à Patre, ſcilicet potentiæ, alterum à Filio, ſive Sapientiæ, tertium à Spiritu ſancto amoris & bonitatis. O dulciſſimum mare Cor Mariæ! Et quæ flumina hâc nocte ex corde nati JESULI putamus defluxiſſe in animam B. Virginis? quis exprimet? hoc opto, ut ex dulciſſimo hoc fonte, in corda quoque meorum Auditorum fluant fluvij cœleſtium deliciarum.

§. 13. *Auctor optat eſſe Seraphinus, ut ardeat corã præſepio.*

Pro ultimo annulo meæ Catenæ quæro non niſi aureum & ignitum. Diſcedite nubes, aperite vos cœli, evolo ad Seraphinos ut ab illis emendicem. Cauſam mihi præbet ſuaviſſima mors B. Mariæ de Ognes. Ultimo anno vitæ hæc ardentis erga JEſum amoris fuit teſſera, *Domine non cupio amplius hic morari, ſed ire & videre te.* cum ob amoris æſtum & languorem, etiam corpore & viribus deficeret, triduo integro ante obitum decumbenti Virgini aſtitit quidam ex Seraphicis Spiritibus, qui illi ardentiſſimos, ſuaviſſimos, Seraphicos ſuggeſſit affectus, & amores erga JEſum. præeunte Seraphino ſuſpiravit millies, *mi JEſu, amo te.* O ſi ego hodie, ſi hâc horâ, hâc Concione eſſem talis Seraphim, quia deſiderio ſaltem ſum, abjiciens me coram præſepio, faciem, manus, pedes velabo alis, & profundiſſimâ reverentiâ adorabo natum JEſum: quia in votis ſum Seraphim, clamabo voce quâ poſſum, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus JEſulus*! O ardentes prunæ, quæ in divino & aureo thuribulo cordis JEſuli æternis flammis ardetis, decidite in cor meum, facite me Seraphinum, ut totus ardeam tam dulci amore!

Sed

Sed amori meo ſatis non eſt, ut ego ardeam; O ſi eſſem Seraphinus! Seraphim fuit, qui cor S. Auguſtini cœleſtibus flammis accendit & inflammavit; hoc momento omnium veſtrum corda ſimilibus ardoribus inflammarem. Seraphim fuit, qui Seraphicum Cor S. Thereſiæ igneâ cuſpide ſauciavit. O Seraphini! quia Seraphim eſſe non poſſum, date ſaltem mihi tela, quibus dulciſſima Vulnera ſuaviſſimi amoris erga JESULUM Auditorum meorum Cordibus infligam. Seraphim fuit, qui Seraphicum Franciſcum dulciſſimâ melodiâ recreavit; ſi eſſem Seraphim, ſtatim vobiſcum properarem ad cunas, ad cantandum JESULO; ſed nec Seraphim nec Muſicus ſum; voce tamen quâ poſſum ex corde cano: Gelobet ſeyeſtu JESU CHriſt: Benedictus JEſulus, amor meus, DEus meus, Centrum meum, JEſulus meus & omnia! §. 14. *Et ſimul alios ijsdem flammis inflammet.*

CONCIO LX.

FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Diſcipulus ille, quem diligebat JESUS.
Joan. 21. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUmma S. Joannis prærogativa fuit, altiſſima ſublimiſſimorum myſteriorum cognitio; ob quam comparatur Ezechielis Aquilæ; miſcendo varia de Parvulo in Bethleem.

§. 1. *Exordium.*
§. 2. *Prima S. Joannis prærogativa. Habuit clariſſimam cognitionem altiſſimorum Myſteriorum.*
§. 4. *De Cœlo.*
§. 5. *Ex Sacrario Sanctiſſimæ Trinitatis.*
§. 6. *A Spiritu Sancto.*
§. 7. *S. Joannes fuit aquila.*
§. 8. *Et quidem Aquila Ezechielis cap. 17. perſpicax, & ſublimis in volando.*
§. 9. *Varia Aquilarum Symbola applicantur S. Joanni.*

§. 10. *Hæreſes circa Perſonam Chriſti.*

§. 11. *Fides credit tanta myſteria.*

§. 12. *Quales nos debeamus eſſe aquilæ.*

§. 13. *Epilogus.*

§. 1. *Exordium.*

QUid faciam? dicamnè de dilectiſſimo diſcipulo Joanne, cujus Nativitatem, per ſanctam mortem, ad gloriam & alteram vitam hodiè celebrat Eccleſia, & nihil de meo Parvulo in Bethleem, qui ante biduum editus eſt in hanc mortalem lucem, ad vitam laborioſam, difficilem, mille miſeriis atque erumnis expoſitam? Vel, dicamnè de hoc, & nihil de S. Joanne? utrumque difficile. Amo JESULUM, eſt theſaurus cordis mei, ideò libenter de illo loquor. Et quia S. Joannem diligit JESUS, ideò diligo & ego, nec libenter de illo conticeſco. Scio quid agam, dicam de utroque. De Parvulo, ſed ita, ut proponam vobis ſimul eximia elogia dilectiſſimi Joannis; & talia erunt, quæ ampliſſimam quoque materiam diſcurrendi in laudes JEſuli ſuppeditabunt; præſertim moralia quædam puncta, quæ Auditoribus meis inculcabo, ut in cordibus noſtris glorificetur Parvulus de Bethleem, cui ſit honor & gloria in ſæcula, AMEN.

§. 2. *Prima S. Ioannis prærogativa. Habuit clariſſimã cognitionẽ altiſſimorum Myſteriorum.*

Prima, ſublimis & peculiaris prærogativa S. Joannis Evangeliſtæ eſt hæc; quod myſteria fidei noſtræ altiſſima, præſertim illud, cujus honori & memoriæ Eccleſia integrum tempus Adventûs conſecravit, Incarnationem Filij DEI, & quod his feriis peculiari devotione recolimus, Chriſti Domini Nativitatem, & utramque ejus generationem, Divinam & Humanam præ aliis profundiùs penetrârit, eaque nobis clariùs perpendenda propoſuerit. De generatione æternâ orditur ſuum Evangelium, *In Principio erat Verbum, & Verbũ erat apud DEum, & DEus erat Verbum.* Joan. 1. v. 1. Et poſtquam de infinitis Verbi perfectionibus & attributis fusè diſcurrit, generationem ejus in tempore ex Virgine celeberrimis illis verbis, ad quæ ſuperi & inferi, Angeli & homines contremiſcunt, nobis exhibuit, *Verbum Caro factum eſt*, &c. Ingens ſanè prærogativa S. Joannis, de quâ Rupertus in Proleg. in S. Joannem. *Hanc margaritam*, id eſt, hoc Evangelium (dico ego, has altiſſimas, profundiſſimas, ſublimiſſimas cognitiones, de altiſſimis, profundiſſimis, ſublimiſſimis his Myſteriis)

ris) *DEus dilectæ Joannis animæ, pro monumento dilectionis præcipua fixit in pectore.* Coronavi aliàs S. Stephanum eximiis Coronis, quidni propter hæc verba Ruperti collum & pectus S. Joannis aureis gemmeiſque virtutum & prærogativarum monilibus exornem? Omnium pulcherrimo monili, gemmis longè pretioſiſſimis ejus pectus condecoravit Spiritus Sanctus, dum illi tam ſublimes de utrâque Verbi generatione, & naturâ præ aliis communicavit conceptus.

Accipe quid Albertus ille Magnus de aquilâ referat, atque ex illo Matthias Faber Conc. 1. de S. Joanne Evang. *Aquila*, inquit, *diutiſſimè vivit, & juventutem renovat, quando ſentit ſe gravari pennis, dum ex alto ſolis calore inflammata in fontem præfrigidum ſe immittit, cujus frigore calor medullarum augetur, & poſtmodum aliquamdiu quieſcit, atque ita plumis ſuccreſcentibus renovatur.* Præclarè hæc ſingula citatus Auctor Divo noſtro Joanni applicat. At illud miror, quod præcipuum amoris divini fontem prætereat! O fontem non frigidum ſed fervidum! O Cor JESU! O qualis fons! unde cum Sanguine emanant aquæ ſalientes in vitam æternam! ex hoc fonte tantos hauſit ſcientiarum theſauros Joannes! Quærunt SS. Patres ex quo potiſſimùm fonte S. Joannes illas veritates hauſerit. Alio in loco inſinuavi hauſiſſe ex fonte Vitæ, ex ipſo pectore Chriſti, cum in ultimâ cœnâ ſuper illud recubuit. In illo ſuaviſſimo ſomno & dulciſſimâ quiete applicuit aures Cordi Chriſti, & mirabilem ac ſuaviſſimam præcordiorum Chriſti ſentiens harmoniam, & continuo palpitantis cordis motu tam cœleſtem hauſit doctrinam. Sic ſentio cum S. Hieron. In ſecreta Divinæ ſe Nativitatis immergens, (in ipſum pectus & Cor JEſu) auſus eſt dicere, quod cuncta ſæcula neſciebant, *In principio*, &c. Sic ipſum pectus, ipſum benedictum Cor Chriſti, fuit S. Joanni ſchola, in quâ tanta didicit myſteria. Cor JEſu fuit fons, ex quo hauſit aquas tam ſublimis ſcientiæ. Eja Auditores his feriis ad ſtabulum in Bethleem, ad cunas Chriſti; hic aperta eſt ciſterna ſalutis, hic ſalit fons vitæ, hauriamus cum gaudio de his fontibus ex corde, ex pectore amabiliſſimi JEſuli aquas Salvatoris; hauriamus ſublimiſſima myſteria noſtræ fidei, quæ S. Joannes his

§. 3. *Unde illam hauſerit. Ex fonte cordis Chriſti.*

his verbis nobis credenda propoſuit, *In principio erat Verbum.* Credamus Parvulum in præſepio eſſe Deum; *Et Verbum, &c.* Credamus eſſe hominem & filium Mariæ Virginis. &c.

§. 4. *De Cœlo.* Metaphraſtes refert S. Joannem, cum in altiſſimo monte, altiſſimæ hæreret intentus contemplationi, audiviſſe ſubitaneum & ingentem ſtrepitum, & fragorem nubium, tonitruorum, ac fulminum (fortè ideò dixit Apoc. 1. v. 10. *fui in ſpiritu, - audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ.*) & inter illa intonuiſſe de cœlo vocem, quæ clamavit, *In principio &c.* quas voces deinde S. Joannes mundo, initio ſtatim ſui Evangelij, promulgavit; Itaque de cœlo dilectus Chriſti diſcipulus, ſive ab Angelis hæc myſteria edoctus eſt. Sic ſentio cum S. Chryſoſt. in Proleg. in S. Joannem. *Joannes & Angelos ſua illius vocis habuit Auditores, quâ intonuit, In principio. Omni citharœdo Joannes, omnique muſicâ ſuavius utiliusque præcinit; Eſt enim proſcenium, cœlum: theatrum, Orbis terræ:* Auditores Angeli, & quicunque homines Angeli ſunt, vel fieri deſiderant.

§. 5. *Ex Sacrario Sanctiſſimæ Trinitatis.* Relationi huic Metaphraſtis fortè occaſionem præbuit nomen hoc, *Joannes*, quod non tantùm gratiam vel gratioſum ſignificat, ſed quod Chriſtus D. illum vocaverit *Filium tonitrui*, vel, quod vox *Joannis*, tonitru fuerit. Scimus & audimus hujus ſonitum in terras delabi ex nubibus, de cœlo, unde Pſ. 28. v. 3. vocatur, *Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit. Vox Domini in montibus confringentis Cedros Libani, vox Domini inter flammas concutientis deſertum.* Pari ratione verba illa S. Joannis, *In principio*, &c. & *Verbum Caro factum eſt*, non provenerunt è terrâ, non ab hominibus, ſed de cœlo, de altiſſimis, imò de ſacrario ſanctiſſimæ Trinitatis. Unde Verbum deſcendit in uterum Virginis, ut in Virgineo illo thalamo fieret caro, & naturam humanam aſſumeret; deſcendit autem in Cor & pectus S. Joannis, ut ille idem Verbum jam Carnem factum ſuavi, ſed forti vòce mundo & hominibus eructaret; *Ut Verbum* (loquor cum Ruperto) *quod Maria Virgo ſola protulit in Carne, hic diſcipulus, Virgo, & Virginis filius adoptivus, proferret ore;* quod & fecit.

Sic

Sic Virginea lingua S. Joannis Evang. fuit calamus ſcribæ velociter ſcribentis, id eſt, Spiritus Sanctus Joannis illuminavit mentem, inſtruxit linguam, ut myſteria tam alta mundo communicaret, & Cor ejus atque lingua eructarent Verbum bonum, & abſcondita à conſtitutione mundi. Hoc verbum, velut margaritam, velut aureum & gemmeum monile (quot ejus verba, tot lapides pretioſi) DEus dilectæ Joannis animæ, pro monumento dilectionis præcipuæ, defixit in pectore. §. 6. *A Spiritu Sancto.*

Ob hanc altiſſimorum myſteriorum cognitionem SS. Patres vocant Joannem *Aquilam* (& hoc alterum ſit elogium, alterumque meæ Concionis punctum) fundatur comparatio, vel analogia inter Joannem & Aquilam in viſione Ezechielis, in quâ illa plena myſteriis animalia, homo, leo, bos, & aquila repræſentabantur, quatuor Evangeliſtarum Symbola, de quibus ad rem S. Aug. tr. 36. in Joannem. *Cæteri Evangeliſtæ tanquam cum Deo homine in terra ambulant, de Divinitate ejus pauca dixerunt.* S. Lucas v. g. nobis ante biduum narravit, quod Chriſtus Salvator natus fuerit ex Virgine, in ſtabulo, involutus pannis, poſitus in præſepio, bovem inter & aſinum, & ejusmodi Nativitatis humanæ circumſtantias complures. Joannes autem, quaſi pigeret ambulare in terris, altius ſeſe librans aſcendit, & non terram modò omnemque aëris & cœli ambitum, ſed ipſos etiam Angelorum exercitus exceſſit, atque adeò ad ipſum per quem facta ſunt omnia, pervenit, dicens, *In principio erat Verbum &c.* §. 7. *S. Ioannes fuit aquila.*

Videamus nunc quid viderit Ezechiel c. 17. v. 3. Aquilam vidit grandem, magnarum alarum, longo membrorum ductu, variis inſignem plumis, quæ venit ad Libanum & tulit medullam Cedri, Summitatem frondium ejus avulſit, & transportavit in terram Canaam. Vide apud P. Corn. à Lap. alioſque interpretes ſenſum literalem, & alia myſteria; modò cum SS. Patribus dico, S. Joannem fuiſſe hanc Aquilam; non in montem Libanum tantùm, ſed ſupra cœlos evolavit & inde Cedri ſive Divinitatis medullam in terras transtulit: ſiquidem paucis initio Evangelij Sanctiſſimæ Trinitatis tres Perſonas mundo manifeſtavit, & paulò poſt Verbi Incarnationem, *Et Verbum Caro factum eſt.* Aſcendit hæc aquila in Libanum, §. 8. *Et quidem aquila Ezechielis c. 17. Perſpicax & ſublimis in volando.*

 ſive

ſive Candorem inacceſſibilis illius divinæ lucis, & tulit medullam Cedri, id eſt, Cor & Verbum æterni Patris. Inter alias volucres celebratur aquila, præcipuè ob videndi perſpicacitatem & volandi ſublimitatem. Illa in hoc conſiſtit, quod irretortos defigat oculos in ſplendidiſſima, v. g. ſolem in rotâ, ut loquuntur: hæc in eo, quod remotiſſima quæque conſpicetur, ut ex altiſſimo monte leporem currentem in valle. *Itaque* (ait Rupertus) *Aquila rectè dicitur Joannes, qui Divinitatem inverberatis oculis altiùs contemplari meruit, & adhuc in carne poſitus potuit in illum ſolem apertos oculos figere.* & S. Damaſc. Ser.23. *In ſpeculandâ ſummâ Divinitate, præcedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, Apoſtolos ſuperat.* Vidit quoque hæc aquila remotiſſima, id eſt, quæ fuerunt ab æternitate, & quæ tandem in fine mundi ventura exſpectantur.

§. 9. *Varia Aquilarum ſymbola applicantur S. Joanni.*

Qualis tandem Aquila fuerit S. Joannes Evangeliſta docta & erudita ſymbola eleganter declarant. In primo, aquila in altum uſque ad ipſum ſolem evolat cum hoc lemmate: *Volatu nemini.* Talis aquila fuit S. Joannes, in arduis poſuit nidum ſuum, in pectore JESU; niſi his feriis malitis dicere; In corde JEſuli. In altero depicta eſt viſio Ezech. c. 1. v. 10. 11. Sive Currus divinæ Majeſtatis tractus ab homine, à bove, à leone, ab aquilâ, ad hujus pectus pendet hæc epigraphe, *Cæteris ſuperior.* Hæc aquila eſt S. Joannes. In tertio aquilæ altiſſimum evolanti aſcriptus eſt verſus 3. Pſal. 103. *Ambulans ſuper pennas ventorum.* imò dicamus, ſuper pennas Cherubim, vel cum S. Proclo or. 15. *Evangeliſta hic Seraphinis ipſis inventus eſt ſublimior, quia illi coruſco concuſſi fulgore facies ſuas velant, at hic ex gratia ſpectans, tum generationem, tum ſubſtantiam expreſſit divinam,* vel cum Orig. hom. 2. de diverſis. *Joannes plus quàm homo* (quàm Angelus) *quando & ſe ipſum, & omnia quæ ſunt ſuperavit, & ineffabili Sapientiæ virtute, puriſſimoque mentis acumine, ſubvectus in ea, quæ ſuperiora ſunt, ſecreta videlicet unius eſſentiæ in tribus ſubſtantiis,* (id eſt, ſubſiſtentiis:) *& trium ſubſtantiarum in unâ eſſentia ingreſſus eſt.* Aquila fuit S. Joannes evolans ſuper pennas ventorum, & alas Seraphinorum. In quarto emblemate inter

nubes

nubes aquila volitat coronata cum lemmate, *Regina*. Talis fuit Aquila S. JOANNES, coronatus Coronâ Sapientiæ. Heri Coronavi Protomartyrem Stephanum ſertis ex floribus, ex auro, ex gemmis; Joanni cœlum paravit inſuper ſtelleam, veluti Regi Sapientiæ. Verùm & hanc S. Joannes abjjcit ad pedes JEſuli ſapientiſſimi. In ultimo emblemate inter nubes picta eſt aquila, cum fulmine illud vibrans in ſerpentes. Ab hoc ultimo Emblemate venio ad præcipuam & pulcherrimam cauſam, ob quam hodie, ſive in his feſtis S. Joannem comparo Aquilæ. Inter aquilam & ſerpentes continua eſt pugna, eo quod hi aquilæ nido & pullis inſidientur. Quapropter ut aquila ſe ſuosque tueatur, nidum communit lapide, qui vocatur aquila, eâ præditus virtute, ut arceat ſerpentes. In ſerpentibus velim vos intelligere Cacodæmones, & meritò; nam & ſerpentis formam vultumque induit in Paradiſo veterator ille ſtygius; Serpentum varia ſunt genera, alia aliis virulentiora; habet & infernus aſſeclas ſuos, ſunt & hæretici ſerpentes, dum blandè ſerpunt, incautos inficiunt, & peſtiferæ veneno doctrinæ ſimpliciores afflant. At ecce ſublimis aquila Joannes lapidem, qui Chriſtus eſt, opponit ſerpentinis conatibus, hoc ſe lapide communit, ſerpentes fugat, ſuperat hæreticos.

Serpens fuit Ebion, hic in hunc nidum, vel præſepe, hoc effudit virus; negavit Chriſtum Dominum eſſe perſonam æternam, id eſt Chriſtum Dominum quoad perſonam non fuiſſe ab æterno. Joannes opponit lapidem, Chriſti confitendo æternitatem, *In principio*, &c. Serpens fuit Sabellius, hic in præſepe Filij DEI hoc effudit virus, Verbum eſſe Perſonam indiſtinctam à Patre, opponit Joannes lapidem, *Verbum erat apud DEUM*. Serpens Arrius, hic negans Verbi Divinitatem, Joannes opponit lapidem, *DEUS erat Verbum*. Serpens fuit Manichæus & alij, Joannes enodat omnes quæſtiones difficiles, quæ de Verbo occurrere poterant. Si quæratur DEusne ſit an Creatura, Reſpondet Joannes, *DEUS erat*. Si, an æternum ſit vel temporale? Reſpondet, *In principio*. Si, ubi, ſit? *apud DEum*. Si, quod exercitium?

§. 10. *Hæreſes circa Perſonã Chriſti.*

Omnia

Omnia per ipſum facta ſunt; ſi quo habitu indutum? Reſpondet, *Verbum Caro factum eſt*. S. Paulus. *Habitu inventus, ut homo.*

§. 11. *Fides credit tanta myſteria.* Sed difficile eſt hæc apprehendere, difficile intelligere; ita, ſed hæreticis, ſed arrogantibus. Credere hic oportet, ne in myſterij profunditate ſubmergamur. Refert Nicephorus, quod, cum terra foderetur pro fundamentis templi Salomonis, inventa fuerit columna marmorea, cum hâc inſcriptione: *In principio erat Verbum*, ſed aquis undique circumdata. Sic eſt Auditores, circumdatus humanæ miſeriæ fluctibus eſt JEſulus infans; age ſis ad illum ſi accedere cogitas, naviculâ fidei utaris neceſſe eſt, ſine hâc time naufragium. Accedentem ad DEum hominem credere oportet. Sine fide verâ ac conſtanti impoſſibile eſt placere Parvulo de Bethleem Nec deſunt quæ credas myſteria: Dicitur, En hic Puſio DEus eſt, *Credo, mi JEſu, credo.* Clamatur æqualis eſt Divino Patri ſuo hic Parvulus, *Credo mi, Jeſule, credo.* Proponitur; hic jacet in præſepio, qui regnat ſine termino, *Credo, mi Jeſule, credo.* Et quidni ego credam, cum ſublimis illa aquila noſtra, Joannes noſter cuncta ſuis ſe oculis uſurpâſſe teſtetur?

§. 12. *Quales nos debeamus eſſe aquilæ.* Aquila ergò fuit S. Joannes, ſed addo aliqua, ut inde doctrinam aliquam pro nobis deducam moralem. I. Quod de S. Joanne dixit Rupertus cit. Hanc aquilam cordis munditia juvit, ut claritatem ſolis æterni poſſet mentis acie contemplari. Sol hic divinus divertit è cœlo in cœnum, ex aſtris Superûm ad caſtra mortalium, ex montibus æternis in vallem lachrymarum. O aquilæ! aquilæ (pias hominum animas intelligite) ſpectate hunc ſolem, defigite in illum & corporis & animi oculos; ſed mundos oculos, puros oculos, oculos caſtos, oculos innocentes. 2. In memoriam vobis revoco, quod de S. Joanne dixit Laur. Inſtin. in ſer de Joanne Evang. *Geminæ puritatis*, id eſt, *carnis & mentis ſuffragio fultus Joannes, tanquam ſpiritualis aquila, uſque ad Verbi ſoliũ pertingens*, &c. S. Hier. dicit alas hujus aquilæ fuiſſe Virginitatem. Solium Verbi hodie factum eſt præſepium, O quale ſolium! Solium Salomonis Divini! Thronus gratiæ! ſedes miſericordiæ. Expandite alas aquilæ, evolate ad hunc ſolem; alas, alas, expandite, ſed mundas, alas, puras, caſtas, innocentes: ſcitis quid ſcriptum, *Beati mundo Corde, quoniam ipſi*

DEum

DEum videbunt. Matth. 5. v. 7. Ipſi non alij, mundi non immundi. 3. Quod de S. Joanne dixit Cyrillus in Joannem c. 21. *Ioannes propter mentis puritatem & oculorum, & cordis acumen, ad intelligendum aptiſſimus præ cæteris præſentem agnovit Chriſtum, & aliis indicavit*. 4. Lyranus. *Sciendum quod puritas mentis & corporis maximè diſponit hominem ad cognitionem rerum divinarum*; ideo Joannes, qui cæteris purior erat, &c.

Denique opto ut his feriis omnes ſimul aquilæ ſitis. 1. Ut de veteri ſtatu in novum mutemur. Pſ. 102. v. 5. *Renovabitur ut aquila juventus tua*. 2. Ut converſatione noſtrâ, noſtris deſiderijs evolemus in altum cum S. Paulo ad Phil. 3. v. 20. *noſtra converſatio in cælis eſt*. 3. Ut nos variis variarum virtutum plumis exornemus: Ezech. 17. v. 3. *Aquila plena plumis & varietatibus*. Pulchra pluma eſt paupertas JEſuli; elegans pluma eſt modeſtia, decora pluma Charitas; inſignis pluma humilitas, nobilis pluma Caſtitas. O quàm pulchris diſtinctæ coloribus plumæ! Quis veſtrûm Aquilam vidit niveis, purpureis, flavis, aureisque veſtitam plumis? Huc, huc oculos ad S. Joannem noſtrum; hic virtutum ſuarum plumas ab alterâ meliore aquilâ, à naſcente in ſtabulo infante DEO deſumpſit; deſumamus & nos, & erimus aquilæ decoræ, nitidæ, cœleſtes. 4. Ut in omnibus actionibus noſtris intueamur ſolem, id eſt, gloriam, & voluntatem DEI. 5. Ut nidum habitationis noſtræ ponamus in petrâ, id eſt, Chriſto. 6. Ut in bono perſeveremus. Iſ. 40. v. 31. *Aſſumunt pennas ut aquilæ, volabunt, & non deficient*. Ita ita volabimus Auditores, aſſumemus pennas ut aquilæ, id eſt, ut Divus Joannes noſter, & ut naſcens in præſepio JEſulus, aſſumemus variegatas virtutum pennas, volabimus, nec deficiemus, dum vita nobis ſpirat & ſpiritus, volabimus uſque dum evolemus & nidulum noſtrum collocemus in cœleſtibus, ubi Aquila noſtra Evangelica in pulchrum Juſtitiæ ſolem æternùm felices oculos defigit.

§. 13. Epilogus.

CONCIO LXI.

FESTO CIRCUMCISIONIS D. N. JESU CHRISTI.

Vocatum eſt nomen ejus JESVS.

Lucæ. 2. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OFfert omni ſtatui Auditorum, pro Spirituali xenio, præcipua membra diviniſſimi corporis, Infantuli de Bethleem, in lucidiſſimis ſpeculis repræſentata.

§. 1. *In nomine JEſu omne genu flectatur.*

§. 2. *Speculum objectum oculis S. Gertrudis.*

§. 3. *Simile Speculum, Sponſa fuit, Dilectus Sponſus.*

§. 4. *In quo intuita ejus Caput, vocavit illud aurum optimum.*

§. 5. *Tale fuit caput Parvuli de Bethleem.*

§. 6. *Et ſimul purpureum ut Carmelus.*

§. 7. *Hoc Caput JEſuli in lucido ſpeculo, pro xenio offertur Illuſtriſſimo Principi.*

§. 8. *Facies Jeſuli, ſive Sponſi, tota pulchra & decora.*

§. 9. *Pro Strenâ præſentatur in ſanguineo ſpeculo toti Clero Bambergenſi.*

§. 10. *Proſecutio.*

§. 11. *Aureæ JEſuli coma, cincinni, Collum, Nobilitati, etiam cum ſanguineo ſpeculo.*

§. 12. *Conſiliarijs, utrique Magiſtratui, Judicibus &c. in lucido ſpeculo, lucidiſſimi Jeſuli Oculi.*

§. 13. *Conjugatis Cor Parvuli de Bethleem.*

§. 14. *Viduis ejus Pectus & Vbera.*

§. 15. *Virginibus, ejusdem genæ.*

§. 16. *Divitibus aureæ & liberales JEſu manus.*

§. 17. *Eædem tornatiles offeruntur Sodalibus Agoniæ, præſertim hoc anno morituris.*

§. 18. *Epilogus.*

Refe-

§. 1. *In nomine IESV omne genu flectatur.*

REferunt Hiſtoriæ Tamerlanem Regem Tartariæ, primum diem anni peculiari ſolennitate celebraſſe. Inter alias cæremonias, primarius ex aulicis proceribus, Regi ingreſſuro templum prætulit tabulam ſive vexillum, cui aureis literis inſcriptum fuit nomen Regis, Tamerlanes. Cum in templo, qui vexillum præferebat, ſemel, bis, ter altâ voce inclamaſſet, *Rex Tamerlanes*; populus ſemel, bis, ter, ruit in terram, profundiſſimâ reverentiâ, auguſtum nomen veneratus. Videtur hæc feſtivitas fuiſſe aliquod præludium myſterij, quod primâ die anni nos Chriſtiani veneramur. Caſtiſſimus Joſeph, Intemerata Puerpera, piiſſimâ proceſſione Hieroſolymitano Templo intulerunt non quandam imaginem vel vexillum, ſed diviniſſimum Puerum, cui, cùm circumciſus eſſet, non aureis, ſed ſanguineis literis impoſitum fuit auguſtiſſimum nomen *JESVS*, de quo S. Paulus ad Philip. 2. v. 10. ait, *Datum eſt illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* Ego lætiſſimâ voce, ex intimo pectore inclamo ſemel, *Rex noſter, JESVS!* O Seraphini, Cherubini, &c. inclinate vos, tegite veſtris pennis veſtras facies; & dicite *Sanctus*, dicite, *gloria in excelſis.* Inclamo altera vice, JESUS! eja Imperatores, Reges, Principes &c. ruite in genua, dicite, *Sanctus*, dicite *gloria in excelſis.* Inclamo, vice tertiâ JESUS! Contremiſcite inferi, & ululate, *Sanctus!* Sed puer eſt, qui jacet in cunis, qui vagit in præſepio; puer eſt, qui ſanguinem fundit; ſic eſt; ſed quia ſimul DEus eſt, Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium! Dum cum jubilo cordis auguſtiſſimum hoc nomen pronuntio. Dum animitus opto, ut in nomine JESU omne genu flectatur; non poſſum, quin aliud votum & deſiderium cordis mei vobis exponam, ut nimirum dulciſſimus & liberaliſſimus JEſulus R[mo.] & Ill[mo.] Principi Bambergenſi, Domino noſtro clementiſſimo, ut R[mo.] & Illuſtri ſummæ Ædis Capitulo, ut toti Clero, ut Nobilitati, ut Magiſtratui, ut Conjugatis, & Viduis, ut Juvenibus & Virginibus, ut omnibus præſertim hoc anno morituris, ut deniq; mihi bonus JEſus, annum hunc novum, 1670. faciat eſſe fauſtiſſimum, & fortunatiſſimum. Teſſera hujus apprecationis erit ſpiritualis ſtrena; ſive pulcherrimum Speculum, in

quo pulcherrimi Pueri membra vobis repræſentabo, ut eadem inter illos, quibus felicem ſum apprecatus annum, liberali manu diſtribuã.

§. 2. *Speculum objectum oculis S. Gertrudis.* Caput 22. lib. 2. vitæ S. Gertrudis, refert quod viderit DEum inſtar ſpeculi, evibrantis radios in ſuam animam, tum dixit. *Cùm applicuiſſes mihi, O Domine, in veritate optatiſſimam tuam faciem, offerendo tecum copiam beatitudinis; ego ex divinis tuis oculis perſenſi per oculos meos ingredi in intima mea lucẽ quandam incomprehenſibiliter ſuavem, quæ penetrando omnia mea viſcera, videbatur operari in ſingulis meis membris virtutem quandam ſupra modum admirabilem. Videbatur enim exhaurire medullas oſſium meorum, ac deinde ipſa oſſa cum carne annihilare, ſic ut tota ſubſtantia animæ meæ videretur nil aliud eſſe, quam ſplendor ille divinus, qui totam animam ejuſque ſinus oberrans, illi inæſtimabilem & jucundiſſimam afferebat ſerenitatem.*

§. 3. *Simile Speculũ, Sponſæ fuit, Dilectus Sponſus.* Tale ſpeculum ſpero fuiſſe nobis hoc octiduo, Parvulum de Bethleem. Sponſa experta fuit, quo gaudio fuerit intuita optatiſſimã ejus faciem; cum dixit, *Oſtende mihi faciem tuam, facies tua decora.* Experta fuit copiam beatitudinis cum ad JEſulum ſuſpiravit. *Quam pulcher es, dilectè mi; in deliciis.* Cant. 7. v. 7. Senſit Sponſa à luce, ſive Puero incomparabiliter ſuavi penetrari & vulnerari viſcera ſua, cum dulces coram Sponſo proponit querelas, *Vulneraſti cor meum.* Senſit, quaſi totam ſubſtantiã animæ ſuæ nil eſſe aliud, quam quandã flammam, quâ in holocauſtũ flagrans, exclamavit, *fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. v. 5. Sed videamus quid in particulari Sponſa viderit, in hoc Speculo, ſive Imagine Dilecti ſui.

§. 4. *In quo intuita ejus Caput, vocavit illud aurum optimum.* De capite ait: *Caput ejus ut aurum optimum;* eò quod Salomonis comæ fuerint inſperſæ aureis ramentis, juxta illud Joſephi l. 8. antiq. c. 7. *Equis optimis Salomonis inſidebant equites, flos juventutis, procerâ ſtaturâ, prolixoque capillitio conſpicui; adhæc ramentis auri capillos quotidie ſpargebant, ut ad ſolarium radiorum contactum, fulgor capitibus eorum reflecteretur.* Probabiliter Salomon, formoſiſſimus Rex idem factitavit, & Sponſæ cauſam dedit, ut caput ejus vocaverit aurum. Verùm quia paulò poſt Sponſa in particulari mentionem facit comarum, putant alij Sponſam caput Sponſi voluiſſe vocare, ſimile auro, ob pulchritudinem, fulgorem & ſplendorem admirabilis & venuſtiſſimæ formæ Sponſi, fulgentis inſtar auri. Dicent alij, Sponſam vocaſ-

vocaſſe aureum caput, quod redimitum fuerit diademate, vel coronâ fabrefactâ ex auro optimo. Ita verſum 10. Pſ. 44. *Aſtitit Regina à dexteris ejus in veſtitu deaurato,* vertit S. Hier. *in diademate aureo,* & favet verſus 11. c. 3. Cant. *Egredimini filiæ Sion, videte Regem Salomonē in diademate, quo coronavit eum mater ſua, in die deſponſationis ejus.* Syrus pro his verbis, *caput ejus aurum,* legit, *caput ejus gemma auri;* quod aurea illa corona, ſimul fulgidiſſimis & pretioſiſſimis gemmis fuerit intertexta. Interpretes, qui aſſerunt nuptiale ſertum Salomonis fuiſſe contextum ex pulcherrimis floſculis, ut poſtea dicam, dicunt, floribus hinc inde fuiſſe purpureis vittis illigatas aureas & gemmeas roſas, & ob illarum pulchritudinem Sponſam caput Sponſi appellaſſe aureum & gemmeum.

Aureæ & pulchræ ſunt hæ cogitationes, præſertim ſi illas dirigamus ad Parvulum de Bethleem, in quo caput Chriſti, quà hominis, eſt Divinitas; juxta illud 1. Cor. 11. v. 3. *Caput Chriſti DEus;* quo ſenſu Sponſa voluit dicere, per parabolam ab auro deſumptam, Humanitas Chriſti, auro Divinitatis, quaſi capitis diademate coronata eſt. q. d. Divina Hypoſtaſis aſſumptæ à Sponſo naturæ ut caput corpori præſidens, motumq; divinum impertiens, eſt aurum, quia regiam habet Majeſtatē, auro notatam. Non permittit mihi materiæ amplitudo, ut varias inter aurū & DEum comparationis cauſas adducam; ſufficit mihi formoſiſſimū Caput JEſuli tam eximiâ coronâ eſſe redimitū; ut in ipſo habitet (ad Col. 2. v. 9.) *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

§. 5. Tale fuit caput Parvuli de Bethleem.

Hoc addo, c. 7. Cant. v. 5. aureum caput Sponſi inſuper conferri cum monte Carmelo. *Caput tuum ut Carmelus.* id eſt, juxta Pagninū, *Caput tuum rubrum, roſeum & purpureum eſt,* non ob rubras comas, quæ in calidis regionibus multis diſplicent, ſed ob purpureas roſas, ex quibus, de monte Carmelo allatis, contexta fuit Sponſi corona, ob quā comparatur purpuræ pretioſiſſimæ, pulcherrimæ maximeq; recenti. Placent mihi magis illi Interpretes, qui ajunt voculam *Carmel,* ſignificare Agnum circumciſum & occiſum, qui fuit figura Parvuli de Bethleem, qui hodierna die auream coronam ſuæ Divinitatis ornavit cœleſtibus carbunculis, ſive guttis pretioſiſſimi ſanguinis, quem hodie effudit in Circumciſione, & totum aliquando effundet in ara Crucis. Si vultis, advertere poteſtis

§. 6. Et ſimul purpureum ut Carmelus.

Digitized by Google

hunc meum diſcurſum de capite JEſuli, eſſe vel ſpeculum, in quo ejus imago pulcherrime repræſentatur, vel ſcrinium aut corbem, in quo pretioſiſſima dona & munera continentur. Aurea ramenta, aurea corona, ornata & fulgida gemmis; amœniſſimi floſculi cum purpureis roſis; aurum divinitatis, plenitudo divitiarum Chriſti, pretioſiſſima purpura, cœleſteſque carbunculi, ſive guttæ ſanguinis Chriſti.

§. 7. *Caput JEſuli in lucido ſpeculo, pro xenio offertur Illuſtriſſimo Principi.*

Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps, Philippe Valentine, Domine noſter Clementiſſime, cum hoc ſpeculo, cum capite JEſuli, cùm tot pretioſis donis, ad tuos pedes profundiſſimè me proſterno, ut illa tibi offeram, pro Spirituali xenio. Aureæ Roſæ, aureæ, gemmeæ coronæ, quibus coronatum eſt caput JEſuli, ſymbola ſunt principalium virtutum, v. g. principalis Sapientiæ, principalis fortitudinis, principalis pietatis, principalis clementiæ, &c. quas à DEO regius Pſaltes petivit Pſ. 50. v. 14. *Spiritu principali confirma me*; itaque offerendo coronas cum capite JEſuli, hoc precor, ut hoc anno novo 1670. & multis ſequentibus Imperiali huic Eccleſiæ, & patriæ, præſis ſapienter, fortiter, cum pietate & clementia: Et ita, ut ſpero vives multos, ſed aureos & gemmeos annos. Hoc moneo, ut memineris ſpeculi, in quo piæ alicui Virgini feriis Natalitiis ſe repræſentavit formoſiſſimus Parvulus de Bethleem, ſed caput coronatum ſpinis; nimirum jacens in cunis, jam paſſus fuit illarum aculeos. Spinæ ſunt principales curæ; ſed hoc ſit ſolatio, quod eliciant ſanguinem, cujus guttis, veluti cœleſtibus carbunculis, ornatur Corona, quâ aliquando, ut ſpero, ut opto, coronaberis in cœlis.

§. 8. *Facies Sponſi ſive JEſuli, tota pulchra & decora.*

Sponſa non contenta laudaſſe ſe totum caput in communi, in particulari laudat faciem, & cùm illam veluti in ſpeculo fuit contemplata, exclamavit, *facies tua pulchra & decora.* Ad literam Nicephorus ait l. 1. c. 40. *Chriſtus D. - habuit faciem* (qualis erat Matris ſive Sponſæ) *modicè rubicundam; gravitatem atque prudentiam cum lenitate conjunctam; placabilitatemque iracundiæ expertem præ ſe ferentem. Perſimilis denique per omnia fuit divina & immaculatæ ſuæ genitrici: cujus facies* (S. Epiph. l. 2. hiſt. c. 23.) *fuit faſtus omnis expers, ſimplex, minimeque vultum fingens; nihil mollitiei ſecum trahens,*

trahens, ſed præcellentem humillitatem colens. Philo Carp. ait de Chriſto D. *Oſtendit faciem ſuam decoram cùm Verbum Caro factum eſt; multò magis cum Parvulus nobis natus eſt.* Facies humana, eſt veluti ſpeculum, in quo nobis apparet exterior & ſæpe interior hominis pulchritudo. In ſenſu myſtico, homo Chriſtianus oſtendit faciem pulchram, cùm præfert ſignaculum Crucis, ſive cum oſtendit intrepidè, ſe cum magno pietatis ardore profiteri Chriſti paupertatem, humilitatem, &c. Iſti oſtendunt decoram faciem, qui eam avertunt à creaturis, ut per amorem rerum cœleſtium, & ardentes orationes ſe convertant ad DEum; & Chriſtum D. ut ad illius exemplar ſuam conforment converſationem. *Ita*, (ait S. Gregorius,) *facies Chriſtiani decoratur.* Symbolicè facies decora ſignificat ſpeciem & decorem mentis ſanctæ, converſantis cùm DEO, ſive, ut S. Bern. ait ſer. 62. *Quid interna decor faciei, niſi puritas?*

Reverendiſſimo Summæ Ædis Capitulo; Reverendiſſimis Prælatis, & Dominis Capitularibus Gratioſis; reliquarum Collegiatarum Eccleſiarum Canonicis; Parochiarum Paſtoribus, Clero Univerſo; Diverſorum Ordinum Religioſis, annum hunc novum precor fortunatiſſimum; pro xenio, in pulcherrimo ſpeculo omnibus offero faciem cœleſtis Sponſi, ſive Salvatoris noſtri JESU. Cum enim Clericorum & Religioſorum vita, veluti facies pulcherrimi Corporis, quod eſt Eccleſia, omnium oculis maximè pateat, cùm multi, præſertim curioſi aliqui critici, ſollicitè contemplentur noſtros mores; hoc opto, ut in hâc facie non videatur ſuperbia, non iracundia, non vanitas, non mollities; ſed caſtitas, ſed clementia, ſed humilitas, ſed candor & purpura, quod fiet, ſi facies noſtras avertamus à creaturis, ut convertamus ad DEum & Chriſtum. Converſatio noſtra, præſertim quoad faciem debet eſſe conformis faciei Chriſti D. Memores ſimus dicti S. Bernardi decorem faciei internæ, nil eſſe aliud, quàm animæ & cordis puritatem. §. 9. *Pro ſtrena præſentatur in ſanguineo ſpeculo, toti Clero Bambergenſi.*

Addo ſpeculum ſive imagines, in quibus S. Thereſiæ & aliis, Chriſtus D. faciem ſuam repræſentavit, qualis fuit in monte Oliveti, cum ſudavit ſanguinem, vel in palatio Pilati, cum fuit coronatus ſpinis; aliis, qualis fuit, cùm expiravit in Cruce; tota oppleta ſanguine. Hæc ſpecula, has imagines, has facies offero, præſertim ſacerdo- §. 10. *Proſecutio.*

ſacerdotibus, ut illas intuentes, vitam ſuam conforment vitæ JEſu Crucifixi. Sic aurei & geminei nobis fluent anni, donec felici morte defuncti, feliciſſimos incipiamus annos felicis æternitatis.

§. 11. *Aurea JEſuli coma, cincinni, Collum, Nobilitati, etiam cùm ſanguineo ſpeculo.*

In lucidiſſimo ſpeculo, ſive Parvulo de Bethleem ejus comæ adeo placuerunt Sponſæ, ut dixerit Cant. 5. v. 11. *Comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus.* Complut. legunt, *Crines ejus ductiles.* Syrus, *denſi condenſi.* Agathius, *Coacervati.* Pagninus, *Criſpi*; Elatæ enim ſunt rami, flores & fructus palmarum, vel abietum in excelſis montibus. Verticem palmæ ornant elatæ, caput hominis cincinni. Symbolicè elegans Cæſaries indicat bonam valetudinem, robur naturalis caloris, juventutem, virilitatem, generoſos animos, excelſam indolem. Suetonius de Auguſto Cæſare. *Quid non regalium virtutum promitteret Auguſti Cæſaries?* S. Ambroſius 5. Hexã. *Cæſaries veneranda eſt in ſenibus, veneranda in ſacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adoleſcentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris.* Parabolicè, pulchri, præſertim nigri capilli ſignificant alicujus herois generoſas cogitationes, de præliis, de victoriis, &c. licèt opus ſit ſanguinem fundere. Crines ſunt ſymbola heroricarum virtutum, quæ ſunt ornamenta Nobilitatis. Fortis heros inſtar palmæ nulli debet ſuccumbere adverſitati, ſed vincere & altius aſſurgere. Si Sacrum Romanum Imperiũ mons eſt, viridarium palmarum & abietum ego puto eſſe Nobilitatem. Crinibus addo collum Parvuli, de quo v. 4. c. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ; omnis armatura fortium.* c. 1. v. 10. *collum tuum ſicut monilia.* Vobis itaque fortiſſimi heroes & Proceres, vobis cum apprecatione anni fauſtiſſimi offero comas Parvuli de Bethleem. Huic offerte generoſas cogitationes de victoriis, pro DEO, Religione & Cæſare. Vos eſtis illa turris &c. Sic vobis parabitis coronas, à quibus comæ veſtræ, Vide cap. 7. Cant. v. 5. mirum quantum decorabuntur. Si placet, illigate aliquot cœleſtes carbunculos; id eſt, in ſanguine JEſuli veluti ſpeculo contemplamini, in quo conſiſtat vera Nobilitas.

§. 12. *Conſiliariis, utrique Magiſtratui, Iudicibus, &c.*

Dum Sponſa in lucidiſſimo ſpeculo oculos ſui Sponſi fuit contemplata, ob admirabilem illorum pulchritudinem, illos comparavit oculis columbæ, ſuper rivos aquarum, quibus hæc avis valde delectatur,

lectatur, tum ut in ijs ſe abluat, cum puritatis ſit amantiſſima; tum *in lucido*
ut in illis rivulis veluti ſpeculis pulchritudinem ſuam ſpeculetur. *ſpeculo, lucidiſſimi le-*
Apud Phiſiologos, oculi nitidi, clari, pulchri, &c. ſunt ſymbolum *ſuli Oculi.*
prudentiæ, vigilantiæ, providentiæ; quales habuiſſe dicitur Minerva, ſive Pallas Dea Sapientiæ. Oculi formoſi denotant homines benignos, favorabiles, miſericordes, ut aliis compatiantur, ut in miſeriis conſtitutis ſuccurrant. Tales oculos habuit Chriſtus D. unde *ex illis* (Nicephorus l. 1. c. 40.) *mirifica prominebat gratia.* Illuſtriſſimi Principis N. Conſiliariis; Advocatis, Procuratoribus, Advocatis, Judicibus; Magiſtratui tum Eccleſiaſtico tum civili, Conſulibus, Senatoribus; Hoſpitalium Adminiſtratoribus, cum apprecatione fauſti anni, pro xenio offero Oculos JEſuli; ut in illis veluti ſpeculis contemplentur, quales debeant habere oculos; non ſanguineos, qualis habent ebrioſi & petulantes; non valde nigros; denotant hi homines timidos & doloſos. Non flammeos; quales habent iracundi, in quibus *rutilis ardeſcunt lumina flammis*; non valde parvos, quales habent aſtuti vulpes; ſed limpidos, lacteos, &c. quales habuit JEſulus. Meminerint quoq; lachrymarũ, quas effudit Chriſtus D. non aqueas tantùm, ſed ſanguineas; laborent, ne in cauſa ſint, ut ſimiles lachrymas effundant afflictæ Viduæ, & derelicti pupilli. Gratulor Bambergæ, quod Magiſtratus habeat cum pulcherrimis oculis, cum oculis JEſuli, qui omnibus aſpicientibus ſunt ſolatio.

Quale Cor habuerit Parvulus de Bethleem, veluti in ſpeculo §. 13.
oſtendit Sponſæ, cum ad eam dixit v. 9. c. 4. Cant. *Vulneraſti cor* *Conjugatio*
meum, ſoror mea ſponſa. Alias varias affero verſus hujus lectiones; *Cor Parvuli de Beth-*
modo mihi placet Nyſſenus; qui ait, in perſonâ Sponſi, *Incordiaſti* *leem.*
me; vel *transplantaſti cor meum*, id eſt, *Cor meum mihi eripuiſti & in corde tuo concluſiſti, & captivaſti.* Viciſſim Sponſus rapuit cor ſponſæ, & in ſuo benedicto corde concluſit. Alij legunt, *Cor mihi indidiſti*, q. d. Sponſa ad Dilectum; Oſtendiſti mihi, quid amare debeam, ſcilicet nil aliud præter te. Ita ſponſa dilexit ſponſum & ſponſus ſponſam. Alij ita exponunt. Sponſa habuit cor, quod omne id fecit, quod fieri deſideravit ſponſus. Ita S. Catharina petiit, & obtinuit Cor Chriſti, ut illo vegetaretur, viveret, & ageret, quæcunque ſciret illi placere. Eligans eſt verſus illius Poëtæ,

Digitized by Google

Magnetem gerit illa (Sponſa) *oculis operoſa pudicis,*
Hinc mentem & ſenſum magnetis more laceſſit.

Omnibus conjugatis precor annum fortunatiſſimum, pro xenio illis offero in ſpeculo cor dilecti JEſuli, ut in illo contemplentur, quâ ratione vivere debeant hoc anno in matrimonio, ſi annum deſiderent felicem. O ſi maritus raperet cor uxoris, raparet, & in corde ſuo captivaret; O ſi viciſſim uxor raperet cor viri. O ſi amor conjugis, & amor mariti eſſent magnetes! O ſi maritus non amaret aliam præter conjugem! O ſi conjux non magis viveret in corde alterius viri, vel adoleſcentis. Dicite mariti, habetisne tale cor, ut faciatis, quod ſcitis placere conjugi, vel potius affligitis, &c. ſuadeo utriſque, ut ſæpe inſpiciant propoſitum ſpeculum, & in illo cor JEſu.

§. 14. *Videns ejus pectus & ubera.* Vix Sponſa petiverat oſculum oris Sponſi, cùm conijciens oculos in ſpeculum ſui amoris, conſpexit pectus & ubera ejus, tam pulchra & ſuavia, ut exclamarit cap. 1. v. 1. *Meliora ſunt ubera tua vino.* Non mihi eſt ſermo de carneis uberibus, ſed pectore myſtico Parvuli de Bethleem, qui eſt mamilla DEI Patris, id eſt, amor & delicium Patris. Loquor de uberibus Chriſti, quæ ſunt ſapientia & beneficentia ejus, de quibus veluti rivulis & fontibus profluit lac cum mel cœleſtium conſolationum, & aquæ gratiarum uberrimè ſcaturiunt. Loquor de uberibus Chriſti, quæ idem ſunt quod viſcera miſerationum; loquor de uberibus, quæ ſignificant Amorem dantem cœleſtes conſolationes, & mirificas ſuavitates, quas expertus David cecinit Pſ. 30. v. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine.* Loquor de uberibus ſive pectore Chriſti, quod deinde in ultimâ cœnâ præbuit S. Joanni pro molli pulvinari. Loquor de pectore Chriſti, ex quo, aperto lanceâ Longini & ſciſſo corde veluti uberibus miſericordiarum profluxit ſanguis & aqua. Loquor de uberibus Chriſti, ex quibus in ſumptione Euchariſtiæ, cum bibimus ſanguinẽ ejus, haurimus mel & lac cœleſtium conſolationũ. Triſtes viduæ; puto vos jam advertere, me vobis pro ſtrena velle offerre pectus & ubera JEſuli. Hic quærite, quibus indigetis, ſolatia: hic quieſcite, &c.

§. 15. *Virginibus, ejusdem genæ.* Abſit ut dum pulchritudinem Parvuli de Bethleem commendo, nihil dicam de genis. Cùm Sponſa illas vidit in ſpeculo amoris, dixit, c. 1. v. 9. *pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* c. 4. v. 3. *Sicut fragmẽ mali punici, genæ tuæ.* Plinius ait l. 11. cap. 37. *In genis ſedes eſt pudoris.*

Digitized by Google

In genis, veluti ſpeculis relucet Virginitas. In genis habitat verecundia. Ob virginitatis candorem dilectus dicitur *candidus*; ob ruborem *rubicundus*. *In genis alicujus Virginis*, ait ille, *præcipua ſplendet dos, ut ſimili deſponſetur.* Claudius in Panegyrico Maximiani Imperatoris dixit, *In genis tuis video ſigna virtutum.* Nazian. *Color faciei Virginis amabiliſſimus eſt ille, quem pudor gignit in genis; qui quia eſt caſtitatis imago, Virgines Chriſto facit ſimillimas.* Non permittit tempus, ut hæream inter has areolas; omnibus Virginibus annũ apprecor feliciſſimũ, pro xenio illis offero ſpeculũ, cum malis punicis & granatis, ut in illis videant, quales debeant præferre genas: ut in his, veluti ſpeculis omnibus repræſentẽt imaginẽ & ideam, intus latentis puritatis. Permittite ut vos alloquar verbis S. Bernardi, ad ſuam ſororem c. 10. *O Sponſa Chriſti aſſimilare turturi, & præter JEſum Chriſtum Sponſum tuum, amatorẽ non quæras alterum. Genas habes turturis, ſi præter Chriſtum alterũ amatorẽ non diligis. Eſto ſimilis turturi, & luge die ac nocte, cum deſiderio JEſu Chriſti Sponſi tui, ut aliquando videas faciẽ ejus, &c.*

De manibus Sponſi dicitur. c 5. v. 14. *Manus ejus tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis*, id eſt ad literam, elegantes, delicatæ, molles, venuſtæ, ornatæ aureis annulis, quibus incluſi fuerunt hyacinthi; per aurum, gemmas, aurum adumbrantur manus liberales, quales habuit Chriſtus D. Has pro xenio offero divitibus. B. Virgo Maria S. Abundantiæ octo annos natæ obtulit JEſulum Parvulum, è cujus manibus accepit aureum pomum, & pulcherrimos flores S. Franciſca Rom. vidit in manibus JEſuli flores commutari in pulcherrimas gemmas. O Divites, tales hoc anno vobis opto manus; date pauperibus liberaliter panem &c. In manibus JEſu, convertentur omnia in gemmas, quibus vos coronabit in cœlis. §. 16. *Divitibus, aureæ & liberales JEſu manus.*

Cùm Philo Carpathius dixerit, *Tunc tornatiles factæ ſunt manus ejus, quando illas extendit in Cruce, quando eæ clavis perforatæ fuerunt.* Cùm dixerit Caſſiodorus, *manus Chriſti hyacintho vel carbunculo fuiſſe maximè ſimiles, cùm in Cruce fuerunt purpuratæ ſanguine*; Vulneratas, & ſanguineas CHRISTI manus pro xenio offero Sodalibus Congregationis CHRISTI in Cruce agonizantis, præſertim illis, qui hoc anno ſunt morituri; animitus præcor, ut in ultimo agone, in ultima lucta ſupremum ſpiritum tradant §. 17. *Eadem tornatiles offeruntur Sodalibus Agoniæ, præſertim hoc anno morituris.*

in perforatas & purpuratas Crucifixi manus. Idem quoque mihi pro xenio animitus opto.

§. 18. *Epilogus.* Cùm B. Virgo Parvulum ſuum oſtendit B. Jordano; cum ingenti ſolatio vidit eandem Virginem præhenſâ JEſuli manu omnibus orantibus benedicere. O felicem benedictionem! O Magna DEI Mater; xenium obtuli Illuſtriſſimo Principi; eja, prehende manum tui JEſuli; benedic illi (Ita perge per reliquos ſtatus) ut ita annus hic 1670. nobis omnibus ſit feliciſſimus. AMEN.

CONCIO LXII.

FESTO TRIUM REGUM.

Obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham.

Matth. 2. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de Divinis inſpirationibus; quibus veluti lucidiſſimis ſtellis DEUS ad ſe nos vocat.

§. 1. *Quid hodiernâ feſtivitate offerendum ſit JEſulo.*

§. 2. *Judæi hodie reprobati ſunt, quia tamdiu reſtiterunt divinis inſpirationibus, vel Vocationi.*

§. 3. *Contingit idem hodie.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Ab inſpiratione divina pendet converſio peccatoris.*

§. 6. *Expertus id fuit S. Auguſtinus.*

§. 7. *Quidam nolunt aſpicere ſolem, vel ſtellam vocantem.*

§. 8. *Hoc intendit Diabolus.*

§. 9. *Ideo aliqui ſunt rebelles divino lumini, quos DEus tandem punit.*

§. 10. *Sed hæc eſt DEI Miſericordia, quod prius diverſis modis vocet, &c.*

§. 11. *Epilogus.*

Recenti,

Digitized by Google

§. 1. *Quid hodiernâ feſtivitate offerendum ſit JEſulo.*

RECENTI, credo, memoriâ complectimini Auditores, id quod nupero Natalis Chriſti feſto pro Concionis exordio commemoravi de Divo Franciſco Seraphico, cujus ardens erat deſiderium, diem Domini ſui natalem ſummâ quâ poſſet pompâ celebrandi. Idem & hodie illi fuit votum: Siquidem dum vir ſanctus munera à Magis parvulo de Bethleem oblata perpenderet, mox & habuit in ſuſpiriis votiſque, quâ ratione & ipſe gratum JEſu Deo ſuo munuſculum poſſet exhibere. Sed obſtabat paupertas! Ergo apparet illi JEſus, manum jubet mitti in ſinum, mittit Franciſcus, & ecce reperit miri ſplendoris nummum; quod & ſecundâ & tertiâ vice factum, ſic ut tres, quos ſinu velut ex arcâ deprompſerat, nummos aureos gratiſſimum JEſulo donum obtulerit. Non ignoro quid de hoc nummorum ternario viri ſentiant religioſi, cum & Paupertatis, & obedientiæ, & Caſtitatis vota Deo nuncupârunt, ſunt hæc aurea dona, ſunt aurei nummi. At vobis Auditores, qui religioſæ vitæ vinculis obſtricti non eſtis; alia tamen ſuppetit adhuc moneta, ne diffidite, ſunt & vobis aurei, quos JEſulo cum tribus Magis offeratis, nummi, vultis, dicam? non renuo. Manum ſuam quisque mittat in ſinum, in illo quivis aureum nummum reperiet, ſi cor aureum habuerit. Quale cor iſtud? cor aureum eſt cor amantis DEum animæ; aureum cor eſt hominis divinæ gratiæ fulgore ornati, aureum cor eſt, quod ignitis virtutum affectibus velut aurum rutilat atque ſcintillat. Talia, talia offerte corda JEſulo; hodiè tamen cor aureum vocabo, quod divinis morem gerit inſpirationibus. Hæ quàm ſint variæ, quanti ponderis atque momenti, quàm item periculosè rejiciantur, exponam. O clariſſimum ſtellæ jubar, quod Magos ad præſepe JEſuli duxiſti, Tu me, meosque Auditores hodiè quoque perduc ad beatas cunas, imò & ad beatiſſimum Cor amantiſſimi noſtri JEſuli. Si faxis, ego viciſſim ô beatiſſima ſtella frequentem tui in hâc Concione memoriam polliceor.

§. 2. *A Judæis, quia tam diu reſtiterunt divinis inſpirationibus.*

Hodiernâ die DEus opere cœpit exhibere, quod ob juſtas cauſas ab æterno decreverat, ſcilicet quem elegerat, quem ſingulari præ reliquis nationibus amore proſecutus fuerat, cui exhibuerat tot beneficia, cujus ſemini benedixerat, hunc inquam populum hodiè

nibus, vel vocationib' hodie DEus ſe convertit ad gentes.

hodiè opere ipſo reprobavit, atq; in ejus locum convertit ex Oriente, ex remotiſſimis regionibus per lucidiſſimam ſtellam evocando ad præſepe, ad agnitionem Meſſiæ, Reges, Magos, Aſtrologos, & in illis totam gentilitatem traduxit. O Jeruſalem! Jeruſalem! O Synagoga tuâ culpâ hoc accidit. Sat multis annis DEus erga te fuit longanimis; ſat multis annis vocavit ad pœnitentiam, ſat multis annis Paſtores dedit atque Prophetas; Quoties ô quoties ſcelerum etiam graviſſimorum veniam fecit? Quoties ô quoties voluit congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. *O dura cervice & incircumciſis cordibus auribuſque Judæi! vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut & Patres veſtri, ita & vos.* Act.7.v.51. pulchrè S. Chryſoſt. hom. 17. in acta Ap. *quando Deus nolebat eſſe ſacrificia, vos ſacrificabatis, quando volebat, item non ſacrificabatis! quando noluit vobis dare præcepta, requirebatis; quando accepiſtis, neglexiſtis. Quando ſtabat templum, idolis ſerviiſtis, quando abſque templo ſibi voluit ſerviri, contrarium feciſtis. Cum in Ægypto eſſetis, egredi, cum egreſſi, regredi voluiſtis.* Multis tamen annis DEus indulſit, ut tandem populus, Act.7.v.56. *contineverit aures ſuas.* Syriacè *Obduraverit aures ſuas*, ne ſcilicet audiret vocē Domini, quā per tot Prophetas, per tot figuras, tot caſtigationes prædicarat. Alia lectio: *Clauſerūt*, &c. Zach.7.v.11. *aures ſuas aggravârunt.* Iſ.6.v.10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava.* (ſcilicet permiſſivè) poſtquam hoc factum, *Poſuerunt Cor ſuum, ut adamantem, ne audirent legem & verba, quæ miſit Dominus exercituum in Spiritu ſuo*, &c. Zach.1. v.11. *noluerunt audire. - averterunt ſcapulas ſuas - dederunt dorſum recedentes. - Contempſerunt ſermones meos.* Pſ.68. v.24. *Obſcurentur oculi eorum, ne videant. Animæ peccatrici* Ezech 23.v.25. *præcident* (ſcilicet demones) *aures ſuas.* Ad Galat.3.v.1. *O inſelices Galatæ, qui vos faſcinavit non obedire veritati!* Advertite quàm variis modis loquendi queratur DEus, quod populus vocem Domini noluerit audire. Tandem juxta parabolam Evangelij ante dies tredecim miſit filium ſuū, &c. p. Et quia Synagoga noluit agnoſcere, quia Bethleem noluit conferre hoſpitium, adimpleta eſt iniquitatis menſura. Itaque ter juſtus DEus impium à ſe populum procul abjecit, & per ſtellas, ſive Angelos, ſive divinas inſpirationes, per tres Magos ad ſe vocavit gentes.

Nec

Digitized by Google

Nec eſt quod adeò miremur Auditores, ſi juſtus DEus tandem planè ab oculis ſuis reijciat, quos diu vocavit, quos diu patienter tulit, quos variis modis invitavit ad pœnitentiam. O impij! nunquid per Adventum miſit ad vos DEus ſuos Angelos? nunquid miſit Joannem Baptiſtam? nunquid per illum, perque ferventes Concionatores vos vocavit ad Confeſſionem, ad vitæ emendationem? non defuerunt optimæ inſpirationes, non defuerunt ſtellæ, tamen reſtitiſtis hactenus. Nunquid ipſe venit in lucem editus elegans puſio? nunquid ſuis lachrymis fuit conatus emollire corda veſtra? ſed ô ſcelus! pejores fuiſtis Bethlemitis, vel certè æquè obdurati, hoſpitium ipſe petiit ſupplex: *negaſtis*. Ignem, quo ſe calefaceret, rogavit; *negaſtis*: aquam, quam biberet, lac, quod ſugeret, expetiit, *negaſtis*: lac petiit, id eſt, animas caſtas: aquam petiit, id eſt, lachrymas, ignem, id eſt, amorem; *negâſtis omnia*. Venit deinde ipſe ad cordium veſtrorum clauſtra, dixit cum Sponſo, *Ecce ego, aperi mihi ſoror mea Sponſa, aperi mihi fores*, O animæ, *negâſtis*: noluiſtis audire, nedum aperire: hodiè & ſtellam mittit, imò tot ſtellas, quot inſpirationes ſanctas, quot Concionatorum voces, quot pios Pœnitentiæ motus. Sed adhuc non vultis! adhuc vobis eſt *furor ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ*. Pro furore in hebraico eſt, *venenum*, ſic Camp. *venenum eorum ſimile eſt veneno ſerpentis, & callidiſſimæ aſpidis ultrò obſurdeſcentis, quæ non exaudit vocem incantatorum, quantumcunque docta ſint carmina*. Paraph. *Vt non cogantur audire voces eorum, etiamſi incantandi artibus ſint inſtructiſſimi*. Dicite, annon JEſulus, incantator, ut ſic loquar, amantiſſimus? nunquid inſonuit auribus noſtris vox Muſicorum cœleſtium? nunquid cecinerunt Angeli, *Gloria in altiſſimis DEO?* annon hæ ſaltem voces debuiſſent nos pertrahere ad præſepe Bethlemiticum? Sed ah! non pertraxerunt! Surdo ceciniſtis vos Angeli, ſurdus eſt peccator; pergit ut antè, & inſiſtit viis malis, viis luxuriæ, viis avaritiæ, viis odij atque vindictæ, viis gulæ & crapulæ; his feſtis æquè offenditur DEus ac aliàs. O ſtella, ſtella! quàm tu contemneris impiè? quàm pauci ſunt, qui cum tribus Magis ambulant in lumine tuo!

§. 3. *Contingit idem hodie.*

Etiam-

§. 4. *Proſecutio.* Etiamnum dicunt impij illud Jobi 22. v. 17. *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Cum tales ſitis, quid mirum ſi cum Judæis denique planè obduremini, ſi tandem juſtus DEus cum ijsdem à facie ſuâ vos reprobet, reijciat, condemnet! impletur tandem illud Jobi c. 38. v. 15. *auferetur ab impiis lux tua.* Ingens pœna, cum ſtella inſpirationum Divinarum obſcuratur. Non rarò inaudij tam durum eſſe adamantem, ut domari ac flecti neſciat, niſi fortè hircinum adhibeas ſanguinem, quo perfuſus, ut ajunt, diſſolvitur. O peccator! quàm verè tu te probas adamantem! Adamas es, id eſt, durus, obſtinatus, pervicax, rebellis; adamas es, te tot conciones, tot inſpirationes, tot monita, tot Conſcientiæ dictamina, te tot lumina, tot ſtellæ nec illuminare potuerunt hactenus, nec flectere: potuit tamen hircinus ſanguis, id eſt, libido fœdiſſima. Nunc porrò quid ages? Si me audis, veni ad præſepe JEſu, offer illi cor tuum durum, cor rebelle, cor fœdum, cor ferreum; & reddet mundum, molle, flexile, imò aureum reddet JEſulus. Aurea corda hodie vult JEſulus, quæ vocem ejus audiunt. aurea corda placent JEſulo, ideò dixit ſponſa ad ſponſum Cant. 1. v. 10. *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento;* loquitur de ornamento colli, ut vult Genebr. vel aurium, ut vult S. Bern. Muræna vel ſub ipſis aquis audit vocem vocantis & accurrit, ideò Symbolum eſt animæ vel cordis, quod audit DEum. O ſi omnium corda poſſem convertere in murænulas, ſtatim appendam collo JEſuli; vos poteſtis, aſpicite ſtellam, audite voces Divinæ inſpirationis.

§. 5. *Ab inſpiratione divinâ pendet Converſio peccatoris.* Utinam, utinam illa ſtella, quæ hodie tanto lumine colluſtravit tres Magos, ut ſtatim agnoverint vocem Domini, ut in luce ſtellæ aliam viderint lucem, ſcilicet Spiritum S. à quo vocabantur ad Chriſtum, ſimiliter corda noſtra illuminaret. Ab hâc luce magnorum dependet converſio peccatorum. Act. 9. v. 1. Erat Saulus, *ſpirans minarum & cædis,* contra novam Chriſti Eccleſiam, *tunc circumfulſit illum lux de cælo,* quaſi diceret DEus, Saule non vides, quò pergas, quò ruas? non vides, quem perſequaris, me perſequeris. Et mox Saulus v. 6. *Domine, quid me vis facere?* O impie, eſt in te, imò in medio cordis tui ſtella eſt, cujus luce perfuſus clarè poſſis perſpicere, quis ſit ille, quem tu cum Saulo perſequeris. Quis igitur? ille

Digitized by Google

Ille eſt Parvulus de Bethleem, ille eſt Creator tuus & Dominus, ille eſt Pater tuus, qui te genuit, ille eſt ſponſus tuus, qui tui exarſit amore; ille eſt Dux tuus, qui te cœcum diriget in viam ſalutis, ille eſt Rex tuus, cui te mille titulis ſubditum oportet agnoſcere. Sed ah, *rebelles es lumini*! Job.24.v.13.

Quantis erat involutus tenebris olim Auguſtinus? ipſe dixit; *erat nubes magna & tenebroſa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non poſſem ſolem Juſtitiæ, & lumen veritatis, involvebar in tenebris filius tenebrarum.* - tandem comparuit ſtella, lux de cœlo illapſa eſt S. Auguſtino, & vox Domini dixit; *fiat lux & facta eſt lux, & vidi lucem.* In tenebris gentilitatis jacebant hodierni Magi, imò ex probabili quorundam ſententiâ re ipsâ fuere Magi, magicisque veneficorum artibus imbuti. O qualis nubes! Sed miſertus DEus Ducem præfixit ſtellam: & viderunt Magi, & agnoverunt. O impij ex vobis ſunt, quibus ſtellæ non deſunt, ſed eſtis rebelles lumini & ſtellæ. Magi ſtatim ſecuti ſunt ſtellam, vos nec ipſum ſequi vultis ſolem: quid turpius? *§. 6. Expertus id fuit S. Auguſtinus.*

Ex I. Exodi pulchrè obſervavit Carthuſ. in I. reg. in templo ſemper arſiſſe lampades, die & nocte, & tamen de Heli dicitur. 1. Reg 3. v. 2. *Non poterat videre lucernam Domini, antequam extingueretur.* Dupliciter explicant S. Greg. & Rupert. 1. præ ſenio fuiſſe debilitatam aciem oculorum. 2. quod propter aliquem defectum ſine tormento & dolore non potuerit aſpicere; Sic noctua aſpicit lucem, aquila degenerans, ſolem, hæc ad literam. Myſticè innuit textus, Heli tandem fuiſſe involutum, nempè amoris in liberos inordinati tenebris, vidiſſe ſcelera & non condignè correxiſſe: hinc eſt, *quod lucernam DEI non viderit.* Væ oculis non videntibus lucernam DEI! væ aquilarum pullis non ferentibus pulcherrimum ſolis jubar. Animæ noſtræ, Auditores, templa ſunt Spiritûs ſancti, ſi Doctori Gentium Paulo credimus: non deſunt huic templo lucernæ, illuminatur intellectus noſter à Spiritu ſancto; ſtella Divinæ gratiæ ſæpiſſimè ſuper nos exoritur! Sed, O malum omnium peſſimum! offendit oculos noſtros lux tanta, nolumus in illam defigere animi lumina; lucernam DEI piget aſpicere! *§. 7. Quidam nolunt aſpicere ſolem, vel ſtellam vocantem.*

Digitized by Google

§. 8. *Hoc intendit diabolus.* Nimirum hoc eſt, quod molitur, quod intendit, quod machinatur diabolus. Inter alia, quæ Rex Babyloniæ rapuit ex templo, ſcriptura expreſsè meminit candelabri aurei, in quo aureæ lampades ardebant. Candelabrum hoc ſemper accenſum ſtabat à regione menſæ Propoſitionis. Tale candelabrum in nobis accendit Spiritus ſanctus, dum intellectum illuminat; tale candelabrum eſt noſtra fides, tale candelabrum eſt Sapientia, &c. Hodie id facit per ſtellam, quâ nos vocat ad JEſulum, avertat DEus hoc furtum, ne vel auferat, vel extinguat hujus lucem candelabri diabolus. Enimverò quid aliud cauſæ ſubeſt, quod tot hoc noſtro ſæculo ſidera, tot ſtellæ, tot faces, voceſque Divinæ nos vocent, invitent, præluceant; tam verò pauci fulgorem horum luminum ſequantur, niſi quod invidia dæmonis ſubducit hoc candelabrum; vel potius oculos faſcinat, ut videntes non videamus.

§. 9. *Ideò aliqui ſunt rebelles Divino lumini; quos DEus tandem punit.* Tales, qui vident ſtellam, qui agnoſcunt veritatem, & tamen morem gerere recuſant; tales inquam etiam atque etiam rogo, ut illorum S. Pauli ad Rom. 1. v. 17. verborum velint meminiſſe: *Revelatur ira DEI de cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum illorum, qui veritatem DEI injuſtitiâ detinent.* Veritatem DEI Opt. Maximi detinere, eſt, ipſi veritati veluti ſe ipſam offerenti & demonſtranti reluctari, non ei acquieſcere, non recipere, non aſſentiri. Detinere veritatem in injuſtitiâ, eſt, occludere veritatem notam in intellectu, veluti ſeris injuſtitiæ in voluntate, ne ſcilicet exeat ad effectus, & opera notæ veritati conformia; hoc enim propriè eſt detinere veritatem in injuſtitiâ, alij, captivam tenere, ſive, vim facere veritati cognitæ. O Filij hominum, verè ſic eſt. Veritas æterna, Sapientia & Verbum Patris, jam infans, ſuam vobis lucem repræſentat: ſuo exemplo demonſtrat veriſſimas veritates, ſuâ humilitate, ſpernendam eſſe ſuperbiam; ſuâ charitate, eliminandam invidiam; ſuâ manſuetudine, comprimendos vindictæ motus. Illuminat ſtellis veſtrum intellectum: nota eſt veritas, ſed ubi voluntas? ubi obedientia? rebelles eſtis lumini; O ſi confeſtim ſurgeretis cum Regibus! O ſi properaretis in Bethleem! alia profectò, alia veſtra forent opera. Sed quid tandem fiet? tam diu eritis rebelles, tam diu obſtinati in malo, quoad reveletur

Digitized by Google

veletur ſuper vos ira DEI de cœlo. Magna emphaſis, *Ira DEI, ira de cœlo!* non puniet per aliquam creaturam, ſed per ſeipſum. Væ non ambulantibus in lumine tot ſiderum!

Caſſianus collat. 3. c. 5. advertit, triplicem ordinariè eſſe ſtellam, quâ DEus vocat, ſive triplicis generis inſpirationes. Prima ſtella apparet in intellectu, cum DEus immediate à ſe inſpirationem bonam immittit cordi, ſcilicet quoddam ſalutis deſiderium, deſiderium ſervandi præcepta, deſiderium imitandi Chriſtum. Non dubito, Auditores, & vobis his diebus luxit hæc ſtella. Lucidiſſima ſtella eſt JEſulus; non dubito, hic ingens ſuggeſſit deſiderium ſalutis, ſurgite tantùm, &c. alia ſtella, ſive alius modus Divinæ inſpirationis eſt, cum DEus per Angelos, per Concionatores, per libros pios commovet corda; ſic hodie mediante novo ſidere trium Magorum corda accendit. Neque hæ ſtellæ nobis deſunt, dummodò ſequeremur. Equidem non ignoratis, quid ſint cometæ; ſunt faces ut plurimum gravioris cujuſdam mali prænuntiæ; ſunt virgæ, quas velut à feneſtrâ protenſas exhibet cœleſtis Pater, ut in timorem, terroremque ſuos inducat filios. Vidimus hujuſmodi ſidera, & expavimus; nec expavimus tantùm, ſed & ipſa, quæ paulò poſt ſequebantur ſupplicia, ſenſimus. Aſtris utitur DEus tanquam inſtrumentis ad hominum converſionem neceſſariis. Job c. 33. v. 15. Talem ſtellam vocat *ſomnium in viſione nocturnâ, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplinâ.* Septuaginta ſic legunt. *Cum ſævus timor aut terror irruit*, ſcilicet mortis. Hic timor plerumque eſt Cometa, vel inſpiratio Divina, ſed terrens, in bonum tamen. Sic ait Nabuch. Dan. 4. v. 2. *Somnium vidi, quod perterruit me, & viſiones capitis mei conturbaverunt me.* Hi terrores mortis, judicij, inferni, frequenter ſunt à ſtellâ bonâ, id eſt, angelo, vel ipſo etiam Angelorum Rege, Numine. Etiam cometis DEus impios vocat ad pœnitentiam.

§. 10. Sed hæc eſt Dei miſericordia, quod prius diverſis modis vocet, per diverſi generis inſpirationes, vel diverſas ſtellas.

Cum tamen hæc etiam ſtella non ſatis magnum incutiat terrorem, alium mittit cometam, qui vocatur Tribulatio, præcipuè morbus. O quàm ſalutares inſpirationes frequenter inſpirat hæc ſtella! ſed latiſſimum, video, campum ingredimur,

§. 11. Epilogus.

Digitized by Google

Pedem revoco: hoc unum coronidis loco dixiſſe ſufficiat. Quotquot hic ſumus, offeramus bono JEſulo corda noſtra, ſed aurea corda, corda DEum verè ſincereque amantia, caſta corda; offeramus, inquam, hæc illi cum tribus Magis, ut ſuis ipſe ſtellis porrò illuſtret, atque ita illuſtret, ut divini perfuſa radiis poſthac neſciant ſcelerum tenebras, impuritates ignorent.

CONCIO LXIII.

FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

Nunc dimittis ſervum tuum in pace.

Luc. 2. v. 29.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EST conglobatio brevium hiſtoriarum, quæ referunt quàm piè, ſanctè, devotè, feliciter, varij Clientes B. Virginis ex hâc vitâ deceſſerint, ob peculiarem ejus cultum & amorem; ut ſciamus quâ ratione & nos, poſſimus præparare ad ſanctam mortem; ut quivis in ſupremo agone cum S. Simone dicere poſſit, *Nunc dimittis ſervum tuum in pace.*

§. 1. *Varia nomina feſti Purificationis.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Dilectio inimicorum in honorem B. Virginis, eſt optima diſpoſitio ad ſanctam mortem.*

§. 4. *Item frequens & pia recitatio Roſarij.*

§. 5. *Hymnus,* Salve Regina.

§. 6. *Frequens & pius uſus harum vocularum JESUS! MARIA!*

§. 7. *Laudare Mariam, eſt pia præparatio ad ſanctam mortem.*

§. 8. *Item, recitatio Officij B. Virginis.*

§. 9. *Pia Suſpiria ad Virginem Doloroſam ſub Cruce.*

§. 10. *Cultus & ornatus Imaginum B. Virginis.*

§. 11.

§. 11. *Frequens Communio.*
§. 12. *Horaria Salutatio Angelica.*
§. 13. *Ave maris Stella, Litania Lauretana.*
§. 14. *Maria Mater gratiæ.*
§. 15. *Quotidiana auditio Miſſæ.*
§. 16. *Jejunium Sabbathinum.*

HOdierna ſolennitas diverſa habet nomina. Vocatur primò feſtum *excellentis oblationis*; dum hodie Chriſtus D. in templo à benedictâ Matre, Patri æterno fuit oblatus. S. Bernardus. *Hodie ſiſtitur Creatori, terræ fructus ſublimis; hodie placabilis, & DEO placens hoſtia, virgineis manibus offertur in templo.* Secundò, dicitur feſtum *devotæ obviationis*, vel Proceſſionis; hodie enim Simeon & Anna devotiſſimè Chriſto D. Simeoni & Annæ S Joſeph & glorioſa Virgo, portans JEſulum, & ita procedentes ad altare, nobiliſſimam inſtituerunt proceſſionem; ob quam dies hodiernus etiam dicitur, Hypapante, id eſt devotæ obviationis. Tertiò, dies hodierna appellatur, feſtum *potentis illuſtrationis*; quia hodie verus DEI Filius Chriſtus JEſus revelatus eſt in templo; hodie lux mundi illuxit tenebris Synagogæ; Paſtoribus revelatus fuit in ſtabulo per Angelos, tribus Magis in Oriente per lucidiſſimam ſtellam; in templo, per Simeonem & Annam Synagogæ. In ſignum tantæ lucis hodie in proceſſionibus accenduntur tot cerei, & luminaria. Quartò nominatur feſtum voluntariæ purgationis. Virgo enim benedicta, ex liberâ voluntate, non neceſſitate, obſervare voluit legem Purificationis; quâ Levitici cap. 12. v. 2. præceptum erat, ut mulier, quæ peperiſſet ſuſcepto ſemine, immunda eſſet ſeptem diebus, ſeparata à conſortio hominum, ſi pareret maſculum; & ultra triginta tres dies abſtineret ab ingreſſu templi; ex quibus verbis patet, puriſſimam Virginem ad obſervationem hujus legis non fuiſſe obligatam. Lex enim ait, *mulier*, quæ vocula ſignificat corruptionem, Maria incorruptâ fuit Virgo, ante, in, & poſt partum. Lex ait, *quæ concepto ſemine concepit & peperit.* S Bernardus. *Quis non advertit liberam eſſe DEI Matrem; cùm nihil in conceptu ejus immundum, nihil impurum, nihil purgandum inveniatur, nec ratione matris, nec ratione prolis.* De Matre ſcribitur Cant. 4. v. 7. *Tota pulchra es amica mea.* De prole Sap. 7. v. 26.

§. 1. *Varia nomina Feſti purificationis.*

Digitized by Google

v. 26. *Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ.* De quibus omnibus memini me latius egiſſe in aliis Concionibus.

§. 2. *Proſecutio.* Memini quoque, me aliàs in hoc feſto appellaſſe Magnam DEI Matrem, *Advocatam totius generis humani;* & præſertim morientium, aſſerendo, Clientes & Amatores Virginis mori, pretioſâ morte juſtorum; verùm quia materiam ampliſſimam & ſuaviſſimam, totam unius Concionis ſpatio proponere non potui; in hâc eò collimabo, ut intelligatis, quibus mediis multi per interceſſionem B. Virginis obtinuerint mortem ſanctam & felicem.

§. 3. *Dilectio immicorũ in honorem B. V. eſt optima diſpoſitio ad ſanctam mortem.* Hoc intendo, ut brevibus, ſed piis & affectuoſis hiſtoriis oſtendam, ſanctè mori illos, qui peculiariter amant & colunt B. Virginem Mariam, veluti Advocatam agonizantium & morientium. Anno 1605. in Galliis, vir militaris, ſodalis tamen, in agone inter graviſſimas diaboli tentationes, uſus verbis S. Martini, *Quid aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſti reperies;* mox corde humili & contrito oravit pſalmum quinquageſimum, *Miſerere mei DEus*, tum ſereno vultu dixit, *En ego te video pulcherrima Virgo; O verè benigna parens, quæ ſemper præſto es tuis in calamitate; in manus tuas commendo Spiritum meum*; ſic ſpiritum feliciſſimè exhalavit. Addit hiſtoria, hunc heroem fuiſſe ſerium cultorem B. Virginis; hocque peculiariter in illo commendat; quod in honorem Mariæ, nunquam permiſerit ſolem occidere ſuper iracundiam ſuam. Omnibus illatas injurias, ex B. Virginis amore libentiſſimè dimittebat; imò diligebat ſuos inimicos. Hâc pietate ſanctam obtinuit mortem. Vos conſcientias veſtras inſpicite, an fortaſſis ibi lateat venenatus aliquis bufo odij erga proximum; non permittit vobis hæc beſtia in ſupremo agone quietem, eja, hodierno feſto, cum peculiari deſiderio venerandi magnam DEI Matrem, hanc beſtiam ejicite; quia Virginem amare deſideratis, Ipſius amori hoc date, ut omnes remittatis injurias, ut deponatis odia, ut diligatis etiam inimicos. Hæc dilectio nos quoque diſponet ad ſanctam mortem.

§. 4. *Item frequens & pia recitatio Roſarij.* Tempore S. Dominici, tres Virgines ſorores ſimul ſanctiſſimam tranſegêre vitam; adeo ut ipſa cœlorum Regina ſæpius illas inviſeret, comitantibus S. Catharina, & S. Agnete. Cum tandem

dem magnis deſideriis, & piis ſuſpiriis adhelarent ad cœleſtem gloriam, dixit illis B. Virgo; *Nunc filiæ vos reddo ſecuras de regno Filij mei, in quod die craſtina inducemini.* Et ſic contigit. Inciderunt omnes tres in letalem morbum, & mox alterâ die magna DEI Mater, cum S. Catharinâ & S. Agnete illis aſtitit inter admirabiles ſplendores, & cœleſtes odores; concinentibuſque ſanctis Angelis ſuaviſſima verba ſponſi ad ſponſam, *Venite ſponſæ, coronabimini*, Virgo ſuis ſanctis manibus, adjuvantibus ſociis, illas induit candidiſſimis veſtibus, in quibus placidiſſimè exſpirârunt. O pretioſam mortem! Hiſtoria addit, has ſorores ſuadente S. Dominico, magno ſtudio & conatu allaboraſſe, ut quotidie in honorem Mariæ, devotiſſimè orarent roſarium B. Virginis. Feliciter ſcilicet & ſanctè moriuntur, qui huic dediti ſunt devotioni; qui quotidie recitant roſarium. Vos hodie ſtatuite, quâ animi puritate, quâ devotione, quo mentis ardore, ab hodierno feſto, in honorem Virginis, quotidie velitis orare Roſarium. In ſupremo agone, in ultimâ luctâ, inter diaboli aſſultus, devotio hæc magno vobis erit ſolatio; & optima præparatio ad ſanctam mortem. Cum pijſſima Mater nobis oſtendet fructum ventris ſui, filium ſuum JEſum, quem toties in roſario benediximus, piè dicemus cum S. Simeone; *Nunc dimittis, &c.*

Noti ſunt favores, quos clementiſſima Virgo exhibuit Alexandro Bertio, juveni Florentino: cùm adhuc puſio jaceret in cunis, ab illâ fuit aſperſus cœleſtibus floſculis; cùm arderet febribus, aſſidens Virgo, illum fuit ſolata; cùm ſtuderet, eadem libros illi porrexit, &c. In peculiaris favoris ſignum, cùm in ſuprema ſudaret luctâ, Cœli Regina miſit binos venuſtiſſimos Angelos, qui morientis capiti amœniſſimam impoſuerunt coronam. O pretioſam mortem! quâ devotione cogitatis beatiſſimum hunc Adoleſcentem ſuſpiraſſe cum Simone, *Nunc dimittis ſervum tuum.* Sed meminiſſe nos oportet, eundem à teneris unguiculis fuiſſe addictiſſimum cultui Beatiſſimæ Virginis, præſertim in hoc, ut brevibus ſed ſuaviſſimis verbis itentidem dies, nocteſque ſuam Matrem ſalutaret, & quidem devotiſſimâ Eccleſiæ Antiphonâ, *Salve Regina Mater miſericordiæ*, &c. Fortaſſis imitari voluit decennem

§. 5. Hymnus Salve Regina.

illum

Digitized by Google

illum puerum, qui cum audiviſſet, magni eſſe meriti, & placere DEI Matri, frequenter à clientibus ſalutari, quovis die millies corde & ore ſuſpiravit, *Salve Regina, mater miſericordiæ.* Alexander Bertius tanto fervore id præſtitit, ut in agone apparens illi Virgo, dixerit; *Ego ſum! ego ſum illa Mater miſericordiæ, quam toties ſalutaſti; Veni fili!* & inter brachia Matris, Filio reddidit ſpiritum. Iterum ſtatuite Auditores; fore vos ab hodierno feſto ſedulos, ut ijsdem verbis Mariam frequentiſſimè ſalutetis (eſt locus pro ſuavi affectu ex *Salve Regina*, v. g. converte in nos oculos, &c.)

§. 6. *Frequens & & pius uſus harum vocularum: IEſus! Maria!*

Anno 1604. Ingolſtadij obiit vir religioſiſſimus, Theodoricus Caniſius, è Soc. JESU, frater germanus P. Petri Caniſij. Tactus apoplexiâ, momento rerum omnium fuit oblitus, exceptis his duobus ſanctiſſimis nominibus, JESUS! MARIA! nihil aliud potuit dicere, legere, pronuntiare, quàm JESUS! MARIA! cùm ingraveſcente morbo ſacro oleo fuiſſet inunctus, contentiſſimâ voce exclamavit, *In cælum! in cælum! JEſus! Maria!* abſolvit has voces, & ſimul vitam. Eximium amatorem & Cultorem B. Virginis, auctor qui vitam ſcripſit, in hoc valde commendat; quod corde & ore, continuò volverit & pronuntiarit dulciſſimas has voculas, JEſus & Maria. Aſſiduæ de JEſu & Mariæ cogitationes; ardens amor JEſu & Mariæ: iterata ad JEſum & Mariam ſuſpiria, viro piiſſimo pulcherrima fuerunt diſpoſitio ad beatam mortem; favente Virgine, ultima amoris ſui teſſera, in ſupremâ luctâ, fuerunt eædem ſuaviſſimæ voces; JEſus! Maria! Hanc quoque teſſeram ab hodierno feſto nos eligamus; ut aliquando his vocibus vitæ noſtræ periodum feliciter abſolvamus.

§. 7. *Laudare Mariam! eſt pia præparatio ad ſanctam mortem.*

Beatiſſima Virgo peculiares favores exhibuit piiſſimo Adoleſcenti Stanislao. In gravi morbo à ſanctis Angelis, in præſentiâ S. Barbaræ, quam peculiari cultu proſecutus fuerat, ſacram accepit ſynaxin; paulò poſt viſendam ſeilli dedit, & JEſulum Parvulum, quem in brachiis geſtabat (qualem olim hodiernâ die Patri obtulit in templo ſancto Simeoni) in lectulo Stanislai, ad pectus ejus collocavit. O floridum lectulum! his deliciis, tam ſuavi ſpectaculo recreatus Stanislaus ab illo morbo convaluit; ſed paulò poſt in altero, dum Chriſti Crucifixi plagas, & Mariæ iconem ſuaviſſimè

mè

Digitized by Google

mè amplexaretur, ſuaviſſimè exſpiravit, cum piiſſimo anhelitu, JEſus! Maria! O pretioſam mortem! Sed B. Stanislaus ferventiſſimus fuit amator B. Virginis; uſque adeo plenus altiſſimis quibusdam de Maria ſenſibus, ut pio certamine alios provocaret, quis magnifica magis, quis tenera magis Virginis encomia excogitaret & promeret; plerumque victor. Rogatus aliquando, an amaret Mariam? reſpondit, *Eſt mea Mater*! quaſi diceret, Mariam non amarem? DEI Matrem! Mariam non amarem? Matrem pulchræ dilectionis? Mariam non amarem? Matrem miſericordiæ! Mariam non amarem? meum cor! meas delicias! meos amores! Mariam non amarem? quæ eſt pulchior ſole, &c. (eſt locus pro ſuavi affectu) Eja Auditores! deſideratisne aliquando ſanctè mori? rogo vos, amatisnè Mariam? an illis ſenſibus eſtis pleni, ut judicetis, Mariam eſſe dignam, quæ à nobis laudetur, glorificetur, benedicatur, &c. Sic pergite! præparatis vos ad ſanctam mortem.

De Patre Balthaſare Alvaretz è Soc. JEſu, revelatum fuit S. Thereſiæ, fuiſſe è numero ſanctiſſimorum virorum, qui tum vixerunt. Ut ſanctè vixit, ſic ſanctè fuit mortuus. Sed eximius cultor & amator B. Virginis. Cùm in ſupremâ deſudaret luctâ, ſancta quædam monialis Burgenſis inter orandum audivit vocem, *Veni ut interſis morti fidelis cujuſdam mei ſervi.* Et ſubitò in ſpiritu deducta fuit ad lectulum agonizantis Patris. O jucundum ſpectaculum! vidit lectulum circumdatum integrâ coronâ pulcherrimorum ſanctorum Angelorum; vidit aliquos tenere ægri manus, alios caput; audivit aliorum ſuaviſſimum cantum; vidit liberatam à corpore animam cum Angelis evolare ad cœlos. Duos vidit remanere ad cadaver; alterum cum aureo thuribulo, alterum cum ſuaviſſimis odoribus. O funus Angelicum! O pretioſam mortem! Sic fuit mortuus P. Alvaretz, magnus cultor B. Virginis, præſertim in hoc. Ejus officium ſive horas, ut vocamus, tantâ quotidie recitavit intenſione ferventis ardoris & pietatis, ut aliquando dæmon, à quo, licet eſſet ſanctiſſimus, continuò & horrendum tentabatur, ad orantem dixerit, *Remitte tu, & ego remittam: præcipuè ut iſtam devotionem dimittas, quam habes in iſtam mulierem,*

§. 8. Item, recitatio Officij Beatæ Virginis.

quam Mariam appellant. Sed Pater uſque in mortem cõntrà audentior ivit; eò ferventius amavit Mariam, eò majori devotione Virginis horas recitavit (habes locum pro affectuosâ apoſtrophe ad Aud. an velint dimittere amorem B. V. vel potius augere.)

§. 9. *Pia ſuſpiria ad Virginem Doloroſam ſub Cruce.* Eximius Cliens & Cultor B. Virginis fuit S. Cardinalis Carolus Boromæus. Roſarium & Officium B. Virginis quotidiè oravit flexis genibus; cum in itinere eques audiret pulſum ſalutationis Angelicæ, de equo deſiliens, flexis humi genibus Virginem ſalutabat. In Vigiliis feſtorum B. V. jejunavit in pane & aquâ. In toto Archiepiſcopatu Mediolanenſi ejus juſſu Parochi ſuper fores templorum collocare debuerunt ſtatuas B. Virginis, ut introeuntes & exeuntes ſalutatione Angelicâ illam ſalutarent. A Matre doloroſa quotidie triplici ſuſpitio, triplicem petivit gratiam ad obtinendam ſanctam mortem. 1. ut illo momento fieret particeps unici aſpectus, & lachrymoſi ſuſpirij à JEſu in Cruce prolati. 2. Unici aſpectus & gemitus Virginei cordis, dum trihorio ſtetit juxta crucem, erga JEſum Filium pendentẽ in Cruce. 3. Ut B. Virgo ſibi luctanti cum morte ſuccurrere vellet per peculiarem aſſiſtentiam S. Angeli ſui Cuſtodis. Omnia obtinuit; obiit vir ſanctus morte pretioſa Sanctorum.

§. 10. *Cultus & ornatus imaginum B. Virginis.* Mors quoque S. Ludvvinæ fuit beatiſſima. Agoni illius interfuit ipſe Chriſtus D. cum benedicta ſuâ Matre, & magno Angelorum choro. Animam è corpore excedentem, ſuaviſſimè amplexatus Chriſtus D. eam tradidit Matri ſuæ, hæc, poſt ſuaviſſimum oſculum, manibus SS. Angelorum, à quibus deducta fuit ad cœlum. O ſuavem mortem! ſed in vitâ, S. Ludvvina fuit filia B. Virginis, in hoc præcipuè laudabilis, quod Virginis imagines, ſtatuas, & altaria, quantum poſſet, comptè & eleganter, coloribus, floribus, gemmis, exornaret. Hæc devotio Virgini alias ita placuit, ut ad filiam pauperis paſtoris, quæ campeſtribus floſculis ejus ſtatuam in vetuſto ſacello ſæpe exornaverat, in agone ipſa de cœlis deſcenderit, morientiſque verticem florido ſerto coronaverit. Quam facile, ſi volumus, à Virgine hanc gratiam obtinere poſſumus, ut ſanctè moriamur. (ſi placet, poterit fieri pulchra digreſſio ad ſtatuam Virginis Conſolatricis in templo, ſive JESU Bambergæ.)

Anno

Digitized by Google

Anno 1607. Bruxellis pius Sodalis B. Virginis, aſtantes ſorores in agone his verbis compellavit. *Videte! videte ſorores meæ, glorioſæ Virginis pulchritudinem, videte venuſtatem.* Hæc dicens pulcherrimam animam in pulcherrimæ Virginis manus tradidit. Emanuël Fernandez è Soc. JEſu moriens dixit, *Video ſacratiſſimam DEI Matrem, divina pulchritudine admirabilem; Sinite me! abeuntem ſequar.* Referunt hiſtoriæ, utrumque frequenter in ſacrâ Communione, præſertim in feſtis B. Virginis, petiiſſe per interceſſionem Matris à Filio JESU ſanctam mortem, & obtinuerunt. *§. 11. Frequens Communio.*

Eskillus puer duodennis, in letali morbo jacuit aliquamdiu ſine omni ſenſu; ſibi reſtitutus, & ſedens in lectulo ſuaviter dixit, *Benedictus DEus! ego liberatus ſum, & amplius non ardebo.* Rogatus, quare talia diceret, reſpondit, *DEO gratias! amplius non ardebo. Gratias tibi ago S. Maria, quoniam de incendio liberaſti me; & amplius non ardebo.* Narravit, ſe fuiſſe in periculo præcipitationis in ardentem clibanum; ſed liberatum à Virgine; eò quod ſolitus fuiſſet, ſingulis horis, ad ſonum horologij, ſalutare Mariam per Angelicam ſalutationem. In quâ devotione eximius fuit S. Ludovicus Caroli Siciliæ Regis filius, rogatusque cauſam, cur toties proferret ſalutationem Angelicam, reſpondit, *Maria morientem me juvabit.* Et juvit, cum Ludovicus fuit mortuus, anima ejus viſa fuit evolare in cœlos. Quæſo Auditores, ſi vultis ut illa, in illo temporis agone vos quoque juvet; millies his verbis Virginem ſalutate. *§. 12. Horaria ſalutatio Angelica.*

Quid dicam de feliciſſimâ morte piiſſimi adoleſcentis Joannis Berchmanni? licet piiſſimè vixiſſet, nihilominus inter anguſtias mortis tam horrendum à Satana fuit exagitatus, ut exclamarit. *O Maria! ego nunquam offendam Filium tuum; abſit id à me. Malo millies mori, decies millies, centies millies, millies, millies.* Tum crucem, roſarium & libellum Regularum Soc. JEſu amplexatus, dixit, *Hæc tria mihi chariſſima; cum his tribus libenter moriar.* Et recitans hymnum *Ave maris ſtella*, roſarium inijciens collo, dixit; *Abi Satana non timeo te. Doleo Domine, Domine credo, ſpero, amo. Paratum cor meum DEus.* Tum, poſt recitatas Lauretanas Litanias, defixis in crucem oculis, inter nomina, *§. 13. Ave maris ſtella, Litania Lauretana.*

JESU & Mariæ, placidiſſimè exſpiravit. Pretioſa mors! ſed in vita Joannes Berchmannus tam ardens fuit amator B. Virginis, ut rogatus; *Joannes, ſi mille corda haberes, nonne mille cordibus amares Mariam?* Reſpondit, *mille cordibus amarem, & nunquam quieſcam, donec obtinuero amorem tenerum erga dulciſſimam meam Matrem Mariam. Amabo; & ipſa amabit me in morte; & alter alterum amabimus æternùm.* Rogo vos Auditores; ſi totidem haberetis corda, an illis amaretis Mariam? O Maria! ego omnium nomine reſpondebo; Amamus & amabimus; nec quieſcemus, donec tenerrimum erga te amorem obtineamus (eſt locus pro ſuavibus actibus amoris) ut nos quoque morientes & agonizantes juves!

§. 14. *Maria Mater gratiæ, &c.* Religioſus, qui annis viginti auſteram vitam duxerat, in agone territus & tremebundus exclamavit, *Væ mihi! quia anima mea periclitatur, ne in æternum pereat.* Suaſit unus ex circumſtantibus ut ſecum devotè diceret, *Maria, mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Momento rediit ſerenitas; rogatus cauſam terroris, dixit, *Vidi infinitam dæmonum multitudinem convolantem ad rapiendam animam meam; ſed implorata, ſuaviſſimis titulis Mater gratiæ, mater miſericordiæ, adfuit, fugavitq; omnes dæmones.* Addidit, ſe ab eâdem invitari ad gloriam, & ita è vivis deceſſit.

§. 15. *Quotidiana auditio Miſſæ.* Petrus religioſus Ciſtercienſis, cum exſpiravit, anima ejus viſa fuit elevari ad cœlos, aureâ redimita coronâ, & cœleſti ſplendore circumdata, inter ſanctos glorioſa & triumphans. Refertur de magno hoc Virginis cliente, quod quotidie in ejus honorem unam, ſubinde plures audiverit miſſas, ad obtinendam illam gratiam, quam legerat B. Virginem promiſiſſe S. Mechtildi. *Ego omnibus, qui mihi piè & ſanctè deſerviunt, volo in morte fideliſſimè, tanquam mater piiſſima, adeſſe, eoſque conſolari & protegere*, & obtinuit. Statuite, num ab hodierno feſto, in honorem Beatæ Virginis ad eundem finem ſacrificio miſſæ quotidie velitis intereſſe.

Finem

Finem meæ dictioni imponat affectuoſa, & ſolatio plena hiſtoria, præſertim pro pœnitentibus peccatoribus. Opem auxiliatricis Virginis in ſupremo agone expertus fuit ille, qui cum copia Confeſſarij non adeſſet, gravium ſcelerum reus, vidit Chriſtum Crucifixum, & coram illo ſupplicem Mariam, enixè ab illo rogantem, ut Clienti foras æternæ miſericordiæ aperiret; cum verò Chriſtus D. reponeret Matri, ſe ab illo toties rurſum crucifixum; & tremens æger id audiret, ejulatu miſerabili lachrymans exclamavit, *JEſu miſericors!* (puto Matrem miſericordiæ illi verba hæc ſuggeſſiſſe) *licet ego te ſcelerum meorum gravitate crucifixerim, tamen ſemper illibatam & puriſſimam Matrem tuam fui veneratus* (ſolitus fuerat diebus Sabathinis in honorem ejus jejunare) O infinitam Chriſti D. erga peccatores bonitatem! O immenſum amorem erga amantiſſimam ſuam Matrem! motus ad veniam his verbis, dixit Matri ex ſtatuâ Crucis, *Mater! itaque hunc tibi dono, & largior.* Obiit deinde piiſſimè! Abſolvi hiſtorias, quas modò vobis proponere ſtatueram Auditores. Audiviſtis pia, jucunda, affectuoſa. Advertiſtis hauddubio quibus mediis nos diſponere poſſimus ad ſanctam mortem; hoc poſſe non ſufficit; Velle, & ipſum opus requiruntur, itaque ſtatuite, &c. §. 16. *Jejunium Sabathinū.*

(implora opem B. Virginis, ut affectuoſum tibi ſuggerat epilogum, per brevem Concionis repetitionem, &c.)

CONCIO LXIV.

FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Et invenietis requiem animabus veſtris.
Matth. 11. v. 29.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXtollit fructus bonæ Conſcientiæ.

§. 1. *Bona Conſcientia eſt radix quietis.*
§. 2. *Sine illa non datur verum gaudium. Ex Seneca.*
§. 3. *Bona Conſcientia nihil timet: Juſtus eſt leo.*
§. 4. *Teſtimonia SS. Patrum.*
§. 5. *Probatur exemplo Chriſti, bonam Conſcientiam non timere; & S. Petri Apoſtoli.*
§. 6. *Proſecutio.*
§. 7. *S. Paulus, unde in perſecutionibus & laboribus tam animoſus fuerit.*
§. 8. *Suſanna, unde tam fortis, dum ducitur ad mortem.*
§. 9. *Bona Conſcientia eſt tutus locus refugij, arx, turris, &c.*
§. 10. *Potiſſimùm in horâ mortis.*

§. 1. Bona Conſcientia eſt radix veræ quietis.

BEnè monuit S. Auguſtinus de catech. rudibus; *tu, qui veram requiem poſt hanc vitam quæris, etiam hic eam inter amariſſimas vitæ moleſtias, ſuavem jucundamque guſtabis, ſi DEI præcepta dilexeris.* Addo ego ex hodierno Evangelio, veram animæ requiem etiam in hoc mundo, in hâc miſeriarum valle invenire poteſtis, etſi laboretis, etſi onerati ſitis; ſed unum requiritur, venite ad JEſum, ejus jugum tollite ſuper vos, jugum patientiæ, jugum Crucis, jugum præceptorum Dei, jugum virtutum, & citò (pergit S. Auguſtinus) *ſentietis dulciores eſſe Juſtitiæ fructus, quàm iniquitatis* (ſentietis ſuavius eſſe jugum amoris ſub Chriſto JESU, quàm jugum peccati in ſervitute Satanæ) *& verius atque jucundius gaudere*

gaudere hominem de bona conſcientia inter moleſtias, quàm de mala inter delicias. S. Chryſoſt. hom. 1. in ep. ad Rom. *Animi tranquillitatem & lætitiam* (veram requiem animarum) *non potentia, non corporis fortitudo, non menſæ ſumptuoſæ, non veſtium ornatus, non aliud quicquam rerum humanarum afferre conſuevit, præterquam rectè facta, & bona conſcientia: quam certè qui puram habet, licet pannoſus ſit, licet cum fame luctetur, tranquillior beatiorque eſt ijs, qui inter delicias magnoperè degunt.* Quâ de causâ, quanta ſit in conſcientiâ bonâ quies, quanta pax atque tranquillitas, concione hâc in honorem glorioſi Apoſtoli Matthiæ, qui ſub jugo Domini illam invenit, paulò prolixius oſtendam. Vos interim aures menteſque advertite.

In commendando Conſcientiæ bono, ipſi etiam Ethnici mirè facundi fuſique fuerunt. Chriſtianè omninò Philoſophus, tametſi non Chriſtianus dixit, *ſapiens nunquam ſine gaudio eſt*; his Sapientibus annumerandi ſunt non ſolùm Philoſophi, ſed complures alij, etiam minoris fortunæ. Sic v. g. videmus opifices in maximis laboribus ſemper lætos; ſic læti ſunt ſæpenumero ſartores dum ſarciunt, ſutores dum conſuunt, fabri ferrarij dum tundunt; lignarij dum ſecant; piſtores dum pinſunt, molitores dum molunt, textores dum texunt, pictores dum pingunt; verbo, quæ vera eſt ac ſincera lætitia, neminem quantumvis vilem ac miſerum fugit. *Sed gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia. Non poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans*, verbo, *niſi homo puræ & bonæ conſcientiæ.* ep. 27. *Sola virtus præſtat gaudium perpetuum, ſecurum: etiam ſi quid obſtat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt.* Plutarchus de cupidis divitiarum. *Virtus* (ſivè bona conſcientia) *gaudium domeſticum parit.* facundè Romanæ eloquentiæ Princeps pro Cluentio. *Si optimorum factorum teſtis in omni vita fuerit conſcientia, ſine ullo motu ſumma cum honeſtate vivemus.* Idem l. 3. quæſt. Tuſcul. *Acta ætas honeſtè, tantam adfert conſolationem, ut eos, qui ita vixerunt, aut non tangat ægritudo, aut leviter pungat animi dolor.* Sapientiſſimus Socrates cum interrogaretur, utrum quis vivere poſſit omnis perturbationis liber? reſpondit: *qui ſibi nihil conſcius eſt mali.* Bias, cum

§. 2. Sine illâ non datur verum gaudium. Seneca ep. 59.

cum juſſus eſſet dicere, quidnam in hâc vitâ metu careret, *bona*, inquit, *conſcientia*.

§. 3. *Bona conſcientia nihil timet. Iuſtus eſt leo.* Nihil hæc timet. Sacer codex pulchro id ſimili declarat Prov. 28. v. 1. *Juſtus* (vel homo bonæ conſcientiæ) *quaſi leo confidens, abſque terrore erit*. Hebraicus textus, *Juſtus, ſicut leunculus ſedet*. Arabicus, *Juſtus autem domans, velut leo*. Videas leonem à venatoribus circumſeptum, volantibus hinc telis, inde fulgurantibus haſtis, aliunde moloſſis ad nobilem prædam feſtinantibus, nihil conturbari animo, ſed explicatis ad faſtum jubis vultu eodem & pede conſiſtere, atque arbitrari, quem ex hoſtili numero primum, quem ſecundum, tertiumque morti victimam facere velit, & vel caudâ ferire, vel unguibus ac dentibus lacerare. Sic igitur ex mente Sapientis, *juſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit*. Minetur quis illi hîc exilium, ibi malevolorum perfidia interitum, alibi tyrannus necem, ubique velut conjuratione factâ inſultet tellus & orcus; eâdem tamen facie, hoc eſt, ſemper ſerenâ excipiet inimicos impetus, uno eodemque ſtabit ſemper veſtigio immobilis; quia ne nutare poſſit & dejici, bona conſcientia fulcit, ac ſecuritatem præſtat. Talis leo fuit S. Matthias ſub ſecuri, nonnè leo, qui inter gentes fidem Chriſti cum quotidiano capitis periculo prædicavit? nonnè leo qui recuſavit, quod ad deliberandum offerebant tyranni tempus, an à Chriſto velit deſciſcere? Nonnè leo, qui in Crucem actus adhuc Deo laudes dicere conſtanter perrexit? Nonnè leo, qui ſub ſecuri poſitus, ſemper ſui ſimilis, tormenta, ſanguinem, mortemque contempſit? Unde obſecro hæc tibi fortitudo? *à bona conſcientia*. Unde tanta in tormentis conſtantia? *à bona conſcientia*. Unde illud animi gaudium? *à bona conſcientia*.

§. 4. *Teſtimonia SS. Patrũ.* Sacro codici ſubjungo SS. Patres, & primo quidem loco mellifluum Bernardum l. de inter. domo. c. 22. *Conſcientia bona templum eſt Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus ſancti. Nihil eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conſcientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura. Cum mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat, nunquam marceſſit bona conſcientia. Subijciatur corpus in pœnâ, in jejuniis maceretur,*

verberi-

Digitized by Google

verberibus lanietur, equuleo diſtendatur, gladio trucidetur, crucis ſupplicio affligatur, ſecura erit Conſcientia. Verum imò veriſſimum hoc eſſe noſter comprobavit D. Matthias. Nunquam emarcuit bona illius conſcientia; non emarcuit cum ad necem raperetur, non emarcuit cum ageretur in Crucem, non cum ſecuri ſubijceretur; ſemper vegeta, ſemper hilaris, ſemper ſana atque integra, ceu lilium in horto, effloruit beati viri Conſcientia. NB. Si feſtum hoc incidat in quadrageſimam, excurre in ſolatia, quæ homines bonæ Conſcientiæ experiuntur in meditatione paſſionis, &c.

§. 5. Probatur exemplo Christi bonam Conſcientiam non timere & S. Petri Apoſt.

Bona conſcientia non habet quod metuat. Exemplum habemus in ſervatore Chriſto, quem Evangeliſta ait cervicali incumbentem placido ſomno in naviculâ indulſiſſe; ipſo deſperatiſſimo temporis articulo, quo Apoſtoli jam jam ſe fluctibus hauriendos verebantur, nempè probis mortalibus molle pulvinar eſt bona conſcientia, blande quieſcit omnis animus, qui ſibi inſontem conſcientiam poteſt ſubſternere. Ita S. Petrus ſomnum traxit dulciſſimum, cum jam Jeroſolymæ damnatus, in carcere incluſus, geminâ catenâ vinctus, à militari cuſtodiâ ſervabatur. Siccinè verò? hoc tempus dormiendi mi Petre? Suprema iſta tibi nox eſt, & inſtat cras ultimum mane, & libet adhuc dormire? jam locus ſupplicio deſcriptus eſt, jam ferrum jugulo tuo acuitur, jam ligna tranſverſaria in feralem crucem compinguntur, ut tu Petre inde pendeas, & nondum formidas? & adhuc ſtertis? neque triſtia mortis ſomnia ſomnum tibi gravem excutiunt?

§. 6. Proſecutio.

Inter hæc omnia (teſte S. Lucâ Act. 12. v. 6.) *in ipsâ nocte erat Petrus dormiens, vinctus catenis duabus.* Unde quæſo iſta tranquillitas, ut inter vigilum manus, inter carceris anguſtias, inter ferreas compedes, ſtans ante mortis confinia Petrus, adhuc tamen placido ſopore mergatur? Credo quia cauſæ bonitas, & proprium inſontis conſcientiæ teſtimonium, ei pulvillus & cervical fuêre, ut nulli mollius ſuaviuſque incubaret lectiſternio, quiſquis imperturbatâ, placidâque optat quiete frui, iſtud capiti ſuo ſupponat, *Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. - & ſpondeo - ſi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Sed potius dicet cum regio Pſalte, inter perpetuas perſecutionum ſe conſequentium catenas Pſ. 4. v. 7.

 Dediſti

Digitized by Google

Dediſti lætitiam in corde meo. Audias eos cum Jobo in fimeto, non tam ſuſpirare quàm exultare; cum ternario hebræorum Juvenum in furno babylonico etiam lætos concentus edere, atque in Numinis laudes ingenioſos eſſe. Nimirum omne hoc pectoris gaudium, etiam inter calamitates, ex bonâ, rectâ, probâ, piâ, caſtâ, mundâ, innocente conſcientiâ tanquam fonte promanat.

§. 7. *S. Paulus unde in perſecutionibus & laboribus tam animoſus.*

Age quid hâc de re magnus Gentium Doctor loquatur & ſentiat, videamus. Certè in perſecutionibus & laboribus graviſſimis, auſus eſt dicere ſe ſemper gaudere, imò ſuperabundare conſolationibus. S. Chryſoſt. hom. 25. ad pop. Antioch. illud retulit ad bonam conſcientiam. *Nihil aliud eſt triſte niſi DEum offendere* (utinam aureis literis hanc gnomen cordibus veſtris poſſem inſcribere) *quod cum aberit, non tribulationes, non inſidiæ, non quidquam aliud ſapientem animum poterit contriſtare. Sed quemadmodum ſi exiguam ſcintillam in lacum dejeceris profundum, ſtatim extinxeris: itidem & omnis triſtitiæ ſuperabundantia, in bonam miſſa conſcientiam extinguitur.* 2. Cor. 12. v. 10. *propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* pro τὸ placeo in græco eſt, εὐδοκῶ, *delector.* 2. Cor. 1. v. 12. *gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* S. Baſilius hom. 4. de grat. act. *Anima, quæ ſemel ſe modis omnibus deſiderio aſtrinxerit ſui Conditoris, jamque inſuevit oblectare ſe tantâ pulchritudinis illius contemplatione, prorſus non ſinet, aut vehemens illud gaudium, animique ſui jucundiſſimam diffuſionem intercipi, aut immutari multiplicem carnalium affectionum mutationem; quin ea potius, quæ alijs mærorem afferunt, in cumulum ſibi vertet, & acceſſionem lætitiæ.*

§. 8. *Suſanna unde tam fortis dum, ducitur ad mortem.*

Sed nec fæmineus ſexus (inquit S. Auguſt. tom. 10. ſer. 69. in append.) *ſuis fraudatur exemplis. Suſanna illuſtris, decus pudicitiæ! ſtabat in medio falſorum judicum, mendacibus oppreſſa teſtimoniis: ſtabat non tanquam rea, ſed pro caſtitate fortiter moritura. Ibat ergò pudica ad ſupplicium; non adulterum corpus, in quo extrema libido exarſerat, & diabolus inflammaverat - ſed - quod protexerat virtus, & ornabat pudor illæſus, illæſum ibat in mortis exitium, egregium portabat caput, cujus vultum integra conſcientia ſubli-*

Digitized by Google

ſublimabat ad cœlum, in graviſſimis anguſtiis his verbis Suſanna ſe fuit ſolata. *DEus æterne! qui abſconditorum es cognitor -- tu ſcis, quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me: & ecce morior cum nihil horum fecerim, quæ iſti malitioſè compoſuerunt adverſum me,* Danielis 13. v. 42. S. Ambroſ de fugâ ſæc. c. 9. *Cum morte damnaretur Suſanna innocentis conſcientiæ auctoritate, divinam ſibi in judicium accerſit cognitionem,* &c. fiducia plena fuit S. Suſanna. *Sicut enim* (S. Bern.) *cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva turbata conſcientia. Sic conſcientia bona eſt animoſa, dat teſtimonium Innocentiæ, & præſumit optima conſcientia bona, aſylum tutiſſimum.*

Pſalmum 30. in fugâ David ſic fuit exorſus; *In te Domine ſperavi non confundar in æternum, - inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me. Eſto mihi in DEum protectorem, & in domum refugij, & ſalvum me facias.* Hebraica lectio ſic habet. *Eſto mihi in petram fortiſſimam, & in domum munitiſſimam ad ſalvandum me.* Id eſt, Eſto mihi O DEus, inſtar petræ, vel domûs, vel munitæ arcis, in quam tutò poſſim confugere. Pulchrè S. Auguſt. in perſonâ fugientis David à facie Abſolonis, ait: *Quo fugio? ad quem locum tutus fugio? ad quem montem? ad quam ſpeluncam? ad quæ tecta munita? quam arcem teneam? quibus muris ambiar? -* mox ſubdit S. Auguſt. ad rem noſtram, *quocunque iero, ſequor me, quidquid enim vis, potes fugere O homo, præter conſcientiam tuam. Intra in domum tuam, requieſce in lecto tuo, intra in interiora: interius nihil habere potes quò fugias à conſcientia tua, ſi rodunt te peccata tua.* Hæc fuge, & conſcientia bona erit tibi arx, domus, lectus, mons, petra, ſpelunca, &c.

§. 9. Conſcientia bona, eſt tutus locus refugij, arx, turris, &c.

Et præcipuè cum moriendum erit. Pro illo agone majus ſolatium ſperare vel optare non poſſumus, quàm bonam conſcientiam. S. Chryſoſt. hom. 37. ad pop. Antioch. *Nihil bona ſuavius conſcientia? -- non noſtis in noviſſimâ die, quomodo peccata animum convolvunt? qualiter ab imo Cor movent?* (ſunt hæc dicenda tardè & patheticè) *tunc igitur cum iſta fiunt, bonorum operum memoria* (ſive bona conſcientia) *tanquam in tempeſtate ſerenitas, animam conſolatur tumultuantem.*

§. 10. Potiſſimùm in horâ mortis.

Digitized by Google

S. Bern. l. de inter. domo. c. 23. *Bona conſcientia ſecura erit, cum corpus moritur: Secura, cum Anima coram DEO præſentabitur, ſecura, cum in die Judicij ante tribunal terrificum Judicis ſtatuetur.* Et tum tandem implebitur v. 5. Pſ. 149. *Exultabunt ſancti in gloriâ, lætabuntur in cubilibus ſuis*; quinam quæſo illi lecti in æternâ gloriâ, reſpondet Hugo Card. *lætabuntur in cubilibus ſuis, ſcilicet in conſcientia: quia habent tam bonum Dominum.* Ite nunc Auditores, & quantum ſit in bonâ conſcientiâ boni reconditum; diſcite: Ite, ſed cum deſiderio ita exultandi in gloriâ! O felix exultatio! Quis mihi det ut in illo tremendo mortis articulo anima mea exultet in gloria! *Exultabunt ſancti in gloria!* Quis mihi det, ut tum lætemur in cubilibus noſtris! O cubilia! O conſcientiæ! ſi mundæ, ſi innocentes, ſi à vitiis purgatæ, lætabimur atque exultabimus. Exulta ſatis filia Sion, exulta pia anima; nulla regnat triſtitia, ubi bona dominatur conſcientia. Omnis exulat timor, ubi pedem fixit aurea conſcientiæ ſecuritas.

EXORTATIO.

FESTO S. JOSEPHI, SPONSI B. VIRGINIS.

S. Joſeph! ora pro nobis.

SYNOPSIS EXORTATIONIS.

SUadet ut S. Joſephum eligamus in Patronum & Interceſſorem pro felici horâ mortis.

§. 1. *Interceſſio S. Joſephi, potens eſt, ut nobis obtineat ſanctam mortem.*

§. 2. *Id fuit expertus nobilis quidam Venetus.*

§. 3. *De Imagine morientis S. Joſephi.*

§. 4. *S. Joſephum debemus eligere in peculiarem Patronum.*

§. 5. *Ardens votum Auctoris.*

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. *Formula electionis.*

§. 7. *B. Virgini gratiſſimum eſt colere S. Joſephum.*

§. 8. *JEſus & Maria Electis inſtillant peculiarem cultum & amorem erga S. Joſephum.*

§. 9. *Feſto S. Joſephi petenda ab illo eſt peculiaris aliqua gratia.*

§. 10. *S. Joſeph liberavit duos Religioſos è naufragio.*

§. 11. *Amemus S. Joſephum, & liberabit nos è naufragio æternæ damnationis.*

§. 1. *Interceſſio S. Ioſephi potens eſt, ut nobis obtineat ſanctam mortẽ*

VEni S. Spiritus! ut cor meum cœleſtibus flammis accendas! O Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, impetra mihi à dilectiſſimo Filio tuo JEſu, hâc horâ, hanc gratiam, ut brevi exhortatione, meos Auditores ſuaviter, ſed fortiter permoveam ad tenerrimam devotionem erga glorioſum ſanctum, & amantiſſimum Patronum meum S. Joſephum; Multa ſunt, quæ pietatem hanc vobis ſuadere poſſunt. v. g. hoc; quod interceſſio S. Joſephi apud Filium JEſum, & Sponſam Mariam, valde potens ſit & efficax, ut quis feliciter moriatur.

§. 2. *Id fuit expertus nobilis quidam Venetus.*

Expertus hoc fuit nobilis ille Venetus, cui, quia conſueverat ante imaginem ſancti Joſephi devotè orare, in morbo, S. Joſeph apparens illi ſuaſit integram contritionem, inſtare enim horam mortis. Fecit æger, ait Hiſtoria, *& in manibus S. Joſephi animam exhalavit, qui eam ad æternam hæreditatem ſecum tulit.*

§. 3. *De imagine morientis S. Ioſephi.*

Hæc hiſtoria, Sodales amantiſſimi, ante multos menſes me movit, ut pro altari Agoniæ curârim depingi hanc imaginem, quæ beatiſſimam mortem S. Joſephi nobis ponit ob oculos. In illâ, veluti ſpeculo, poteſtis intueri, quomodo filius JEſus morientis lateri dextero aſtiterit, ſiniſtro Sponſa Maria, capiti Angelus Cuſtos. Ex aſpectu hujus imaginis fortaſſis ſanctæ hæ vobis occurrent cogitationes, ut conſideretis quibus verbis JEſus morientem Patrem, Maria moribundum Sponſum & maritum fuerint allocuti, quomodo oculos ipſi clauſerint JEſus & Maria! quomodo ultimum ipſi benedixerint: *O felix Joſeph!* (exclamat ille,) *qui JEſum inter & Mariam, te conſolantes, tibique miniſtrantes, ultimum agonem egiſti, & Spiritum exhalaſti. Quis verò vel cogitando comprehendere poterit,* (inquit S. Bernardinus Sen. ſer. de S. Joh.) *quantas exhortationes, conſo-*

conſolationes, promiſſiones, illuminationes, inflammationes, quas æternorum bonorum revelationes acceperit in tranſitu ſuo S. Joſeph, in dulciſſimâ præſentia & aſſiſtentia JEſu & Mariæ.

§. 4. *S. Ioſephum debemus eligere in peculiarem Patronum.*

Verùm, intentio mea, quâ pingi curavi hanc imaginem, non ſiſtit in ſanctis his cogitationibus de morte S. Joſephi; ſed deſidero ulterius, & rogo meos Sodales, ut exemplo Nobilis illius Veneti, cujus feci paulò ante mentionem, frequenter & devotè orent, petantque per ipſius interceſſionem apud JEſum & Mariam, ſanctam mortem. Cujus devotionis fundamentum eſt, ut mei Sodales peculiari affectu S. Joſephum ſibi eligant in Patronum, & Adjutorem, Protectorem, in tremendo illo agone, quo aliquando luctabimur cùm morte; Animæ piæ id facere ſolent, orantiunculâ brevi, quæ ſic habet.

§. 5. *Ardens votũ auctoris.*

Verùm, O ſi mihi hodie hæc obtingeret felicitas! O ſi JEſus Crucifixus, in ardenti clibano ardentiſſimi ſui pectoris & cordis, meum & omnium præſentium corda colliquefaceret in unum cor, in unam animam! O ſi omnium præſentium voluntas in meâ eſſet poteſtate, ut uno omnium corde & ore, coram imagine moribundi S. Joſephi in præſentiâ ſanctiſſimi Sacramenti, & coram JEſu Crucifixo; ſic poſſim orare, & his verbis S. Joſephum eligere in omnium Patronum & Advocatum.

ORATIO AD S. JOSEPHUM QUOTIDIE PIE DICENDA.

§. 6. *Formula electionis.*

SAncte Joſeph, Mariæ Matris Dei, & Virginis Sponſe & Virgo, glorioſiſſime periclitantium & agonizantium advocate, ſervorum tuorũ protector fideliſſime: Ego te in Dominum, Patronum, Advocatum & Patrem pro felici morte eligo, firmiterque ſtatuo ac propono, me nunquam te derelicturum, nec permiſſurũ, ut aliquid contra tuum honorem unquã agatur. Suſcipe me in ſervũ ac clientem tuum, & me Mariæ Sponſæ tuæ in perpetuam protectionem, & in æternas JEſu miſericordias commenda; nec me deſeras; verùm illam, quæ mihi maximè neceſſaria, & utilis eſt gratia, impetres nunc, & in horâ mortis meæ. Amen.

Hæc

Digitized by Google

Hæc inquam eſt formula, quâ animæ ſanctæ & DEO, JEſu & Mariæ dilectæ, S. Joſephum ſolent in patronum eligere; ut illam habeatis ad manum, ut omnes poſſint diſcere memoriter, ut etiam parvulis veluti cum materno lacte inſtilletur devotio erga S. Joſephum, ejus mortem non ſolum curavi depingi; ſed illam vobis offero inſculptam æri, impreſſam chartæ, ut occaſionem habeatis frequenter illam recitandi & quidem in aſpectu morientis ſancti JOSEPHI.

Cum S. Thereſia in Patronum ſibi elegiſſet S. Joſephum, cum peculiari propoſito hunc ſanctum colendi & amandi, B. Virgo oſtendit id ipſi eſſe longè jucundiſſimum; nam poſtquam à S. Joſepho fuiſſet induta candidiſſimâ veſte, illi præterea dono obtulit pretioſiſſimum monile, cum cruculâ immenſæ æſtimationis: & dixit, ut hoc donum illi eſſet mnemoſynon illorum, quæ propoſuerat de cultu & amore S. Joſephi. De quo poſtmodum S. Thereſia ſæpius gloriata dixit, *Accepi advocatum & interceſſorem S. Joſephum, & ſcio interceſſionem ejus mihi prodeſſe, quoad corpus & animam.* Nec memini me hactenus aliquid ab eo petiiſſe, quod adimpletum non fuerit. Magna mihi fecit S. Joſephus. Sodales amantiſſimi? dives non ſum; non poſſum vobis donare pretioſas veſtes, non aurea monilia, non gemmeas cruculas; papyraceam S. Joſephi morientis imaginem, inter manus JEſu & Mariæ vobis offero; opto ex viſceribus cordis, quibus in Chriſto JEſu vos complector, ut illa vobis ſit memoriale illius devotionis & pietatis, illius affectus & amoris, quo S Joſephum elegimus in Patronum, & protectorem ſemper, ſed potiſſimum in horâ mortis noſtræ.

§. 7. *B. Virgini gratiſſimũ eſt colere S. Ioſephum.*

Cum peculiari ſolatio audivi hodie legi hæc verba. Non facile quemquam ſanctorum aut ſanctarum inveniri, eorum ſcilicet, quos ipſe familiarius ſibi adhibet, & cum quibus ſuavius & dulcius vult converſari; quorum cordibus non imprimat perennem ſuæ Paſſionis memoriam, in quibus non excitet flammam amoris erga JESUM Crucifixum. Gratulor proinde meis Sodalibus; Vos eſtis, quos ille peculiariter diligit, &c.

§. 8. *IESVS & MARIA electis inſtillant peculiarem cultum & amorem erga S. Ioſephum.*

Idem

Idem prorſus affirmandum eſt, de peculiari cultu B. Virginis. Millies ſit bene ſeraphicæ animæ S. Thereſiæ, quæ in vita affirmare fuit auſa, hoc hodie in electorum cordibus agere Chriſtum D. Idem facere Electorum Matrem, & Reginam noſtræ Congregationis, ut colatur & ametur S. Joſeph. Rogo vos ſodales mei amantiſſimi, probate, ut experti aliquando cum S. Thereſia gloriari poſſitis. Magna nobis fecit S. Joſeph! & faciet majora; majores adhuc à JEſu & Maria impetrabit gratias, maximè illam ultimam, quæ in ſupremo agone nobis erit neceſſaria, ut ſanctè moriamur!

§. 9. *Feſto S. Ioſephi petenda ab illo eſt peculiaris aliqua gratia.*

Refert inter alia de S. Thereſia, ab aliquot annis in ejus feſto ſoleo aliquid ab eo petere, videoque adimpleri: Rogo per amorem DEI, ut is, qui credere noluerit, probare dignetur. Videbit per experientiam, quantum bonum ſit, ſe ejus precibus commendare, & cum pietate cultum exhibere. Hodierna dominica Congregationis in hoc fuimus devoti, quod S. Joſephum elegerimus in Patronum & advocatum, in omnibus negotiis, ſed præſertim pro hora mortis. Proximo ejus feſto dies Martis permiſſum nobis erit, ut aliquid ab illo petamus. Ego hanc gratiam petam, ut hoc anno, uſque ad feſtum anni 70. ſubitaneâ morte non moriar, vel ſi Deo ab æternitate placuit ut ita moriar; ſaltem mors ſubitanea, non ſit mala mors ſed ſancta. Sodales amantiſſimi, rogo vos per amorem DEI, proximo feſto, idem facite; ego nihil dubito, petitio noſtra exaudietur; hoc exigo, ut probemus.

§. 10. *S. Ioſeph liberavit duos religioſos à naufragio.*

Hiſtoria Seraphica refert, duos religioſos ordinis S. Franciſci, cum tringinta alii in naufragio periiſſent, tres dies & noctes in aliquâ tabula, in alto mari jactatos fluctuaſſe. Facile eſt cogitare quàm ardentibus precibus auxilium petiverint de cœlo. Inter alia devotiſſimè invocarârunt S. Joſephum. Rem miram, ſtitit ſe illis ſuper mare vir amabili ſpecie & formoſo vultu; hic humaniſſimè illos ſalutavit, & conſolatos deduxit ad portum & littus. Petentibus, quis eſſet, reſpondit, *Ego ſum S. Joſeph!* Monuit illos, ut quotidie in honorem ſeptem dolorum, & ſeptem gaudiorum dicerent ſepties orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam. Ita evanuit ex oculis, ſed non è cordibus.

Atrocior

Digitized by Google

Atrocior tempeſtas nos jactabit in ſupremo agone: immanes nos jactabunt fluctus; periculorum omnium periculoſiſſimum nobis imminebit; jactura æternitatis. Sodales amantiſſimi, colite, amate S. Joſephum; S. Joſeph, vir amabilis & pulcherrimus, nobis aderit; ille nos ſolabitur, ille nos deducet ad poſtum æternæ gloriæ. Amen! Amen!

§. II. Amemus S. Ioſephum, & liberabit nos à naufragio æternæ damnationis.

CONCIO LXV.
FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.
Lucæ. 1. cap. v. 38.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicatur vocula, *Fiat*, quâ B. Virgo conſenſit in myſterium Incarnationis.

§. 1. *Angelus veniens ad Mariam, non eſt cauſa timoris & terroris, ſed magnæ ſpei, & lætitiæ.*

§. 2. *Pulcherrimum hunc mundum Deus creavit unica vocula,* Fiat!

§. 3. *Majora miracula operata eſt vocula* Fiat, *prolata à Virgine in Verbi Incarnatione, ſive mundi reparatione.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Vocula* Fiat, *poſuit executionem Incarnationis in Utero Virginis.*

§. 6. *Qualem Infantem nobis dederit vocula* Fiat, *ſive conſenſus Virginis in Incarnationem.*

§. 7. *Qualem eadem vocula nobis dederit Matrem.*

§. 8. *Dicamus proinde millies,* Ave MARIA.

§. 9. *Arbor cum pulcherrimis foliis, quibus inſcriptæ hæ voculæ,* Ave MARIA.

§. 10. *Encomia Virginalis Uteri.*

§. 11. *Novem pulcherrima Symbola myſterij Incarnationis.*

§. 12. *Epilogus.*

Digitized by Google

§. 1. *Angelus veniens ad Mariã non eſt cauſa terroru, ſed magnæ ſpei & lætitiæ.*

HOdierna fuit optatiſſima illa dies, quâ miſſus eſt Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, & nomen Virginis Maria. An exhorreſcitis fortaſſis dum nomen Angeli auditis, vel dum cœleſtis fulgor deſcendentis de cœlo Genij oculos veſtros perſtringit? abſit timor. Non eſt hic Cherubinus ille, qui fulmineum igneumque gladium ante Paradiſum diſtringit. Non eſt exterminator ille ſpiritus, qui primogenita omnia in Ægypto ferro ſuo unâ nocte exſcidit. Non eſt miniſter ille Divinæ Juſtitiæ, qui per medium Senacheribi exercitum cadaveribus cadavera cumulavit, & ſanguineis undis campos irrigavit. Non eſt ex illius unus, qui ſuper Sodomam & Gomorrham ultrices de cœlo flammas dejecerunt. Neque eſt ille, qui Davidi famem, peſtem, bellum de iratis nubibus fuit minitatus. Nolite timere mortales, hic Genius eſt Angelus pacis & boni nuntij legatus. In legationis ſignum manibus præfert; non Chaldæorum flammas, non Scytharum fulmen, non Perſarum arcum & ſagittas, non Martis acinacem, non clavam Herculis; Sed candidum lilium pacificæ olivæ ramuſculis exornatum. Mittitur enim ad puriſſimam Virginem, ut conſenſum ejus ſolicitet, ut hæc velit fieri DEI, & illius qui redimat genus humanum, Mater. De ipſo Angelo, de Angelicâ ejus ad Virginem Salutatione, de ipſo admirabili Myſterio Incarnationis, aliisq; circumſtantiis ago in aliis Concionibus. Conſenſum Virgo dedit unico verbulo *Fiat*! & *Verbum Caro factum eſt*, ait S. Joannes cap. 1. v. 14. vel ut eſt in Symbolo: *Incarnatus eſt de Spiritu ſancto & Maria Virgine & homo factus eſt.* Hæc ipſa verba hâc panegyri in laudem & honorem Magnæ Matris ex SS. Patribus; aliisque modis latius explicabo. Attendite.

§. 2. *Pulcherrimum hunc mundum DEus creavit, unica voculâ, Fiat!*

Unica hæc vocula *Fiat* Virgineo prolata ab ore, tanquam conſentientis animi nota, *Fiat*, ut ſcilicet obumbratione Spiritûs S. in meo utero, de meo ſanguine formetur corpus pro ſanctiſſimâ animâ, quã Filius Dei vult aſſumere; hæc inquam vocula & mira & magna opera patravit. Neminem equidem eſſe arbitror, cui illa ad animum non revocet, prima naſcentis mundi exordia, quando Deus dixit, *Fiat lux, & facta eſt lux*. Dixit, *fiat firmamentum, & factum eſt*. Dixit, *Fiant luminaria in firmamento cœli, & fecit DEus duo luminaria*

magna,

Digitized by Google

magna, ſolem & lunam, &c. Caput hoc prim ũ Geneſeos florido ſtylo ſic deſcripſit. Recens Orator, *dixit Deus fiat, & momento coierunt in orbes cœli; radiàrunt in lucem, geminæ ſolis lunæq; faces; effulſerunt in gemmas ſtellæ, undavit aer, librata eſt terra, intumuit mare, fluctuarunt lacus, fleverunt fontes, iverunt fluvij, volarunt aves, vixerunt animalia, ſteterunt arbores, viruerunt rami, floruerunt campi, natura omnis venuſtiſſimam in ſcenam digeſta exiliit in theatrum, quod cum admiratione & delectatione quotidiè ſpectamus. Unicum DEI verbum, unica vocula* fiat *tantæ fuit virtutis & potentiæ, ut produxerit cœlum & terram, elementa, atque omnes adeò creaturas.*

Hodiernâ die idem verbum pronuntiatum à Virgine facit, ut antiqua minus ſtupeamus miracula, & miremur majora. Non enim jam libet admirari ſpiritum Domini latum ſuper aquas, cum adhuc tenebræ eſſent ſuper faciem abyſſi; dum hodie ille Spiritus in mare (in Maria volebam dicere) ſupervenit, quo obumbrante Deus factus eſt homo, & Verbum Caro! Non obſtupeſco, ad unum loquentis Dei Verbum, *fiat*, repentè cœlos conſtitiſſe; hodie dum auguſtiſſima Virgo dixit, *fiat*, nova Divinitatis ſedes cœlo longè excellentior eſt fabricata, imò cœlum productum eſt animatum, quod eſt uterus Virginis; ſic illam appellant SS. Patres. Non obſtupeſco in primâ rerum productione ad unam vocem *Fiat*, ex ore Dei eructatam, congregationes aquarum factas eſſe maria. Ad Virgineum *Fiat*, omnium gratiarum congregationes factæ ſunt in Maria, *Ave gratia plena.* Non miror ibi Deo ſic jubente terram produxiſſe herbas virentes, Virgo dicit *Fiat*, & de Virgine terra prodiit momento flos campi. Nec miror ibi ad voculā *Fiat*, remoto caliginoſæ noctis & tenebrarum ſipario, exortam ſereniſſimam lucem, quando eventu longè feliciori ad Virginis *Fiat*, ſublatis tenebris, Virginalem uterum de cœlo ingreſſa eſt lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. O feliciſſimam voculam! quæ non lucem tantùm, ſed ipſum ſolem Juſtitiæ de cœlo traxit & mundo ſtitit.

§. 3. *Majora miracula operata eſt vocula, fiat, prolata à Virgine in Verbi Incarnatione, ſive mundi reparatione.*

Et quod mirandum maximè, voculâ *Fiat*, DEus materialem hunc mundum eduxit è nihilo, & creavit. Maria eâdem voculâ eundem per peccatum perditum & deformatum recreavit. S. Bern. ſerm. in Pent. *meritò in te reſpiciunt oculi omnis creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quidquid*

§. 4. *Proſecutio.*

 creave-

creaverat, recreavit. Hâc voculâ cœleſtes compeſcuit iras, DEI extinxit furorem, laxavit amores, accendit clementiam, diſſolvit vincula, ligavit diſtracta, ſtabilivit cum Deo fœdus, fundavit pacem, ſervam è carceribus naturam, in libertatem vindicavit. Cœlum detraxit in terras, terram convertit in cœlum. De vitâ redditâ exultatis, O mortales? *Virgo reddidit.* De repertâ gratiâ? *Virgo reperit.* De conculcato & contrito capite ſerpentis? *Maria contrivit.* De initio magni operis, & negotij ſæculorum, de initio Redemptionis humanæ? *Virgo dedit initium,* dum dixit, *Fiat*! de deſcenſu Verbi in hunc mundum? eadem Virgo ſuâ humilitate & virginitate inde detraxit. Sed quid eſt, quærit S. Irenæus, quod ſine conſenſu Mariæ non perficitur myſterium Incarnationis? quia nempè vult illam DEus omnium bonorum eſſe principium; ita ut nihil gratiæ, nullum donum vel auxilium cœlitus ad nos derivetur, in quo Mariæ voluntas non intercedat; ita enim decebat ut DEus, qui voluntati ejus Filij Incarnationem quodammodò ſubjecit, quod erat omnium operum DEI perfectiſſimum, reliqua etiam minora voluntati ejus condonaret.

§. 5. *Vocula fiat poſuit executionem Incarnationis in utero Virginis.*

Sed ad ipſum regredior Myſterium & illa miracula, quæ peracta ſunt, quamprimùm B. Virgo conſenſum dedit. Ut dixit, *Fiat.* 1. Qui conceptus fuit, ipſo inſtanti fuit Homo & DEus per admirabilem illam Unionem hypoſtaticam, quam ipſi Seraphini velantes oculos ſuos obſtupeſcunt. 2. Ut B. Virgo dixit, *Fiat*, iſtius infantuli, qui conceptus fuit, Corpus puncto temporis omnibus membris ac lineamentis abſolutum fuit; eodem puncto ex nihilo creata fuit ſanctiſſima anima & copulata cum corpore; eodem puncto corpus & anima divino verbo, in unâ eâdemque hypoſtaſi fuerunt conjuncta. 3. Ut dixit, *Fiat!* Admirabilis hic infans in utero puellæ conceptus fuit ſine operâ viri, ſolo Spiritu ſancto mirabiliter operante. 4. Licet conſenſum dederit, licet dixerit, *Fiat*, hic tamen infans, in hâc Conceptione Matris integritatem, & Virginitatem non læſit, non minuit, ſed ſacravit. 5. Infans hic eodem puncto temporis fuit ſapientiſſimus; ipſa ſapientia, ſanctiſſimus, ipſa ſanctitas, beatiſſimus; ipſa beatitudo. 6. O qualem infantem nobis dedit conſenſus B. Virginis primo inſtanti Conceptionis &

vitæ,

Digitized by Google

vitæ, omnibus ornatum virtutibus; humillimum, patientiſſimum, obedientiſſimum, &c.

§. 6. *Qualem infantē nobis dederit vocula fiat! ſive conſenſus Virginis in Incarnationem.*

Pergamus in hoc evolvendo myſterio: Quàm admirabilem Infantem concepit B. Virgo, dum dixit, *Fiat*. immenſum, abbreviatum; Omnipotentem, infirmum. Nulli peccato obnoxium, in formâ peccati; æternum in tempore. Immortalem in carne mortali, Inviſibilem, factum in ſimilitudinem hominum. Incomprehenſibilem, concluſum intra anguſtias uteri. Divitem, pauperem, glorioſum, deſpectum: Dominum, ſervum, in gaudiis, lachrymantem, lætiſſimum, triſtem: Verbo, Infantem, DEum. Quis non exclamet cum Eccleſiâ: *O ineffabile commercium!* Creator humani generis in Virgine dignatus eſt fieri homo. Cum Heſychio: *O miraculi magnitudinem!* Cum Proclo, *O Myſterij magnitudinem!* Cum S. Bonav. *O quàm magnum & omnibus ſæculis inauditum privilegium, quod virgo in utero concepit Filium Altiſſimi, dicendo fiat.* Cum S. Auguſt. *O nova verè miracula!*

§. 7. *Qualē eadē vocula nobis dederit Matrem.*

Sic, hæc vocula *fiat*, Deo & nobis hominibus Matrem dedit. Et qualem Matrem? ut Mater DEI eſt, eſt ſimul Mater admirabilis, Mater Agni, Mater digniſſima, Mater formoſa, pulchra, Mater excelſa Altiſſimi, Mater ditiſſima clavem tenens theſaurorum ſanctiſſimæ Trinitatis, Mater luminis & ſplendoris, Mater nova, Mater pulchræ dilectionis, Mater Virgo, Mater gratiarum, gratia plena, verbo, Mater DEI. Et nobis, qualem Matrem dedit hæc vocula, *Fiat!* Nobis filiis adoptivis eſt Mater vitæ, Mater ſalutis, Mater pacis, Mater dulciſſima, Mater amabilis, Mater piarum conſolationum, Mater benigniſſima, Mater veniæ, Mater miſericordiæ, Mater miſerorum, Mater Orphanorum, Mater Electorum, Mater ſanctæ Spei. O dulciſſima Virgo! O clemens, O pia, O dulcis Mater! *Fiat!* ecce tuos filios in hac valle lachrymarum gementes & flentes; ah *Fiat!* eſto nobis Mater dulcis, mater amabilis, Mater Conſolationis! O Virgo! *Fiat!* ecce filios tuos jacentes in tenebris, & umbrâ mortis! Ah *Fiat!* eſto nobis Mater lucis, eſto nobis ſtella matutina. O Virgo! ecce filios tuos orphanos, derelictos, inter manus inimicorum! Ah *Fiat!* eſto nobis Mater fortis, eſto nobis clypeus ut nos protegas & defendas. Ecce

nos reos multorum & gravium peccatorum, ſed peccavimus, ah *fiat*! eſto nobis Mater Miſericordiæ! Denique O Virgo, eccè tuos filios timore obrutos, anxietate ſepultos! quis ſcit an æternæ futuri ſalutis hæredes? Ah *fiat*! mihi & meis Chariſſimis Auditoribus eſto Mater Electorum, & Mater ſanctæ Spei. Certè ſpem magnam mihi addit doctrina quædam SS. Patrum, primo Conceptionis momento in utero Virginis etiam ſcriptum eſſe librum prædeſtinationis, ad omnium nomina conſentiente & annuente B. Virgine. O illam teneritudinem amoris, quam per Dei gratiam ſentio erga B. Virginem, præcipuè hodierno feſto, planè ſpero, annuente & rogante Virgine, meum quoque nomen fuiſſe ſcriptum inter Electos. Idem de vobis ſpero & exiſtimo.

§. 8. Dicamus proinde millies Ave Maria.

Hæc ſpes excitat ut ſtatuam de novo: ab hoc momento ardentiſſimè amare JEſum & Mariam. Inter varias devotiones ſtatuo præcipuè millies & millies ſalutatione Angelicâ quotidiè meam devenarari Matrem, dicendo die ac nocte, *Ave Maria*, (pronuntia totâ affectuosè) ſi toties totam recitare non liceat, hoc ſaltem continuum erit ſuſpirium, *Ave Maria*! O Virgo, quoad ſpiritus erit in naribus, in ore halitus, in corpore anima, motus in corde, ſanguis in venis, vigor in membris, ſenſus in capite, &c. frequentiſſimè & tenerrimè ſuſpirabo, *Ave Maria*.

§. 9. Arbor cum pulcerrimis foliis, quibus inſcripta hæc vocula: Ave Maria.

Audiveritis de pio milite, qui poſt converſionem, in monaſterio vivendo ſanctiſſimè, alias preces diſcere non potuit, quàm verba Archangeli Gabrielis: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Præter has voces aliud quod oraret non habuit. Poſt mortem ex defuncti ſepulchro, imò ex ſepulti ore pulcherrima excrevit arbor, in quâ ſingulis foliis aureis verbis & literis inſcriptum fuit *Ave Maria*. O ſi ego hodierno feſto ſuavi metamorphoſi Auditorum & filiorum B. V. corda, in talem poſſem commutare arborem; O ſi omnium animis inſculpere liceret hæc verba *Ave Maria*, &c. ut illis dulciſſimam noſtram Matrem devotiſſimè conſalutaremus!

§. 10. Encomia Virginalis Uteri.

Nunc ornari à me deberet Virginis uterus, veluti cœleſtis Sponſi thalamus & lectulus, quod facere conatus fuit S. Auguſtinus cum Ser. 17. de Nativ. dixit; *uterus Virginis verecundiæ*

dia ſertis coronetur; flammeus ibi roſa fulgor anhelet, albens lium candicet, mollis viola rutilet, purpurei ſpargantur flores, & vario nitore depictus Chriſti thalamus exornetur. S. Laurent. Juſtin. l. de caſto connubio c. 9. ait; *Erat quidem B. V. thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, & omni præditus ſanctitate; floribus aſperſus, virtutibus decoratus, fragrans caſtitatis odore, charitate fervens, virginitate redolens, pollens humilitate.* Sed his ego modò inhærere non poſſum, propero nunc ad ultimam orationis partem, ut in illa li fiat & verbum, &c. quibuſdam ſymbolis vobis explicem ex doctiſſimo P. Maſenio.

1. Cum Virgo pronuntiavit *fiat*; in ejus utero verbum Caro factum eſt. Eja pictores depingite arcam fœderis, ego apponam hoc lemma; *Pretioſa latent*. Quid enim pretioſius quàm verbū Dei; quod Caro factum in Virginis utero latet. 2. Cùm Virgo Angelo reſpondit, *fiat*! *Verbum Caro factum eſt*; pingite Magnetem adhærentem & ſociantem ſe ferro, cum hâc epigraphe, *facit utraque unum*, ſcilicet ille amor & naturalis ſympathia, quæ occulto glutine ſtringit magnetem & ferrum. Fortior hoc amore fuit Maria, quæ de cœlo in ſuum uterum traxit DEum; Virgo fuit magnes, annulus ipſe DEus. 3. Cum ex melleâ linguâ Virginis ſtillavit hæc vocula, *Fiat*; in ejus utero Verbum Caro factum eſt; age mare, ejice ad littus niveam concham, fœcundam nobili unione, ut dici poſſit, *cœlo fæcunda parente*. A ſole enim ex tenui rore formatur unio, & dum Virgo hodiè concepit, ſol fuit DEus & ſpiritus S. ros & unio JEſulus; concha fuit Maria. 4. O ſuavem voculam! *Fiat*! cum Virgo illam ore protulit, in utero ejus Verbum Caro factum eſt. Memores eſtote horologij, quod Carolus V. in parvulo annulo circumtulit, de quo benè ille dixit: *in parvo magna*; tot rotas, tot circulos, &c. parvus annulus Cæſaris fuit complexus. Nemo hæc hoc die miretur, quo parva Virgo ſuo utero concluſit magnū & immenſum DEum. 5. Cum ex ore Virginis hæc vocula, *Fiat*, in cœlis inſonuit, Verbum de cœlo deſcendit in uterum Virginis, & factum eſt Caro. Pingite radicem roſæ; addite hæc verba: *pulchra latent*. Nam in humili radice latet formoſa roſa, quæ mox prodibit. De humili Virgine naſcetur JEſulus omni roſa formoſior, jam latet.

§. II. *Novem pulcherrima Symbola myſterij Incarnationis.*

6. Dixit

6. Dixit Maria, *Fiat*! *& Verbum Caro factum eſt.* Non mihi diſplicet penicillus pictoris, qui cryſtallinam feneſtram pinxit cum hâc inſcriptione, *clauſam tranſit*, nimirum ſol cum penetrantibus radiis per vitrum ſuam tranſmittit & communicat lucem. Cryſtallina feneſtra, lucidiſſimum vitrum fuit uterus Virginis; quem DEus ſalvâ Virginitate ingreſſus eſt. 7. Virgo reſpondit Angelo, *Fiat*! & *Verbum Caro factum eſt*, & ſimul in Virgineo ſpeculo apparuit imago ſolis, cum lemmate, *In parvo totus.* Sol enim longè major terris, totus cernitur in ſpeculo parvo. In parva puella, omni ſpeculo formoſiore eſt totus DEus homo. 8. Suaviſſimæ hujus voculæ, *Fiat*, echo reſonuit in cœlis, & Verbum Caro factum eſt, id eſt, verbum inſtar roris deſcendit in uterum Virginis. Depingite Vellus Gedeonis, & addite pauculas has voces, *Tacitis ros influit aſtris.* 9. Denique pingatur aliud ſpeculum, in quo collecti radij ſolis ſarmenta inflammant, cum hoc lemmate: *Vis major in arcto eſt.* Concavitas ſpeculi in unum cogit & colligit ignem ſolis. Magis miremur, in arcto utero Virginis contineri immenſum ſolem Juſtitiæ, & lucem Divinitatis inacceſſibilem; Colligam ego paucis verbis omnia quæ dixi, Maria hodiè concepit Filium DEI!

§. 12. *Epilogus.* Ut tanti myſterij & gaudij ſimus participes, opto, ut & noſtra corda ſint arcæ & conchæ, de quibus dici poſſit: *pretioſa, pulchra, magna latent.* Nimirum aurum Charitatis, ros divinæ gratiæ, Uniones variarum virtutum; latent in illis ſanguis & vulnera Chriſti Salvatoris, hæc pretioſa, hæc pulchra, hæc magna ſunt. Opto corda noſtra eſſe cryſtallina ſpecula, in quibus reluceat imago ſolis æterni, ſive ſanctiſſimæ Trinitatis.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXVI.
FERIA II. PASCHATIS.

Surrexit, non eſt hic.

Marci 16. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRiumphus Chriſti reſurgentis in ſelectis figuris, atque picturis exhibetur; & ad commune orbis gaudium animantur Auditores.

§. 1. *Orienti ſoli congratulantur Avicula: nos Chriſto reſurgenti.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *David triumphans devicto Goliatho redit in urbem.*

§. 4. *Triumphus Chriſti de hoſtibus.*

§. 5. *Exponitur illud Pſalmi* 2. Reges eos in Virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.

§. 6. *Angelus cum clave Abyſſi, ex Apocalypſi, Chriſto applicatur.*

§. 7. *Exponitur vaticinium Iſaia de Leviathan.*

§. 8. *Jonas Propheta in plurimis Chriſto comparatur.*

§. 9. *Adducitur Leo ex Apocalypſi.*

§. 10. *Mira metamorphoſis, Agnus mutatur in Leonem.*

§. 11. *Symbola varia & pictura reſurgentis Chriſti. v. g. Phœnix.*

§. 12. *Pictura ſecunda, reſurgens in vere arbor & floſculus.*

§. 13. *Brigitta revelatio de die Paraſceves, applicatur diei Reſurrectionis.*

§. 14. *S. Bernardus melliflué ſemet excitat ad gaudium hujus feſti.*

§. 15. *Chriſto erigamus Columnam Victoria, cum Conſtantino.*

§. 16. *Vivit Joſeph noſter: Gaudeamus.*

Digitized by Google

§. 1. *Orienti ſoli congratulantur aviculæ. Nos Chriſto reſurgenti.*

QUamprimum formoſa aurora primis radiis ſummos illuſtrat montes, præcipuè cum ſol lucidam faciem montibus, campis, hortis incipit oſtendere; aviculæ, quæ noctè in tenebris conticuerunt, quæ fortaſſis ob aliquem imbrē latuerunt in cavernis petrarum, in caveis arborum, vel in nidis; quamprimùm evolant, pennis ſe librant in altum, volant per aëra, acuunt roſtra, & ſuaviſſimis voculis Orientem ſolem ſalutant, & creatorem ſuum, quantùm poſſunt, deprædicant, ut montes & valles, horti & campi ſuavi illo concentu latè reſonent. Nos, nos Auditores, hoc triduo fuimus illæ aviculæ; ah quàm triſtis abiit nox? In quibus fuimus tenebris, cum ipſe ſol medio die fuit ecclipſatus? eheu! quàm horridus ingruit imber? ſanguineus imber? quæ tonitrua divinæ Juſtitiæ præcipuè in monte Calvariæ? ideò veluti ſolitarij paſſeres quæſivimus latebras ſub foliis & umbrâ Crucis, ideò veluti triſtes turtures ſedimus juxta rivulos aquarum & flevimus, ideò quæſivimus cavernas in petrâ, in Vulneribus Chriſti Crucifixi, ideò fuimus triſtes & ſedimus in ſilentio cordis & oris, attoniti ob terribilia tormenta, ob atrocem mortem, quam filius DEI in Cruce pro nobis ſuſtinuit. Sed, *orto jam ſole*, inquit S. Marcus in hodierno Evangelio, imber ille abiit, hyems tranſiit, nox illuminata eſt, ſol ex ecclipſi ſe expediens ſurrexit longè pulchrior ac lucidior. Aurora, quæ & ipſa triſtis fuit, rurſum ridet, eja aviculæ, eja Chriſtiani, relinquite nidos, relinquite macerias, ceſſate flere & gemere, evolate in altum, jucundiſſimis cogitationibus librate vos in aëra, lætis mentibus, lætis vocibus orientem ſolem ſalutate, canite *Alleluja*, canite; *hæc eſt dies*, &c. ut in montibus, in vallibus, in cœlo, in terra reſonet lætum *Alleluja*, præeunt aves cœleſtes in paradiſo, reſonat in Cœlo *Alleluja*, reſonet quoque in terris. Modo divino & admirabili ſupplicia, tormenta præterita facta ſunt cauſa gaudij præſentis, ex morte nata eſt vita, ex confuſione, ex opprobriis, ex ludibrio honor & gloria, Chriſti ante triduum Crucifixi, hodie glorioſè à mortuis reſurgentis.

Quam-

Digitized by Google

Quamobrem quomodo illi congratulari debeamus, ex ſelectis S. Script. figuris hâc Concione oſtendam; Spero vos mihi veſtrâ attentione ac benevolentiâ non defuturos. §. 2. *Propoſitio.*

Poſtquam David juvenis, ſed egregius miles, pro ſalute publicâ, patriâque feliciſſimè pugnâſſet cum ſuperbo Goliath, poſtquam eum lapide dejeciſſet, poſtquam caput præſcidiſſet, glorioſus rediit in urbem Jeruſalem, alterâ manu in ſignum victoriæ portans ſanguineum caput devicti gigantis, alterâ gladium, quo præſciderat; quæ lingua, quæ facundia narrare poterit, quo favore, quo applauſu, quâ gratulatione totius urbis fuerit exceptus? Certè omnes nobiles & formoſæ Virgines ſaltando cum choris iverunt obviam, cum citharis, cum cymbalis, cum tympanis cantando, *Saul percuſſit mille, David autem decem millia.* 1. Reg. 18. v. 7. Quantum Judaicum populum hæc victoria exhilaravit, tantùm contriſtavit & humiliavit Philiſtæos antè tam animoſos, tam ſuperbos, & quia proſtrato Goliatho ſtare in campo non poterant, in turpem fugam ſe conjecerunt. O Chriſtiani! iſte eſt hodiernus triumphus, iſta eſt Victoria, quâ Dux noſter Chriſtus Dominus verus David, fortis manu, formoſus aſpectu, vicit, dejecit ſuperbum illum inferni gigantem, apud quem erat imperium mortis, hodiè gladio & virgâ crucis contrivit caput ejus. Dum hodiè glorioſus è prælio ad nos redit, nunquid par eſt, ut excipiamus cum gaudio, cum ſolatio, cum jubilo? nunquid par eſt, ut ſit illi gloria in cœlis, in terrâ, in inferno? nunquid æquum eſt, ut in tympanis & choris canamus lætiſſimum *Alleluja*, quantum reſurrectio Chriſti nos exhilarat, tantum affligit ſuperbos Philiſtæos, ſynagogam, diabolum, infernum, mortem, in facie tam glorioſi Ducis & regis ſubſiſtere non poſſunt. Abacuc. 3. v. 5. *ante faciem ejus ibit mors.* Pſ. 67. v. 2. *Exurgat DEus & diſſipentur inimici ejus.* -- nobis verò ſtatim dicitur, *Cantate DEO, Pſalmum dicite nomini ejus, aſcendit ſuper occaſum* (his diebus fuit occaſus, hodiè ortus) *Dominus nomen illi*: p. locus. §. 3. *David triumphans in Urbem redit devicto Goliatho.*

§. 4. *Triumphus Chriſti de hoſtibus.*

Exodi c. 15. v. 15. *tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Canaam, irruit ſuper eos formido & pavor in magnitudine brachij tui. Dominus regnabit in æternum.* Terrorem incuſſit virga Moyſis, idem contigit in reſurrectione Chriſti. Rup. c. 37. *pulcherrimi cantici clariſſimus & valdè ſonorus eſt epilogus. Dominus regnabit in æternum.* (applica) nunquid ex Pſ. 2. v. 1. dicere potuimus, *Quare fremuerunt gentes?* fremere eſt frendere, ferocire, quod proprium beſtiis, equis, mulis, &c. tales fuerunt his diebus, Phariſæi, ſed ubi hodie? timor, tremor irruit ſuper illos. Pſ. 2. v. 3. dixerunt, *dirumpamus vincula-projiciamus à nobis jugum,* hodiè, velint nolint, ſubjugati ſunt, nolentibus à Chriſto impoſitum eſt jugum. S. Chryſoſt. *adverſus quem fremuerunt, dic citò: adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus. O cæcum bellum! ô pugnam impudentiſſimam!* quomodo omnes hoſtes Chriſti contriti ſunt.

§. 5. *Exponitur illud Pſ. 2. Reges eos in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos.*

Non eſt inelegans ſimile, quo hujus triumphi magnitudinem deſcribit Propheta regius Pſ. 2. v. 9. *Reges eos in Virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos,* perinde ac ſi diceret: quemadmodum vas teſtaceum alliſum ſolo in plurimas partes confringitur, potiſſimùm, ſi illud adhuc forti baculo repercutias: ita confracti jacent à triumphante, poſt mortem, Domino, inimici ejus. Robuſto ſanè baculo ſunt excepti, baculo S. Crucis. Et poſſint adhuc fremere? poſſint adhuc iram viresque exerere adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus? Equidem non arbitror, væ, væ illis, ſi quicquam horum attentaverint; confringentur ut vas figuli, comminuentur in nihilum.

§. 6. *Angelus cũ clave Abyſſi ex Apocalypſi Chriſto comparatur.*

Apoc. 20. v. 1. 2. & 3. vidit Joannes Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu, qui apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos 1000. & miſit in abyſſum, & ſignavit ſuper illum. Quis ille Angelus, niſi qui hodie glorioſè reſurrexit à mortuis JEſus Salvator? Verè Angelus, id eſt, Legatus Patris ſui cœleſtis; verè Angelus vitâ, moribus, opere, verbo. Verè Angelus, imò Angelorum Rex & Dominus. An non Angelus ille deſcendit de cœlo ante annos 33. natus ex Mariâ Virgine? an non

Digitized by Google

an non habuit clavem abyſſi, ſanctam Crucem, quâ claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit? O aurea cœlorum clavis! O regia clavis, quâ clauduntur inferi, cœli reſerantur! hodiè catenam magnam manu tenet, hoc eſt, reſurrectionis gloriam, quâ concatenata trahitur dæmonum turba, cum morte, cum peccato, cum ipſis inferis. Plaudamus omnes hodie, Cantemus omnes *Alleluja*, nam ſerpens ille antiquus ligatus eſt ab Angelo Pacis, atque ita ligatus, ut ijs ſe vinculis in æternum amplius expedire non poſſit.

Victoriam hanc pulchrè prædixit Iſaias. c. 27. v. 1. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum; & occidet cetum, qui in mari eſt.* De hoc gladio S. Chryſoſt. hom. 55. in c. 16. Math. *quo diaboli vires Chriſtus diſſolvit, quo draco lethale vulnus accepit, & cujus ictu illius caput rotavit.* Adhucdum gladius ille victor reſtat; quem pertimeſcunt omnes ſerpentis tortuoſi aſſeclæ, nec immeritò; nam ſcriptum eſt Pſ. 88. v. 24. *Et concidam à facie ipſius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam.* Hujus ſtragis glorioſo hoc die factum eſt initium, conciſi ſunt inimici ejus, in fugam converſi ſunt omnes odientes eum: porrò ſic fiet cum hoſtium reliquiis uſque ad conſummationem ſæculi. Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit, gladium utique ſanctiſſimæ Crucis vindictam ſumentem ab impiis. De hâc hoſtium à Chriſto ſtrage iterùm Iſaias c. 36. v. 3. *Conculcavi eos in furore meo, & deduxi ſanguinem eorum in terram, & aſperſa ſunt veſtimenta mea.* Euthymius ad Pſ. 67. *eſt metaphora à ſtrenuorum militum certamine tracta, qui cum fuerint victores, cæſorum hoſtium cadavera calcant, & in defluenti ſanguine pedes intingunt.* Jam non eſt quod interrogemus amplius cum Iſaia, *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum*, ô ſponſe ſanguinum! In promptu cauſa eſt, ſtetit in medio cæſorum hoſtium, & pedes & veſtes inimico ſanguine cruentavit, jacent devicta ſuperba capita, *Alleluja*, triumphat Rex gloriæ; victoriæ ſigna ipſe color pedum veſtiumque rubicundus teſtatur. Hinc ſecundùm Pſ. 21 v. 28. *Adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium, quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium* (pulchrè, mortis, inferni) *In conſpectu ejus cadent omnes, ſivè, genu flectent.*

§. 7. *Exponitur vaticinium Iſaiæ de Leviathan.*

§. 8. *Ionas Propheta in plurimis Chriſto comparatur.*

Veniamus nunc ad aliam ſelectam itidem figuram de Jonâ Prophetâ, quem ipſe Salvator in ſui ſignum poſuit. In hiſtoria autem Jonæ ſunt multa conſideranda. 1. quod contra navim, quâ vehebatur, adeò ſæva exorta fuerit tempeſtas, ut eam non nautæ, non preces, non onera ejecta, non omnes omnium labores atque conatus avertere potuerint, in hoc ſalus navis pependit, ut Jonas ejiceretur. 2. Concluſum hoc omnium ſuffragiis, 3. Etiam Jonæ ipſius. 4. Unde projectio fuit illi voluntaria, c. 1. 12. *tollite*, &c. 5. Jonas ejectus brevi tempore, antequam à ceto deglutiretur, gravem ſuſtulit tempeſtatem. c. 2. v. 4. *Omnes gurgites tui*, *&c.* 6. Caput ejus opertum juncis, quomodo hoc, undenam junci? nempè fluctus eos avulſerant à ripâ maris. *Pelagus operuit caput meum*, in hebr. eſt zuph, *juncus*; unde juncus operuit caput. 7. præparatus cetus, qui 8. & quamprimum Jonam devoravit, deſcenditque cum illo in profundiſſimum pelagi. c. 2. v. 7. *ad extrema*, &c. 9. Cetus Jonam retinuit tribus diebus & tribus noctibus. 10. tandem evomuit. 11. cum ipſo alios piſces. 12. Cum nautæ crederent eum jam conſumptum, ipſe Salvus in Ninive mirabilia patrabat. Pulcherrima ſigna 1. Nota eſt tempeſtas, quæ per peccatum contra hominem excitata fuit, heu quanta, quàm valida, quàm atrox illa tempeſtas! omnes inferni fluctus inſurrexerunt in hominem, omnes calamitatum procellæ ipſum obruerunt, nullus ſpirabat mitior ventus, conturbata erant omnia in vaſto hujus mundi pelago, nil niſi exitium erat præ oculis; 2. nec erat qui ſuccurreret, nulli conatus aut labores quicquam profuiſſent, niſi Cœleſtis ille noſter Jonas Filius DEI dejiceretur in mare paſſionis. Jonas, id eſt Columba, candida columba fuit JEſus. Conati quidem ſunt Patriarchæ placare DEum per varia ſacrificia, &c. ſed Hebr. 10. v. 4. *impoſſibile erat ſanguine hircorum & taurorum auferri peccata.* 3. Contigit hoc volente ſanctiſſimâ Trinitate Joan. 11. v. 50. *Expedit*, &c. 4. Voluit Chriſtus, Joannis 10. v. 17. *nemo tollit animam meam à me*, *ſed ego pono eam:* in manibus captivantium, propter me tempeſtas iſta, ligate &c. 5. fluctibus agitatus ab horto uſque ad montem Calvariæ in NN. &c. Pſ. 87. v. 8. *Omnes*, &c. 6. junci in caput convoluti ſunt, in

ſpineâ

Digitized by Google

ſpineâ coronatione. 7. præparatus cetus, id eſt, mors vel ſepulchrum. 8. deſcendit Chriſtus Dominus ad inferos. 9. fuit tribus diebus & noctibus in ſepulchro. Mors hunc bolum digerere non potuit. 10. hodie evomuit, id eſt, Chriſtus Dominus prodiit ex ceto. Pſ. 15. v. 8. *non relinques*, &c. (Si tempus ferat compara hic mortem cum dracone Babylonico Dan. 14.) *11.* redditi quoque Patres è limbo. (pulchrè) 12. Putant Judæi Chriſtum Dominum conſumptum, ſed à mortuis redivivus patrat mirabilia!

Sed relinquamus Jonam & gradum faciamus ad victorioſum Leonem, cujus ſanctus Joannes in Apocalypſi facit mentionem. c. 5. v. 5. *Vicit Leo de tribu Juda*, leunculus naſcitur velut mortuus, tertio die ad rugitum & fremitum leonis patris, cum fremitu quaſi reſurgit, vel appareat vivens. Gen. 49. v. 9. *Catulus Leonis Juda, quis ſuſcitabit eum?* Chriſtus triduo jacuit mortuus in ſepulchro? quis ſuſcitabit? fecit hodiè Omnipotentia Patris, redivivus Leo dicit, Pſ. 3. v. 6. *Ego dormivi & ſomnum cœpi, & exurrexi, fui mortuus & ecce ſum vivens.* Hâc voce veluti rugitu leonis exterrita eſt ſynagoga, tremuit Satanas, Mors exhorruit. Amos. 3. v. 4. *Leo rugiet*, quis non timebit? Dominus locutus eſt, quis non formidabit? vicit Leo de tribu Juda! *§. 9. Adducitur Leo ex apocalypſi.*

O miram metamorphoſim! quis vidit agnum transmutari in Leonem? ante biduum manſuetus Agnus fuit Salvator noſter, hodiè amicis eſt glorioſus leo, inimicis terribilis! Agnus fuit dum mortuus eſt, Leo eſt dum reſurgit. Agnus fuit in paſſione, in arâ Crucis, hodie leo eſt in victoria; fuit agnus in ſacrificio, hodie in præda eſt leo. Gen. 49. v. 9. *ad prædam aſcendi fili mi, ut leo, & quaſi leæna*, nimirum dum de cruce deſcendit in infernum, expolians illũ & liberans captivos. c. 38. v. 39. quærit Job. *nunquid capies leænæ prædam, quando cubat in antris, aut in ſpecubus inſidiatur.* Leo fuit ſatanas, in antro, in ſpecu limbi tenens captivos ſanctos Patres, quis putâſſet fieri potuiſſe, ut aliquis ingreſſus huic leoni hanc prædã eriperet? fecit leo fortior, fecit Leo de tribu Juda, ad ingreſsũ leonis tremuerunt diaboli, quando viderunt hunc leonem tantâ vi diſrumpere catenas abyſſi, tollere ſeras, confringere æreas portas inferni. Quæritis fortaſſis *§. 10. Mira Metamorphoſis Agnus mutatur in Leonem.*

fortaſſis ô beſtiæ infernales quis ille ſit? irradiatus tantâ luce? quis ille vultu tam terribili coruſcans? Si placet, attendite, dicam: Eſt ille Rex gloriæ, eſt Dominus Dominationum, Virtutum & Majeſtatis. Quis ille? eſt, quem vos per Judæos ante triduum tot affeciſtis cruciatibus. Quis ille? eſt, quem veſtro inſtinctu, Phariſæorum invidia contrucidavit. Quis eſt ille? eſt, quem vidiſtis affixum Cruci, & expirantem in illâ. Nunc vivit, nunc ut leo dividit ſpolia, quis ei reſiſtet? Eja vicit Leo de tribu Juda: fugite hoſtes, contremiſcite partes adverſæ. Orig. h. 6. *tremunt & timent dæmones Crucem Chriſti; in quâ triumphati ſunt & exuti principatus eorum & poteſtates.* S. Hier. in Pſ. 91. *ipſe Crucifixus quidem erat corpore, ſed verè crucifigebat ibi dæmones;* Dum hodiernâ luce victorioſus hic leo ex inferno, ex ſepulchro cum tantâ gloriâ, cum tam nobili præda redit in mundum; nunquid par eſt, ut excipiamus cum gaudio, nunquid par, ut cum tympanis cantemus, vicit Leo! nunquid par ut acclamemus *Alleluja*!

§. 11. Symbola varia & picturæ reſurgentis Chriſti. Et primò Phœnix.

Hactenus in figuris. Alterâ nunc Concionis parte ob oculos ponam aliqua pulchra ſymbola vel picturas, quæ glorioſam Chriſti reſurrectionem adumbrant, & ut Chriſto reſurgenti cum jubilo aggratulemur, admonent. Phœnix unus & ſolus in terris, cum mori vult, præparat ſibi nidum ex odoratis lignis; hæc dum à ſole accenduntur, comburitur & moritur phœnix, in cineribus naſcitur vermiculus, hic poſt paucos dies eſt novus Phœnix; ſic Phœnix mortuus, redivivus reſurgit, & vivit, redivivo phœnici applaudit natura. Phœnix eſt Chriſtus Dominus, unus & ſolus Phœnix, unus ſolus Chriſtus, unus ſolus liber in morte, unus ſolus ſine peccato, unus ſolus DEUS & homo; unus ſolus Crucifixus, unus ſolus ſuâ virtute redivivus! Ante triduum ultrò ac ſponte ſuâ ſe poſuit in ardenti rogo charitatis, odorifera ligna fuerunt palma, cypreſſus, oliva, cedrus, ex quibus ſanctiſſima Crux fuit formata, in hoc nido mortuus eſt Chriſtus; factus ſicut vermis, non homo, hodiè divinus Phœnix revixit, volavit in altum longè pulchrior, illuſtrior, glorioſior, quam antè. Simus & nos phœnices, moriamur mundo, peccatis, concupiſcentijs, ut reviviſcamus cum Chriſto.

Altera

Digitized by Google

Altera pictura refert jucundum hortum, & in illo pulcherrimam arborem,& florem venuſtiſſimum,adveniente hyeme truncus & folia floris langueſcunt, emoriuntur, diſparent, manet ſola radix in terrâ. Redeunte vere & ſole rurſum quaſi ex tenebris emergit, mox natura rurſum truncum condecorat folijs & floribus exornat. Ecce Sponſum qui Cant. 2. v. 1. de ſe ait, *Ego flos campi & lilium convallium.* In hyeme paſſionis ante biduum, ah quomodo languit? ah quomodo perdidit pulchritudinem, decorem, vigorem, virorem? *Vidimus eum & non erat ei aſpectus, non erat ei decor, neque ſpecies.* Iſ. 53. v. 2. Sed dum hodiernâ die ex ſepulchro prodit ſicut ſol, in vere gloriæ, è terra erumpit veluti flos, tam pulcher, tam amœnus, tam formoſus ut ex Pſ. 27. v. 7. dicere poſſit, *Dominus adjutor meus, in ipſo ſperavit cor meum, adjutus ſum & refloruit caro mea.* Arbores licet ſuo tempore præſcindantur, tamen eò magis vireſcunt, Job 14. v. 7. *lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami ejus pullulant, & ſi emortuum fuerit, truncus ejus ad odorem aquæ germinabit.* Idem verum eſt de vite; & illi ſe comparavit Chriſtus Dominus, *Ego ſum vitis vera.* O quomodo his diebus præciſa illa fuit; inſtrumenta fuerunt flagella, ſpinæ, clavi, lancea: habitus fuit pro arbore tam inutili, ut dixerint Judæi, *Eradamus eum de terrâ viventium, ut quid enim terram occupat, inutilis eſt operibus noſtris!* Jerem. 11. v. 19. Sed! O glorioſam hodie vitem! O glorioſam arborem! ideò Chriſtus hodie in reſurrectione ita floret, ideò eſt arbor de quâ Pſal. 1. verſ. 3. *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore, & folium ejus non defluet, omnia quæcunque faciet, proſperabuntur.* Hiſce diebus ſedimus ſub umbrâ arboris Crucis & miſere flevimus; nunquid par eſt, ut hodiè ſub eadem arbore, ſed glorioſâ & benedictâ, ut ſub umbrâ glorioſi reſurgentis Chriſti gaudeamus, exultemus & canamus lætum *Alleluja!* §. 12. *Pictura ſecunda, reſurgens in vere arbor & floſculus.*

Sanctæ Brigittæ revelatum fuit die Paraſceves, in morte Chriſti omnia viventia internam quandam & inſolitam ſenſiſſe triſtitiam, quaſi pugionis ictu eſſent vulnerata. Fortè ideò §. 13. *Brigittæ revelatio de die Pa-*

raſceves applicatur diei reſurrectionis.

factæ ſunt tenebræ, ut illum dolorem creaturæ ſentirent magis; fortè ideo tremuit terra, & petræ ſunt ſciſſæ, ut major eſſet terror & horror; tantus ille fuit, ut ſanctus Dion. Areop. dixerit, *aut auctor naturæ patitur; aut mundi machina diſſolvetur.* Talia contigerunt, ut omnes creaturæ ſentirent, omnium vitam mori in Cruce! Dum verò hodiernâ die vita reſurrexit, probabile eſt omnes creaturas inſolitâ quâdam geſtiiſſe lætitiâ, probabile eſt, exultâſſe cum Angelis cœlos, cum cœlis ſolem, cum ſole lunam, cum luna ſtellas, cum ſtellis ventos, cum ventis aërem, cum aëre terram, cum terrâ montes, cum montibus valles, cum vallibus arbores, cum arboribus flores, cum floribus fructus, cum fructibus ſemina, cum ſeminibus plantas, cum plantis animalia, cum animalibus fluvios, cum fluviis mare, cum mari piſces, denique probabile eſt totam hodiernâ die exultâſſe naturam. An non ergò æquum eſt, ut nos hodie lætemur & exultemus!

§. 14. *S. Bernardus melliflué ſemet excitat ad gaudium hujus feſti.*

Mellifluis verbis ad gaudium ſe excitavit mellifluus Bernardus Ser. 2. Paſch. *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Chriſtus reſurrexit à mortuis, recordatione tantæ dulcedinis, tuorum mitiga dolores fletuum: Chriſti reſurrectio fidelis animæ eſt jubilus & dulcedo hæc mel in ore, & jubilus in corde, extaſis mentis devotæ, dulcor ejus omnem excedit eloquentiam, totam abſorbet conſcientiam, & transformat in ſupernæ jubilationis imaginem, & deliciarum cæleſtium novitatem. Conſiderata* (reſurrectionis) *mira ſuavitas totus inebriat medullas animæ.* Inter ſuaves has conſiderationes, inter affectuoſas cogitationes, in hoc jubilo cordis Chriſto à mortuis reſurgenti, & Victori glorioſiſſimo, animitùs debemus congratulari & congaudere.

§ 15. *Chriſto erigamus columnam victoriæ cum Conſtantino.*

Facere poſſumus, quod Conſtantinus Magnus fecit. Ituro in hoſtem Maxentium ſereno die in cœlo apparet ſanctæ Crucis ſignum, cum hâc inſcriptione, *in hoc ſigno vinces*, ſic contigit. Poſt hoc æream Crucem in foro ſuper columnam poſuit, quam νίκην, id eſt, victoriam appellavit. Si pictor eſſem ſimilia in gloriam reſurgentis Chriſti Domini hodiè pingerem. Columnam ſi vultis illam, ad quam ante triduum eſt flagellatus, ſuper illam ſtatuerem, vel Crucem; ſi vultis illam, cui affixus fuit, vel

vel ipſum Chriſtum Dominum cum vexillo Crucis in manu; adderemque aureis litteris, *Victoria*! Victoria de dæmone in virtute Crucis, Victoria de mundo! Victoria de inferno! Victoria de infernali Holoferne! Victoria de carne, Victoria de peccato! Itaque vivat, vivat victorioſus JEſus! Eja, Angeli, Eja, Archangeli, Eja! omnes Cœleſtes! pſallite, cantate! Alleluja! Chriſtus Dominus vicit!

Putabat Jacob filium ſuum Joſeph mortuum, tulerant enim fratres veſtem cruentatam, aſſerentes, *fera peſſima devoravit eum*, cum tandem Gen. 45. v. 28. intellexit filium ſuum regnare in Ægypto, dixit: *ſufficit mihi ſi filius meus Joſeph vivit*. Ita ſanè Auditores, ſufficit nobis, gaudeamus, vivit Joſeph noſter! Ante biduum audivimus derelictum ab omnibus; hodiè ſequitur nuntius, qui eum Regem Gloriæ, ac Dominum Univerſorum proclamat. Vivit Joſeph noſter! Ante biduum audivimus illum clauſiſſe oculos in mortem; hodiè nuntius, O felix nuntius! eum glorioſè reſurgentem à mortuis commemorat! Gaudeamus itaque, vivit Joſeph noſter, atque ita vivit in gloria ſui Patris, ut & illius nos velit eſſe participes. Vivit Joſeph noſter, cantemus ei lætum epinicion, dicamus omnes! *Alleluja*, vivit Joſeph noſter, vivit!

§. 6. *Vivit Joſeph noſter Gaudeamus.*

CONCIO LXVII.

FERIA III. PASCHATIS.

Pax vobis.

Joan. 20. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit modum practicè amandi JEſum reſurgentem, & ei congratulandi.

Digitized by Google

§. 1. *Incipit à gaudio & jubilo feſtorum Paſchalium.*

§. 2. *Propoſitio. De practico amoris erga reſurgentem Chriſtum exercitio.*

§. 3. *Hoc conſiſtit in gaudio & jubilo de bonis JEſu in eius reſurrectione.*

§. 4. *Varia illius gaudij objecta.*

§. 5. *Angelorum miniſteria exhibita reſurgenti Domino, varia.*

§. 6. *Gaudij cauſa magna ex quinque JEſu Vulneribus nunc radiantibus.*

§. 7. *Gaudium & adorationes ſanctorum Patriarcharum Adami, Abraha, Joſephi, Joannis Baptiſtæ nos excitant ad imitationem.*

§. 8. *Gaudium Mariæ Virginis ſit quoque gaudium noſtrum.*

§. 9. *Amoris ſecundum exercitium conſiſtit in frequenti de eo cogitatione, & ſuavi ejusdem imaginatione.*

§. 10. *Varij affectus amantis JEſum animæ, & exultantis.*

§. 11. *In ſuaviſſimo roſariolo amoris JEſu, accenditur affectus.*

§. 12. *Praxis Roſarioli amoris JEſu.*

§. 13. *Dignitas illius.*

§. 14. *Affectuoſum colloquium Chriſti cum B. Mechtilde de amore.*

§. 1. *Incipit à gaudio & jubilo feſtorum Paſchalium.*

QUæſo vos, Auditores, dicamus his feriis paſchalibus millies cum B. Gratia Valentiniana Ordinis ſancti Franciſci, ſed ex corde, & cum jubilo, *Chriſtus vivit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus ab omni malo nos defendit.* B. Mechtildis hoc tempore cum ſingulari guſtu repetere ſolebat verba illa Jobi, *Credo quod Redemptor meus vivit*; & revelavit illi Chriſtus Dominus, Beatos triumphantes in cœlis, his fidei actibus à viatoribus de myſterioglorioſæ Reſurrectionis elicitis, præcipuè delectari, rogareque pro illis ut aliquando cœleſtis gaudij fiant participes, dicamus ergò millies, Redemptor noſter his diebus mortuus, rurſum vivit. Dicamus cum Jacobo, Gen. 45. v. 28. *ſufficit; Joſeph meus, JEſus meus vivit.* Seraphicus Franciſcus, ut ſæpius à me audiviſtis, feſtis natalitiis ſæpiſſimè ſuaviſſimas has voces repetebat, *Amemus parvulum de Bethlehem:* ejus exemplo alij amatores Salvatoris, his feſtis paſchalibus millies ingeminant, amemus JEſum in glorioſâ ſuâ reſurrectione, qui totus in illâ pulcher eſt & amabilis.

Eja

Eja animæ piæ præbete aures, heri dixi multa ſpeculativè de pretio hujus amoris, Concione hâc docebo vos practicè pulcherrimum Exercitium Amoris erga Chriſtum Filium DEI. Conſiſtit illud in quibuſdam actibus, & ſuavitate plenis, & ſummoperè meritoriis. Sine longis præambulis rem ipſam aggrediar; & cum gaudio; nam ex vultibus veſtris, inflammatisque oculis adverto vos talia libenter audituros, cum ex animo deſideratis amare JEſum. Pax Chriſti ſit omnibus vobis.

§. 2. Propoſitio. de practico amoris erga reſurgentē Chriſtum exercitio.

Actus amoris eſt, amato benè velle, & de ejus bonis atque felicitate gaudere. Sic ergò in præſenti materia diſcurro. Meditantur ſancti Patres ſanctiſſimam Animam Chriſti è limbo reducem, duxiſſe ſecum liberatos Patres ad ſepulchrum, ubi viderunt exanime illud corpus, prout de Cruce fuit depoſitum, lacerum, lividum, plenum vulneribus & cruore: adfuiſſe interim Angelos, hos ex monte Oliveti, illos ex domo Pilati, alios ex monte Calvariæ cum omnibus guttis pretioſiſſimi ſanguinis ibi à Filio DEI effuſis; adfuiſſe alios cum particulis ſanctiſſimæ carnis & cutis, quæ ſpinis, clavis, virgis, funibus, veſtibus adhæſerant, alios cum evulſis pilis; his omnibus, vel Angelorum officio, vel divinâ virtute præſentibus, in momento ſanctiſſima anima Corpori fuit reunita: eodem momento benedictum illud corpus per influxum animæ factum eſt glorioſum, agile, impaſſibile, immortale! O quis tum gaudij & voluptatis ſenſus fuit in Salvatoris oculis, in ore, in auribus, in omnibus membris, totoque corpore. Eja animæ piæ, gaudetiſne dum talia auditis, eſtne vobis benè, quia JESU reſurgenti eſt tam benè? *Hoc eſt amare JESUM, Pax vobis!*

§. 3. Hoc conſiſtit in gaudio & jubilo de bonis IESV in in ejus Reſurrectione.

Chriſtum glorioſè à mortuis reſurgentem imaginantur ſibi alij pulchriorem Aurorâ, lucidiorem oriente ſole, venuſtiorem iride, vel aureâ nube; fulgentiorem cryſtallo. Animæ piæ, nunquid exultat cor veſtrum, eſtne illi benè, applauditne, quod liberator & Salvator noſter in ſuâ glorioſa reſurrectione ſit talis aurora, talis ſol, talis iris, talis nubes, talis cryſtallus, ob admirabilem & divinam quandam, non tantùm Deitatis & Ani-

§. 4. Varia illius gaudij objecta.

Digitized by Google

& Animæ,ſed ipſius corporis pulchritudinem & venuſtatem? *Pax vobis, hoc eſt amare JEſum.*

§. 5. *Angelorum miniſteria exhibita reſurgenti Domino, varia.*

In Reſurrectionis momento juſſu cœleſtis Patris de cœlo deſcenderunt innumeri chori ſanctorum Angelorum,ex omni ordine & hierarchiâ. Hi prætulerunt palmas, illi coronas, hi fragrantiſſimam omnium florum aſperſerunt meſſem, alij thura incenderunt, illi pulsârunt tympana, luſerunt citharis; Omnes unanimi voce concinuerunt Filio Dei, ut nato in terris, ſic reſurgenti è ſepulchro, in alterâ veluti gloriosâ Nativitate, *Gloria in altiſſimis DEO.* Si dum hæc auditis,tales in cordibus veſtris aſcendunt cogitationes,O JEſu gaudemus de his palmis & coronis, applaudimus tibi de his floribus & cœleſtibus odoribus, Angelicis vocibus miſcemus noſtras, unamiter dicentes, gloria, laus, benedictio, honor, gratiarum actio ſit Redemptori noſtro gloriosè à mortuis reſurgenti. *Pax vobis, diligitis JEſum.*

§. 6. *Gaudij cauſa magna ex quinque vulneribus JESV nunc radiantibus*

Meditantur ſancti Patres in glorioſiſſimo illo corpore nihil radiâſſe magis, quàm illas quinque ſtellas, illos quinque ſoles, illas quinque irides, illas quinque margaritas, illas quinque roſas, illas quinque lampades, nimirum quinque ſanctiſſima Vulnera, quorum cicatrices in manibus, pedibus, & benedicto latere retinere voluit. Illa his diebus in pegmate Crucis horrida, hiantia, cruenta amariſſimis cum Magdalenâ lachrymis, deflevimus, doloroſiſſimo JEſu ex animo compaſſi; ſed eſtne luctus veſter verſus in citharam? eſtne vobis benè, exultant & jubilant corda veſtra, quod hodie in reſurrectione illa vulnera luceant ut ſtellæ, fulgeant ut ſoles, purpurent ut irides, candicent ut margaritæ, fragrent ut roſæ, ardeant ut lampades? Eſtne vobis benè, quod cum illis JEſu noſtro ſit benè, *Pax vobis, hoc eſt JEſum diligere!*

§. 7. *Gaudium & adorationes SS. Patriarcharum, Adami, Abrahami, Ioſephi, Ioannis Bapti-*

Credibile eſt Adamum, Evam, Abrahamum, Joannem Baptiſtam, & ſanctum Joſephum, quorum corpora etiam glorioſa fuerunt reſuſcitata, & animis unita, in momento reſurrectionis procubuiſſe in genua coram Salvatore, quem ſine dubio profundiſſimè adorârunt, ſinè dubio ferventiſſimas egerunt gratias, ſine dubio cum gaudio & jubilo benedicta illá Vulnera fuerunt oſculati: Auditores, feciſtisne idem, vel parati eſtis facere? Quidni faciamus?

Digitized by Google

ciamus? quidni cum Adamo Protoparente procumbamus ad pedes gloriosi noſtri Salvatoris? quidni cum Abrahamo humillimis illum verbis alloquamur? quidni cum Joanne Baptiſtâ exclamemus iterum, *Ecce agnus DEI, Ecce qui tulit peccata mundi*, ecce Salvator meus, qui gloriosè ſurrexit à mortuis? quidni gaudeamus cum Joſepho ſponſo, & cum eodem ſacratiſſima JEſu Vulnera, dulciſſimi amoris pignora exoſculemur? Si hoc faciamus, *Pax nobis, hoc eſt diligere JEſum!* *Iſta nos excitant ad imitationē.*

Certum quoque eſt Chriſtum reſurgentem ante omnes alios apparuiſſe triſtiſſimæ Matri, ſedebat in Jeruſalem, ut triſtis turtur, ut lugubris leæna (Gen. 49.) triſtibus gemitibus, lugubribus rugitibus excitatura dormientem Leonem de Juda in ſepulchro ſuo. fortè dixit ex Pſ. 56. v. 9. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara,* in his deſideriis, die tertio, oriente ſole adfuit glorioſus filius, inſtar ſolis in momento omnes triſtitiæ nubes depellens. Gaudium Matris, gaudium filij in hâc apparitione alibi explico. Modò hoc inſinuo, ſine dubio benè fuit JEſu, benè Mariæ, ſed eſtne & vobis benè? An ſunt & veſtra corda cum cordibus JEſu & Mariæ? volo dicere, an hodie gaudeamus cum JEſu, exultemus cum Mariâ? an pulſis animi mœroribus exultemus in DEO JEſu noſtro? an magnificet anima noſtrum Dominum, ut magnificavit anima Mariæ? Si ita, gratulor, applaudo, *Pax vobis, hoc eſt JEſum diligere.* Verùm nimis diu inhæreo unico actui amoris; nil intereſt, optimè illud tempus impenditur, quod amore JEſu conſumitur. §. 8. *Gaudium Mariæ Virginis ſit quoque gaudium noſtrum.*

Alter actus amoris eſt, de amato ſæpius cogitare, ejuſque imaginem ſibi in phantaſia imprimere. Eſt v. g. hoc verno tempore aliquis amator florum; hic dies noctesque cogitat de floribus, ejus phantaſia eſt veluti tela vel tabula, in quâ vivis coloribus depictæ ſunt violæ, narciſſi, tulipæ, roſæ, & ſimiles flores. Frequens rei cogitatio eſt veluti pictor, qui ejuſdem imaginem in imaginatione depingit. His diebus & per totam quadrageſimam frequentiſſimè cogitavimus de Salvatore noſtro vel ſudante ſanguinem, vel ligato ad columnam, vel ſpinis coronato, vel cruci affixo. Scio, quemadmodum Chriſtus bajulans Crucem, faciem ſuam impreſſit ſudario Veronicæ, ſic Spiritus ſanctus Pictor ille divinus, per frequentes & §. 9. *Secundum Amoris exercitium conſiſtit in frequenti de eo cogitatione, & ſuavi ejuſdem imaginatione.*

Digitized by Google

tes & repetitas has cogitationes, animabus piis impreſſit vivam imaginem CHRISTI Domini vel ſudantis ſanguinem, &c.

§. 10. *Varij affectus amãtis JEſum animæ, & exultantis.*

Hodie ſuadeo, ut lætiſſimo hoc tempore paſchali frequenter cogitetis de Chriſto Domino à mortuis reſurgente, illæ cogitationes veluti penicilli & colores in cordibus noſtris expriment ſpeciem & imaginem Chriſti reſurgentis; hinc mille ſuavitates, deliciæ, beatitates; hinc ſuaviſſima Amantis JEſum occupatio, ut v. g. per quadrantem, vel mediam horam, vel etiam integram ſedeat coram Venerabili Sacramento, vel obambulet in horto, & inter florum areolas nil aliud cogitet, nil aliud dicat, quàm cum ſponsâ, vel *amando*, O JESU reſurgens amo te, amo te, &c. vel *admirando*, O JESU reſurgens quàm pulcher es, quàm ſuavis es! O mi dilecte, quàm pulcher ſol es, &c. vel *gaudendo*, O JESU gaudeo, exulto de tuâ gloriâ, vel, *agendo gratias*, O JESU tibi laus, gratiarum actio, vel *benedicendo*, benedictus JESUS à mortuis reſurgens; vel *ſalutando*, ſalve millies JESU, vel *invocando*, JESU ſalva me: vel *ingeminando* mille encomia ac laudes, quas ingenioſus amor ſuggeret, v. g. JESU, ô bone paſtor ovium, O JESU amabilis, admirabilis, chariſſime, obedientiſſime, pauperrime, caſtiſſime, JESU clarior ſtellis, JESU theſaure fidelium, afflictorum conſolatio, gemma pretioſa, ſtella maris, lux vera, bonitas infinita, gaudium Angelorum, Inſpirator Prophetarum, Rex Patriarcharum, Magiſter Apoſtolorum; vel *invitando* creaturas ad ſimiles affectus, v. g. ô vos lucentia cœlorum ſidera, amate JESUM, tu auree ſol, tu argentea luna, vos nobiles planetæ amate JEſum; ama JEſum tu dulcis philomela; tu altivolans alauda; & vos aliæ aviculæ innumeræ amate JEſum; vos ardui montes, vos humiles valles, vos prata jucunda, vos exculti hortuli, vos vernantes floſculi amate JEſum! In his & ſimilibus cogitationibus & affectibus, præcipuè ſi procedant ex corde calido & inflammato, conſiſtit exercitium amoris erga JESUM à mortuis reſurgentem.

Verùm

Digitized by Google

§. 11. *In ſuaviſſimo roſariolo Amoris IESV accenduntur affectus.*

Verum ut hoc exercitium facili methodo redigatur in praxin, pulchri aliquid percipite. Incidi non ita pridem in pium libellum; cujus primus, qui in oculos incurrit, titulus hic fuit. *Roſarium Amoris JESV.* Hic ego cogitare mecum quod hoc roſarium? de quo hactenùs nihil unquam audivi, legi. Audivi, dixi multa de roſario Beatæ Virginis, de coronâ Chriſti, de roſario quinque Vulnerum, ſanctiſſimæ Triados, Animarum in purgatorio, ſed nihil de roſario Amoris JEſu. Avidè itaque in lectione pergens reperi illud fundari in ſacris literis c. 21. v. 17. Joannis, ubi Chriſtus Dominus tertio ex ſancto Petro quæſivit, *Petre amas me?* tertiò Petrus reſpondit, *Domine tu ſcis, quia amo te.* Unde colligere poſſumus placere Chriſto Domino repetitas illas voces, *Amo, Amo, Amo.*

§. 12. *Praxis Roſarioli de amore IEſu.*

Utile ergò erit accipere roſarium illudque decurrere hoc modo: ad granum majus, ſive Pater noſter cogitemus Chriſtum Dominum reſurgentem ex nobis quærere, num illum amemus? mox reliqua decem percurramus grana, reſpondendo decies *JEſu amo te*; & ſic medij quadrantis ſpatio reliquas decades percurrere poſſumus; & exiguo illo tempore eliciemus ſexaginta tres actus amoris JEſu. Poteſtne de die aliquis quadrans vel in templo, vel horto, aut meliùs aut majori cum merito impendi? Ovis paſchalibus appingimus certa ſymbola, verbi gratia, corda, flores, &c. aſſcribimus lemmata. Ovo paſchali, quod vobis, Auditores, offero, inſculpſi roſariolum cum hâc Epigraphe, *roſarium Amoris JESV.*

§. 13. *Dignitas illius roſarij.*

Ego illud maximè æſtimo. Beata Mechtildis in hoc exercitio amoris erga Sponſum ſuum, vidit aliquando è latere CHRISTI flammeos radios prodire, in ſignum ardentis ejus erga nos amoris. Viciſſim è corde noſtro tales radios amoris erga CHRISTUM evibrare debemus. Ecce tibi in hoc roſariolo ſexaginta tres tales radios. Sancta Gertrudis ex corde CHRISTI vidit erumpere ardentes ſagittas; par eſt ut ſimiles ardentes & ignitas ſagittas in ſanctiſſimum cor CHRISTI dirigamus, ideo Bloſius,

O beatos illos, qui hujus ſunt vulneris participes! quorum corda ſic configit amoris Chriſti ſagitta, ut deinceps perenni ferveant charitatis fervore! Ecce tibi in hoc roſariolo ſexaginta tres tales ardentes ſagittas: quibus veluti aureis clavibus cor Chriſti nobis pro habitatione aperire poſſumus. Beata Mechtildis ante Crucifixum proſtrata agebat illi gratias pro beneficio redemptionis; optabatque cor ſibi lædi tot amoris vulneribus, quot Vulnera pertuliſſet in ſuo corpore; hæc orans in ſpiritu ducta fuit in pulcherrimum palatium & amœniſſimum hortum; ſed dum utriuſque pulchritudinem demiratur, advertit ſe verſari in medio corde Sponſi, viditque Crucem ex quâ veluti arcu ſagitta emiſſa cor ejus, veluti facibus accendit in amore. Ecce tibi in roſariolo hoc ſexaginta tres vel arcus, vel tela, vel faces, his optat uri, vulnerari amator JEſu. Placet fortaſſis, O anima pia, caput Chriſti reſurgentis, vel benedicta ejus vulnera ornare roſis, liliis, vel gemmis, vel ſtellis? Ecce tibi in hoc roſariolo ſexaginta tres roſas, ſexaginta tria lilia, ſexaginta tres gemmas, ſexaginta tres ſtellas, imò gratiora ſunt talia ſuſpiria quàm roſæ, &c.

§. 14. *Affectuoſũ colloquium Chriſti cum B. Mechtilde de amore*

Cum B. Mechtildis meditaretur citata verba; *Simon diligis me plus his?* apparuit illi Chriſtus Dominus in extaſi & ait; Ego quoque ex te quæro, reſponde mihi Mechtildis, primò, *eſtnè aliquid in hoc mundo tibi ita charum, quod mei amore nolles abijcere?* reſpondit, *ſcis ô DEus meus, nihil uſpiam eſſe, quo amore tui non libenter velim carere.* Secundò, *filia! eſtne labor aut calamitas ulla, quam mei amore non ſuſcipias?* reſpondit, *Parata ſum, Domine mi, omnia acerba pro te tolerare.* Tertiò, *filia! ſi ærumnæ illæ enormes forent, num acceptares mei amoris cauſa?* reſpondit, *etiam Domine mi, præſto ſum.* Tum ſervator aſſeruit, hanc tam promptam voluntatem tam acceptam ſibi eſſe, atque hæc omnia præſtitiſſet. O ſi! Auditores mei, O ſi & noſtra corda eſſent corda Mechtildis, id eſt, corda amantium! Quærit ex nobis hodie Salvator reſurgens, Eja anima Chriſtiana, amas me? reſponde citò: amo te mi JEſu. O glorioſe JEſu, quidni amem te, qui totus es amabilis? poſthac erit mihi in deliciis dulce nomen tuum; amo te, quia pulcher es, amo te, quia glorioſus es, amo te, quia victor ſurrexiſti

à mor-

Digitized by Google

à mortuis, amo te quia tibi benè eſt. Poſthac erit mihi in amore quicquid ducit ad tuum dulcem amorem: O pulchrum Amoris Roſariolum! tu me quotidiè conjunges dilecto meo, dicam centies, dicam millies, amo te mi JEſu, amo, amo, amo te.

CONCIO LXVIII.

FESTO SS. APOST. PHILIPPI ET JACOBI.

Oſtende nobis Patrem.

Joan. 14. v. 8.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN honorem S. Philippi, Crucem, in quâ pro Chriſto mortuus eſt, variis florum faſciculis exornat; qui ſymbola ſunt, Puritatis Cordis, Dilectionis JEſu, lætæ Patientiæ, & memoriæ Mortis. Quæ virtutes quatuor fontes ſunt veræ lætitiæ, hoc jucundiſſimo Majali tempore.

§. 1. *Elogia Crucis.*

§. 2. *Quæ S. Philippum faciunt glorioſum.*

§. 3. *Crux S. Philippi ornatur varijs faciſculis florum. In primo faſciculo, floribus S. Cæciliæ, & S. Gertrudis.*

§. 4. *Solida Majalis lætitia, ſupponit puritatem, & munditiem cordis.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Alter faſciculus in Cruce S. Philippi continet flores S. Mariæ Magd. S. Gertrudis & S. Roſaliæ.*

§. 7. *Amor JEſu, & lætitia in JEſu non poſſunt ſeparari.*

§. 8. *Tertius faſciculus habet flores Crucis & Patientiæ.*

§. 9. *In tribulationibus oportet nos eſſe hilares.*

§. 10. *Fructus florum Crucis, erit gloria æterna.*

§. 11. *Varij ſanctorum floſculi in faſciculum colligati.*

Digitized by Google

§. 1. *Elogia S. Crucis.*

S. Landradæ Virgini, quæ quoad pœnitentiam altera dici poſſet Magdalena, Chriſtus D. pretioſam donavit cruculam, & dixit; *Accipe Landrada, ab immortali Sponſo, caritatis arrham, ipſe Crucis tibi mittit ſponſalia, qui in Cruce moriens univerſa reſtauravit. Amatoris tui hæc ſunt munera, & amoris mei mnemoſymon.* S. Theobaldo revelatum fuit, illum, qui Chriſto D. cupit eſſe familiaris, quique ab illo diligi deſiderat, viciſſim oportere ſuum in Crucem amorem oſtendere. S. Gertrudem inter graviſſimos dolores inſtruxit Angelus, à dilecto JESU Electis nullam immitti crucem, niſi amore ſpeciali; S. Ignatius Societatis JEſu Fundator, poſtquam ſæpius inter orandum, multâ luce irradians, elevatus hæſiſſet in aëre, ſibi redditus exclamare ſolebat: *O DEus! O Domine! ſi te homines noſſent, DEus Amor cordis mei. In ſolo Chriſto, & in Chriſti Cruce reperitur vera lætitia.* S. Regina Virgo; per equuleum, lampades ardentes & gladium Martyr, cum inter tormenta clamaret, *Non conſentio! Chriſtum JEſum, qui me confortat, habeo*; vidit crucem ad cœlum uſque porrectam; in cruce columbam, audivitque hanc vocem, *Ave Regina! Vnguentum ſuave eſt oratio tua-hos inter dolores, in cruce, parata eſt tibi corona gloriæ, apertus eſt tibi Paradiſus.* Dumque cœleſtis illi columba coronam porrigeret, ecce tibi vox altera allabitur, *Veni Regina in requiem Chriſti; beata es, quæ per amorem Crucis hanc coronam meruiſti.* S. Gertrudi revelavit Chriſtus D. ſe inter inſtrumenta Paſſionis, affectuoſiſſimè amaſſe Crucem; & deſiderare ſe, ut ſpeciales dilecti, & familiares amici, in hoc ſe imitentur. Nam, teſte S. Leone de Paſſ. *Crux Chriſti, omnium benedictionum fons eſt; cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, Vita de morte.*

§. 2. *Quæ S. Philippum faciunt glorioſum.*

Ob cœleſtes has regulas, quas Divina Sapientia, de cathedrâ S. crucis pronuntiavit, atque etiamnum pronuntiat; ex intimo corde, cum gaudio & jubilo, gratulor glorioſiſſimo meo Patrono, & S. Apoſtolo Philippo; crux enim, in quâ pro Chriſto mortuus fuit, arrha quoque & pignus illi fuit, tum amoris, quo ipſe

Digitized by Google

ipſe flagravit erga Chriſtum D. tum dilectionis, quâ præ aliis illum dilexit Salvator; dum voluit illum mori in Cruce. Crux! amatoris illi fuit donum pretioſiſſimum. Certè cum S. Philippi tantus fuerit in Crucem affectus, non malè mihi videor colligere, quod Magiſtro ſuo perquam fuerit familiaris; quodque Chriſtus Dominus amorem & favorem illi exhibuerit ſingularem. In Chriſto & Cruce S. Philippus veram cordis lætitiam invenit. Paradiſum ſibi aperuit Cruce, per Crucem obtinuit Coronam gloriæ. In hoc S. Philippus ſingularis Chriſti Domini fuit imitator; amavit Crucem! & invenit fontem omnium benedictionum; gloriam obtinuit per opprobrium, vitam per mortem in Cruce. Nunquid æquum eſt, ut in honorem S. Philippi ejus Crucem hac concione exornem variis floſculis, quos demum injiciam Majali potui, atque ita oſtendam, quibus mediis hoc Majali tempore cum S. Philippo veram animi lætitiam poſſimus reperire. Video vos propoſito illi meo annuere: ſic pergite, favete, attendite.

§. 1. Crux S. Philippi ornatur variis faſciculis florum. In primo faſciculo floribus S. Cæciliæ, & S. Gertrudis.

In primo Majalium liliorum faſciculo, quo nunc exorno Crucem S. Philippi, reperietis aliquot ex floſculis S. Cæciliæ, & & S. Gertrudis. Illi, cum Valeriano juveni eſſet deſponſanda, Virgini immaculati cordis, Angelus ejus Cuſtos, pennis flammeis, vultu ſcintillante, geminas obtulit coronas, ex pulcherrimis floribus, præſertim roſis & liliis contextas, dicens, *has coronas, corde immaculato, & puro corpore cuſtodite, nunquam marceſſent à vobis, neque unquam amittent ſuavitatem odoris; neque unquam poterunt ab aliis aſpici, niſi à caſtis.* His floſculis inſcripſi ego ardens S. Cæciliæ ſuſpirium, quo continuò aſpirare ſolebat, *Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Et certè cor ejus cœleſti hujus precatiunculæ flammâ, caſtiſſimis ſcintillis exarſit. Sanctæ Gertrudi verò apparuit B. Virgo cum S. Joanne Evangeliſta, & Chriſto Domino in horto amœniſſimo, inter roſas, ſine ſpinis tamen, & lilia, cumque Virgo præſentiam S. Joannis admiraretur, reſponſum accepit à DEI Parente, ſe corde S. Joannis, & virgineâ ejus converſatione unicè

delectari. Addidit Chriſtus D. ſuum quoque cor in illum eò eſſe propenſius erga diſcipulum, quem dilexerat, quò caſtiori amore Matrem ſuam dilexiſſet in terris. Hæc itaque S. Gertrudis viſio, inter tam amœnos floſculos nos admonet, Chriſtum D. & SS. ejus Matrem mirificè delectari cordibus mundis & caſtis. Viciſſim JEſus & Maria eadem corda deliciis paſcunt cœleſtibus.

§. 4. Solida Majalis lætitia ſupponit puritatem, & munditiem cordis.

Hæc eſt vera illa lætitia Majalis, cujus nobis deſiderium ipſa natura injecit, ut hoc jucundiſſimo anni tempore, animo indulgere liberiùs conemur. Ad hoc gaudium ſerenitas cœli, aëris temperies, camporum amœnitas, novus arborum viror, florum pulchritudo, avicularum concentus, verbo, omnia nos invitant, trahunt, ſollicitant. Ut verò hoc gaudium ſit ſolidum & illibatum, exterius in ſenſibus corporis; interius in potentiis animæ, ut delectemur in DEO, & JEſu noſtro (quæ unica, ſolidaque eſt mentis lætitia) neceſſum eſt, ut corda noſtra floſculis S. Cæciliæ, & S. Gertrudis ornata compareant; hæc illa ſunt lilia Majalia, quæ corda noſtra eſſe munda, pura, caſta & immaculata, ſignificant. Cordis mundities, eſt fons veri gaudij; & conſiſtit in bonâ conſcientia, ut animos noſtros ſuaviſſimè afficiat ſpes illa, nos DEum lethaliter non offendere. Habent ſuos vermes, quos metuant floſculi: Unicum peccatum mortale eſt ille vermis, qui momento illos amœniſſimos majalis lætitiæ flores arrodit. Peccatum mortale ſpina eſt, quæ in corde veram quietem non patitur. Pondus eſt, quo ita premitur, atque anguſtiatur anima, ut in DEO & JEſu oblectari non poſſit. Ubi enim DEus abeſt, ubi JEſus non adeſt, amabo, quo pacto ſolidum cordis gaudium poſſit ſubſiſtere? Obambulate in hortis, deambulate juxta rivulos, oculos conijcite in tot, tamque varios atque elegantes florum colores, figuras & modos, audite cantantium avicularum concentum, & harmoniam; quod ſi contingat, alicui hanc occurrere cogitationem, ego verò ſum hoſtis DEI; hoc commiſi peccatum mortale, ſi contingeret hoc momento me mori, quod fieri poteſt, cumprimis omnis evaneſcet lætitia, ſuccedet mœror, cordaque triſtis dolor occupabit.

O quàm

Digitized by Google

§. 5. *Favores Cœleſtis Sponſi, non communicantur niſi cordibus mundis.*

O quàm amicos, quàm ſuaves exhibuit favores Cœleſtis Sponſus Sponſæ ſuæ S. Gertrudi. Vidit S. Mechtildis Chriſtum D. cor ſanctiſſimæ & puriſſimæ illius Virginis admovere cordi ſuo, cum admirabili utriuſque conjunctione, & unione. Fuit, cum quinque SS. ſua Vulnera inſcriberet cordi S. Gertrudis. Alias Chriſtus D. illi obtulit easdem rimas & cicatrices, potiſſimùm benedictum pectus & cor, pro templo, ut in illo habitaret. In agone iterum apertum ſuum cor Cœleſtis Sponſus illi monſtravit, accinentibus Angelis, *Veni! Veni! Veni! quia te exſpectant cæli deliciæ. Alleluja, Alleluja.* B. Virgo aliquando viſa fuit, in corde S. Gertrudis, veluti areolâ, plantare lilia. Putatiſne Auditores, talia contigiſſe ſine admirabili dulcedine, ſolatio, & ſuavitate S. Gertrudis? Verùm pulchrè addit vitæ hiſtoria. Illos favores à Chriſto D. illi fuiſſe exhibitos, poſtquam eandem inſtruxiſſet, quâ ratione cor ſuum expurgare, mundare, atque ab omnibus, etiam levium peccatorum ſordibus, emaculare, & pretioſo ſanguine JEſu Crucifixi abluere deberet. Non mirum jam, quod tali in corde candidiſſimi creſcunt flores, quibus Chriſtus tantopere delectatur. Ite jam Auditores, quærite delicias exteriores in hortis, quærite inter flores amores; interiores potiſſimum in Vulneribus & corde Chriſti, &c. Sed neceſſe eſt, ut corda veſtra ſint pura, atque à peccato, ſaltem mortali emaculata, ſi talia ſunt, ite, majales floſculos, roſas & lilia injicite in potum, & bibite in lætitiâ. Cùm B. Virgo, in corde S. Gertrudis plantavit lilia, ſimul viſa fuit ejicere & exturbare parvas beſtias, ſive vermiculos; cogitate vos, quæ fortaſſis beſtiæ è cordibus veſtris ejicienda ſint, ut in illis plantari poſſint lilia convallium, & majales floſculi veræ lætitiæ, hujus Majalis temporis florida ſymbola.

§. 6. *Alter faſciculus in Cruce S. Philippi continet flores S. Mariæ Magd. S. Gertrudis, & S. Roſaliæ.*

Sed age nunc alterum majalium liliorum faſciculum Cruci S. Philippi affigamus. Continet ille flores S. Mariæ Magdalenæ, S. Gertrudis, & Roſaliæ. De S. Maria Magd. memoriæ proditum accepimus, quod cùm ſe in antrum pœnitentiæ incluſiſſet; dæmones mentiti Angelos lucis, ſuaviſſimo illam cantu cœperint recreare; Verum cum dicerent, tantam orandi aſſiduitatem illi non expedire, & illa dilectum JEſum inclamaret, S. Michaël Archangelus

Digitized by Google

gelus in fugam compulit avernales hos muſicos, & in antri aditu Crucem defixit, inquiens, *Cave, ne extimeſcas, quia Cuſtos tuus eſt Altiſſimus.* Adfuêre alij quoque Angeli, ſerta florum, & ramos de palmis & olivis præferentes; inter quos dum pœnitens Magdalena in amplexum Crucis involaret, illicò vehementiſſimi amoris in pectore exardeſcentem flammam non ſine incredibili cordis voluptate percepit. Quis me arguet, ſi dicam illos floſculos, fuiſſe flores amoris, de quibus Sponſa ait Cant. 2. v. 5. *Fulcite me floribus, quia amore langueo.* His floſculis ornata quoque fuit Crux S. Philippi, in quâ ex ardentiſſimo erga Chriſtum amore, pro eodem vitam poſuit, & ſanguinem. Sæpius, jam ſæpius nominatæ S. Gertrudi, Cœleſtis Sponſus, Divinum Amorem objecit ſpectandum in formâ pulcherrimæ arboris, cujus flores & folia, cœleſtem præ ſe ferebant elegantiam. Talis quoque fuit fructuum ſuavitas. Cùm JEſulus Parvulus ſedens in ſinu S. Roſaliæ, cœleſtis amoris flammas in ejus corde vellet ſuſcitare, aureas illi donavit roſas; id eſt, roſas amoris. Nam ut Plato ait, *Amor flores incolit.* Non dubito vos animadvertere, velle me per hos floſculos amoris vobis ſignificare; unum aliquem veræ majalis lætitiæ fontem eſſe amorem DEI & caritatem erga JEſum Chriſtum Salvatorem. Hos divini amoris floſculos inijcite majali potui, id eſt, ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus, corporis & animæ, diligite DEum & JEſum ejus Filium, & bibite in lætitiâ.

§. 7. *Amor DEI & IESV & lætitia in DEO & IESV! non poſſunt ſeparari.*

Sine liquidiſſimâ cordis voluptate DEUM & JEſum amare non poſſumus. JEſum diligere, idem eſt, quod, requieſcere in corde ejus. Quod ſi in horto, in pratis, in agris, in ſylvis, in montibus, in vallibus; inter flores, ſub umbrâ amœnæ arboris ſuaviter quieſcimus, qualem amabo reperiemus quietem in corde Chriſti? Cùm B. Borgias, alijque id temporis circumſtantes, pectus B. Stanislai cœleſtibus affluere deliciis ſpectarent, interrogârunt; *Vnde tanta vis lætitiæ?* & retulerè reſponſum, *Vror! Vror totus ab igne divini Amoris.* Cor ejus proinde plenum fuit majalibus floſculis & liliis divinæ dilectionis; hinc

Digitized by Google

hinc torrens lætitiæ. Amor nil aliud eſt, quàm quædam dulciſſima cordis liquefactio: de quâ ait Sponſa Cant. 1. verſ. 3. *Exultabo, & lætabor in te-memor uberum tuorum; ſuper vinum.* v. 14. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Vinea eſt amor Divinus; egrediamur in hanc vineam; guſtemus fructus ejus, diligamus Sponſum; non deerit gaudium. Cap. 2. v. 3. ait Sponſa; *ſub umbra illius ſedi* (illum amando, diligendo) *& fructus ejus dulcis gutturi meo.* Hæc ſeparari non poſſunt, amor & dulcedo. Habet Sponſus decoram faciem, & vox eſt dulcis. Inter pulchritudinem & ſuavitatem indiſſolubilis eſt nexus. Dilectum, quem dilexit anima Sponſæ, invenit in florido lectulo; & mox non loquitur, niſi de ſuavi thure, de lacte, & melle, ſuavis, melleus, lacteus eſt amor. Dum Sponſa gloriatur de ſuo erga Sponſum amore; ſimul loquitur de hortis, de fontibus, de aquis viventibus, quæ fluunt de monte Libani; de paradiſo, de malis punicis, de unguentis, de aromatibus, &c. Quibus omnibus vult innuere, ſe amando Sponſum, mille diffluere deliciis. Si hoc primo die Maij ex me percontamini, Auditores, quâ ratione potum veſtrum reddere poſſitis ſuaviſſimum; reſpondeo, de Cruce S. Phillippi, de faſciculis majalium florum, roſas injicite amoris, amate DEUM! diligite JESUM! &, bibite in lætitiâ.

§. 8.

Tertius faſciculus habet flores Crucis & Patientiæ.

Memores tamen eſtote, inter flores & cum roſis creſcere ſpinas; melli miſceri fel, abſynthium dulciſſimo vino. Chriſtum oportuit pati in hoc mundo, & ita intrare in gloriam ſuam. Perſpicua ſunt, quibus ſuos monuit Apoſtolos, verba Salvatoris. *Flebitis; contriſtabimini, tollite crucem meam.* Proinde faſciculo tertio majalium florum, quibus crucem S. Philippi exornare cupio, illigavi flores S. Tiburtij, & cujuſdam Mauri, qui converſus ad fidem Catholicam vocatus fuit *Joſeph.* S. Tiburtius, cum per ſtratum prunis ardentibus pavimentum, ſigno crucis munitus, nudipes inambularet, dixit; *Prunæ mihi flores videntur.* Hoc eodem prædita fuit animo, invicta illa Virgo, quæ inter incendiũ, quo viva pro Chriſto combuſta fuit, prunas capiti ſuo impoſuit, perinde ac ſi

Digitized by Google

floribus & roſis ſe coronaret. Joſepho illi, cùm affligeretur, aſtitit B. Virgo, & dixit: *Joſephe, patientiam habe!* quibus verbis adeo ſe recreatum ſenſit, ut dixerit, Paradiſum pulcherrimis veſtitum floribus in cor ſuum immigraſſe. Appellate floſculos hujus faſciculi, prout vultis, vel Crucis, vel patientiæ, vel violas, quas Corona Chriſti ſpinea germinavit. Hi floſculi ſymbola ſunt illius patientiæ, quæ neceſſaria vobis eſt, ut etiam in tribulationibus non deſit hilaritas, non deſideretur lætitia. Floſculos patientiæ injicite majali potui, & bibite in lætitiâ.

§. 9. *In tribulationibus oportet nos eſſe hilares.*

In ſinum B. Bonifacij ex Ordine Ciſtercienſium, dum æger inter graves dolores lecto affixus jaceret, B. Virgo depoſuit JEſulum ſuum dormientem, & mox Puſio, manu è faſciolis extractâ velum de facie reduxit, ſeque ægro præbuit ſpectandum; tum æger: *ſi nihil aliud*, inquit, *eſſet in Paradiſo, quàm facies iſta benedicta, dignum eſſet pati omnes tribulationes, ut poſſemus videre faciem tam glorioſam.* Auditores amantiſſimi! ſervitiſne DEO in munditie, & puritate cordis? diligitiſne illum ex toto corde? ut nihilominus in hoc mundo eſt vobis malè, ob egeſtatem, ob dolores, morbos, vel alias tribulationes? punguntne vos ſpinæ? premit crux? lacerant clavi? Agite, egredimini in campos hoc majali tempore; præ aliis floribus ſeligite ſpineas roſas patientiæ, decerpite folia de palmâ Crucis, accipite ramuſculos myrrhæ; colligate in faſciculum, injicite majali potui; bibite; ut bibatis in lætitia, elevate oculos veſtros ſimul in cœleſtem Paradiſum, cogitate de pulchritudine JEſu, obverſetur oculis veſtris forma illa formoſiſſimi vultus, facies illa divina, mox exclamabitis, dignum eſt, ut unà cùm roſis ſimul decerpamus & ſpinas; dignum eſt, ut cum dulcedine mellis, deguſtemus & fellis amaritiem, dignum eſt, ut cum patientia, quæ ſub ſpecioſæ Virginis imagine roſis inambulans, non rarò nudum pedem ex ſubjectis ſpinis cruentat, cum lemmate, *Patientia colligit roſas*; eodem cum ipsâ labore fungamur.

§. 10. *Profectio.*

Hoc eſt, quod moneo Auditores; habete patientiam, & corda veſtra, etiam in hac valle lachrymarum convertentur in paradiſi delicias. Sed quando? habe patientiam fili mi! ne reſponſum accipias, quod audivit S. Wilhelmus Abbas in Dania. Hic anno ætatis 98.

Digitized by Google

tis 98. Inter ardentes preces, vidit ab Angelis apparari floridiſſimam coronam auro & gemmis pretioſam, fuitque auſus interrogare, *Cui illa?* reſpondêre Angeli, *Tibi.* Cumque porrò rogaret, Wilhelmus, *Quando?* Angelus unus dixit, *Dum ſatis fueris paſſus.* Eja animæ piæ! bibite, bibite amarum ſuccum floſculorum Crucis. O qualis vobis paratur corona! ſed quando? cum ſatis biberitis ex calice paſſionis. Itaque bibite in lætitiâ; bibite uſque dum ſatis eſt; dum propinamus amico calicem, reſpondet alter, phraſi ubique gentium recepta, *Proficiat.* Ut verò idem alteri ingeminet, ſufficiat; hoc nec in more, nec in regulis urbanitatis poſitum exiſtimo. Nos dum vivimus, Majalem libamus hauſtum, in quo varios inter flores, herbaſque odoratas, & myrrha eſt, & abſynthium, ſunt qui nos bibentes ſpectant cum gaudio; ſunt qui dicant, *Proficiat*; Beati Spiritus Cuſtodes Angeli. At qui dicat ſufficiat, vel, jam ſatis eſt, non eſt niſi DEus, huic ſoli perſpectum eſt atque exploratum, quantum & quamdiu ſit nobis bibendum. Bibes, dum ſatis biberis; ſatis biberis cùm id DEO fuerit viſum. Hoc eſt illud Angeli ad Wilhelmum, *VVilhelme, dum ſatis fueris paſſus.*

Et certè floſculum Crucis ſive Patientiæ Chriſtus D. in ſpecie pulcherrimi adoleſcentis obtulit S. Wilhelmo, quando illi dixit, *Noveris te multa perpeſſurum, ſed ijs, ope meâ ſuperatis, ad me venies in cæleſtem Paradiſum.* S. Ludvvinæ dixit B. Virgo. *Pro his, quæ nunc pateris, mirabilem & magnam gloriam conſequeris*; & ſimul illius caput floridiſſimo ſerto condecoravit. S. Elphego apparens S. Dunſtanus inter ſanctorum choros, dixit. *En quorum collegio poſt mortem, in perpetuum frueris, ſi ea, quæ deſunt paſſionum, Chriſti amore, in carne tuâ patienter ſuppleveris. Vnus dies ad ſupplicium; ſed ſempiternus erit ad præmium.* Siculus Diodorus l. 2. refert, in Taprobanâ Inſulâ, creſcere herbam & floſculos, quibus ſi quis incumbat, ſuaviſſimo corripitur ſomno; imò ſi morientium, capiti ſupponatur, mori illos abſque ullo moleſtiæ ſenſu, teſtatur. Suaviſſima fuit mors, qua obiit S. Philippus, ſcilicet in lectulo Crucis. Ite animæ piæ, quærite floſculos crucis, in tribulationibus habete patientiam; non deerit ſomnus cœleſtium conſolationum ſuaviſſimus; ſequetur mors beatiſſima.

§. II. *Fructus floſculorum Crucis, erit gloria æterna.*

Digitized by Google

§. 12. *Epilogus proponit integrum faſciculum aliorum florum.*

Conferamus nunc in unum gloriæ faſciculum, varios Sanctorum flores. S. Abundantiæ octo annos natæ (apud Nadaſi 20. Januarij) Regina Virginum JEſum attulit parvulum, à quo aureum illa pomum accepit, cum pulcherrimis in hyeme floſculis. S. Dignæ, & Virginitatis, & Martyrij gloriâ illuſtri, per quietem roſas ac lilia oſtendit S. Agatha, quo facto ipſam ad agendum, patiendum fortiter eſt exhortata. S. Gertrudi Virgini, feſto glorioſæ ſuæ in cœlum Aſſumptionis, ſpectandam ſe dedit Virgo Mater, in veſte aureis floribus perinſigni; quorum florum alius, præ alio eò magis minuſve oculos recreabat, quò major vel minor fuit orantium eo die amor atque attentio. S. Didacus ea panis fruſta, quæ pauperibus ferebat, coram ſuperiore in flores converſa oſtendit; & à cœleſtibus deliciis ad ſenſus redux, exclamabat; O quàm ſuaves ſunt illi flores Paradiſi; Hos omnes & ſingulos in unum collectos faſciculum, tibi defero, mi S. Philippe; nam tui ſunt, id eſt, virtutum laudumque tuarum pulcherrima ſymbola; Tua dignitas floreſcit in illis, floreſcat ad æternam divini nominis, pro quo in Cruce animam exhalaſti, gloriam; floreſcat in æternum tuæ laudis honorem; floreſcat in noſtras quoque delicias, ut virtutum tuarum odoribus recreati, vitam agamus majalem, hoc eſt, jucundam, gratam, amabilem.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXIX.

FESTO GLORIOSÆ ASCENSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Aſſumptus eſt in cœlum.

Marci 16. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr ſymbolicas aquilas varia proponuntur de glorioſo myſterio aſcenſionis Chriſti D. ad cœlos.

§. 1. *Aquila eſt ſymbolum glorioſa aſcenſionis Chriſti.*

§. 2. *Aquila quomodo probet ſuos pullos.*

§. 3. *Pulli aquila fuerunt Apoſtoli, in glorioſâ aſcenſione.*

§. 4. *Vt & nos ſimus.*

§. 5. *Aquila in volatu tenet vias rectas.*

§. 6. *Aquila in alto ſibi conſtruit nidum, ut pulli evolent, & ſequantur; idem facit Chriſtus Dominus.*

§. 7. *Renovatio aquila.*

§. 8. *Aquila uſus in funeribus Imperatorum.*

§. 9. *Vt pariter nos renovemur, & evolemus.*

§. 10. *Aquila comedens cor.*

§. 11. *Regia aquila, ſive JEſus ad cœlos aſcendens, nihil magis deſiderat, quàm corda noſtra.*

§. 12. *Viciſſim in SS. Euchariſtia pullis reliquit cor ſuum.*

§. 13. *Aquila inimica ſerpentibus.*

Digitized by Google

§. 1. Aquila eſt ſymbolum glorioſæ aſcenſionis Chriſti Domini.

SYmbolum elegantiſſimum CHRISTI Domini glorioſè aſcendentis ad cœlum eſt aquila. Quoties Regiam hanc avem ſacra Scriptura ad literam nobis proponit, toties tropologicè & moraliter interpretes per illam intelligunt Chriſtum Dominum. Quam eleganter ait S. Ambroſius tr. in c. 30. Prov. ſuper illa verba: *Viam volantis aquilæ in cœlo. Aquila intelligitur Chriſtus, qui volatu ſuo deſcendit ad terras; quod animalis genus non nutritur, niſi prius caſtitas comprobetur matris, ut apertis oculis abſque palpitatione totum aſpiciat ſolem;* Hoc enim animal comparatur Salvatori, quod cum aliquid rapere voluerit, non veſtigiis obambulat terras, ſed excelſum eligit locum. *Sic & Chriſtus alta cruce ſuſpenſus, tonanti ſtrepitu, & terribili volatu impetum ad inferos fecit, Sanctosq; rapiens, ad ſuperna remeavit nimirum hodierno feſto glorioſæ ſuæ aſcenſionis.* Autor catenæ græcæ hic. *Per aquilam accipe Chriſtum, per aquilæ veſtigia incomprehenſum ejus de cœlis deſcenſum, & ad eoſdem rurſus aſcenſum.* Piè Anaſtaſius Nicenus in quæſt. ſacræ Script. q. 43. *Quis intelliget & mente comprehendet viam aquilæ volantis in cœlo, id eſt, Chriſti aſcenſionem.* Quis capiet quàm dilatatis alis ſuæ gloriæ hodiè è monte Oliveti evolârit ad patrem, capere hanc gloriam non poſſumus, conſiderare tamen licebit, & quidem in regiâ hâc ave, in aquilâ. Memini me in aliâ concione vobis oſtendere, & ex ſacra Scripturâ & ex volucris hujus variis proprietatibus, Chriſtum aſcendentem ad cœlos pulcherrimè comparari cum aquilâ. Nullam tunc feci mentionem ſymbolorum, in quibus aquila glorioſam Chriſti aſcenſionem nobis proponit. Quocirca illa modò ſpectabitis & audietis.

§. 2. Aquila, quomodo probet ſuos pullos.

Soli regi, inter volucres, ſoli aquilæ conceſſum eſt à naturâ inoffensâ acie contueri ſolem. Aſpicit hoc ſidus cum maximè fulget, cujus latè collucentibus radiis ejus obtutus non tantùm non infirmatur, ſed corroboratur. Inſuper, ut ait S. Ambroſius l. 5. Hexam. c. 18. *Aquila fertur probare quos genuit,* aſſeritur quod pullos ſuos radiis ſolis objiciat, atque in aëris medio, pio parvulos ungue ſuſpendat, & contra faciem fervidi ſolis opponat; ac ſi quis repercuſſus ſolis lumine intrepidam oculorum aciem inoffenſo intuendi vigore ſervaverit, probatur quod veritatem naturæ, ſinceri obtutûs

tutûs

tutûs conſtantiâ demonſtraverit. Sin verò lumina ſua præſtrictus radio ſolis inflexerit, quaſi degener, & tanto indignus parente rejicitur, nec æſtimatur educatione dignus. Hinc illud lemma ſupra aquilam unguibus tenentem pullum contra radios ſolis, *Hoc ſole explorat alumnos.*

§. 3. *Pulli aquilæ fuerunt Apoſtoli, in glorioſâ Chriſti D. aſcenſione.*

Loco aquilæ, hodierno feſto, inter aureas nubes evolantem ſpectare mihi videor ad nidum gloriæ Chriſtum Salvatorem noſtrum, non pennis, non alis, ſed ſuâ virtute è monte Oliveti, è terris in altum ſeſe librantem. Elavatus eſt. Radiavit divina hæc aquila inſtar ſolis. Spectaculo tam amœno & jucundo voluit intereſſe ſuos pullos, Apoſtolos & diſcipulos. Et oſtenderunt ſe aquilæ filios; oculis adeò irretortis intuiti ſunt illum euntem in cœlum, ut Angeli ex illis percontarentur: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic JEſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Placuit mihi affectuoſiſſima & pia conſuetudo in Hiſpaniâ. Mediâ die ab undecimâ ad duodecimam, horâ quâ Chriſtus putatur aſcendiſſe in cœlum, in templis aperitur Sacrarium, ut omnium oculis ſanctiſſimum pateat Sacramentum, qui confluunt ad templum, horâ ibidem integrâ conſiſtunt, irretortis interim oculis aſpicientes JEſum in ſanctiſſimo Sacramento, & ſuavi dulciſſimi hujus myſterii meditatione defixi, ardentibus ſuccenſi deſideriis deſerendi terram & evolandi cum Chriſto in altum. O aquilinos & Hiſpanicos pullos! *hoc ſole probantur.* Pia quoque eſt illa conſuetudo in Germaniâ, ut imago Chriſti aſcendentis elevetur in altum, ut dum oculis corporeis illam aſpicimus, nos deſideriis potius & cogitationibus evolantem ad cœlos Dominum ſequamur.

§. 4. *Ut & nos ſimus.*

Equidem miratus fui non parùm, cùm nuper in quâdam imagine pulcherrimas inter nubes, quæ Chriſtum aſcendentem ſuſceperunt, depicta multa alata corda, & inter illa unum notabiliter majus, cum nubibus pariter poſt Chriſtum elevata vidiſſem, adverti tamen ſtatim pium pictorem, per hæc corda, & per has alas voluiſſe nobis proponere illa deſideria & affectus, quibus dulciſſimum cor B. Virginis & corda Apoſtolorum ſecuta ſunt Chriſtum usque in cœlum. Miror pictorem non addidiſſe plorantes oculos, quibus

Digitized by Google

quibus Chriſtum D. aſcendentem, illum ſolem gloriæ, quoad potuerunt, tanquam divinæ aquilæ pulli, intuiti ſunt. Eja animæ piæ, evolate mecum in montem Oliveti, huc veſtros oculos, huc animos; videte in quibus radiis, in quâ luce, quâ pulchritudine in cœlos evolet divina aquila, Chriſtus Salvator noſter. Adverto, placet vobis ejus pulchritudo. Adverto, irretortis eum oculis aſpicitis; adverto; liberi eſtis à vinculis & catenis hujus mundi; imò video! alas habent corda veſtra; deſideria, affectus, amores veſtri ſunt in cœlo. Non dubito, ſi & locus & hora ferret, eſſent qui mihi dicerent: O Pater; quo ſolatio, cum quibus lachrymis hodie in ſacroſanctâ hoſtiâ aſpexi meum Jeſum! ah quoties ingemui! utinam eſſem in cœlis cum dilecto meo: quàm ſuaviter dixi B. Virgini. Ah mater! illos miſericordes oculos, quibus aſpexiſti filium tuum aſcendentem ad cœlos, ad me converte, & Jeſum benedictum, &c. Gaudeo inter meos Auditores eſſe tales pullos, quorum oculi potius ſunt in cœlo, quàm in terrâ. *Hoc ſole probantur.*

§. 5. *Aquila in volatu tenet ſemitas rectas.* Poſtquam aquila probatos pullos nido repoſuit educatione dignos, paulatim (Deut. 32. v. 11. ſic loquitur ſacer textus) *provocat ad volandum pullos ſuos, ſuper eos volitans*, ideò pullis paulatim evolantibus hanc epigraphen nonnemo appoſuit: *Inſolitos didicêre nidos.* Imò aquila adeò amat pullos ſuos, ut, dum evolare diſcunt, ad tempus ſuis alis dorſoque imponat; ſic mox evolant altiſſimè, cantillant tamen, *alienis tollimur alis.* Deus ſibi applicat hanc aquilæ proprietatem. Exod. 19. 4. *Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum.* Duo tantùm hoc loco obſervo. I. Omnes aves, cum ſurſum aſcendunt, obliquo tramite, ſola aquila recto ſe in altum elevat. Simili modo puto hodie Chriſtum Domin. in cœlos elevatum eſſe: Et ad hanc viam tenendam nos provocat. Omnes pergimus ad cœlum; ſed habet mundus ſuas ambages; habet ſemitas devias; rapaces volucres, nigri corvi, ſuperbi pavones, fœtidæ upupæ volant per illas vias. Pulli aquilæ ſequuntur hodie Chriſtum per viam rectam. Via recta eſt via mandatorum Dei. Via recta eſt ſemita virtutum; via rectiſſima eſt via ſanctæ crucis. Has vias tenuit Chriſtus Salvator noſter. II. S. Hieron. ait in Iſaiæ cap. 63. *Inter cæteras animantes omnes, aquilarum quidem maximus in pullos*

Digitized by Google

pullos eſt amor, qua in excelſis & inacceſſis locis nidos collocant, ne coluber fœtus violet. Amethyſtum quoque lapidem inter pullos reponit, quo omnia venena ſuperentur. Si hæc vera ſunt, rectè Chriſtus hodiè in cœlos aſcendens comparatur Aquilæ. Nam nobis, ſuis pullis, qui in hoc mundo remanent, nidum condidit in loco excelſo, imò in ſanctiſſimis ſuis vulneribus; & quis ſerpens ibi nobis nocebit; Imò alis divinæ ſuæ protectionis, licet in cœlis ſedeat in throno gloriæ ad dexteram Patris, ſuper nos volitat, jugiterque defendit. Ita tamen ſuper nos volitat, ut provocet ſimul; ita provocat, ut piis cum ipſo deſideriis dies & noctes evolemus in altum.

Unde S. Greg. 31. Moral. 34. explicans illud Job. c. 39. v. 27. *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum.* Sanctum Paulum & ſimiles Sanctos comparat aquilis. *Videamus aquilam nidum in arduis ſibi conſtruentem* (vel evolantem hodiè cum Chriſto Domino in cœlum) *qui ait, noſtra Converſatio in cœlis eſt.* Et rurſum. *Qui conreſuſcitavit & conſidere fecit nos in cœleſtibus.* (prius contigit feſto glorioſæ reſurrectionis, alterum hodierno feſto aſcenſionis) pergit S. Greg. elegantiſſimè. *In arduis habet nidum, quia profectò in ſupernis figit conſilium, non vult mentem in ima deijcere, non vult per abjectionem converſationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus fortaſsè in carcere detinebatur, cum ſe conſidere Chriſto in cœleſtibus teſtaretur: Sed ibi erat ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic ubi illum neceſſariò pigra adhuc caro retinebat.* Non puto me vobis elegantioribus verbis proponere poſſe, quomodo divina Aquila evolans ad cœlum nos provocet ad volandum; vel quo pacto nidum nos oporteat in arduis collocare; vel quomodo Chriſto conſidere debeamus in cœleſtibus; ſic eſt, vivimus in hoc exilio, detinet nos pigra caro, ſed ardentes mentes, ardentia deſideria non poteſt impedire; quò minùs noſtra ſit in cœlis converſatio. Facilè advertitis quâ ratione eſſe poſſitis & debeatis aquilini pulli: ſicut de vobis dici poſſit illud Proverb. 23. verſ. 5. *Facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Penna aquilæ noſtræ fuit obedientia, penna fuit humilitas, penna fuit ejus zelus, &c. pen-

§. 6. *Aquila in alto conſtruit ſibi nidum, ut pulli evolēt & ſequantur. Idem hodie facit Chriſtus Dominus.*

næ & alæ inflammatæ ejus preces, ardentia deſideria; his pennis & nos evolemus in altum, hodierno præcipuè feſto glorioſæ Aſcenſionis Chriſti.

§. 7. *Renovatio Aquilæ.* Sed quid ſi hactenus pennæ veteris Adami nos degravârint, quò minùs potuerimus ſuſtolli in altum? faciamus quod in ſenio faciunt aquilæ. Quomodo ſe renovent pulchrè deſcribit S. Ambroſ. & meminit regius Pſaltes Pſ. 102. v. 5. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua. Aquila enim aſſidua commutatione habitus ſui, longam ducere fertur ætatem, & vetuſtiſſimam fatiſcentibus plumis nova pennarum ſucceſſione juveneſcere, ita ut depoſitis antiquitatis exuviis, rediviva indumentorum nativitate ſe veſtiat. - De novo ergò ſe veſtit, & pullulantibus pennis vetuſta mater, iterum renovatur in pullum.* Addunt alij, demittere ſe aquilam in frigidiſſimum fontem, inde evolantem exponere ſe ardentiſſimis radiis ſolis, hujus ardore extrahi atque conſumi veteres plumas, mox novas ſuccreſcere. Quo facto natura Parens poſt tot annos novam alitem miratur.

§. 8. *Aquilæ uſus in funeribus Imperatorum.* Verùm antequam dicam, quâ ratione hodierno feſto cum aquilâ renovari debeamus, non erit injucundum audire, quâ ratione Antiquitas ſuos contumulârit heroës. Imperatore, qui in Deos referendus, & quaſi conſecrandus erat, vitâ functo, pyram in tabernaculi formam conſtruebant, auro, ebore, ſignis, pictis tabulis mirificè exornatam. Intus jacebat cadaver Imperatoris, vel ejus effigies ornata purpurâ. Aquilam verò alligarunt in ſummo culmine. Incensâ dein pyrâ, cum vapore & fumo aquila agitata, ſolutiſque à flammâ vinculis, è ſummitate tabernaculi in aëra evolaret, dicebant aſtantes Imperatoris animam petiiſſe cœlum, ipſumque omni eo, quod mortale & caducum erat, depoſito & quaſi defœcato, in numerum Deorum receptum eſſe. Hinc illud lemma ſupra aquilam evolantem è flammis, *poſt fata ſuperſtes.* Vel illud: *ſic evolat*, nimirum ruptis vinculis ex incendio pyræ ſalva.

§. 9. *Ut pariter nos renovemur, & evolemus.* Eja animæ piæ, evolate mecum in collem Oliveti, ut videamus Chriſtum glorioſè aſcendentem ad cœlos. Quid hæretis? ni fallor gravant vos pennæ ſuperbiæ, gravant vos aureæ pennæ divitiarum,

tiarum, gravant vos fœtidæ plumæ libidinis. Ni fallor detinent vos diverſa vincula malarum cupiditatum, ſunt hæ pennæ veteris Adami, cum his cum Chriſto non evolabitis in cœlum. Hoc itaque agite, Sacramentum pœnitentiæ frigidiſſimus eſt fons; huic fonti immergite veſtras plumas. Idem ſacramentum calidiſſimus ignis eſt; his flammis illas injicite, hic eas juvat in cineres redigere. Solis inſtar in ſuâ aſcenſione radiat glorioſiſſimus Jeſus, hujus radiis vos exponite, mox novæ ſuccreſcunt plumæ. Creſcent pennæ humilitatis, pennæ caſtitatis, aureæ, deargentatæ, &c. Eadem flamma amoris JEſu rumpet veſtra vincula; ſic liberi, ſic veſtiti novis plumis, ſic novæ & juvenes aquilæ cum Chriſto evolabitis in cœlum; præcipuè poſt fata, per ſanctam & felicem mortem, ſic evolabitis. Video, prolixior fui meâ ipſius opinione: tamdiu commorari non potero in recenſendis aliis aliquot ſymbolis.

In quorum uno depicta eſt aquila, comedens corda, cum hoc lemmate; *Cibus eſt gratiſſimus ille.* Vel illo verſu ex c. 9. v. 26. Job. *Sicut aquila volans ad eſcam.* Mira de hoc volatu referunt auctores; fame ſtimulata aquila, latè explicatis alis, contentiſſimo corporis niſu, non tam volat quàm ruit in eſcam, & volatu quidem altiſſimo. Ut autem perſpiaciſſima eſt viſu, ita & ſagaciſſima odoratu. Sunt qui aſſerant aquilam, eſcam diſſitam ferè milliatibus quingentis odore perſequi. Credo in hoc Jobo aſſerenti c. 39. v. 27. *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? in petris manet & in præruptis ſilicibus, atque inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam, ut de longè oculi ejus proſpiciunt.* Cùm autem aquila non bibat aquam, ſed ſanguinem, nulla illi eſca magis eſt in oculis, vel in deliciis, atque cor alicujus animalis, cùm ſit ſanguinis ſedes & receptaculum. *Cibus eſt gratiſſimus ille.* Regia eſca, regiæ hujus avis cor eſt. Aquilæ avidiſſimæ ſunt, ut rapiant corda, his enim & famem depellunt, & ſitim extinguunt. §. 10. *Aquila comedens cor.*

Si hodierno feſto Rex gloriæ in glorioſâ aſcenſione ſimul eſt aquila, & cordi nobis ſit, opiparum illi apparere convivium; convivium regium, corda noſtra proponamus. Sic benè Plautus. *Qui amat, quod amat, ſi id habet, id habet prò cibo.* Nihil in nobis Jeſus noſter, regia illa aquila, amat magis quàm corda noſtra, illa date, habebit §. 11. *Regia aquila, ſive Ieſus ad cœlos aſcendens nihil magis*

deſiderat, quàm corda noſtra.

bit pro cibo. *Cibus eſt gratiſſimus ille.* Aldrovandus ait; *Si cor victimæ raptum ab aquilis fuiſſet, nimium propitios fore Deos, ea res oſtendebat.* Erat id omen feliciſſimum. Rapuiſti mi JEſu hodie corda meorum Auditorum; Victimæ tuæ ſumus, ſed ſine cordibus, quia ea tecum evolârunt in cœlum. Omen felix; referet ea nobis Spiritus ſanctus, ſed ignea, ſed accenſa, ſed inflammata.

§. 12. *Viciſſim in ſanctiſſimâ Eucbariſtiâ ſuis pullis reliquit cor ſuum.*

Nobis verò tanquam aquilæ pullis, ſimilis cibus & potus non deeſt. Aſcendit Chriſtus ad cœlos, ſed ita, ut in ſanctiſſimo Sacramento nobis relinquat in cibum & potum idem corpus & ſanguinem, cum dulciſſimo ſuo corde. Eò volemus, tanquam regii pulli, regio hoc cibo & potu nutriamur. Aquila divina nos ſuos pullos nutrit delicatè, ſuo ſacro corpore, ſuo pretioſo ſanguine, ſuo dulciſſimo corde. Hoc ingens nobis hodie ſolatium, quod glorioſè aſcendat ad cœlos, & tamen idem nobiſcum maneat in ſanctiſſimo Sacramento.

§. 13. *Aquila inimica ſerpentibus.*

Supereſt in pulchro emblemate aquila armata fulmine, cum Inſcriptione. *Nemo impunè laceſcit*, proinde eſt inimica ſerpentum, quos roſtro & unguibus in fruſta lacerat, divellit, & ad ſaxa allidit. Alia aquila biceps, uno roſtro præfert fulmen & gladium, altero ramum Olivæ, cum lemmate: *In utrumque parata.* Aquila noſtra regia, dùm hodie evolat ad cœlos, B. Virgini, Apoſtolis, amicis oſtendit ramum Olivæ, totus illis eſt ſuavis, dulcis, amabilis. Timeant hoſtes, nemo Chriſtum impunè laceſſit, parata habet fulmina, quibus ſerpentes confringat, &c. Sed omnes mei Auditores ſunt amici & amatores mei JEſu. Timemus quidem, ſed ut filii, amamus ut pulli. Eja genuina aquilæ divinæ proles, evolemus in altum, inconnivis cernamus oculis juſtitiæ ſolem; cernamus & diligamus. Ubi eſt corpus, illic congregentur & aquilæ. Et corpus, & anima, & caput noſtrum eſt JEſus: nos aquilæ; quare congregemur, ſequamur, evolemus in cœlum.

Finis partis tertiæ.

Digitized by Google

ALVEI QUINTI,

SIVE

CONCIONUM

IN

Feſta à Pentecoſte uſque ad Adventum,

PARS IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO LXX.

FERIA II. PENTECOSTES.

Nolite contriſtare Spiritum Sanctum DEI,

Ad Epheſios 4. v. 30.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Exponit, quid ſit contriſtare Spiritum Sanctum.

§. 1. *Exordium.*

§. 2. *In Veteri lege prohibitum fuit contriſtare advenam; multò minus Spiritum Sanctum.*

§. 3. *Quâ ratione dici poſſit contriſtari Spiritum Sanctum.*

§. 4. *Quinam in particulari Spiritui S. reſiſtant.*

§. 5. *Illi, qui peccant, quia DEus bonus eſt, & miſericors.*

§. 6. *Illi, qui ſcienter peccant.*

§. 7. *Blaſphemi, detractores, &c.*

§. 8. *Triſtes & melancholici.*

ORdiar hodierno feſto S. Spiritûs meum ſermonem cum S. Bern. *Quam libenter vobis communicem, ſi quid mihi ſupernâ dignatione ſenſero inſpiratum, novit Spiritus ipſe, cujus hodiè ſolennitatem præcipuam celebramus. - Utinam, id faciam - devotione præcipuâ & ardentiſſimâ charitate.* Pro materiâ præſentis Concionis Spiritus S. mihi ſuggeſſit cit. v. 30. ex c. 4. epiſt. ad Epheſ. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum.* Nam licet heri multorum corda repleta ſint Spiritu Sancto; licet in multis per haſce ferias creentur corda nova, & Spiritus rectus innovetur in viſceribus eorum (hîc poteſt fieri brevis & pulchra repetitio ſermonis heſterni) alij tamen ſunt, ſuper quos Spiritus Sanctus non deſcendit, §. 1. *Exordium.*

multi ſunt, qui tantum hoſpitem eâ, quâ par eſt, devotione non receperunt, imò ſunt, qui Spiritui ſancto reſiſtunt, ſunt qui ipſum contriſtant. Quinam illi ſint, & quid ſit Spiritum ſanctum contriſtare, illi rebellem eſſe, illi contumeliam inferre, illum affligere, ipſi contradicere, reſiſtere, &c. (omnibus enim his modis loquendi utitur ſacra pagina) quidnam inquam hoc ſit, latius hæc, quam ordior, Concio proponet. Attendite.

§. 2. *In Veteri lege prohibitū fuit contriſtare advenam. Multò minus Spiritum ſanctum.*

Exodi 22. v. 21. præcepit DEus; *Advenam non contriſtabis, neque affliges eum.* Non ſine ratione legem hanc tulit; hinc barbarum eſt & ab humanitate alienum, peregrinum malè & durè tractare, inde verò perquam facile eſt, illum offendere, cum plerumque tales ingenio, loquelâ, & moribus à nobis diſſentiant, ideoque monet DEUS, advenam non contriſtabis. Non dubito, quin heri inter alia ſuſpiria ad Spiritum ſanctum, etiam hoc elogium ſæpiùs repetiêritis. *Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ.* Verè dulcis hoſpes eſt, qui adeſt cum nubibus & aureo gratiarum imbre: Dulcis hoſpes animæ eſt, qui deſcendit cum ſuaviſſimâ luce cœleſtium luminum. Dulcis hoſpes eſt, qui depluit cum melle & ſaccaro ſupernarum conſolationum delicias, ſed eſt peregrinus in hoc mundo; imò legibus ejus planè contrarius. Alius eſt ſpiritus mundi & carnis; alius ſpiritus DEI, ideò à filiis hujus ſæculi facillimè durius tractatur, contumeliâ afficitur & contriſtatur; queritur de hoc Iſaias cap. 63. v. 10. *ipſi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt ſpiritum ſancti*, in græco, *Spiritum ſanctum ejus*, ideò monet S. Paulus, *Nolite, &c.*

§. 3. *Quâ ratione dici poſſit, ſpiritum S. poſſe contriſtari.*

Sed, quomodo ſpiritus hic dulciſſimus, fons & origo omnis ſuavitatis, quomodo gaudium & amor ſanctiſſimæ Trinitatis, quomodo mellifluum Cor Divinitatis poteſt contriſtari? reſpondeo, talia dicta ſumenda eſſe illo ſenſu, quo ſumuntur vel dicuntur illa à ſanctis Patribus & ſacrâ paginâ, quibus dicitur DEus iraſci; pulchrè S. Ambr. lib. de Noe. c. 4. *Non iraſcitur quaſi mutabilis, Sed ideò hæc dicuntur, ut exprimatur peccatorum*

catorum noſtrorum acerbitas , tanquam eò usque increverit culpa , ut etiam Deus , qui naturaliter non movetur , aut irâ , aut odio , aut paſſione ullâ provocatus videatur ad iracundiam. DEUS itaque iraſci vel contriſtari ex ſuâ naturâ non poteſt, peccator verò, quantum eſt ex ſe , illum contriſtat , id eſt , ſi triſtitia in DEUM caderet, peccatum illius eſſet cauſa ; adeò res terra, impia, terribilis eſt peccatum mortale : pari ratione de Spiritu Sancto & peccatore loqui debemus. Eſſentialiter ille Spiritus ex naturâ ſuâ , quia DEUS eſt, eſt beatiſſimus ; ſed peccator tam agit impiè, ſive, peccatum mundiſſimo illi Spiritui adeò diſplicet , ut ſi triſtitiæ eſſet capax, contriſtaretur. De talibus ait Job. c. 24. v. 13. *Ipſi fuerunt rebelles lumini*, Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, Baruch. 4. v. 6. *Ad iracundiam provocâſtis DEVM, exacerbaſtis eum, qui fecit vos , contriſtatis nutricem veſtram.* Nutrix veſtra eſt DEUS Pater, qui vos creavit, qui vos quovis momento conſervat. Sed ô impii per ſummam veſtram ingratitudinem hanc nutricem rejicitis. Nutrix veſtra eſt DEUS Filius; in cruce vos genuit, in Euchariſtiâ vos ſuâ carne & ſanguine paſcit. O impii: per peccata veſtra nutricem hanc contriſtatis. Nutrix eſt Spiritus ſanctus, qui vos fovet lacte & melle cœleſtis dulcedinis, ſed nutricem veſtram contriſtatis : id eſt, facitis, quod illi adeò diſplicet, ut, ſi fieri poſſet, triſtaretur. Cauſam vos ponitis. S. Paulus ad Hebr. 10. v. 29. de illis ait : *Qui Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Ad. Gal. 5. v. 17. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum.*

Verùm hæc omni peccato lethali ſunt communia, oſtendo ulterius , quinam in particulari dulciſſimo illi Spiritui reſiſtant. Illud deduco ex articulo fidei, qui docet, omnia attributa divina omnibus tribus perſonis eſſe communia. Non ſemel, vel bis, ſed ter Seraphici illi Spiritus, Iſ. 6. v. 3. inclamârunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; ſubintellige, ſanctus Pater, ſanctus Filius, ſanctus Spiritus S. pari ratione dicere debemus, omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S. (hoc modo fac pulchram inductionẽ) certiſſima hæc ſunt; nihilominus ob opera ad extra, Patri ob creationem peculiariter attribuitur omnipotentia, Filio ob redemptionem, ſapientia,

§. 4. Quinam in particulari reſiſtant Spiritui Sancto.

Spiritui ſancto ob ſanctificationem, bonitas, amor, & miſericordia. His omnibus attributis ſe opponit peccatum mortale; Omnipotentiæ, quia vellet Deum non eſſe omnipotentem; Sapientiæ, quia vellet Deum non eſſe omniſcium. Bonitati, quia huic creaturam præfert. Hic omnibus poſitis, dico, aliquos peccatores ob peculiarem rationem ſe opponere divino amori & miſericordiæ; de quibus dicitur, quod peccent in Spiritum ſanctum, & hi ſunt, qui illum contriſtant.

§. 5. *Illi, qui peccant, quia DEus bonus eſt & miſericors.*

Bonitati verò & amori divino contumeliam faciunt, & peculiari injuriâ illum afficiunt: *Primò* illi, qui peccant, quia DEus bonus eſt, quia miſericors eſt, quia longanimis eſt, quia DEus non ſtatim animadvertit in impios, ut ait Eccleſiaſtes cap. 8. v. 11. *Etenim quia non profertur citò contra malos ſententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* Graves contra hos ſunt minæ S. Pauli ad Rom. 2. v. 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiem tuam, & impœnitens Cor, theſaurizas tibi iram in die iræ.* Infinita DEI bonitas eſt, quod graviſſimis peccatoribus media neceſſaria ad ſalutem non ſubtrahat; quod itentidem bonis inſpirationibus ipſos alliciat ad pœnitentiam; illa verò reijcere, repellere, in malitiâ pergere, eò quod bonus eſt, ſumma atque adeò infinita eſt injuria; & talium difficilis demùm eſt converſio. Juvat id in ſimili cognoſcere. Fingite videre vos ægrum gravi morbo proſtratum; adeſt ei medicus, periculum perſpicit, pharmaca præſcribit, & ea quidem pharmaca, quæ ægro ad recuperandam corporis valetudinem ſunt neceſſaria. At ille capite renuit, ore pharmaca execratur, manibus repellit, nec quicquam de ijs vel inaudire, nedum ſumere cogitat. Dicite jam Auditores quid vobis de hoc infirmo videtur? quid putatis dicturum medicum? nunquid ut jam deploratum deſeret? nunquid ut dementem irridebit? nunquid illum mortis filium declarabit? Jam verò ſi paulò poſt vitâ excedat infirmus, dicite in quem conferetis culpam? in Medicum, an in ægrum? Ah quid percontor? Facilis eſt atque expedita reſponſio. Sic omninò ſeſe res habet cum illis, qui Divinum animæ medicum, Spiritum S. repellunt, ejusdem-

ejusdemque ſacras inſpirationes, & ſacramenta, quæ ſunt præſentiſſima animarum pharmaca, negligunt, contemnunt, deſpiciunt. Difficilis profectò talium eſt ſalus, non quod medicus aut non poſſit, aut nolit medicam adhibere manum, ſed quod illi reſiſtitur. S. Thomas. Liberum arbitrium (in talibus) remanet quidem ſemper in hâc vitâ vertibile, tamen quandoquidem abijciunt à ſe id, per quod verti poteſt ad bonum, quantum in ipſis eſt, obſtaculum ponunt, ne unquam ſanentur. Ideò S. Joannes ep. 1. c. 5. v. 16. hoc peccatum vocat *peccatum in mortem*. Matth. 12. v. 32. *quod non remittitur neque in hoc ſaculo, neque in futuro*. v. 31. *Omne peccatum & blaſphemia non remittetur*. Marci 3. v. 28. *Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*. Itaque nolite contriſtare Spiritum S. id eſt, nolite graviter DEum offendere, & differre pœnitentiam, quia ſpiritus ejus bonus eſt.

Secundò, Contumeliam Spiritui S. faciunt illi, qui ſcienter peccant. Subinde dum aliqui à carne, vel diabolo invitantur ad malum, Spiritus S. clariſſimè illorum intellectus illuminat luce divinæ gratiæ, ut agnoſcant tale opus eſſe contra legem Dei, tale peccatum mereri infernum, ſe Chriſtum contriſtare; ſi nihilominus peccare pergant, peccant in Spiritum Sanctum; ſi dicant DEO ex Job c. 21. v. 14. *Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Hi propriè quantum in ſe eſt, Spiritum S. contriſtant. §. 6. *Illi, qui ſcienter peccant.*

Tertiò, cum Spiritus Sanctus ſit lingua Sanctiſſimæ Trinitatis, S. Chryſoſt. ait; illos peculiariter peccare in Spiritum S. qui gravibus vitiis linguæ, & præcipuè blaſphemiis, &c. DEum offendunt. Hugo Card. in c. 8. Proverb. *Vnde iſti propriè ſunt Apoſtoli Diaboli, & dici de ipſis poteſt, loquebantur varijs linguis Pſeudo-apoſtoli magnalia diaboli*. Hæc eſt Spiritus S. gratia, ut linguas ſuorum reddat igneas; igne illas accendit, ſed igne cœleſti, igne ſui amoris divini. Videt hoc DEI ſimia diabolus, & quod videt, non ad commodum noſtrum, ſed ad perniciem geſtit æmulari; in linguis & ipſe ſuam confert operam, igneas reddere linguas laborat; ſed quomodo igneas? aliis ab aliis utitur flammis! flammis infernalibus, flammis à Vulcano, Marte, ac Venere ſuſceptis. Videte nunc Auditores, an igneæ ſint vobis linguæ; videte præterea §. 7. *Blaſphemi, detractores &c.*

quis

Digitized by Google

quis hunc ignem ſuſcitârit; ſi ſermo veſter impurus, turpis, atque laſcivus eſt, linguas habetis igneas, ſed à ſpiritu malo, à ſpiritu fornicationis; ab immundâ Venere primas ſuſcepiſtis ſcintillas. Nimirum quod in horologio eſt index, hoc in homine eſt lingua: lingua eſt index, ex quo colligere poſſumus, an in corde ſit Spiritus ſanctus, ex corde repleto Spiritu S. profluunt verba bona & ſancta, Prov. 10. v. 11. *Vena vitæ, os juſti*, èccontra è corde, à quo Spiritus S. exulat; profluunt verba nequam. S. Chryſoſt. hom. 43. in Matth. *Naturalis conſequentia eſt, ut cum intus abundat nequitia, effluant verba nequam*, Matth. 12. v. 34. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Ex abundantiâ enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro* (de corde in quo eſt Spiritus ſanctus) *profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala.* Ejusmodi lingua mala audet ſe Spiritui S. opponere: nam cum ſit ille Spiritus puriſſimus; hæc lingua eſt amatrix impuritatis, amatrix ſordium, turpitudinum, libidinum. Cum ſit ille ſpiritus pacis; hæc eſt diſcordiarum ſeminatrix, turbarum magiſtra, concitatrix furoris. Cum ſit ille ſpiritus amoris, hæc omnis odii atque inimicitiæ, ubicumque demùm poteſt, fomitem ſubminiſtrat. Cum ſit ille ſpiritus ſimpliciſſimus; hæc duplex eſt, dum aliud corde clauſum, aliud ore promptum exhibet. Annon impudens, annon audax eſt lingua, quæ talem tamque divinum tentat ſpiritum oppugnare? Ite nunc Auditores, & probate (ut cum Apoſtolo loquar,) probate inquam ſpiritus an ex Deo ſint. Sed ut hoc poſſitis, probate prius linguas, examinate illas an igneæ, & quali demùm igne ſint ſuccenſæ; Hoc ubi feceritis, facillimum erit judicium, an Spiritum ſanctum contriſtetis, nec ne.

§. 8. *Triſtes & melancholici.*

Hic mihi ſuccurrit præclarum illud, quod B. Antiochus hom. 25. de juſtitia documentum reliquit, his verbis: *Averte à te triſtitiam, & ne contriſtes Spiritum ſanctum, qui in te habitat, ne fortè recedat à te.* Dico ego, averte à te luxuriam, averte à te turpem turpia loquendi conſuetudinem; averte à te ſermones homine caſto indignos; averte à te verba alieni honoris gloriam violantia, averte à te pravum jurandi atque imprecandi affectum; Sic fiet, ut non contriſtes Spiritum ſanctum. Et quid eſt aliud contriſtare divinum

hunc

hunc Spiritum, quàm peccatis addere peccata, nec de feriâ vitæ pœnitentiâ cogitare. O Auditores, ſi fortè ſunt inter nos quos amor ſeu naſcentis, ſeu patientis, ſive etiam morientis, aut reſurgentis denique JESU non potuit ad ſeriam morum converſionem adducere; hos ſaltem hodiè adducat amor illius Spiritûs, qui totus amor eſt, totus ignis, totus charitas. Quodſi nec amor illos poteſt adducere, adducat ſaltem timor: ſiquidem eos, qui Spiritum ſanctum contriſtant, grave manet jugum, terribilis pœna, vindicta enormis. Non ignoramus quid Anno Chriſti 1453. feriâ tertiâ Pentecoſtes contigerit. O dolor! infandum cogor renovare dolorem! Capta fuit hoc, quem dixi, anno dieque à Turcis infenſiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus Conſtantinopolis, ultimus Græcorum Imperator Conſtantinus internecione deletus, cum eoque deletum pariter Imperium Orientis. O triſte fatum! O caſus ſanè acerbus! ſed quid cauſæ quod hæc tanta calamitas ipſis Spiritui S. hoc eſt Amori divino ſacratis feriis Chriſtianum orbem involverit? equidem non à vero aberrare me putem, ſi dixero tantam malorum ſegetem ob blaſphemas Græcorum linguas, quas in Spiritum Sanctum expuêre, à Deo permiſſam. Ite jam & diſcite quid ſit contriſtare Spiritum Sanctum. Finiamus Auditores, & unâ omnes voce clamemus, *veni S. Spiritus, veni dulcis hoſpes animæ, veni conſolator optime*: poſt hac nunquam te contriſtabimus; abſit ô S. Spiritus, abſit ut poſthac aliis corda noſtra ignibus inflammentur, quàm tuis, hoc eſt, puris, ſanctis, caſtis, cœleſtibus, verbo; ignibus divini tui dulciſſimique amoris,

AMEN.

CONCIO LXXI.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Joan. 10. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobat Spiritus ſancti neceſſitatem, ut ille nos confortet, moveat, dirigat, vivificet, &c. Miſcentur varia elogia Spiritus ſancti.

§. 1. *Liberalitas Sponſi erga Sponſam.*

§. 2. *Neceſſarius nobis eſt Spiritus generoſus, qualis fuit in Daniele.*

§. 3. *Neceſſarius eſt Spiritus S. veluti renovatio imaginis, veluti unio & copula cum Chriſto, veluti ſolatium lugentium.*

§. 4. *Spiritus S. eſt neceſſarius, veluti ventus navi.*

§. 5. *Veluti aqua terra, & anima corpori.*

§. 6. *Neceſſarius nobis eſt Spiritus S. veluti Spiritus tranquillus.*

§. 7. *Veluti Spiritus principalis.*

§. 8. *Spiritus S. facit nos intrepidos.*

§. 9. *Spiritus S. nos adjuvat.*

§. 10. *Media attrahendi Spiritum S. de cælis in corda noſtra.*

§. 1. *Liberalitas Sponſi erga Sponſam.*

COntingit ſubinde ut principe regiove natus ſtemmate adoleſcens, qui incognito, ut ajunt, habitu peregrinas luſtrat regiones, alicubi formoſæ Virginis amore capiatur. Sic irretitus plerumque ſuum munuſculis (ut ſunt annuli pretioſi, vel murænulæ, vel gemmæ) amorem conteſtatur; addit tamen, *Dilecta mea*, amori, quo te proſequor, hæc ſunt exigua, verùm cum abſim à patriâ, majora offerre non licet, hoc tamen ſcias velim, ſimul atque in patriam ad meos Dominos parentes, atque ad meas opes aulamque fuero reverſus, tui non immemor, dona multis partibus pretioſiora transmittam.

Digitized by Google

mittam. Et certè pronum eſt cogitare, ejusmodi Principem reducem in patriam promiſſis ſtaturum. Talis in terris fuit Sponſus animarum noſtrarum Chriſtus JEſus; annon enim habitu veſtitus peregrino comparuit, dum mortalitatis noſtræ ſaccum induit? annon peregrinus, cum teſte Davide, *à ſummo cælo egreſſio ejus*? De amore verò quid dicam? profectò major is eſſe non potuit, quia non munuſcula, ſed dona prorſus cœleſtia, ſed theſauros ſuarum divitiarum in nos contulit; dum non tantùm legem ſuam atque doctrinam, ſed & carnem & ſanguinem, & ſanctiſſima ſacramenta, vaſa cœleſtis gratiæ, & merita ſua, quæ pretij ſunt infiniti, impertiit. Et hæc quidem omnia contulit in peregrinâ regione, in hâc valle lachrymarum. Quamprimùm verò ad Patrem reviſit, in patriam cœleſtem, noſtri non eſt oblitus, ſed (quemadmodum Apoſtolus Paulus loquitur ad Epheſios. 4. v. 8.) *Aſcendens in altum, dedit dona hominibus*, ſcilicet Spiritum ſanctum, qui propter infinitam dignitatem, donum Dei Altiſſimi nuncupatur. De hoc dono multa non minus fructuosè quàm luculentè in medium proferri poſſunt: mihi verò decretum eſt, hâc Concione ex locis aliquot ſacræ ſcripturæ oſtendere, quàm hoc donum in hâc lachrymarum valle nobis ſit neceſſarium, præcipuè ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus. Quisquis divini hujus doni deſiderio capitur atque amore, tantiſper me benevolus attendat.

Pulchrum S. Spiritûs effectum invenio Danielis 5. verſ. 45. *Cumque* (nimirum triſtiſſima Suſanna condemnata) *duceretur ad mortem, ſuſcitavit Dominus Spiritum ſanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel.* Arabicus textus. *Commovit Deus Spiritum ſanctum in juvene nominato Daniel.* Spiritum ſcilicet generoſum, quo animatus duodennis juvenis, iniquo ſeniorum concilio, & mendaci duorum ſenum impudentiæ ſe opponere non dubitavit. Præclarè S. Greg. hom. 30. in Evang. *Implet* (Sanctus iſte Spiritus) *citharœdum puerum* (Davidem) *& Pſalmiſtam facit, implet paſtorem, & ſternit leones, vincit Goliathum, implet Danielem, & Iudicem ſenum facit. O qualis artifex eſt iſte Spiritus! nullâ ad diſcendum morâ agitur in omne, quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet: ſolumque tetigiſſe docuiſſe eſt:*

§. 2. *Neceſſarius eſt nobis Spiritus generoſus, qualis fuit in Daniele,*

Digitized by Google

Nam humanum animum ſubitò ut illuſtrat, immutat; abnegat hoc repentè quod erat, exhibet repentè quod non erat. Tangere corda hominum, illuminare, excitare, commovere; immutare ſunt effectus Spiritûs ſancti. O ſanctus ille Spiritus, qualis eſt artifex! Mihi ex hoc loco faciliimum eſt colligere, Spiritum hunc generoſum ad opera cumprimis ardua nobis eſſe perquàm neceſſarium. Annon arduum opus eſt conflictari cum leonibus? Leo eſt iracundia. Annon arduum opus ut in arenam deſcendat cum Goliatho David paſtorculus? Goliathus noſter eſt Satanas. Annon arduum opus, occultos tectosque inimici cuniculos eludere, ſtratagemata detegere, fraudes evadere? Caro noſtra quot voluptates, totidem velut cuniculos ad arcem animæ noſtræ evertendã molitur. Veni ergò, veni ô ſancte Spiritus, veni ô Spiritus generoſe, & generoſos nobis animos adde, ut generoſo congrediamur certamine, & vincamus glorioſè.

§. 3. Neceſſarius eſt Spiritus S. veluti renovatio Imaginis, veluti copula & unio cum Chriſto, velut ſolatium lugentium.

Eleganter D. Chryſoſt. Ser. 1. in Pent. in fine tomi 3. *Spiritus ſanctus noſtræ imaginis eſt reformatio, mentis perfectio, Spiritualis mentalium oculorum ſol, interni hominis lumen, Lucifer in pectoris cælo. - Spiritus ſanctus eſt copula unionis noſtræ cum Chriſto.* (Præclarè omninò os aureum.) Sic eſt Auditores, noſtræ cum Chriſto unionis copula eſt Spiritus S. Nôrint Dialectici quid ſit copula prædicatum inter & ſubjectum: novit D. Chryſoſt. meliorem animæ noſtræ cum JEſu copulam. Proinde ſi unita fuit anima Divi Pauli Chriſto; copula fuit Spiritus ſanctus. Idem dico de animâ S. Franciſci Seraphici, de animâ item alterius Franciſci Xaverij Indiarum Apoſtoli, ſine hâc Divinâ copulâ, ſine ope ac gratiâ S. Spiritûs nunquã tanta fuiſſet illarum ardentium animarum cum Chriſto JEſu conjunctio; (*animarum exultatio, cordis tripudium, fons rorulentus, Spiritus S. lugentium*) præcipuè in antris pœnitentiæ) *conſolatio, mentis requies, Sapientiæ communicatio, prudentiæ inventio, præſcientiæ illuſtratio. Denique - oſtendit animæ intrinſecus quaſi in ſpeculo, cum ineffabili gaudio futurum æternum gaudium.* Duo ex hoc loco moneo. Unum cum S. Paulo, *renovamini Spiritu mentis,* &c. Veſtris animabus impreſſa eſt pulcherrima illa imago Divinitatis; videte ut ornetis, ſed Spiritu S. opus eſt. Alterum eſt, ut amemus Chriſtum, ut illi nos uniamus, hæc eſt vita æterna, ſed Spiritu ſancto eſt opus, &c.

Neceſſi-

Neceſſitatem Spiritûs ſancti pulchro ſimili declarat idem S. Chryſoſtomus hom. de Spiritu ſancto in fine tomi 3. *Da mihi navim vacuam, gubernatores, nautas, funes, anchoras, omnia diſpoſita, & nuſquam eſſe ſpiritum venti; nonne tardat omnis quantuscunq; eſt apparatus, ſi deſit operatio Spiritûs. Ita fieri ſolet, licet ſit ampla ſermonis ſupellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia; ſi non adſit ſpiritus, qui vim ſuppeditat, otioſa ſunt omnia.* Navicula eſt cor hominis; mare, quod trajicit, eſt hæc vita, quot periculis, totidem quaſi cincta procellis; portus, quem petimus, ſunt beati illi fines gloriæ cœleſtis: fateor, nec funes deſunt, nec anchoræ; nec gubernator deſideratur, nec remiges: Remiges ſunt viri Apoſtolico præditi zelo, gubernator DEus eſt; anchoram ſpes firmat, funium loco Chriſtianæ ſerviunt virtutes: quid porrò requiritur, niſi ventus propitius? Veni, ô veni S. Spiritus, ſpira & inſpira tuo flamine, promove vitæ noſtræ naviculam, quæ ſine te nunquam optatum gloriæ portum continget. Notate aliam circumſtantiam hujus ſimilitudinis: Ingreditur mare navis onuſta ferro, vel gravi alio pondere; quàmdiu ventus non ſpirat, hæret, fluctuat; afflante vento propellitur facillimè, & quaſi volando per maria fertur, licet pondus ſit graviſſimum. Talis eſt navicula cor noſtrum, O quantum, quamque grave fert onus! corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; imò ſcelera plus aggravant, concupiſcentiæ, tentationes, curæ ſæculares; omnia denique mundi negotia miſellam aggravant animam: & quid mirum? Terrena ſunt omnia, naturâ ſuâ gravis eſt terra. Veni, ô veni S. Spiritus, *ſine tuo Numine nihil eſt in homine*; ut tuo ſubjecta flatui emergat è vado navicula; Veni ſancte Spiritus, veni!

§. 4. *Spiritus S. eſt neceſſarius, veluti ventus navi.*

Alio ſimili hanc neceſſitatem declarat B. Petrus Damianus. ſer. 21. *Anima noſtra niſi Spiritus ſancti gratia fuerit velut rore perfuſa, funditùs arefacta, ad nullius ſancta operationis germen poterit eſſe fœcunda.* Explicat eleganter hoc ſimile S. Gregorius ſuper Pſ. 142. *Quaſi terra ſine aquâ eſt anima ſine Dei gratiâ* (dico ego, ſine Spiritu ſancto, qui fons eſt gratiæ,) nam ſicut terra, quæ imbre non perfunditur, non veſtitur herbis, non venuſtatur floribus, non abundat meſſe; ſic anima gratiâ carens, non operitur virtutibus, non cogitat de cœleſtibus, non inſiſtit utilibus; ideò ait Pſalmiſta Pſ. 142. v. 6.

§. 5. *Veluti aqua terra, & anima corpori.*

Expandi manus meas ad te, quia defecit Spiritus meus. Innocentius III. *Ideò manus meas ad Deum in oratione expandi, quia anima mea ſicut terra ſine aquâ tibi, quæ carens humore virtutum germen boni operis non producit.* Pergit B. Petrus Dam. *Sicut anima eſt vita corporis, ita & vita animæ noſtræ Spiritus ſanctus eſt. Et ſicut corpus noſtrum animâ recedente collabitur; ita & eadem anima, ſi ſpiritus vivificator abſceſſerit, neceſſe eſt moriatur.* S. Cyprianus ſer. de Spiritu ſancto, *Impoſſibile eſt eum vivere, cui non ſuperfertur ſpiritus vitæ: cujus vivificus calor animat omnia & fovet, & provehit & fæcundat.* Eò tendit meum thema, *Ego veni ut vitam habeant, &c.* Spiritus ſanctus eſt vita & vigor animæ. Iſaiæ 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, &c. & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Quæ verba Forerius ſic vertit. *Reſpirare ejus erit, in timore Domini*, ſive, *timor Domini erit ſpiraculum, halitus, vita & anima ejus*, qui Spiritu ſancto repletur. P. Cornelius locum ſic exſcribit, *Spiritus Domini ſpirare faciet eum; timorem Domini ſcilicet, quia faciet, ut nil niſi Dei timorem, religionem & pietatem, corde, ore, oculis manibus, totoque corpore exhalet & ſpiret; ſicut roſæ & lilia undique odorum fragrantiam emittunt, & expirant, ſic ait Apoſtolus, Chriſti bonus odor ſumus.* (Roſa talis fuit B. Virgo, roſæ tales Apoſtoli, roſæ tales omnes ſancti Spiritus ardore, ceu purpurâ viri fœminæque inſignes) æquè pulchrè Caſſianus ſuper illa verba, *replebit eum, &c.* collat. 11. cap. 13. *Tanta enim ubertatis ejus eſt magnitudo, ut quem ſemel ſua virtute poſſederit, non partem, ſed totam ejus occupet mentem*, nec immeritò; illi enim, quæ nunquam excidit charitati cohærens non ſolum replet, ſed perpetuâ etiam atque inſeparabili eum, quem ſubiit, poſſidet dominio, nulliſque vel lætitiæ temporalis, vel voluptatum oblectationibus imminuitur. Quàm ergò reſpiratio & anima ad vitam humani corporis eſt neceſſaria, tam neceſſarius eſt Spiritus ſanctus.

§. 6. *Neceſſarius eſt nobis Spiritus S. veluti ſpi-*

Probo eandem neceſſitatem ex lib. 3. Reg. c. 19. v. 11. Elias profugus à facie Jezabelis, in antrum aliquod montis ſe abſcondit, æſtuans nonnihil deſiderio vindictæ; & dixit illi Dominus: *Egrediere & ſta in*

Digitized by Google

ſta in monte coram Domino; & ecce Dominus tranſiit; ante Illum verò *Spiritus grandis & fortis, ſubvertens montes, & conterens petras.* Sed in hoc ſpiritu non fuit Dominus. Poſt ſpiritum commotio! neque in commotione Dominus. Poſt commotionem ignis! neque in igne Dominus. *Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* In hoc ſibilo tranſiit Dominus. Eleganter Tertull. l. de pat. c. 15. *Spiritus ejus* (ſcilicet DEI) *non turbine glomeratur, non nubilo livet, ſed eſt teneræ ſerenitatis, apertus & ſimplex, quem tertiò vidit Elias. Nam ubi eſt Deus, ibi eſt alumna ejus, ſcilicet patientia. Itaque in ſibilo auræ tenuis adeſt Spiritus ſanctus. Tranquillus Deus* (Inquit S. Bern.) *tranquillat omnia; & quietum aſpicere eſt quieſcere.* Qualis mons eſt malignus hic mundus, in quo vivimus? totus in maligno poſitus, totus ardet ignibus concupiſcentiæ! qui turbines, qui motus, qui tumultus! hic tranquillè vivere, propè dixerim adynaton. Sibilo auræ tenuis eſt opus, id eſt Spiritu ſancto; hoc indigemus, hic tranquillat omnia. *ritus tranquillus.*

§. 7. *Veluti Spiritus principalis.*

Hunc Spiritum petiit David Pſ. 50. v. 12. 13. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Quis ſit hic ſpiritus principalis, præ aliis pulchrè explicat Origines: *Primum autem cor mundum creatur* (pulchrè, hic eſt primus effectus Spiritus ſancti nobis planè neceſſarius) *deinde in ipſo ſpiritus rectus innovatur, deinde poſt duos ſpiritus, ſpiritu principali quis à Deo confirmatur, ut aliquis firmus & inconcuſſus permaneat.* Cogitate, an hic ſpiritus inter tot adverſitates nobis non ſit neceſſarius. Hic ſpiritus principalis datus eſt Apoſtolis, &c.

§. 8. *Spiritus S. facit nos trepidos.*

Pulchrè Paſchaſius Abbas ſuper c. 4. Marci. *Cum Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos, qui clauſi èrant propter metum Judæorum, cœlitus adveniſſet, mirè extulit eos inter medias perſecutionum acies, & fecit intrepidos decertare, qui antea velut timidi, obſerati tenebantur.* Sed & univerſi Martyres eo ſpiritu inflammati, tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrerunt per orbem, & omnia ſibi adverſantia pugnando pedibus ſubjecerunt. (Gentiliſmum, Judaiſmũ, Idololatriam, dæmonia) Neminem enim Spiritus ſanctus relinquit inermem, alioquin ſine Spiritu DEI, quiſquis ad militiam Chri-

Digitized by Google

Chriſtianitatis acceſſerit, & tempeſtatis impetu proſternitur, quo pulſatur, & facile diſpergitur tentationis vento, & velut palea huc illucque vacuus effertur. Ergò ſpiritus principalis planè eſt neceſſarius.

§. 9. *Spiritus S. nos adjuvat.*

Denique neceſſarius eſt veluti ſpiritus fortis & adjuvans, ad Rom. 8. v.26. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Ideò Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis, Luc.24.v.49. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Act. 1.v.8. *Accipietis virtutem ſupervenientem Spiritûs ſancti in vos, & eritis mihi teſtes*; dico ego, eritis fortes, generoſi, &c. Eritis Danieles, Davides, Samſones, heroës eritis invicti.

§.10. *Media, attrahendi de cœlis in corda noſtra Spiritum S.*

Cùm itaque Spiritus ſanctus tam ſit nobis undique neceſſarius, annon par eſſe putatis, ut omni conatu illum de cœlis in corda noſtra attrahere conemur? Attrahitur autem corde mundo veluti magnete, attrahitur oratione, attrahitur frequentibus deſideriis. Requieſcit hic ſpiritus ſuper humiles atque manſuetos. Verùm cum de his mediis, vel diſpoſitionibus ad recipiendum Spiritum ſanctum alibi tractem, modo è multis unum ſuggeram ferè præcipuum. Joannes Evangeliſta c.1.v.14. pauciſſimis his verbis totam Incarnationis œconomiam velut in compendium contraxit, *Et verbum caro factum eſt.* Scilicet cum B. Virgo Spiritui S. ad verbi incarnationem ſummâ cum humilitate charitateque conſenſum præbuit, dicens Luc 1.v.38. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Et illo momento in utero Virginis, *Verbum caro factum eſt.* Sed piè obſervavit Rupertus, in Cant.c.1.v.1. *Profectò anima tua liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt, ſcilicet Deus Pater locutione admirabili, locutione ineffabili, dum ſubſtantiam verbi ſui, cum illo amore ſuo Spiritu ſancto, tuæ menti, tuo ventri penitus inſereret.* B Petrus Dam. ſer. de Annunt. *O venter diffuſior cœlis, terris amplior, capacior elementis, in quo Deus gloriæ reclinatur! gratia plena eſt, quia à Deo electam, & praelectam, totam eam rapturus erat ſibi Spiritus ſanctus, & cæleſtibus inſigniturus ornamentis.* Hæc duo ſacer textus & SS. Patres conjungunt; Incarnationem verbi, & Inſertionem Spiritus ſancti. Inde ego colligo, excellentiſſimum medium attrahendi Spiritum ſanctum, eſſe frequentiorem SS. Euchariſtiæ ſumptionem

ptionem. Nec immerito: in illâ ſiquidem & per illam participes reddimur ſubſtantiæ Verbi; per illam DEus cordium noſtrorum ſubit domicilia; per illam animæ noſtræ uniuntur animæ Salvatoris JEſu, per illam unus quodammodo cum DEO Spiritus efficimur. Vides quanta myſteria! quantus in SS. Communione gratiarum cœleſtium Paradiſus! Atqui hæc omnia ſine ope atque adminiculo & velut inſertione Spiritûs S. fieri nequaquam poſſunt. Ergò veni O veni S. Spiritus, & quoties Divino illi epulo accumbemus (accumbemus autem quàm poterimus frequentiſſimè.) Tu nos homines inſere Deo, mortales immortali, caducos æterno, calamitoſos ac miſerabiles omnis boni ſalutiſque principio.

CONCIO LXXII.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.

Joan. 6. v. 59.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Adducit aliquas cauſas, ob quas Eccleſia militans in terris, tanto triumpho per urbes & campos deferat ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

§. 1. *Deſiderat auctor lætiſſimè celebrari feſtum Corporis Chriſti.*

§. 2. *Quanta gaudia! qualis triumphus in cœlis!*

§. 3. *Ob præſentiam Agni.*

§. 4. *Alia eſt facies Eccleſiæ militantis in terris; nihilominus hodie exultat.*

§. 5. *Ob præſentiam Chriſti D. in Euchariſtiâ.*

§. 7. *Item manna.*

§. 8. *Item Agnus Paſchalis.*

§. 9. *Congruentius eſt, ut Chriſtum D. in Euchariſtiâ cum jubilo veneremur.*

§. 10. *Joſeph, figura Chriſti D. in Euchariſtia.*

§. 11. *Irreverentes erga Euchariſtiam punit DEus.*

§. 12. *Proſecutio, & Epilogus.*

§. 1. *Deſiderat Auctor lætiſſimè celebrari feſtũ Corporis Christi.*

MIras amat fingitque metamorphoſes amor. Ita hodiè & meus affectus eſt amor. Auroram antiqui finxerunt eſſe pulcherrimam Virginem, quæ coronata roſis, dum roſeo invecta curru emergit è mari, fugat tenebras, & jucundo plena rore ſereniſſimam mundo lucem adducit. O utinam hodierno feſto, quo cum ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ apparamus triumphum amoris, meus amor eſſet aurora, quibus coronarem me roſis, quam quærerem purpuram, ut roſeus & purpureus ſit hodiernus dies, quo ſanctiſſima Euchariſtia per orbem duci debet in triumphum. Sol ſive Phœbus Poëtis & pictoribus eſt formoſiſſimus juvenis, non roſis ſed radiis coronatus, non in roſeo ſed igneo & aurato curru poſt auroræ lucem, fulgidum lumen & ſereniſſimum diem invehit in mundum, ſuum rebus omnibus reddens colorem, jucundiſſimâ ſuâ præſentiâ cuncta & animando & recreando, ſic ut non ſit, quod ſe à calore ejus poſſit abſcondere. O utinã hodiernâ die Phœbus eſſem! lucidiſſimis me ornarem radiis, fræna laxarem equis, ut pulcherrimos ſpumarent ignes, ſereniſſimum mundo diem inveherem. Omnes creaturas vellem recreare & animare, & evocare ad triumphum, quo per urbem noſtram ducetur ſanctiſſima Euchariſtia, verus ſol amoris! O ſi eſſem Flora! omnes florum opes vellẽ ſpargere per plateas. O ſi Æolus! quàm placidos vellem excitare Zephyros! O ſi aliqua ex pulcherrimis Nymphis eſſet amor meus, quos excitaret triumphos? O ſi Apollo! quã ſuaviter tangeret lyram! omnia ad pompam Euchariſtici triumphi. Sed quò me meus rapit amor; hoc faciet; conabitur ſuis Auditoribus hâc Concione proponere, ob quàm juſtas rationes militans Eccleſia hodiernâ die tanto triumpho Venerabilem deducat Euchariſtiam, & quàm æquũ ſit ut illã omni quâ poſſumus veneratione, cultuq; proſequamur. Amoris divini amatores, cum amore, precor, attendite.

§. 2. *Quanta gaudia, qualis Triumphus in cœlis.*

S. Joannes in Apoc. variâ phraſi deſcribit gaudia, jubilum, & triumphum gloriæ, Eccleſiæ triumphantis, ſive animarum beatarum in cœlis c. 19. v. 1. ait ſe audiviſſe lætiſſimas triumphantium voces, *Alleluja. ſalus & gloria & virtus Deo noſtro.* de throno exivit vox, *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus*, huic voci reſpondit alia, *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriã ei.* c. 21. v. 1. ait S. Joan. *Vidi cœlum novum & terram novam; ſanctam civitatem Jeruſalem, paratam*

ſicut

ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Civitas illa ſancta mirâ fuit claritate donata, & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo, ſimileque cryſtallo. Odores, muſicam, citharœdos, hymnos ſanctæ & lætiſſimæ illius civitatis in eâdem Apoc. prioribus capitibus deſcripſit S. Joannes. Notæ ſunt cœleſtes illæ voces, *Salus, honor, virtus,* &c. Audiviſtis ſæpius circa thronum gloriæ aſtare Angelos cum thuribulis aureis, item ſeniores ſuas ad agni pedes coronas deponere.

Sed tam læti cauſas triumphi, & tantorum gaudiorum, idem S. Joannes exponit in ſuâ Apoc. 19. c. v. 7. *Quoniam regnavit Dominus Deus noſter omnipotens, gaudeamus - quia venerunt nuptiæ Agni.* eodem cap. v 17. & 18. *Venite & congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes Regum.* c. 21. v. 3. *Ecce tabernaculũ Dei hominibus, & habitabit cũ eis & cum eis erit eorũ Deus.* v. 23. *Lucerna ejus eſt Agnus.* Verbo Agnus tanquam occiſus, Agnus qui aperuit librum, Agnus qui redemit gentes, in cœlis eſt cauſa tanti gaudij, jubili, triumphi. Et talis eſt facies Eccleſiæ triumphantis, pulcherrimæ illius Sponſæ. §. 3. *Ob præſentiam Agni.*

Alia verò longè eſt facies militantis Eccleſiæ in terris. Et hanc ſub formâ civitatis & fœminæ, ſed viduæ deſcripſit Jeremias in Threnis. c. 1. v. 1. & 2. *quomodo ſedet ſola Civitas plena populo, facta eſt quaſi vidua, Domina gentium, plorans plorat, lachrymæ in maxillis ejus, magnus eſt dolor ejus.* Nolo lætiſſimum diem mœſtis decolorare verſibus; verbo Eccleſia militans in hâc lachrymarum valle, lachrymis vacat, gemitibus indulget inſtar turturis, præcipuè dum ſedet in arbore Crucis, dum divini obitum Sponſi deplorat. Hodiè Auditores, hodierno feſto Corporis Chriſti, triumphantium audimus voces *Alleluja, Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro.* In templis de choris, per plateas è feneſtris, lætæ reſonant voces, *Laudem dicite Deo noſtro, omnes ſervi ejus.* Reſpondent tubæ, ſonant litui, cheles tanguntur & plectra, pulſantur organa, *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei.* Non quidem Jeroſolymam, ſed Moguntiam hodiè videre mihi videor novam. Nova enim videntur ædificia, ob tapetum elegantiam; novæ plateæ videntur induiſſe faciem ſylvarum, imò templorum: Nova videtur ob nova altaria ubique erecta. Nova ob pulcherrimos fontes, quos aliàs ſalientes non conſpicimus: eſt tota Civitas quaſi ornata Sponſa, §. 4. *Alia eſt facies Eccleſiæ militantis in terris, quæ nihilominus jubilat & exultat.*

 ut

ut excipiat & concitet ſponſum ſuum, qui ſub ſpeciebus ſacramentalibus per urbem circumfertur. Atque hæc exterior eſt, novaq; facies urbis, quæ cœlum quodammodo ipſum æmulari videtur. Sed videmus quoque ſanctam, ob interiorem omnium apparatum, quibus incolæ ſe hodierno feſto exponârunt, ut digni compareant, qui hodiernam triumphi pompam comitentur. Claritas non deeſt, tum ob pulcherrimos r.dios ſolis, quos hodie clarius videtur & pulchrius evibrare, tùm ob faces & luminaria, quæ Principes, Reges, Imperatores Deo ſuo in Sacramento per urbis plateas præferunt, tum ob Ignes feſtivos, tormentorum bellicorum fulgura atque tonitrua. Claritas tamen præcipua procedit ex lucernâ, quæ agnus eſt, ex ipſo ſanctiſſimo Sacramento. Neque deeſt ſplendor gemmarum; Jaſpides, Sardoniches NNN. quibus opulenta liberalitas, & liberalis opulentia Majorum noſtrorum, Principum, Regum, Archiepiſcoporum, ornavit clauſulas, umbellas, &c. aliaque templorum ornamenta & inſtrumenta; omnis ille ſplendor in hodiernum prodit triumphum congeſtus. Fumant thuribula, ardent carbones, comitatur pompam Flora, comitatur Amathea, ſaliunt Nymphæ, citharam pulſat Apollo, laureati coronatique victorioſâ quercu incedunt Eccleſiæ miniſtri, concinunt Muſæ, *ſalus, honor, &c.* Omnium vox eſt, *Tantum ergò Sacramentum.*

§. 5. *Ob præſentiam Chriſti D. in venerabili Euchariſtiâ.*

Et quæ cauſa triumphi inſoliti? unde tanta lætitia, & cur militans Eccleſia poſito luctu auro circumdata cum tantâ pompâ obambulat urbem? hæc eſt cauſa. Deus in cœlis regnat in throno gloriæ, Deus omnipotens, &c. Hodie in terris circumfertur in throno Sacramenti, & regnat, idem Deus, idem omnipotens, idem altiſſimus. Ita! Agnus Dei nuptias celebrat in cœlis. Hodie quoque nuptiæ agni ſunt in terris. *Gaudeamus, &c.* Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei; Venite, comedite hodie, vel ſaltem adorate carnem, animam, Divinitatem Regis Regum, in ſanctiſſimo Sacramento. Ecce tabernaculum, in quo nobiſcum habitat in terrâ; & erit nobiſcum Deus uſque ad conſummationem ſæculi. Numer. 24. v. 5. *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſraël, &c.* Verbo, agnus in cruce occiſus, agnus qui ſuo ſanguine nos redemit, agnus qui tollit peccata mundi, agnus, noſter in Sacramento cibus,

ſolenni

ſolenni pompâ circumfertur; nunquid æquum eſt, ut Eccleſia ſe ornet inſtar Sponſæ, ut prodeat obviam Regi, ut comitetur DEum ſuum? Omninò æquum, omninò dignum & juſtum eſt; proinde nemo non gaudeat, nemo non obviã prodeat Domino ſuo Regi? Eja egredimini filiæ Sion, egredimini animæ ſanctæ, pulchri erunt greſſus veſtri, dum eum, qui eſt Divinæ pulchritudinis imago, imò archetypon ipſum comitamini. Felices greſſus! quos ad honorem Regis Regum dirigitis in ſolenni amoris triumpho! Et quidni felices dicã?

Moyſes ob arcæ conſpectum exultans, de Hebræis dicere non dubitavit, nullam eſſe in orbe nationem tam grandem, quæ habeat Deos ita ſibi appropinquantes, uti ſuum habebant Iſraëlitæ. Adfuit illi DEus in umbrâ tantùm, in figurâ; in ſanctiſſimo ſacramento nobis & realiter adeſt, & perſonaliter, annon igitur æquum, ut ſicut DEus in illo nobis appropinquat & adeſt, ita in hodierno triumpho amoris, & nos illi appropinquemus, ut comitemur, ut adoremus, ut omni cultu proſequamur. Errârunt profectò, errârunt Arioli Danielis capite. 2. v. 11. cum Balthaſari Regi dixerunt, *Deorum non eſſe cum hominibus converſationem.* Ingens illa eſt nobiſcum cum Deo noſtro. Adeſt nobis in terris; non tantùm ut ſub ſpeciebus illum videamus, ſicut Angeli in cœlis, qui videndo Deum, ejus ſubſtantiâ paſcuntur, longè ardentiori & ſuaviori affectu nobis adeſt, quorum eſt cibus, potus, & nutrimentum. Adeſte tantùm Auditores, & manducate carnem Regis; vel hodiè ſaltem illum adorate, & comitamini in tam glorioſo triumpho, quam militans agit Eccleſia. §. 6. *Figura fuit arca fœderis.*

Cum in deſerto de cœlo deplueret panis cœli & Angelorum, Iſraëlitæ non tantùm attoniti, quod aliàs memini, clamârunt, *Manhu, Manhu*, quid eſt hoc? ſed & prodiêrunt in campum, & cum ingenti gaudio atque reverentiâ ſpectârunt, quomodo plueret manna. Fuit hæc figura tantùm Sanctiſſimi noſtri Sacramenti, & divini panis, qui per vicos urbis, non in arcâ à Levitis, ſed in manibus ſacerdotis, ſive Eminentiſſimi Archi-Præſulis noſtri circumfertur, panis amoris, in triumphum amoris, nunquid æquum ut exeamus, ut cum admiratione, cum reverentiâ videamus DEum amoris latentem ſub velo amoris. §. 7. *Item Manna.*

§. 8. *Item agnus Paſchalis.* Nobiliſſima quoque figura ſanctiſſimi Sacramenti fuit Judæorum agnus Paſchalis. Fuit autem in more poſitum, ut is aliquot diebus ante Paſcha ex paſcuis, quæ ſunt in monte Oliveti, optimis, cum quâdam pompâ coronatus herbis & floribus deduceretur in urbem. Ut hæc figura impleretur ante paſſionem, Chriſtus Dominus verus agnus die Palmarum cum ingenti triumpho urbem intrare voluit, adeò ut tota civitas fuerit commota, ut innumeri cum palmis effuſi ſint obviam, ut in vias abjecerint veſtes, ut plateas veſtimentis quaſi tapetibus exornârint, ut acclamârint lætiſſimum illud acroama, Matth. 21. v. 9. *Oſanna*, & *Benedictus*. Nunquid par erat, ut Eccleſia militans triumphi hujus memor, quot annis illum recoleret, ut agnus noſter Paſchalis cum magnâ pompâ deduceretur per urbem? Omnino. Sed quia tempus illud aptius luctui, quàm gaudio fuit, in hodiernum diem, non in Capitolio Romano, à Conſulibus, ſed ab Eccleſiæ Pontificibus agno noſtro Paſchali in ſanctiſſimo Sacramento decretus eſt ante annos facilè quadragintos & ultrà ſub Urbano IV. hodiernus triumphus; & ideò hic motus in urbe, ut ornentur plateæ, ut erigantur altaria, ut parietes condecorentur veſtimentis aureis, ut viæ inſternantur gramine & floribus, ut ardeant faces, ut fument thuribula, ut ubique audiatur dulce melos, ut inflentur tubæ, ut pulſentur organa, ut reſonent cymbala. Omnia honori agni Paſchalis, agno qui pro nobis occiſus eſt, agno qui dignus eſt aperire libros cordium, & ſolvere ſignacula eorundem; Agno qui ſuſtulit peccata mundi; Agno, ad cujus pedes proſtrati jacent ſuperbi leones, voraces lupi, crudeles tigrides; Illi inquam agno ſit laus, honor, virtus, benedictio! Dulciſſimo agno, agno amoris, qui de ſeipſo nobilem nobis reliquit cum triumpho theſaurum, cum theſauro triumphum.

§. 9. *Congruentius eſt, ut Chriſtum D. in Euchariſtia cum jubilo veneremur* Æquiſſimum omnino eſt & convenientiſſimum rationi, agno Dominatori, & domitori terræ, conculcatori inferrorum, exterminatori mortis & peccati, reparatori vitæ, latenti in ſanctiſſimo Sacramento, decernere triumphales hos honores; Nimis quàm dignum & juſtum eſt, æquum ac ſalutare hoc illi obſequium deferre

ferre, & ſemper & ubique gratias illi agere, ſed in glorioſo hoc potiſſimùm die, & triumpho amoris, cum glorioſius triumphans, pompâ nobili, victor ſurgit de funere. Et quomodo? Judæi & Iſraëlitæ ita adorârunt, ita venerati ſunt umbram, & nos non adorabimus majori cultu ſolem amoris, dum hodie in nubibus ſuæ humanitatis agit divini ſui amoris triumphum. Omninò, *Cantemus Domino canticum novum*, (ex Pſ. 104. v. 1.) *laus ejus reſonet in Eccleſia Sanctorum*, lætetur Iſraël plebs Catholica, in eo qui fecit eum (in eo qui inſtituit ſanctiſſimum Sacramentum, in eo, qui in Euchariſtiâ nobis adeſt, in eo qui fecit memoriam mirabilium ſuorum in parvulo circulo.) Filiæ Sion, animæ ſanctæ exultent in rege ſuo; Chriſtus in Euchariſtiâ eſt Rex noſter. Dicite, vivat Rex! Rex noſter ſponſus noſter eſt, offerte coronas, &c. Laudent nomen ejus in choro, in tympano & pſalterio pſallant ei. Exaltationes DEI, (exaltationes JESU in Euchariſtiâ) ſint in gutture Sanctorum.

§. 10. *Ioſeph figura Chriſti D. in Euchariſtiâ.*

Cum innocens Joſeph ex carcere ad Pharaonem; indeque ejus juſſu in veſtibus regiis, ornatus torque aureo, magno cum triumpho deduceretur per regiam urbem, dominaturus in universâ terrâ Ægypti; univerſus accurrit populus, omnes cum ingeniti lætitiâ fuerunt ſecuti pompam, cum lætis vocibus, *Vivat Joſeph*, ſalvator Ægypti! Joſeph figura tantùm fuit Jeſu Salvatoris, qui hodie in triumpho Euchariſtico circûfertur, accurrite proinde, dicite, *Vivat Jeſus*! vivat Joſeph dominator Ægypti! hoc eſt, totius terrarũ orbis? *Vivat Joſeph*, hoc eſt, *accreſcens, &c.* dum minuitur, accreſcit; dum contrahitur in parvam hoſtiam, exaltatur in majorem amoris dignitatem, *Vivat Joſeph*, qui annonam vitæ immortalis tantâ cum clementiâ mundo indulget, dum frumentum Electorum, panem Angelorum, carnem ſuam & ſanguinem inaudito liberalitatis exemplo famelicis fratribus repræſentat.

§. 11. *Irreverentes erga Euchariſtiam punit Deus.*

Nolo modo oculis veſtris proponere pompam, quâ Iſraëlitæ arcâ conſueverunt deducere; alibi facio, puto ex auditis animos Auditorũ meorũ ita diſpoſitos eſſe, ut magnũ colendi & adorandi ſanctiſſimã Euchariſtiã deſideriũ conceperint. Caveant, ſi qui ſint irreverentes, moneo, ſicuti & aliàs monuiſſe me memini. Modo tantũ habeo quod

quod rogem, ut memores eſſe velint vindictæ, quâ iratus Deus invectus eſt in Bethſamitas, propterea quod per terras ſuas pertranſeuntem arcam curioſius tantùm, vel ut quidam putant, minus reverenter intuiti fuiſſent. Bethſamitæ ſunt, qui in hodierno triumpho rident Eccleſiæ militantis pompam. Bethſamitæ ſunt, qui caput aperire, genua flectere nolunt etiam inter Catholicos; prô pudor! mulierculi infami non genua modò ſed & vultum inclinant fermè uſque ad terram, & Deum adorare erubeſcunt! Non dubitent, manet illos Bethſamitarum ſupplicium. Omnes tales cupio à triumpho amoris excluſos.

§. 12. *Proſecutio & Epilogus.* Et ſi Elias milites igne cœlitus emiſſo voluit abſumi, quod non eâ, quâ par erat reverentiâ allocuti eſſent virum ſanctum; annon cauſam habent timendi, qui in præſentiâ ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, in hodiernâ pompâ minùs decorè ſe habent? ſed finis eſt; permittite mihi Auditores, ut coram ſanctiſſimo Sacramento demiſſiſſimâ devotione procumbam in genua, & heroico actu fidei huic meæ dictioni finem imponam. Si vultis ita mecum dicite. Nihil video in ſanctiſſimâ Hoſtiâ, quæ hodie tanto apparatu circumfertur, præter accidentia panis: mei ſenſus NN. dicunt eſſe panem, ſed nolo illos in hoc myſterio eſſe judices. Credo fide vivâ, quod Jeſus Chriſtus meus Redemptor ſit præſens cum corpore, anima, Divinitate in ſanctiſſimo Sacramento, qualis in gloriâ ſedet ad dexteram Patris. Sed abſconditus ſub his ſpeciebus. Hoc credo omni potentiâ intellectûs, omni inclinatione voluntatis; Ita moriar pro myſterii hujus veritate. O mi Jeſu! ita tegis faciem tuam! tegis gloriam, ſed es Rex noſter, DEus noſter. Ideò adoro te profundiſſimâ reverentiâ, quâ poſſum, & quantum poſſum tibi gratulor de hodiernâ pompâ, gloria, feſtivitate, triumpho!

CON-

CONCIO LXXIII.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

In Nativitate ejus multi gaudebunt.

Lucæ 1. v. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN lætiſſimâ S. Joannis Baptiſtæ Nativitate gaudere & exultare poſſumus. 1. Si in nobis ſit divina gratia & Spiritûs S. 2. Si cognoſcamus & amemus Chriſtum Salvatorem. 3. Si vivamus ſanctè & caſte. Ideò enim S. Joannes exultavit in utero, quia in illo fuit repletus gratiâ & Spiritu ſancto, quia in utero agnovit & amavit Chriſtum, quia ſtatim à nativitate Angelicam incepit vivere vitam.

§. 1. *Miracula Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ fuerunt præſagium, qualis & quàm ſublimis eſſet futurus in vita.*

§. 2. *S. Joannes B. fuit ignis, prælatus Regi Regum ingredienti in hunc mundum.*

§. 3. *Ante Nativitatem in utero Matris, & poſt Nativitatem fuit cum eo manus Domini, fortis, excelſa, & auxiliatrix.*

§. 4. *In Utero Matris fuit repletus gratia & Spiritu S.*

§. 5. *Exultare & ludere cœpit in utero, quamprimum agnovit præſentiam ſui Salvatoris.*

§. 6. *Præſente aurora, ſtatim ortus illi fuit ſol, ut Jacobo. Gen. 32. Cap.*

§. 7. *A præſentia hujus ſolis exorta fuit ingens exultatio; ut olim in Davide coram arca Domini.*

§. 8. *Cur major fuerit exultatio in Joanne, quàm in Eliſabethâ.*

§. 9. *Ab uno JEſu provenit perfecta lætitia.*

§ 10. *Exultabimus & nos, ſi Chriſtum agnoſcamus & amemus.*

§. 11. *In Nativitate hominis videtur potius flendum, quàm gaudendum.*

Digitized by Google

§. 12. *S. Joannes natura fuit homo; merito & gratia Angelus.*

§. 13. *Dies Nativitatis S. Joannis B. eſt dies ſancta.*

§. 14. *Vt S. Joannes Baptiſta ſanctiùs viveret, puer ivit in deſertum.*

§. 15. *Brevis dictorum recapitulatio cum paræneſi.*

§. 1. *Miracula Nativitatis S. Ioannis B. fuerunt præſagium qualis & quàm ſublimis eſſet futurus in vitâ.*

IN explicationem verborum S. Lucæ c. 1. v. 7. de parentibus S. Joannis Baptiſtæ Zachariâ & Eliſabethâ; *Non erat eis filius, eò quod eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis*, Nihilominus *poſt hos dies concepit Eliſabeth uxor ejus*; ait S. Chryſologus Ser. 92. *Eliſabeth anno ſitate jam mortua, ſanctum reviviſcit in partum: ſtupuit ordo, defecit conſuetudo, mirata fuit ipſa natura; & ex apparatu manſionis hoſpitis meritum dignitasque innoteſcit.* Admiranda S. Joannis nativitas, & plurima ejus miracula, non vanum fuerunt præſagium, illum fore virum ſanctitate mirandâ inſignem. Poſtquam Venerabilis Beda hom. 2. in vig. S. Joannis Baptiſtæ dixiſſet, *Sic Iſaac filius promiſſionis, de veteranis parentibus, & ſterili diu matre natus eſt: ſic Jacob, & Joſeph, ſic Samſon fortiſſimus ducum, & Prophetarum eximius Samuel, ſteriles diu corpore, ſed fœcundas ſemper virtutibus habuere genitrices.* (ſubdit) *ut miraculo nativitatis natorum dignitas noſceretur, & probarentur ſublimes in vita futuri, qui in ipſo vitæ exortu conditionis humanæ jura tranſcenderent.* Idem dici debet de S. Joanne Baptiſtâ: Veterani fuerunt (ut loquar cum Ven. Beda) ejus parentes, diuturna fuit Eliſabethæ ſterilitas, licet pietas ſanctitasque illis nequaquam deeſſet; at poſtquam tandem concepiſſet Eliſabeth, tam ante partum, quàm in ipſo plurima contigêre miracula; quæ naturæ vires multis partibus exceſsêre, ut ita omnes vicini, admiratione defixi non immeritò percontarentur: v. 66. *Quis putas puer iſte erit?* qui in ipſo vitæ exortu humanæ conditionis jura tranſcendit. *Quis putas puer iſte erit?* Reſpondebit S. Bernardus. *Major homine, par Angelis, cœli tuba, præco Chriſti, arcanum Patris.* Reſpondebit S. Auguſt. *Quidquid Joanne majus eſt, non tantùm homo eſt, ſed Deus.* Reſpondebit iterum S. Bernardus. *Vnus eſt, ſecundum non habet; Tria namque fecit Deus ſine ſecundo, Chriſtum, Mariam, & Joannem.* Reſpondebit S. Auguſtinus. *Præcellit cæteris,*

eminet

eminet univerſis; quisquis de muliere natus eſt, inferior illo eſt. Reſpondebit S. Chryſoſtomus, *In humana natura Angelicam transgreditur ſanctitatem.* Reſpondebit Guerricus Abbas, *Joannis tam magnifice ſanctitas efflor uit, ſupra modum aliorum, ut crederetur Sanctus Sanctorum.* Reſpondebit è cœlis Aliger, *Magnus coram Domino.* Reſpondebit demum Veritas ipſa, *Inter natos Mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta.* Quibus poſitis, facilè mihi erit demonſtrare in hâc panegyri, juſtiſſimas nos habere cauſas, ut in nativitate S. Joannit exiliamus præ gaudio. Ad tres itaque veri gaudij fontes tria nos ducent elogia S. Joannis Baptiſtæ. *Primum erit*, S. Joannes Baptiſta adhuc in utero Matris exiſtens, repletus fuit gratiâ & Spiritu ſancto. *Alterum.* In utero agnovit & amavit mundi Salvatorem Chriſtum. *Tertium.* In hoc mundo fuit caſtiſſimus Angelus. Nimirùm Spiritûs S. gratia, cognitio, amor Chriſti, puritas, caſtitas, ſunt illæ venæ, ex quibus veræ lætitiæ fontes ſcaturiunt.

§. I. S. Ioannes Baptiſta fuit ignis, prælatus Regi Regum ingredienti in hunc mundum.

Inter ſigna & teſſeras gloriæ, quas Romani aliique Imperatores ſibi præferri curârunt, v. g. virgas, ſecures, vexilla, fuit etiam ignis loco minimè poſtremo. Ad lucem facis, quam pyrophorus præferebat, colligebant cives adeſſe Imperatorem, quocircà ita ſe mox componebant, ut debitam tranſeunti Principi reverentiam exhiberent. Unus eſt Chriſtus cui ex Apocalypſi competit titulus iſte, *Rex Regum, Dominus dominantium*; ideò ante ortum ſuum, ſive ingreſſum in hunc mundum, præmiſit lucidam facem, ſcilicet Joannem Baptiſtam juxta illud Pſ. 131. v. 17. *Paravi lucernam Chriſto meo.* Quæ verba expendens S. Auguſt. ait: Quæ ſit lucerna, jam nôſtis ob verba Domini de Joanne, ille erat lucerna ardens & lucens. Rex ergò fuit Filius DEI veniens in hunc mundum; prodromus fuit S. Joannes Baptiſta, ſicut Lucifer ſolis. Sidera cœli ſunt ſol, luna, & ſtellæ. In Myſtico firmamento Eccleſiæ, ſol JESUS eſt, luna MARIA; ſtellæ ſunt Patriarchæ, ſtellæ Prophetæ, ſtella lucidiſſima, ſive Matutina eſt S. Joannes Baptiſta; hodiè hæc ſtella prodiit in hunc mundum, ideò univerſalis eſt omnium lætitia, juxta præſagium Angeli, *In Nativitate ejus multi gaudebunt.*

Digitized by Google

§. 3. Manus Domini fuit cum S. Joanne Baptiſtâ.

Etenim manus Domini erit cum eo. Cum decumbente graviter Arnulpho Epiſcopo Sueſſionenſi, cella ejus tam validè eſſet concuſſa, ut aſtantes in fugam ſe darent, vir pijſſimus dixit, *ſtate intrepidi, ſigna hæc ſunt præſentis Divinæ Majeſtatis*; mox enim S. Petrus, S. Archangelus Michaël, & cœli Regina Maria illi apparentes, omnem animi mœrorem abſterſerunt. Alterius concuſſionis & motûs mentionem facit S. Lucas c. 1. non naturæ, ſed gratiæ, non alicujus montis vel terræ, alteriusve elementi; ſed parvi pueri in utero matris; de Joanne enim in utero latente ait Mater Eliſabeth ad B. Virginem, *Ecce enim ut facta eſt vox Salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* Ut locum habeat illud Arnulphi, ſtate & ſpectate mira & magnalia DEI; ſigna hæc ſunt præſentis Divinæ Majeſtatis; Videte mira, quæ in parvo puero operata eſt manus Domini, ideò textus ait: Magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illo. & Manus Domini erat cum illo. Ex ſacro codice notum eſt, manum eſſe typum actionis, vel operationis, vel omnipotentiæ Divinæ, quatenus ad extra mira operatur. ideo Exodi 13. verſ. 3. dicitur manus fortis; *in manu forti educet vos Dominus.* Deuter 32. verſ. 27. manus excelſa; *Manus noſtra excelſa fecit hæc omnia.* Pſ. 88. verſ. 22. Manus auxiliatrix. *Manus enim mea auxiliabitur ei.* Plura ſimilia omitto; hoc tamen aſſero talem manum fuiſſe cum S. Joanne, etenim in manu forti è tenebris peccati originalis eduxit eum Dominus in utero matris in admirabile lumen gratiæ. Fuit cum illo manus Domini excelſa, quæ admirabilem hunc puerum ad apicem ſanctitatis elevavit tam altum & ſublimem, ut S. Bernard. dixerit: *ſic novem Angelorum ordinibus inſertus eſt, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur*: id eſt, Angelus eſt, Archangelus eſt, Princeps eſt, Dominator eſt, imò Seraphim. Eò altitudinis illum evexit manus Damini excelſa, quæ cum illo fuit; Fuit denique cum illo manus Domini auxiliatrix, quod ipſum nomen Joannis innuit, ſi deducamus ab Hebræâ radice, Chanan, id eſt, *miſertus eſt*, &c. innuit idem ejus Pater in ſuo Cantico: v. 76. *præibis ante faciem Domini parare vias ejus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Verbo complectar

omnia:

Digitized by Google

omnia: de cœlis dicitur Pſ. 10. v. 26. *Opera manuum tuarum ſunt cœli*; idem dico de Joanne, opus eſt manuum Dei. Fuit S. Joannes cœlum animatum! ſed unde anima, unde vita?

Hic infans exultat in gaudio in utero antequam naſcatur. State, & cauſam conſiderate; hic motus eſt ſignum præſentis gratiæ. Agnovit Werricus in allegoriis Tilmanni: *O incomprehenſibilis gratia! vox Mariæ dum auribus Eliſabeth ſonat, cor Joannis penetrat, qui abſtruſus intra materna latebat viſcera, ſpiritum ejus animat, gaudioque vegetat ſalutari: & cui virtus naturæ vix totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit gratiam & ſanctitatem, juxta illud replebitur Spiritu ſancto.* Hinc illa exultatio. O felices animæ, O beata corda, quæ in Joannis nativitate ſimili gaudio vegetantur. Certè verba illa, *in nativitate ejus gaudebunt multi*, non intelligenda ſunt de illis, qui gaudent in fabulis, in comeſſationibus, in nocturnis choreis, &c. ſed illis, quorum corda virtus gratiæ penetrat, quorum ſpiritum animat & vegetat gaudium ſalutare, quibus ſe gratia infundit. Et hic eſt primus fons veri gaudii, gratia Dei & Spiritûs ſancti.

§. 4. *S. Joannes B. in utero fuit repletus gratiâ & Spiritu ſancto.*

Exultat infans in utero, antequam naſcatur. State & cauſam conſiderate, hic motus ſignum eſt ſingularis alicujus gratiæ. Illam agnovit Laurentius Juſtinianus: *Grande prorſus Divinæ miſerationis fuit judicium, quod infans ventris conſtrictus ergaſtulo, ſuum agnoſceret Dominum, tenellis lætaretur in membris, ſolemque videret in nubilo.* Sol eſt in nubilo, cum nube aliquâ contectus, in abſcondito quaſi deliteſcit. Talis ſol fuit verbum Patris in virgineo matris thalamo, verè ſol abſconditus; Venit in hunc mundum, & mundus non agnovit; Sed O miraculum gratiæ! parvus puſio in utero matris à Spiritu ſancto adeò fuit illuſtratus, ut Dominum ſuum agnoverit; hinc ille motus gaudii, vel deſiderii prodeundi in hanc lucem & annuntiandi natum orbis Salvatorem. D. Chryſoſt. *Non fert Joannes præſente Domino contineri, non ſuſtinet naturæ terminos expectare, ſed contendit rumpere carcerem ventris, & ſtudet præſignificare Salvatorem. Acceſſit inquit, qui ſolvit vincula, & quid ego ſedeo vinctus? Exibo, præcurram, & prædicabo omnibus: Ecce agnus Dei, qui tollis*

§. 5. *Exultavit S. Joannes in utero, quamprimùm agnovit præſentiam ſui Salvatoris.*

lit peccata mundi. Elegantiſſimè hunc motum, ejusque cauſam deſcribit Dionyſius Carthuſ. *Joannes in utero tam miraculosè & copiosè illuminatus eſt à Spiritu S. ut intellectualiter cognoverit Dei unigenitum eſſe incarnatum, atque in utero Virginis præſentem - ex apprehenſione & cognitione tam ineffabilis boni vehementiſſimè gaviſus eſt, itaque præ abundantia gaudii mentis facta eſt redundantia lætitia in corpus ipſius; ſic quod Joannes in ventre matris corporali quadam motione & inclinatione, reverentiam Regi altiſsimo Chriſto exhibuit.*

§. 6. *Præſente aurorâ ſtatim ortus illi fuit ſol, ut Iacobo Gen. 32. cap.*

Gen. 32. v. 31. cum à Jacobo diſcederet angelus, quocum illi totam noctem lucta interceſſerat, ait ſacer textus, *Ortusque eſt ei ſtatim ſol, poſtquam transgreſſus eſt Phanüel.* Quod cum advertit Rupertus ait, *Non abs re dictum eſt, ortusque eſt ei ſtatim ſol, poſtquam transgreſſus eſt Phanüel, quod interpretatur facies Dei; effuſa namque benedictione Chriſti, ortus eſt ſol juſtitiæ populo Sanctorum.* In figurâ certâ nobis proponitur veritas; in abſentiâ CHRISTI, animam obſcuræ involvunt tenebræ, ſine luce verò Chriſtus nobis adeſſe non poteſt. Hoc cotingit ſancto Joanni Baptiſtæ. In utero matris ante adventum CHRISTI in denſis peccatis originalis tenebris quaſi conſepultus jacuit: quamprimùm verò aurora orta eſt, mox ut B. VIRGO ſolem intulit, confeſtim ſol illi exortus eſt, confeſtim radiis Divinæ gratiæ fuit illuſtratus. Quod Regius Pſaltes prævidit Pſ. 111. v. 4. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde; miſericors, & miſerator, & juſtus Dominus.* Hæc lux, ſivè claritas, ſive radii ſolis juſtitiæ, Joannem ad hoc, ut ſummo gaudio, ſummaque lætitia exultaret in utero matris adduxerunt. Exultent quoque hodiernâ die illi mei Auditores, quibus lucet optatiſſimus ille ſol juſtitiæ: contriſtentur autem & pertimeſcant quicunque jacent in tenebris.

§. 7. *A præſentia hujus ſolis exorta fuit ingens exultatio, ut olim in Davide co-*

A præſentiâ ſolis juſtitiæ, à præſentiâ JEſu ingens in Joanne gaudium & exultatio. De utroque Rege, patre & filio, Davide & Salomone fit mentio in ſacris literis, quod cum gaudio comitati ſint arcam Domini; diverſo tamen modo. De Salomone ait l. 3. Reg. c. 8. v. 5. *Rex Salomon & omnis multitudo Iſraël, qua conven-*

Digitized by Google

conveneránt ad eum, gradiebantur cum illo ante arcam. De Davide in ſimili pompâ dicit l. 2. Reg. c. 6. v. 14. *David percutiebat in organis, & ſaltabat totis viribus ſuis ante Dominum; porrò David erat accinctus ephod lineo, & David & omnis populus deducebat arcam.* Utrobique delata fuit arca cum magnâ pompâ, cum magnâ lætitiâ Regis & populi. Sed cur in Davide eò proceſſit lætitiæ magnitudo, ut non tantùm iverit cum populo, ſed ſaltaverit, & totis viribus, quod non fecit ejus filius Salomon, exultârit? ex ipſis verbis ſacri textûs cauſam licebit eruere; quod de uno dicatur, *gradiebatur*, de altero, *totis viribus ſaltabat*; de illo, *ante arcam*, de hoc, *ante Dominum*; id eſt, Salomon oculos tantùm conjecit in arcam, tanquam figuram, David in Dominum, cujus illa erat figura; & ideò etiam Spiritus ſanctus ſe longè magis inſinuavit in cor Davidis, quàm Salomonis, unde non mirum eſt, eundem majoris lætitiæ abundantiâ fuiſſe impletum, adeò, ut ad ſaltum uſque atque exultationem erumperet.

ram arcâ Domini.

§. 8. *Cur major fuerit exultatio in Joanne quàm in Eliſabethâ.*

Hæc eadem hodiernâ die contigerunt in ædibus Zachariæ. Portabat in utero Eliſabeth præcurſorem Domini; & venit ad illam tanquam cognatam, Maria. Id eſt, arca illata eſt in domum ejus. Lucæ 1. verſ. 44. Et, *ut facta eſt vox ſalutationis Mariæ in auribus ejus, exultavit in gaudio infans in utèro.* Non dubito in corde Eliſabethæ, cum aſpexit cognatam, ortam quoque fuiſſe ingentem lætitiam, ſed cur de puero in utero, de filio, de Joanne dicitur, quod exultaverit, & non idem dicitur de Matre, de Eliſabethâ: annon conformius erat, ut ipſa ſaltaret, quàm quod præter ordinem naturæ in utero ſaltaverit parvus puer? Myſterium explicavit Beda. *Vide diſtinctionem. Vocem prior Eliſabeth audivit; ſed Joannes prior gratiam ſenſit; illa naturæ ordine audivit; ſed Joannes exultavit ratione Myſterii. Illa Mariæ, iſte Domini ſenſit affectum.* Hoc eſt Spiritus ſanctus in præſentiâ JESULI majorem gratiam, majorem lucem, majorem claritatem, & quod ſequitur, uberiorem longè lætitiam, infudit & effudit in cor & præcordia S. Joannis, quàm Eliſa-

Digitized by Google

Eliſabethæ, hinc ſaltus, hinc tripudium, hinc exultatio. Ab uno Jeſu, à clariore ejus agnitione, ab ardentiore amore perfecta provenit lætitia; nulla creatura, nec Sancti, nec Angeli, nec Maria, tantam poſſunt inferre lætitiam humano cordi, quantam vel ſolus JEſulus poteſt.

§. 9. *Ab uno Jeſu provenit perfecta lætitia.*

Huc Guarricus Abbas ſer. 1. de Reſur. Chriſti, illam deducit vocem Jacobi cap. 45. v. 28. Gen. *Sufficit mihi, ſi Joſeph filius meus vivit. O vocem fidelem, & planè dignam amicis Jeſu! ſufficit mihi, ſi Jeſus vivit! Quid mihi deeſſe poterit, ſi Jeſus vivit? imò deſint omnia alia, nihil intereſt mea: dummodo Jeſus vivat; cum ſic amor Chriſti totum abſorbuerit affectum hominis, ut immemor ſui non niſi Jeſum Chriſtum, & ea, quæ ſunt Jeſu Chriſti ſentiat. Huic itaque, qui ſic affectus eſt, non eſt oneroſa paupertas; iſte non ſentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem, lucrum deputat, imò nec mori ſe putat, cum magis de morte ad vitam tranſire ſe ſciat. Cum Jeſu non abeſt lætitia.*

§. 10. *Exultabimus & nos, ſi Chriſtum agnoſcamus & amemus.*

Atque ex hactenus dictis advertite verba illa, *in nativitate illius multi gaudebunt*, non intelligenda eſſe de illis, qui gaudent in vanitatibus mundi, in comeſſationibus, in impudicitiis, &c. ſed de illis, qui licet ſol noſter Jeſus lateat, & ſit Deus abſconditus, vel ſub candidâ nube accidentium in venerabili Euchariſtiâ, vel poſt cortinas & cancellos cœleſtis gloriæ, illum tamen vel in ipſo nubilo, quantum fieri poteſt, intuentur, ſuumque Regem ac Dominum agnoſcunt. Illi verè gaudent, qui tam copioſè illuminantur à Spiritu ſancto, ut agnoſcant Chriſtum Jeſum & ineffabilia bona, quæ ex myſterio incarnationis in nos à Chriſto veluti capite & fonte defluxerunt. Ex hâc cognitione in piorum cordibus ſolet naſci abundantia quædam veri gaudii, quod non animam tantùm occupat, ſed in corpus & ſenſus exteriores ita diffunditur, ut foras erumpat, & dici poſſit, *in nativitate ejus multi gaudebunt.* Itaque alter fons veri gaudii eſt, cognitio & amor Chriſti.

§. 11. *In nativitate hominis videtur potius flendum,*

Verùm quomodo fieri poteſt, ut in nativitate hominis gaudeamus, cum talis nativitas, ſit ingreſſus ad miſerias, labores & dolores? cum hic mundus, in quo vivimus, ſit vallis lachrymarum? cum Salomon dixerit Eccleſiaſtici 7. v. 2. *Melior eſt dies mortis die nativitis.* Ideò

Digitized by Google

Ideò Perſæ diem mortis feſtivum celebrant, diem nativitatis luctu & lachrymis proſequuntur. Super ſepulchrum Lazari flevit JEſus, non propter ejus mortem, ſed quod ad vitam revocaret. Peluſiota l. 2. ep. 173. Chriſtum Dominum ſic loquentem introducit; *Eum, qui ad portum jam appulerat, rurſum ad fluctus & procellas voco; eum, qui jam coronam aſſecutus erat, ad certamina rurſus duco.* Pari ratione Joannes, qui hodie naſcitur, vocatur ad procellas, ducitur ad certamina, &c. Quonam igitur pacto gaudendum? *quàm gaudendum.*

§. 12. *S. Ioannes naturâ fuit homo, meritò & gratiâ Angelus*

Facilè reſponderi poteſt hodiernam nativitatem non eſſe hominis tantùm, ſed & Angeli; hoc modo ipſa Veritas loquitur Matth. 11. v. 10. *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Quæ verba optimè ponderavit Auctor imperfecti homil. 27. in Math. *Cenſeo quod glorioſior eſt Joannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum Angelus eſt vocatus, quàm ſi nomine Angelus fuiſſet & natura. Angelus enim hoc ipſum quod Angelus eſt, non virtutis præmium, ſed proprietas eſt naturæ: iſte autem mirabilis eſt, qui in humana natura Angelicam ſanctitatem eſt transgreſſus, & per gratiam Dei obtinuit, quod per naturam non habuit.* Imò Theodoretus ait ſer. de hoc Sancto: *quis dubitat Angelicos Spiritus ſæpè ad hoc ſpectaculum deſcendiſſe, ut viderent hoc ſanctitatis prodigium, & perfectionis monſtrum.*

§. 13. *Dies Nativitatis S. Ioannis Bapt. eſt dies ſancta.*

Eleganter huic dubio, an hodiè gaudendum ſit, reſpondet B. Petrus Dam. *Hodiè, dilectiſſimi dies illuxit inſignis, tanto cæteris diebus ſanctior, quantò ſanctiorem hominem terris effudit. In hac ſiquidem die natus eſt ille Sanctorum ſplendor, Juſtorum gloria, lætitia Angelorum, excellentiſſimus homo, conſanguineus Chriſti, qui choris intertextus angelicis, ſublimioris coronæ titulis univerſitatis humanæ tranſcendit aſcenſum.* Itaque tertius fons veri gaudij eſt vita caſta, & ſancta, &c.

§. 14. *Vt Ioannes B. ſanctiùs viveret, puer ivit in deſertum.*

Ut ſanctius viveret puer, ſeceſſit in ſolitudinem. S. Chryſoſtomus hom. 1. in Marcum. *Fuit Joannes in deſerto. Felix iſta converſatio; deſpicere homines, Angelos quærere, urbes deſerere, & in ſolitudine invenire Chriſtum.* S. Bernard. ep. 106. *Experto crede, aliquid amplius invenies in ſylvis, quàm in libris. Ligna & lapides docebunt te, quod à Magiſtris audire non poſſis. Annon putas*

Digitized by Google

poſſe te ſugere mel de petrâ, oleumque de ſaxo duriſſimo; An non montes ſtillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel, & valles abundabunt frumento.

§. 15. *Brevis dictorum recapitulatio cum paraneſi.*

Quæ cum ita ſint, habuiſtis profectò, habuiſtis ſolidam lætitiæ cauſam feliciſſimi parentes, Zacharia & Eliſabeth! O beatos tantâ prole parentes! in Nativitate filij gaviſi eſtis, & meritò gaviſi: ſed & vicini veſtri & tota urbs Jeroſolyma.

Gaudeamus & nos hodiè; exultemus in communi totius orbis lætitiâ, plaudamus & applaudamus tam magno Verbi Divini prodromo. Et *quidni gaudeamus*? nam (niſi fallor) reſidet in nobis ipſe omnis gaudij fons atque origo Spiritus S. *quidni gaudeamus*? cum S. Joanne Baptiſtâ agnoſcimus, amamus, veneramur Dominum ac Regem noſtrum Salvatorem. *Quidni gaudeamus*? vitam (niſi fallor) ſanctam vivimus & caſtam. Pergamus ſic porrò, gaudeamus, exultemus, uſque dum gaudium noſtrum plenum fiat, atque perfectum in ipsâ cœleſtium voluptatum regione. Amen.

CONCIO LXXIV.

FESTO APOSTOLORUM SS. PETRI ET PAULI.

Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?
Matth. 16. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QUæſtio hæc à Chriſto Domino in hodierno Evangelio, per varias circumſtantias elucidatur, cum variis elogiis S. Petri; præſertim, quod glorioſa hæc confeſſio, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, illi fuerit ſemita & via ad primatum Eccleſiæ. Eadem confeſſio comparatur lacti & fulguri.

§. 1. *Quibus ritibus S. Petrus fuerit inauguratus Antiſtes Eccleſiæ.*

§. 2. *Cur Chriſtus Dominus quæſiverit, quid turba de ſe ſentirent; non Phariſæi* &c.

§. 3.

§. 3. *Cur Diſcipuli nullam in reſpondendo fecerint mentionem calumniarum contra Chriſtum, quas audiverant proferri à Phariſæis.*

§. 4. *Reijcitur illa reſponſio diſcipulorum, quod ſit Elias, vel Jeremias &c.*

§. 5. *Perfecta Confeſſio Petri de Divinitate Chriſti.*

§. 6. *Promeruit magnam à Chriſto Domino remunerationem.*

§. 7. *Cur Confeſſio Petri à Chriſto Domino adeò fuerit laudata & remunerata.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Oſtenditur exemplo, quàm illa Confeſſio Chriſto Domino fuerit grata.*

§. 10. *Cur Petrus in primatu Eccleſiæ fuerit prælatus ſancto Joanni, cum variis S. Petri elogiis, eò quòd primus in his circumſtantiis prædicaverit Divinitatem Chriſti.*

§. 11. *Hæc Confeſſio Petri comparatur lacti: cum digreſſione ad lac, quod loco ſanguinis fluxit ex collo S. Pauli.*

§. 12. *Confeſſio S. Petri comparatur fulguri & fulmini.*

§. 13. *Proſecutio.*

Ritus inaugurandi Pro-Reges, vel Vicarios Imperatorum, in variis regnis, olim hic fuit. Antequam in Provincias dimitterentur, Rex vel Imperator quadruplex illis offerebat munus. *1* Ligneum, vel æneum, aut argenteum globum; *2.* Auream clavim. *3.* Quadratam baſin alicujus columnæ ex marmore vel jaſpide. *4.* Diverſæ formæ generiſq; nummos ex argento & auro. Globus fuit ſymbolum illius Provinciæ, quæ illis gubernanda committebatur. In quadratâ baſi commonuit illos Rex, illius conſtantiæ & fortitudinis, quæ in gubernatoribus populorum & Provinciarum requiritur. Clavis fuit index traditæ poteſtatis & auctoritatis; per aureos argenteosque nummos propoſita illis fuit liberalitas & munificentia erga ſubditos; quæ maximè virtus illorum affectus & corda, Regi conciliat. Fallor, ſi non Chriſtus Dominus Rex Regum, & Dominus Dominantium iiſdem ferè ritibus S. Petrum ſuum in terris Vicarium & Legatum inauguravit. Globum cœli & terræ; claves regiæ poteſtatis, tradidit illi illis verbis, *Dabo, tibi claves regni cælorum*, &c. Adjecit marmoream baſin, cum dixit *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam*, &c. Aurum & argentum ſunt theſauri meritorum Chriſti, & totius Eccleſiæ,

§. 1. Quibus ritibus S. Petrus fuerit inauguratus antiſtes Eccleſiæ.

 quorum

Digitized by Google

quorum conſtitutus eſt præſes & diſpenſator. Via & gradus ad tantam dignitatem fuit illa Confeſſio, ſivè teſtimonium, quod Chriſto de ſua Divinitate exhibuit. De variis circumſtantiis hujus confeſſionis agam hâc concione, atque adeò à textu Evangelij non facilè diſcedam.

§. 2. Cur Chriſtus Dominus quaſiverit, quid turba de ſe ſentirent, non Phariſæi.

Duo hæc, magni honoris elogia conjunxit S. Aug. Ser. 5. in hodierno feſto; *Petrus-Confeſſor primus Filij Dei, Amator Domini.* Publicæ & intrepidæ ejus confeſſioni de altiſſimo fidei noſtræ articulo, cauſam & occaſionem præbuit quæſtio illa Chriſti Domini Matt. 16. v. 13. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis.* Apud S. Marcum c. 8. v. 27. eandem quæſtionem ita propoſuit; *Quem me dicunt eſſe homines?* Apud S. Lucam c. 9. v. 18. *Quem me dicunt eſſe turbæ?* Ubi S. Chryſoſtomus advertit; Chriſtum non ſinè causâ non dixiſſe; quem me eſſe dicunt Phariſæi vel Scribæ; quia horũ manifeſta erat malitia, omnibus erat notiſſimum illorum odium erga ſuam perſonam, proinde Chriſtus Dominus noluit habere rationem illorum, à quibus ſciebat ſe vocari potatorem vini, hominem ſeditioſum, habentem apud ſe Dæmonem; horum utique judicium, non curans Chriſtus Dominus, ait; quem turbæ, id eſt, gens ſincera plebis, ſine malitiâ & ſine invidiâ me eſſe dicunt.

§. 3. Cur Diſcipuli nullam fecerint mẽtionem calumniarum in Chriſtũ, quas audiverant proferri à Phariſæis.

Et reſponderunt aliqui ex diſcipulis; *alij dicunt te eſſe Joannem Baptiſtam; alij Eliam; alij Jeremiam.* Hi diſcipuli cum magnâ prudentiâ diſſimulârunt Phariſæorum calumnias, quarum paulò antè feci mentionem, & quas ſuis auribus exceperant, tum quia non ignorabant confictas eſſe calumnias, atque à veritate alienas, tum quia de ſuo Magiſtro non niſi benè & laudabiliter loqui voluerunt. O ſi ita loqueremur! Nam cum ſubinde caſu quæritur, quis eſt iſte Canonicus? malevola lingua mox ait; illum non noſti? hic eſt Canonicus, qui magis quærit quæ ſua ſunt, quàm quæ JEſu Chriſti, &c. prudentes, etiam cum talia vera ſunt, & notoria, ſilent; diſcipulus Chriſti de nullo vult loqui malè. Contingit ut aliquis quærat, quis eſt iſte Conſiliarius? quis iſte ſecretarius? quis iſte mercator; quænam illa Matrona, illa virgo ſive puella? linguis malevolis occurrunt mille reſponſiones; Ille, verbi gratia, ille, qui Principi eſt à Conſiliis, eſt & Patronus Injuſtitiæ; eſt proprij lucri amantior

Digitized by Google

quàm æqui:ille ſecretarius ſpecioſus eſt adulator, falſus aliorum delator? iſte Juriſta eſt vino magis addictus quàm Bartholo vel Baldo; iſte juvenis eſt raptor puellarum, ex oculis ejus hircum illum eſſe conjicio potius quàm agnum, Hæc matrona eſt triſaga, Circe pejor, venefica; Hæc puella quærit, (ut ait Poëta) habere virum; eſt quidem ſagax, ſed & ſalax, & ſic innumera alia paſſim feruntur judicia; atque utinam judicia tantùm, utinam & non in linguam erumperent, unde cum tot detractionibus malorum omnium ilias, pacis turbatio, odiorum fomes excitatur. Diſcipuli Chriſti de talibus ſilent.

Ut tamen aliquid reſponderent Chriſto Domino; dixerunt *alii dicunt, &c,* O nos miſeros! ſi unus ex his debuiſſet eſſe Meſſias noſter! certè nec Elias, nec Jeremias, nec S. Joannes Baptiſta nos ab æternâ morte vindicare potuiſſent. Et quale apud talem Redemptorem fuiſſet gaudium & ſolatium? Elias fuit genii aſperi, frequenter paratus ignes evocare de cœlo, cum horribilibus minis. Jeremias fuit homo triſtis & melancholicus; Joannes homo ſanctus; ſed incola eremi neque comedens, neque bibens. Itaque Chriſtus Dominus ſpecioſus præ filiis hominum! manſuetiſſimus! benigniſſimus! non benè apellatus fuit, vel Elias, vel Jeremias, vel Joannes Baptiſta! uti hic ipſe agnovit, ſe non eſſe dignum, qui ſolveret corrigiam calceamenti Chriſti Domini. Reſponſio itaque hæc diſcipulorum illi non tribuit illas laudes, quas infinita ejus perfectio, & talis merebatur perſonæ Majeſtas. *§. 4. Rejicitur illa reſponſio Diſcipulorum, quod ſit Elias, vel Ieremias, &c.*

Quod quia à Patre cœleſti revelatum fuit S. Petro; clarâ, magnâ, atque elatâ voce reſpondit; *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Quæ voculæ, quia continent perfectiſſima Dei attributa; ejus eſſe, non tantùm in tempore, ſed ab omni æternitate; eſſe à ſe, eſſe Divinum, cum omnipotentiâ, ſapientiâ, bonitate, miſericordiâ; eſſe Filii unigeniti, & proinde eſſe Patris, eſſe vitæ perfectiſſimæ; & nihilominus infinitas illas excellentias Petrus tribuit Chriſto, quem ſciebat eſſe hominem; palam; coram omnibus, coram Scribis & Phariſæis, coram ſociis Apoſtolis, coram plebe profitetur Chriſtum ſimul eſſe & hominem, & Deum. Hoc erat, quod Chriſtus Dominus volebat ſuis hoſtibus intrepidè, atque animosè à Petro *§. 5. Perfecta confeſſio Petri de Divinitate Chriſti.*

Digitized by Google

dici in faciem; cum ſuo neque ſermoni & doctrinæ, neque tot miraculis fidem adhibere vellent.

§. 6. *Promeruit magnam à Chriſto remunerationem.*

Quocircà ob eximiam hanc reſponſionem Chriſtus Dominus illum pronuntiavit beatum: *Beatus es Simon Bariona.* Extemplò dixit illum eſſe Prophetã; *quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Conſtituit illum Patriarcham omnium fidelium. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Promulgavit illum ſuum Vicarium, cum ampliſſimâ clavium poteſtate; *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Inſuper veluti vigilantiſſimo paſtori tradidit illi oves ſuas. *Petre paſce oves meas.* Et ne in tam arduis officiis vel hoſtes pertimeſcat vel lupos, addit Chriſtus Dominus ſplendidiſſimam hanc promiſſionem, *Portæ inferi non prævalebunt adverusſus te.*

§. 7. *Cur confeſſio Petri à Chriſto D. adeò fuerit laudata & remunerata.*

Sed tempeſtivè addubitat S. Chryſoſt hom. 55. in S. Matth. *Eccur inquit alii, qui hoc elogio Chriſtum affecerunt, confitentes eum eſſe Chriſtum, non ſimilem à Chriſto commendationem retulerint, nec ullo fuerint peculiaris dignitatis officio munerati?* Joannis 1. v. 50. *Nathanaël quoque dicebat* (ait S. Chryſoſt.) *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſraël; nec ſolùm beatificatus non eſt, verùm etiam à Chriſto redargutus. Cur ergò Petrus tam glorioſè laudatus, & cœleſtium opum theſauris locupletatus?* Doctiſſimus P. Celada ſentit ideò contigiſſe. Nathanaël credidit & dixit Chriſtum eſſe filium DEi, quia partim præſens fuerat miraculis à Chriſto perpetratis, partim, quia aſſenſum dedit illi famæ, quæ mira de illo divulgabat; nihil verò audiverat dici contra Chriſtum; & proinde fides illius tam ardua & difficilis non fuit; & quod ſequitur, ideò tantam non videtur laudem promeritus. Petrus verò ſciebat alios variè de Chriſto ſentire; & quidem legis peritos, & Scribas, & Phariſæos. Audiebat aliquos ex ſuis ſociis exiſtimare, illum tantum eſſe aliquem Eliam, &c. id eſt, magnum Prophetam, & hominem ſanctum. Petrus prætereà coràm audiverat, à Phariſæis illum vocari ſeditioſum; ſciebat vulnerari ſynagogæ aures, quoties hic vocaretur Meſſias; his

tamen

tamen omnibus neglectis Petrus, ſua opinione omnia humana tranſcendens, non motus cenſuris Judæorum, mente plenâ affectu erga Chriſtum, ore beneloquo, palam exclamavit, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, quæ inexſpectata Confeſſio, in præſentiâ hoſtium Chriſti, non potuit non eſſe illi gratiſſima, & tam laudibus, quàm remuneratione digniſſima.

Paulò aliter hoc idem dubium proponit Euthymius in c. 16. Matth. Atqui prius (ante Petrum) etiam alij diſcipuli, ſedatâ tempeſtate, Filium DEI eſſe confeſſi ſunt, dicentes, *Verè Filius Dei es.* Matth. 14. v. 33. Nec tamen beati prædicati ſunt. Et alij quidam DEum eſſe crediderunt; & nullum eorum beatificavit. Quid ergò dicendum eſt? cur Petrus dicitur beatus, & fit fundamentum Eccleſiæ? Unde Petri confeſſio Divinitatis in JEſu dignior & gratior fuit, quàm illa quæ facta eſt ab aliis diſcipulis? Crediderim fuiſſe gratiorem à temporis importunitate; cæteri inter miracula facta à JESU, & Divinitatem ejus clamantia, opportunè ſatis illum Filium DEI confeſſi ſunt. Petrus verò inter ſectas & opiniones hominum, qui nullam in JESU divinitatem agnoſcebant, inter varias ſententias, imò plurimorum calumnias, cum talis Confeſſio ſperari vix poſſet, ex tempore in has voces prorupit, *Tu es Chriſtus Filius DEI vivi.* Ex quo ejus Confeſſio CHRISTO Domino tantoperè probata eſt, tanquam roſa extra tempus orta, vel dulcis aliquis fructus tempore non ſuo. *§. 8. Profecutio.*

Quam rem pulchro exemplo declarat S. Damaſc. orat. de Aſſumpt. B. V. Si quis Imperatori, qui plenam quidem ſemper habet menſam, & omnigenis cibis affluentem; regiam autem ſumptuoſorum unguentorum delinitam exhalationibus; tempore non conſueto offerat, violam purpuræ concolorem, aut roſam ſpinæ germen odoris ſuaviſſimi, aut maturum aliquem fructum dulciſſimum; non attendet Imperator vilitatem muneris; ſed conſiderabit quàm id ſit novum & alienum, & admirabitur quod ſit inuſitatũ, optimè dijudicans, & rectè intelligens, magis autem agriculam remunerabitur. Flos vel fructus inopinatò, mediâ v. g. hyeme offer- *§. 9. Oſtenditur exemplo, quàm illa confeſſio Chriſto Domino fuerit grata.*

offertur Principi, longèque eſt gratior, & ſuavior & acceptior, quàm ſi illo tempore offeratur, quo florum & talium fructuum eſt copia. Ob eandem planè rationem Regi Regum, Chriſto Domino Petri confeſſio fuit gratiſſima, quia illam protulit tempore, quo minimè putâſſemus proferendam; & placuit illi, tùm, cum plurimi de Divinitate ſuâ dubitarent, imò illam blaſphemarent, Petrum exclamare, *Tu es filius Dei*, quaſi diceret, quid dicitis ſocii? Magiſtrum noſtrum eſſe Eliam, vel Jeremiam? filium hominis? Nequaquam: Filius Dei eſt. Quid ſibilatis ſerpentes, quid murmuratis Phariſæi, Chriſtum eſſe filium fabri, & Mariæ? ſic eſt, filius eſt Mariæ, ſed ſimul filius unigenitus Dei Patris. Non eſt, quod miremur, ipſi placuiſſe confeſſionem Petri, præſertim in his loci, temporis, hominumque circumſtantiis.

§. 10. *Cur Petrus fuerit prælatus S. Ioanni. Cum variis S. Petri elogiis, eò quod primus in his circumſtantiis prædicaverit Divinitatem Chriſti.*

Alio iterum modo idem dubium proponit & tractat S. Hilarius in c. 16. ſancti Matthæi, ſic eſt, Petrus dixit, *Tu es Chriſtus, &c.* Verùm excellentius adhuc teſtimonium illi præbuit ſanctus Joannes in initio ſtatim ſui Evangelii, *In principio erat Verbum, &c.* Et, *Verbum caro factum eſt*, nec tamen propterea S. Joannes conſtitutus eſt fundamentum Eccleſiæ. Sic eſt; verùm quia ſanctus Petrus planè fuit primus, qui hanc confeſſionem intulit mundo, aliquâ excellenti prærogativâ debuit inſigniri; ut nimirum illa confeſſio in illo maneret inconcuſſa, etiam contra portas inferni; ex cujus ore primùm profluxit; quod videtur velle inſinuare citatus ſanctus Hilarius. *Petrus dignus fuit judicatus, qui, quod in Chriſto DEI eſſet, primus agnoſceret. O! in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum; dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret.* Quia Petro datum fuit ut primus agnoſceret, & confiteretur, & prædicaret Divinitatem Chriſti; non mirum eſt, quod in regno Eccleſiæ primas præ omnibus ferat, & quod ejus fides inconcuſſa ſit permanſura uſque ad conſummationem ſæculi; *quod Deus* (utor verbis S. Damaſc. orat. de transfig.) *pro ſuâ præſcientiâ illum dignum Eccleſiæ Antiſtitem prædeſtinârit.* De Conſtantino Imperatore dixit S. Ambroſ. orat. in obitu Theodoſii; *Quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem fidei, Principibus dereliquit, magni meriti*

Digitized by Google

viti locum reperit. De Davide electo in Regem Iſraëlis, ait Rupertus l. 4. in Cant. *Qui ferè primus vocibus manifeſtis cantaturus erat myſteria regni noſtri, & virtutes ſæculi venturi, oportuit eum Regem fieri, Regem David, potentem, & ſecundum nomen ſuum, bellatorem,* &c. Elegantiſſimè S. Bernardus Ser. de Nativitate Mariæ. *Sola eſt, de quâ dicitur, quod in eâ natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Sola cui dicitur; quod ex te naſcetur, ſanctum vocabitur Filius DEI. Inter Virgines ſola primatum ſibi vendicat,* Maria, & Virgo & Regina Virginum. Hanc cauſam affert Rupertus lib. 3. in Cant. *Quia votum egregium DEO prima vovit, votum Virginitatis. Hinc,* Hugo Victorinus t. 3. l. de Virg. Mar. c. 1. *Meritò ei ſoli datum eſt, ut Dei Filium pareret, & Virgo permaneret, ut quia prima fœcunditati carnis virginitatem prætulit; nunc & fœcunda ſit in carne, & integra in Virginitate.* Guilhelmus Abbas apud Delrium. 3. Cant. *Deus primam ac præcipuam integritatis æmulatricem inſigniter honoravit. dando illi benedictionem ampliſſimam, & omniũ gentium, ut beatam illam dicant omnes generationes.* Veniat nunc iterum Divus noſter Apoſtolorum Coryphæus: & quis dubitet, quin magni locum meriti ſibi comparârit D. Petrus? Nam primus Divinitatem Chriſti palam profitendo credidit, & credendo profeſſus eſt. Quis dubitet, quin benedictionem conſecutus ſit ampliſſimam? cujus lingua præ cæteris ita benedixit ei, qui omnis fons eſt & origo benedictionis. Quis dubitet, quin beatum illum dicturæ ſint omnes generationes? ſiquidem ipſe omnium parens atque author generationum DEus beatum illum palam aſſeruit, *Beatus es Simon Bariona.* O felix Petre! Habeant ſancti alij S. Romanæ ſedis Epiſcopos, à quibus ritè facto de illorum vitâ examine, Beatorum titulo condecorentur, felicior Tu, quem ipſum ſummorum omnium Pontificum Caput Chriſtus JESUS tanto voluit honore dignari, ut adhuc viventem Beatorum albo inſereret!

Sed redeo ad confeſſionem S. Petri; memini dixiſſe me paulò antè, illam proflùxiſſe ex ore S. Petri, quod verbum in memoriam mihi revocat dictum S. Maximi hom. 1. in hod. feſto. *Sicut in deſerto ſitienti populo aqua fluxit è petra: ita univerſo mundo, perfidia* (ignorantiæ & idolatriæ) *ariditate laſſato, unda ſalutifera con-* §. 11. *Hæc Confeſſio S. Petri comparatur lacti, cum digreſſione ad lac, quod*

Digitized by Google

loco ſanguinis fluxit ex collo S. Pauli.

feſſionis de ore Petri emerſit. De quibus aquis poſteà ſcripſit ep. 1. c. 2. Gentium Doctor: *Quaſi modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite, ut in eo creſcatis ad ſalutem.* Hoc cœleſtis doctrinæ lac (hanc Confeſſionem) Petrus deinde ubere de cœlo pleno, omnibus, ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, inſtillavit, quando in die Pentecoſtes tria millia, & die ſubſequenti quinq; millia ad Chriſti fidem amoremque traduxit. Tum ſcilicet hodiernam confirmavit Confeſſionem, cum jam Spiritu ſancto plenus ſine timore diceret, Act. c. 2. v. 32. 33. *JEſum Nazarenum interemiſtis, ſed hunc JEſum reſuſcitavit DEus, cujus nos teſtes ſumus.* Cap. 4. v. 10. *Notum ſit omnibus vobis, quia in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem DEus ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. - & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Plurima talia teſtimonia ſuppeditabunt Acta Apoſtolorum, & ejuſdem Divi epiſtolæ: ego interim aſſero os S. Petri fuiſſe lacteum fontem, ex quo ſalutiferæ ſalutis, noſtræq; fidei aquæ profluxerint. Nos ſumus parvuli, quibus hoc lacte opus eſt; prout S. Paulus ait. 1. Cor. 3. v. 2. *Tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi.* & 1. ad Theſſal. c. 2. v. 7. *Facti ſumus in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos. Hinc minus mirandum*, dicit S. Ambroſ. (ut hodierno feſto aliquam ſaltem faciam memoriam S. Pauli) *ſi dum capite plexus eſt, inſtar nutricis lac dederit pro ſanguine.* De Pauli cervice, cum eam perſecutor gladio percuſiſſet, dicitur fluxiſſe magis lactis unda, quàm ſanguinis; quæ quidem res in Paulo ſtupenda non eſt; quid enim mirum, ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ? quod Guerricus Abbas confirmat ſer. 26. de SS. Quàm plenus lacte redundârit ſpirituali, pulchrè ſignificatum eſt, undâ illius lactis viſibilis, quod de corpore ipſius fertur exiſſe loco ſanguinis, cùm decollaretur. Hoc lacte poti, & nutriti, promptè dicemus cum ſancto Petro, Chriſtus Salvator noſter eſt Filius Dei vivi. Præter nomen JEſu Nazareni non agnoſcimus aliud ſub ſole, in quo poſſimus ſalvari; Non eſt Elias, &c. ſed Chriſtus.

Compa-

Digitized by Google

Comparant alij SS. Patres hodiernam Petri Confeſſionem fulguri vel fulmini, contra omnes hæreſiarchas, qui Divinitatem Chriſti Domini ab ipſo ortu Eccleſiæ oppugnârunt. De Pericle dixit Quintilianus l. 6. c. 16. *Non loqui, non orare, ſed tonare & fulgurare videbatur.* De epiſtolis S. Hieronymi dixêre SS. Patres, quod *rutilent quaſi Divinæ lampades.* De Baſilio Magno ait D. Gregor. Naz. *Tonitruum erat ejus oratio, quia vita fulgur erat.* De S. Paulo D. Hier. *Paulus vas electionis, tuba Evangelij, rugitus leonis noſtri, flumen Eloquentiæ Chriſtianæ, quem quotieſcunque lego, videor mihi non verba, ſed audire tonitrua.* Ita quondam (Actor. 24.) illo coram Præſide Felice concionante, de judicio futuro, terrore perculſus Felix, quaſi horribili tonitru percuſſus, cætera audire reformidavit. A voce ſcilicet talis tonitrui (103. Pſ.) formidabunt Adverſarij. De SS. Apoſtolis in communi ait D. Greg. M. l. 30. Mor. c. 2. *illic flumina, hic fulmina vocantur*: flumina, quia corda audientium rigant; tonitrua, quia terrent; fulgura quia coruſcant, fulmina, quia accendunt. Seneca natur. quæſt. l. 2. c. 31. agens de vi & virtute fulminis, ait; *Mira fulminis, ſi intueri velis, opera ſunt; nec quicquam dubij relinquitur, quin divina illis inſit vis, & ſubtilis potentia. Valentiora, quia reſiſtunt, vehementius diſſipat, cum lapide, ferroque, & duriſſimis quibuſque confligit.* Feriunt altos fulmina montes. §. 12. *Confeſſio S. Petri comparatur fulguri & fulmini.*

Ita de S. Petri confeſſione oportebit diſcurrere. Non elocutus tantùm fuit illa verba, ſed & tonare & fulgurare viſus eſt. Quot voculæ, quot verba, tot tonitrua & fulmina ſcindentia aures Phariſæorum, qui Divinitatem Chriſti nec credere volebant nec honorare, imò blaſphemabant. Rutilârunt & fulgurârunt illæ voces, ex ore S. Petri veluti accenſæ & divinæ lampades; brevis illa Concio Petri fuit fulgur. Vox S. Petri, ſive Confeſſio, fuit reſonans tuba, & fortis rugitus fortiſſimi leonis, & quoddam flumen cœleſtis eloquentiæ, de infinitâ & Divinâ excellentiâ Chriſti Domini. Hoc tonitru, hoc fulgur, hoc fulmen S. Petri formidant omnes hoſtes Chriſti, qui illius nolunt Divinitatem agnoſcere. Fuit certè, fuit S. Petrus flumen, fuit & fulmen; *flumen*, quia ex illo, veluti ex petra, ut ſuperiùs dixi, erupit aqua cœleſtis doctrinæ. *Fulmen*, quia grandi hoſtes ſuos terrore afficit. §. 13. *Proſecutio.*

Digitized by Google

Fulmen eſt, quod ſuis ignibus corda noſtra accendit flammis divini amoris. Denique ſi hinc fulminis naturam, inde D. Petri confeſſionem immoto judicij oculo placeat intueri, *mira eſt vis fulminis*; mira Petri confeſſio; *Divina ineſt vis fulmini*, ineſt & Divo Petro: *ſubtilis eſt Fulmini potentia*; ſubtilis eſt D. Petro. *Valentiora, quia reſiſtunt, diſſipat fulmen*; valentiora, quia reſiſtunt Chriſto, hæreſum machinamenta diſſipat D. Petrus. *Cum lapide ferroque, & duriſſimis quibuſque confligit fulmen*; cum obduratis peccatoribus (quos quidni lapides aut ferrum nuncupemus?) ita de cœlo, ita de ſuâ Romanâ Cathedrâ, ita de petrâ ſuæ Doctrinæ Orthodoxæ pugnat, confligit, deprælıatur D. Petrus, ut omnem conterat duritiem, ſemperque glorioſus Victor evadat. Age itaque Apoſtolorum Princeps Petre, & cum te tuamque confeſſionem de Chriſto fulmini non diſſimilem viderimus; ſis & fulmen urbi noſtræ; fulmina, quicquid impium in nobis, invidum, ſuperbum, ac ſordidum eſt: fulmina cordium noſtrorum petras; ut in tenerum JESU amorem emoleſcant; fulmina ſaxa & lapides (animos quorundam in malo obfirmatos) ut tuam primùm, tum DEI agnoſcant potentiam, eamque tecum in omnem laudent æternitatem.

CON-

CONCIO LXXV.

FESTO VISITATIONIS B. V. MARIÆ.

Exurgens MARIA abiit in montana, cum feſtinatione.

Lucæ 1. verſ. 39.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MAria Mater miſericordiæ peccatores protegit, tuetur, defendit, fovet & ſolatur. Habet ubera, quæ ſunt murus, turris & propugnaculum.

§. 1. *Maria facta mater Dei, mox oſtendit ſe Matrem miſericordiæ.*

§. 2. *In corona B. Virginis, præ reliquis ſtellis lucet, veluti ſtella, Mariæ miſericordia.*

§. 3. *Conglobatio titulorum, quibus extollitur Mariana miſericordia.*

§. 4. *Coſmæ Jeroſolymitani ſpes & fiducia, in Mariæ miſericordia.*

§. 5. *Mater miſericordiæ peccatoribus ſe exhibet patulam platanum.*

§. 6. *Æſtas, turbo, pluvia, fulmina compellunt viatores ad umbram arboris; ſimiles cauſæ nos cogunt fugere ad umbram Marianam.*

§. 7. *Mater miſericordiæ ſemper parata eſt, exhibere beneficia; præſertim illa, quæ hodie exhibuit S. Joanni Baptiſtæ in utero matris.*

§. 8. *Cur in Canticis B. Virgo dicatur eſſe murus, & habere ubera.*

§. 9. *Sub umbrâ Marianâ, veluti in portu eſt ſecuritas.*

§. 10. *Ubera Mariæ ſunt poculum lætitiæ, & conſervatorium generis humani.*

§. 11. *Mater miſericordiæ, veluti Abigail, eſt advocata peccatorum.*

§. 12. *Eſt formoſa Rachel, placans iras cæleſtis Patris.*

Digitized by Google

§. 13. *Ideo in cælis ſedet ad dexteram Filii.*

§. 14. *Duellum, ſive pugna, inter juſtitiam divinam, & miſericordiam Mariæ.*

§. 15. *Væ peccatoribus ſine protectione Mariæ.*

§. 16. *Promptitudo, quâ Maria miſeris ſuccurrit, declaratur eleganti ſimili.*

§. 17. *Maria! quò altior & ſanctior, eò miſericordior.*

§. 18. *Moralis admonitio Richardi à S. Victore.*

§. 1. *Maria facta mater Dei, mox oſtendit ſe eſſe matrem miſericordiæ.*

ABiit Virgo in montana. Id eſt, quamprimùm ſe ſenſit Deo plenam, ut agnovit ſe eſſe DEI matrem, non incredula de oraculo, nec incerta de nuntio, nec dubitans de incarnationis myſterio; ſed læta ſurrexit in montes Judææ, ad viſitandam Eliſabeth, de quâ Archangelus illi dixerat Lucæ c. 1. v. 36. *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis ſextus eſt illi.* Verùm, cur abiit cum feſtinatione? Congerunt SS. Patres plurimas cauſas. Placet mihi modò S. Auguſtinus. *Quamprimùm Spiritus S. ſuâ obumbratione Divino verbo implevit Virginis uterum, ſimul pectus & cor illi dedit plenum charitate, & proinde properavit, ut benefaceret Eliſabeth, & Joanni latenti adhuc in utero matris, ut Deus infans celeriter ſanctificaret Joannem, ut ex tenebroſo peccati originalis carcere & tenebris eriperet, matrem vi ſuavi coëgit celeriter eò properare.* Puto Dei matrem agnoviſſe ſtatim, ut facta eſt mater Dei, veritatem dicti, quod diu poſt S. Greg. M. nobis reliquit in Paſtorali: *Tunc ad alta charitas mirabiliter ſurgit, cùm ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit; & quæ benignè deſcendit ad infima, valenter incurrit ad ſumma.* Itaque Maria, quamprimùm advertit ſe factam eſſe DEI matrem, voluit oſtendere ſe quoque eſſe matrem pulchræ dilectionis, & matrem miſericordiæ; proinde MARIA ad ELISABETH, Domina ad ancillam venire, non fuit dedignata: ut illam ſalutaret, ut illi miniſtraret, ut Joanni afferret ſolem juſtitiæ. Eximium hoc elogium Mariæ, quod ſit mater miſericordiæ, præſertim erga peccatores, jam aliàs expoſui; verùm cùm affectuoſiſſimus hic titulus, fons, vena & ſcaturigo ſit pulcherrimarum cogitationum, ſive mare, quod unâ aut alterâ concione ab oratore exhauriri non poteſt, imo-

Digitized by Google

modò vobis illa de eadem materia communicabo, quæ interim Spirus ſanctus dignatus fuit mihi communicare.

§. 2. In corona B. Virginis, præ reliquis ſtellis lucet, veluti ſtella, Maria miſericordia.

Inter duodecim lucidiſſimas ſtellas, ſive totidem eximias virtutes, & perfectiones, ſive excellentias atque prærogativas, quibus veluti lucidiſſimis ſtellis in coronam plexis, Domina noſtra, Dei mater, veluti cœli terræque Regina, à ſanctiſſimâ Trinitate, à Patre, veluti filia, à Filio, veluti mater, à Spiritu ſancto, veluti amantiſſima ſponſa, fuit coronata, illa præ reliquis fulget & radiat, quæ dicitur *Miſericordia*; cujus, ſicuti DEI & Filii altiſſimi, ita miſericordiæ mater appellatur; præſertim à mellifluo S. Bernardo, in ſuaviſſimo illo hymno, *Salve Regina*, *mater miſericordiæ!* Cauſam hanc affert ſer. ſuper *Miſſus eſt.* *Laudamus, O Virgo, virginitatem; humilitatem miramur* (præſertim hodierno Feſto, quo DEI mater & Regina, ſervam & ancillam Eliſabetham viſitare dignetur;) *- admiramur alias dotes - ſed miſericordia miſeris ſapit dulcius; hanc amplectimur carius, recordamur ſæpius, crebrius invocamus*, de hâc colloquimur libentius. Idem profectò in me experior; libenter, & cum gaudio loquor de omnibus ejus feſtivitatibus, de dotibus & virtutibus, de ejus pulchritudine & excellentia; libenter de ejus gloriâ & exaltatione; ſed libentiſſimè, & cum quodam jubilo cordis, præſertim cum peculiari ſolatio, & extraordinario quodam fervore, de maternâ ejus miſericordia, & benevolentiſſimo affectu erga genus humanum. & potiſſimum erga peccatores; prout toties ad illam ſuſpiramus, *Refugium peccatorum ora pro nobis.*

§. 3. Conglobatio titulorum, quibus extollitur Mariana miſericordia.

Vocatur autem mater, ſive *Regina miſericordiæ* à S. Bernardo (ſer. 5. ſuper *Salve Regina*) à S. Germano, *Abyſſus*; à Methodio, *Ara & altare miſericordiæ*; à Buteone, *anchora ſpei & miſericordiæ iis, qui tempeſtate jactantur.* Iterum à S. Bernardo: *Aquæ ductus fontis miſericordiæ defluentis de ipſo corde æterni Patris.* A Gulhelmo Pariſienſi *Domina*, à Pelbarto, *Diſpenſatrix gratiæ & miſericordiæ*, à Ruperto, *favus dulciſſimæ Chriſti & Dei miſericordiæ*; à S. Bernardo, *Fluvius clementiæ*; Ab Amadeo, *fons miſericordiæ & conſolationis, & miſerationum*, à B Stanislao, *Mamilla*, à S. Chryſoſtomo, *Mare ſpatioſum miſericordiarũ*, à S. Chryſippo, *nubes continens pluvias miſerationum*, à Joanne Geometra, *Petra melle & oleo, id eſt, miſericordiâ fluens*, à Buteo-

Digitized by Google

à Buteone, *profundum incogitabile, ſive, profunditas contemplatu difficilis*; ab eodem, *ſublimitas difficilis aſcenſu cogitationibus humanis*, quibus conamur ſcuttari abyſſum Marianæ miſericordiæ; ab eodem, *terra, quæ germinat proventum miſerationum*; ab Heſychio, *Theſaurus miſericordiæ incomparabilis*; his inquam titulis & encomiis extollitur Mariæ miſericordia, inquit cit. S. Bern. *quod Divinæ pietatis abyſſum, cui vult & quando vult, & quomodo vult, credatur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat.* Frequenter enim, inquit Idiota, *quos juſtitia Filii damnare poteſt; Matris miſericordia liberat.* Oſorius ait, *Multi jam in infernum eſſent detruſi; niſi in locum ſacrum, ad hoc aſylum, ad hanc aram miſericordiæ ſe recepiſſent.*

§. 4. Coſma Ieroſolymitani ſpes & fiducia, in matris miſericordia.

Coſmas Jeroſolymitanus, ob hunc Mariæ titulum, quod vocetur & ſit mater miſericordiæ, auſus fuit dicere in hymno ſuo 5. *Inſuperabilem, O Deipara, ſpem tuam habens, ſervabor, defenſionem tuam poſſidens, non timebo, perſequar inimicos meos, ſolam habens, ut thoracem, protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum.* Non cupio ut hæc vocula, *omnipotens* feriat cujuſpiam aures; nihil detrahitur DEI omnipotentiæ, quæ ſe voluntati matris accommodat, ut proinde, quando, cui & quomodo vult, poſſit aperire theſaurum Divinæ miſericordiæ.

§. 5. Mater Dei, peccatoribus ſe exhibet patulam platanum.

Officia matris miſericordiæ, ipſa Dei mater ad duo contraxit puncta, cùm dixit S. Mechtildi, *Ego omnibus, qui mihi piè & ſanctè deſerviunt*, (tales puto eſſe omnes meos præſentes Auditores, rogo proinde, ut cum ſolatio audiant verba, quæ ſequuntur,) *volo in periculis & præſertim in morte fideliſſimè, tanquam mater adeſſe, eosque conſolari ac protegere.* De utroque videtur loqui Eccleſiaſticus cap. 14. v. 22. *Beatus vir, qui in ſapientiâ morabitur.* Explicemus ita hæc verba, *Beatus*, qui matri ſapientiæ, qui Beatiſſimæ Virgini, piè & ſanctè deſervit; Beatus qui fugit ſub umbram illius, quæ de ſe ait Eccleſ. cap. 24. v. 19. *Quaſi platanus exaltata ſum juxta aquas.* Quare beatus? reſpondet textus, *Sub ramis ejus morabitur; protegetur ſub tegmine à fervore illius*: Ecce protectionem Dei matris, *& in gloriâ conquieſcet.* Ecce conſolationem à matre, vel ſub umbrâ & in ſinu, imò inter brachia matris miſericordiæ. Richardus à S. Laurentio ait lib. 12. de laud. Virginis. *Maria platanus patulam ſe exhibet peccatori-*

Digitized by Google

toribus; omnes, quantum in ſe eſt, parata recipere, ſub ſuâ protectione, & omnes refrigerare malo igne exuſtos. Ubi ſunt folia lata, ibi eſt umbra magna; & magna eſt umbra protectionis ejus. Ad quam confugit S. Bonaventura cum in Pſalterio ſuo ita oravit; *Domina, ut non noceat mihi calliditas inimici, ſub umbra alarum tuarum protege me; facile decipitur, qui ſe ab hiſce alis eximit, ab hac umbra ſurripit, eſto umbraculum protectionis in tentationibus noſtris; expanſio alarum tuarum defendat nos à devorante.*

Abbas Abſalon ſer. de Aſſ. advertit, tria eſſe, quæ viatores ad arboris umbram vel protectionem fugere cogunt; æſtum, turbinem & pluviam. Cum cœlum horrendum tonat & fulminat, ſecuros ſe putant, qui ſub umbrâ lauri, cui fulmina non nocent, ſe poſſunt abſcondere. Cùm in hâc lachrymarum valle, continuo uramur ignibus & fervore concupiſcentiæ; cum varij tentationum turbines nos exagitent, cum frequentes decidant imbres perſecutionum; cum horrendum fulminet cœlum; cauſas habemus, ut audiamus Benedictum Fernandium t. 1. in gen. c. 3. ſer. 19. qui poſtquam dixit, *Maria eſt platanus exaltata, obumbrans, protegens, fovens, & patulos diffundit ramos, expandit folia, veluti peltas & ſcuta, quibus obtecti, pericula repellamus;* tum paucis verbis nos ita alloquitur; ***Ad hanc igitur benedictam arborem confugiamus.***

§. 6. *Æſtus, turbo, pluvia, fulmina cōpellunt viatores ad umbrā arboris. Similes cauſæ nos cogunt fugere ad umbram Marianam*

Ob hunc diſcurſum, ne illum interrumperem, non potui inhærere verbis, quibus antea fui uſus; *Maria patulam ſe exhibet peccatoribus;* (hæc ſcilicet eſt proprietas Matris miſericordiæ) omnes quantum in ſe eſt, parata recipere; parata omnibus exhibere illas gratias, quas unquam ulli peccatori exhibuit, in memoriam revocate gratias S. Joanni Baptiſtæ in utero matris, hodiernâ die ab amantiſſimâ Matre Mariâ exhibitas; Parvulus Joannes in utero matris, & ſimul in obſcuro peccati originalis carcere jacebat in tenebris. Accurrit Maria, igne Spiritus S. ſuccenſa, imò igne Divinitatis, ſive Verbo Patris plena, ut lumen ſalutis illi oſtenderet, & quaſi inter denſiſſimas tenebras, ſplendidiſſimum Juſtitiæ ſolem lucis ſuæ radio demonſtraret. Ab hoc ſole, ab hac luce, ab

§. 8. *Mater miſericordiæ ſemper parata eſt exhibere beneficia; præſertim illa, quæ hodie exhibuit Joanni B. in utero Matris.*

hoc lumine, ab his radiis irradiatus Joannes, mox repletus eſt Spiritu ſancto & exultavit in utero Matris. O peccatores! qui in graviſſimorum ſcelerum jacetis tenebris, & carcere, concatenati ferreis vinculis; accurrite ad Mariam, ad Matrem miſericordiæ; mater eſt, parata eſt vobis quoque oſtendere lumen ſalutis; parata eſt, inter denſiſſimas tenebras vobis demonſtrare ſolem Juſtitiæ; pulſis his tenebris, educti ex hoc carcere, replebimini Spiritu ſancto & exultabitis, invenietis Matrem miſericordiæ. S. Ambroſius ait l.2. Comment. in c. 1. S. Lucæ. *Venit Maria ad Eliſabeth, Chriſtus ad Joannem.* Citò quoque adventus Mariæ, & præſentiæ divinæ beneficia declarata fuerunt. Verbum, quo Maria erat feta, & plena, Spiritus ſanctus qui illam obumbraverat; pulſa peccati originalis macula animam S. Joannis ita ſanctificârunt, ut mutus Zacharias ſolutis linguæ vinculis, à Spiritu ſancto illuminatur, tantam gratiam, tanta myſteria admiratus exclamârit, *Joannes eſt nomen ejus.* Et ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, ut ad ſalutationem Mariæ exultaret infans in utero; quantum putamus uſu temporis, ſanctæ MARIÆ addidiſſe præſentiam? *Admirabilem Nativitatem mirabilis vita* (S. Maximus homil. 3. in Nat. Joan.) *fuit ſecuta, & ſanctam, perfectamq; vitam mors DEO devota concluſit.* O peccatores! ſi liberati à vinculis ſcelerum, ſi educti è carcere & tenebris peccatorum, ſi à turpiſſimis in ſanguine Agni abluti maculis, deſideratis vitam ducere ſanctam, ſi vivere in gratiâ; accurrite ad MARIAM, gratiam, ſanctitatem, munditiem, quam ſuâ præſentiâ & familiaritate obtinuit S. JOANNI, parata eſt vobis quoque conferre; ut vitam veſtram DEO devotam tandem concludat mors beatiſſima.

§.8. *Cur in Canticis B. Virgo dicatur eſſe murus, &c. & habere Vbera.*

Redeo ad præcipua duo officia Matris miſericordiæ, quod peccatores protegat & defendat, foveat & conſoletur. De utroque ait in perſona Sponſæ Cant. 8. v. 10. *Ego murus, & ubera mea turris.* Paulò ante Sponſus cap. 4. v. 4. collum Sponſæ comparaverat turri, *quæ ædificata eſt cum propugnaculis, & ex quâ mille pendent clypei.* Sed quæ eſt connexio inter eburneum collum,

lum, lactea ubera, muros, turres, propugnacula & clypeos? puto illam connexionem fuiſſe obſervatam à Wilhelmo Pariſ. cum ait ſuper citatos verſus ex Cant. *Ego murus ad protegendum; murus inexpugnabilis: circumcingens eos, qui ad me conveniunt; plane qui hoc muro circumdatur, tutus eſt ab his, qui in circuitu ambulant impij, & à capite ejus, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret. Et ubera mea ſicut turris.* Hæ voculæ duplex continent myſterium, quod idem Wilhelmus ita exponit. *Ego murus - turris - ſimul & Mater. Murus, vel turris ad protegendum; Mater ad nutriendum, Murus infirmis, Mater parvulis. Propter inſufficientiam virium campum times? murus ſum, intra me abſcondere à facie inimici.* Hoc idem ſuadet S. Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt. Si criminum immanitate turbatus, fœditate conſcientiæ confuſus, judicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitia, & deſperationis abyſſo; cogita MARIAM.* Pergit Wilhelmus. *De parvitate tua confunderis, & creſcere vis? Mater ſum: meo lacte te nutrire poſſum; murus ſum per fortitudinem, & Mater per pietatem. Ego murus inexpugnabilis, excelſa habens propugnacula; ego Mater amabilis, grandia habens ubera; quàm grandia? ſicut turris! Vbera mea non tantùm ſunt ubera, ſed turris; non tantùm nutriendi, ſed & protegendi vim habent. Nullus putet me habere, quo nutriam, & non habere quo muniam. Materna pietas mea quos nutrit, etiam amat.* Nec verbum mihi occurrit, quod addam elegantiſſimo & affectuoſiſſimo diſcurſui, quo magnus hic amator Virginis per metaphoras muri, turris & uberum, à Sponſo & Sponſâ allatas probat, magnam DEI Matrem ſimul eſſe Matrem clementiæ, pietatis & miſericordiæ, quæ ſuos ſervos, & præſertim pœnitentes peccatores, inſtar matris, protegit & defendit, & fovet.

Voculas has, *Vbera mea ſicut turris*, ita explicat Hailgrinus, dum in perſonâ Sponſæ ſive Beatæ Virginis ait; *Miſericordia mea, & pietas mea, quibus quaſi uberibus ſuffragiorum, & magnâ dulcedine lacto filios Eccleſiæ; ſunt turris & munimentum, ſcilicet* — §. 9. *Sub umbra Mariana, veluti in portu, eſt ſecuritas.*

ſcilicet refugium & ſecuritas peccatorum. Ob hanc ſecuritatem ego puto Sponſum Cant. c. 1. v. 9. collum Sponſæ ſuæ comparaſſe turri: *Collum tuum ſicut turris.* Quæ verba alij ſic legunt, *Collum tuum ſicut monilia.* Nyſſenus legit, *Collum tuum ſicut torques.* Hæc vocula apud Græcos derivatur à vocabulo, quo ſignificatur ſinus quiſpiam efformatus à naturâ vel arte, in littore maris, per modum ſemicirculi, ut talis locus ſit portus, ſive ſtatio ſecura, in quam naves contra tempeſtates maris, ventorumque rabiem tutè ſe poſſint recipere. Talis murus, talis turris, tale monile, talis torques, talis ſinus, talis portus eſt Maria Mater miſericordiæ; huc confugite peccatores, hanc ſtationem quærite; huc appellite veſtram naviculam, *Non erit vobis* (ait Nyſſenus) *naufragij metus, neque in mari latentium cautium ſuſpicio, nec periculum prædonum; nec à flatibus perturbatio, neque à profundo intumeſcentis maris formido; Eritis remoti ab omnibus hujuſmodi periculis.* Secundum Bloſium, *Maria Mater miſericordiæ eſt portus naufragi ſæculi:* Secundum S. Bonaventuram, *Portus vitæ & indulgentiæ.* Secundum Buteonem, *Portus ſine tempeſtate.* Secundum S. Ephrem, *Portus naufragantium tutiſſimus.* Secundum D. Vincentium ſer. 2. de Nat. Virg. *Maria, ſtella maris, & cynoſura navigantium, ij per eam perveniunt ad portum ſalutis æternæ.* O animæ piæ, O Auditores, quot fortaſſis ex nobis jam feciſſent naufragium æternæ damnationis, in profundo pelago graviſſimorum ſcelerum, niſi Maria, niſi Mater clementiæ nos recepiſſet in ſinum & portum ſuæ miſericordiæ; niſi Maria nobis fuiſſet murus, turris & propugnaculum contra noſtros hoſtes; niſi Mater miſericordiæ nobis fuiſſet luciſſima ſtella, & cynoſura, quæ nos per tempeſtuoſum mare hujus ſæculi, nos hactenus, ut ſperamus, deducit ad portum ſalutis æternæ.

§. 10. *Vbera Mariæ ſunt poculum lætitiæ; & conſervatoriū generis humani.*

Piè & ſuaviter S. Germanus, ut tandem meum diſcurſum de muro, de turri, de propugnaculo, de portu, & de uberibus deſumptum abſolvam; *Mamma Deiparæ, ſalutare lætitiæ poculum;* quo ſcilicet inſtar matris nos lactat, nutrit, fovet, & recreat. O ſuavitates! O delectationes! O delicias, quæ ſtillant

ſtillant ab his dulciſſimis uberibus amantiſſimæ matris: Loquere S. Bernarde, quomodo ſapuerunt guttæ lactis, quo te aliquando dulciſſima mater tua lactavit, cum ex intimis cordis viſceribus illam ſalutares ſuaviſſimo illo hymno, *Salve Regina, &c.* Legite melliflui Doctoris homilias, præſertim, quas ſcripſit de B. Virgine, & reperietis, illum illas dulcedines ſatis exprimere non potuiſſe. Verùm mammæ Mariæ non tantum ſunt poculum lætitiæ: addit enim S. Germanus; *Sunt ſimul poculum - tutilare, atque conſervatorium totius generis mortalium: iraſcenti enim Deo, & gladium elevanti, oſtendit pectus & ubera; quorum aſpectu Divina miſericordia nobis mox conciliatur.* S. Bern. ſer. 4. de Aſſ. *Chriſtus Jeſus id præſtat ſuo ſanguine pratioſo, & tu, O B. Virgo, tui lactis dulciſſimi clementia, miſericordia & favore.*

Figuram habemus l. 1. Reg. cap. 25. v. 24. Juravit David, ſe non relicturum de omnibus, quæ pertinerent ad Nabal - *Abigail autem feſtinavit, & procidit coram David, ſuper faciem ſuam, & ploravit ſuper terram, & dixit: In me ſit Domine hæc iniquitas.* Facundia, humilitas & lachrymæ Abigailis ſedârunt furorem David. Periiſſet Nabal, niſi Abigail ejus fuiſſet advocata. *Hoc eſt officium matris miſericordiæ, ut* (S. Bonavent. in ſpec. c. 5.) *peccatores materno affectu complectatur, ut foveat, neque deſerat, quouſque horrendo Iudici miſeros reconciliet.* Scit cœleſtis Abigail, pro peccatoribus apud Davidem filium ſuum ita loqui, ita ſe humiliare, tales profundere lachrymas, ita oſtendere pectus & ubera matris; ut furor ſedetur, ut inclinetur ad miſericordiam. §. 11. *Mater miſericordiæ, veluti Abigail, eſt advocata peccatorum.*

Gen. c. 33. crudelis Eſau juravit ſe occiſurum fratrem ſuum Jacobum; quod Jacob metuens, conatus fuit illum placare muneribus, precibus, lachrymis; ſed fruſtra. Eſau eò crudeliores ſpirabat minas; donec Jacob unâ manu apprehendit formoſam Rachelem, alterâ innocentem Joſeph, & ita fratri factus obviam ſepties illum adoravit, & ait textus v. 4. *Currens Eſau obviam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringensque collum ejus, & oſculans flevit.* Ille? ille Eſau, fratri adeò iratus? ille? ſpirans minas & cædes? ille? nil ſitiens niſi ſanguinem? cur plorat? quis emollivit ferreum pectus? quis coëgit ad oſculum pacis & amoris. Aſpectus formoſæ Rachelis, & venuſtiſſi- §. 12. *Eſt formoſa Rachel, placans iram cæleſtis Patris.*

venuſtiſſimi Joſephi hoc fecit. Tantùm potuêre Rachel & Joſeph, mater & filius dilectæ matris. Non ſine causâ frequenter iratus Deus, atroces nobis minatur pœnas ob atrocia ſcelera; quomodo placabimus? ecce formoſam Rachelem, ecce matrem miſericordiæ! ecce in ſinu ejus formoſiſſimum Jeſulum, cum hiſce procedite obviam cœleſti Patri; non timete flagra vel fulmina, ſed ſperate oſculum & amplexum amantiſſimi Patris. Rachel & Joſeph, JEſus & Maria, mater clementiæ, mox illum movebunt ad miſericordiam!

§. 13. *Ideò in cœlis ſedet ad dexteram Filii.*

Aſſidet quidē benedicta illa mater à dexteris Filii, in gloriâ, exaltata ſuper omnes Angelorū choros, in veſtitu deaurata, circumamicta ſole, irradiata radiis lunæ, redimita ſtellis; ſed non tantùm, ut immensâ fruatur gloriâ; ſed aſtat quoque, ut ſedentem pro tribunali univerſorum Judicem, jam toties cumulatis mortalium ſceleribus in juſtiſſimos furores provocatum componat ad veniam; extinguat in oculis flammas, ſedet in voce & linguâ tonitrua, ut deſtinata in reos fulmina intercipiat, & excutiat, eripiat è manibus triſulca tela; rigoris tribunalia claudat, actiones in reos prohibeat, accuſatoribus ſe opponat, rigorem emolliat, ſententiam flectat, ſupplicia avertat, vindictam impediat. Si juſtitia miſericordiæ cedere nolit, ſi enſem vibret, amabilis mater miſericordiæ invadit Filii tribunal, allegat, ruit in genua, in amplexus, precatur, obſecrat, orat, perorat, evincit proruentem in fulmina judicem, & juſtiſſimâ ſævientem indignatione, ligat, tenet, nec dimittit donec inflectat ad miſericordiam, donec fulmen eripiat, donec veniam obtineat.

§. 14. *Duellum ſive pugna inter D. juſtitiam & Mariæ miſericordiam.*

Placet mihi duellum, quod aliquando legi, hinc inter D. juſtitiam fulminantem minas, hinc inter Marianam miſericordiam interpellantem veniam pro peccatore. Non dubito, vos aliquando audiviſſe diſcordes Dei voces, Deuteron. c. 32. pro latas verſu 39. *Ego occidam! ego vivere faciam, percutiam, & ego ſanabo.* Contingit hoc, cum irata Nemeſis ſtringit acinacem, ferali intonans tuba ait, *Ego occidam!* Sed ex matris miſericordia melliflua defluunt verba, *Ego vivere faciam*, Arripit vindicta implacabile fulmen, ut percuti-

at;

at; adeſt mater miſericordiæ, ut ſauciatis medeatur. Inſpicit juſtitia, toties nefario mortalium ſcelere proculcatum Redemptoris ſanguinem, & in flammas exilit, ut occidat; Oſtendit Maria impenſos lactis fontes, ut fulmineas flammas extinguat, ut vivamus. Exacerbatur Divinus furor, hiantibus adhuc occiſi agni vulneribus, ut percutiat. Sed mox emollitur judex uberibus matris, ut parcat. Aſſurgit judex in obſtinatos homines ut pereant; proſternit ſe mater miſericordiæ, ut deprecetur.

§. 15. Væ! peccatoribus ſine Maria protectione.

Væ vobis impii! ſi illâ horâ, quâ comparebitis coram tremendo Judice; quâ vos accuſabit adverſarius, murmurabit, lancinabit, rodet vermis conſcientiæ; quâ aderit juſtitia, aberit clementia, aderit rigor, aberit pietas, aderit ſeveritas, aberit miſericordia, ſi inquam illâ horâ etiam abſit mater miſericordiæ, ut patrocinetur. Proſterneret me hæc cogitatio in abyſſum deſperationis, niſi ſperarem adfuturam mihi tunc temporis MARIAM. Deſperarem, niſi ſperarem matrem miſericordiæ fore mihi murum, turrim, propugnaculum, platanum, ut ſub illius umbrâ me abſcondam à facie irati judicis. Sentio cum illo qui dixit. *Digni profectò ſunt æternâ damnatione, qui tam præclaram ſuæ ſalutis occaſionem negligunt, & Mariam non colunt.*

§. 16. Promptitudo, quâ Maria miſeris ſuccurrit, declaratur eliganti ſimili.

Quâ promptitudine piiſſima mater pœnitentes peccatores conetur protegere & defendere, ipſa his verbis declaravit S. Brigittæ l. 4. *Sicut materna manus ſemper parata eſt, ad opponendum ſe periculis, in cordis filii ſui defenſionem, ſi aliquis niteretur in ejus læſionem; ita ego ſum parata jugiter juſtos, qui ſunt in mundo, defendere, & de omni ſpirituali periculo eripere. Ego quoque ſum mater omnium peccatorum volentium ſe emendare; & habentium voluntatem in DEUM non amplius peccare, & ſum voluntaria, ipſum peccatorem in meam defenſionem accipere; ſicut charitativa mater, dum videret filium nudum ab inimicis, acutos habentibus gladios, impugnari. Nonne ipſa ſe opponeret tunc periculis viriliter, ut filium ſuum de manibus inimicorum liberaret, & eriperet, & in ſinu ſuo gaudenter conſervaret. Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus, miſericordiam meam à*

Digitized by Google

Filio meo petentibus. Quid affectuoſius de charitate Mariæ dici poteſt?

§.17. *Maria! quò altior & ſanctior, eò miſericordior.* Confirmat hæc Gregorius VIII. Summus Pontifex, cùm ſcripſit Mechtildi Romanæ matronæ. *De matre Domini hoc procul dubio teneas; quia quantò altior, & melior, ac ſanctior eſt omni matre; tantò clementior & dulcior eſt circa converſos peccatores & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & proſtrata coram Deo, ex corde contrito & humiliato lachrymas effunde; invenies illam indubitanter; promitto! promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.*

§. 18. *Moralis admonitio Richardi à S. Victore.* Monet præterea Richardus à S. Laurentio l. 12. de laud. B. Virg. *Neceſſe eſt tibi ad hoc, quod poſſis abſcondi ſub pallio, id eſt, ſub latitudine miſericordiæ ejus, ut ſis parvus in oculis tuis per humilitatem, non turgidus per elationem; ut ſis mundus per caſtitatem, quia cum fœtore luxuriæ non poſſes ad eam propinquare; ut ſis miſericors; alioquin apud miſericordiæ matrem refugium non haberes.* Hæc Divina monita & documenta SS. Patrum altis radicibus cordibus noſtris imprimamus, & ſic ſecuri contra omnes infernalis hoſtis aſſultus ſub hoc muro, ſub hac turri, ſub hoc clypeo, ſub hac platano ſedebimus.

CONCIO LXXVI.

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.

Lucæ 7. v. 37.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRæcipui verſus ex hodierno Evangelio, illuſtrantur variis dictis atque ſententiis SS. Patrum, aliisque diſcurſibus.

§. 1. *Exor-*

Digitized by Google

§. 1. *Exordium & Propoſitio Concionis.*
§. 2. *Luxuria peſſundat bonam famam.*
§. 3. *Quæ mulierum & Virginum pulcherrimum eſt ornamentum.*
§. 4. *Luxuria ſecum trahit plura ſcelera.*
§. 5. *Laudabile eſt in Magdalena, quod converſa ſtatim confugerit ad IEſum.*
§. 6. *Laudabile quoque eſt, quod ab initio converſionis ardentiſſimè amaverit IEſum; & ita ab eodem fuit redamata.*
§. 7. *Quod elegerit ex humilitate pedes Domini.*
§. 8. *Quod copiosè fleverit. Vnde illa lachrymarum copia:*
§. 9. *Proſecutio.*
§. 10. *Alia lachrymarum cauſa.*
§. 11. *Irrigatos pedes deterſit capillis:*
§. 12. *Promiſſio facta à Deo S. Maria Magdalena.*

FRanciſca Matrona Romana ſanctitatis laude cumprimis illuſtris, hodierno D. Magdalenæ feſto rapta in cœlos, ſuaviſſimos Cœleſtium ſpirituum, aliorumque ſanctorum hymnos, & rythmos, benedictiones & gratiarum actiones inaudiit, quibus effuſa ſanctorum cohors fuit in laudes SS. Triados, pro omni gratia & gloria, huic Sanctæ in terris & cœlis collatâ. Ipſam verò Magdalenam, hunc in modum concinentem audivit. Laus tibi Amor Divine; eja Angeli pſallite! Laudemus Amorem! Decretum eſt mihi Auditores, in præſenti Concione ſeligere ex affectuoſiſſimo Evangelio de pœnitente Magdalena, præcipuos quoſdam verſus v. g. quod licèt fuerit peccatrix, famæque per totam urbem infamis mulier; nihilominus commota ſemel ad pœnitentiam, ſubitò confugerit ad Chriſtum; quod ad pedes ejuſdem proſtrata, amaris lachrymis laxârit habenas; quod capillis uſa fuerit pro linteo ad abſtergendos Salvatoris pedes; quod audierit amabilem Chriſti vocem, v. 47. *remittuntur tibi peccata tua.* Hos inquam & ſimiles verſus, præclaris SS. Patrum ſententiis illuſtrandos ſelegi; nec ſine rationum momentis. Primò quidem ut ſicut Sancti in cœlis DEUM laudant & glorificant in S. Maria Magdalena, ita & nos faciamus in terris; *§. 1. Exordium & Propoſitio Concionis.*

ut laudemus amorem, ut amemus JESUM, qui MAGDALENAM adeo dilexit & viciſſim ardentiſſimè ab ipsâ dilectus fuit.
2. Ut contingat nobis quod accidit Magdalenæ; primus CHRISTI Domini intuitus reſolvit gelu frigidi pectoris, & in illo flammas Divini amoris excitavit, cujus ardore liquefacta in amoris lachrymas diffluxit. Ab illo tempore cor S. Mariæ Magdalenæ fuit totum igneum, & (quod S. Melchtildi fuit revelatum) ille amor illa cœpit incrementa, ut omnia quæ ageret vel cogitaret in ignem illum verterentur: ſimulque tunc divinitus edocta fuit, animam fieri totam igneam ab amore divino; adeo ut hominis, illo amore ſuccenſi, omnes actiones ſint velut ligna, igni injecta, quæ in amoris ignem commutata, eundem in corde alunt & augent. Quis ſcit, an non placeat Spiritui ſancto ſub hâc concione, ſimiles amoris flammas, & ardens veræ pœnitentiæ deſiderium in nobis excitare? quis ſcit, an, non futurum ſit, ut volupe nobis ſit cum MAGDALENA in lachrymas liquefieri; cum MAGDALENA ingemiſcere, atque oſculari dulciſſimos pedes JESU? Utinam hæc fiant! fiant, Amen!

§. 2. *Luxuria peſſundat bonam famam.*

Ordiar à verſu 37. cap. 7. S. Lucæ. *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*: innuunt hæc verba, Magdalenæ peccata, & præſertim luxuriam; in urbe fuiſſe notoriam; Cum Danielis 13. duo nequam ſenes Suſannam accuſaſſent de attentato adulterio, ait v. 27. *Nunquam fuerat dictus ſermo hujuſcemodi de Suſanna.* Plerumque enim, quanta eſſe ſolet caſtitas alicujus fœminæ, præſertim conjugatæ, tanta & talis ſolet eſſe fama; ideò de laſcivâ Magdalena erat ſermo, quod dedita eſſet luxui, &c. Scio aliquos SS. Patres de vitiis Magdalenæ loqui mitius; alios acerbius. Hoc ex initio hodierni Evangelij advertere poſſumus; luxuriam nihil facere prius, quàm ut bonam famam peſſundet; quæ tamen fœminarum & Virginum pulcherrimum eſt ornamentum.

Ideò

§. 3. *Quæ mulierum & Virginum pulcherrimum eſt ornamentum.*

Ideò Sponſus ad Sponſum dixit Cant. 6. verſ. 3. *Pulchra es amica mea, ſuavis & decora, ſicut Jeruſalem.* LXX. legunt. *Pulchra es proxima mea, ſicut beneplacitum.* D. Ambroſius, *Formoſa es, ut bona opinio.* q. d. cœleſtis Sponſus; amica mea, illa pulchritudo tua mihi placet, quod nemo de te loquatur mala, vel malè, optima omnium opinio te facit formoſam & decoram. D. Ambr. l. 1. de Virgin. *Non caduci itaque corporis pulchritudo, vel morbo peritura, vel ſenio; ſed nullis obnoxia caſibus, opinio bonorum, nunquam moritura meritorum, Virginibus eſt decori.* Utrum Virgines, Viduæ, Conjugatæ, in urbe hâc Bambergenſi, hoc ſenſu, ut nullus de illis hujuſcemodi audiatur ſermo, ut de omnibus omnium ſit bona opinio, ſint formoſæ, an verò turpes, veſtrum ſit judicium. Eſt locus pro variis invectivis.

§. 4. *Luxuria ſecum trahit plura ſcelera.*

Dicitur Magdalena fuiſſe peccatrix; Serarius in Cat. græca D. Lucæ. *Vtpote non uni, ſed omnibus peccatis, adeoque fornicationi obnoxia.* Rarò enim luxuria ſola, ſine aliis, & gravibus ſceleribus in animo hominis regnare conſuevit: Ita ſe ipſos depingunt luxurioſi Sapientiæ 2. cap. v. 8. *Coronemus nos roſis. - nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, - opprimamus pauperem juſtum, & non parcamus viduæ*, &c. Expende ordinem 1. dant ſe luxuriæ, & deliciis, exinde in ſcelera præcipitantur graviſſima. S. Auguſtinus ſer. 146. de temp. *Ex hac autem enumeratione libidinum, & putredinum, videte in quæ facinora, & in quàm immania ſcelera proſilitur! Omnia horrenda facinora, quæ timentur, in ſceleratis hominibus, videte de qua labe conſurgant. Quid mollius quàm illa luxuria? quid durius quam illa crudelitas?* Sed quonam abripitur filum meæ concionis? quod ſi ſequar, illa invectiva erit, in gravia ſcelera; non vero Panegyris feliciſſimæ pœnitentis, qualem vobis promiſi;

§. 5. *Laudabile eſt in*

Aggredior itaq; alteram citati v. 37. ex cap. 7. partem S. Lucæ, illa mulier, vel peccatrix, ſive Magdalena *ut cognovit, quod* Chriſtus

 Dominus

Magdalena quòd converſa ſtatim confugerit ad IESUM.

Dominus à quo in auditione concionis, cor ejus immutatum fuerat *accubuiſſet in domo Phariſæi*; ſubito ſurrexit, quæſivit illas ædes, neque acquievit, donec venit in ejus conſpectum. Puto ſpiritum ſanctum ſtatim à concione Magdalenæ injeciſſe hanc cogitationem ex v. 6. Pſalmi 33. *ſurge - accede ad eum, & illuminabere, & facies tua non confundetur.* Ubi D. Laur. Juſtin. libro de diſplic. & perfectione mon. c.16. ſic loquitur. *DEI Spiritu exuberans canit Propheta dicens, Accedite ad eum &c. Nam ſemper præſto & cæleſtis Majeſtas, latiſſimo ſuæ charitatis melliſluæ gremio fovere ad ſe accedentem. Propterea divinam quisquis propitiam cupit habere munificentam; ad ipſam accedat credendo, & de ipſa præſumat amando. Nam potius amore, quàm timore capitur, & potius devotione, quàm mœrore mulcetur.* Nunquam quiſquam, qui humiliter ad DEUM acceſſit, confuſus receſſit: humilis & amans acceſſus ad Chriſtum Redemptorem, peccatorum veniam obtinet infallibiter. Ut de Juda proditore D. Aſterius ſer. de pœnit. auſus fuerit dicere; *Si ſui carnifex non fuiſſet, ſi ad genua accedens miſericordiam deprecatus eſſet; veniam, quæ omni pœnitenti conceditur, conſecutus fuiſſet.* O miſerabilis Juda! cur ad infamem arborem mortis, & non potius ad lignum vitæ, ad arborem Crucis in montem Calvarium, & ad pedes JESU Crucifixi confugiſti? Prudens fuit Magdalena; licèt eſſet peccatrix; JESU præſentiam, quem offenderat, non ſubterfugit, non exhorruit, non fugit; ſed dolorem plagarum ſentiens, quæſivit, & maluit cœleſti medico turpia vulnera oſtendere, quàm tegere, & tegendo perire. D. Aſterius ſupra. *Attende mulierem peccatricem; cui convivarum numerus pudorem incuſſit; quæ tempus confitendi; licet importunum, in convivio non reliquit; ſed ingenti commota dolore, ne uno quidem temporis momento, medicũ peccatorum dimiſit.* Et eodem momento etiam præſto fuit Divina Jeſu majeſtas, quæ latiſſimo melliſluæ caritatis gremio fovit ad ſe accedentẽ. Magdalena credendo, & amando multa præſumpſit de infinita ejus bonitate; & ita ſubito propitiam habuit Divinam munificentiam. Magdalena amore potius, quàm timore cepit Jeſum: fuit hic delectatus ejus lachrymis, gemitibus

Digitized by Google

gemitibus, &c. Sed magis ejus devotione & fiduciâ. Gratulemur Auditores Magdalenæ; ſurgite quoque ejus exemplo, & JEſum accedite,&c Fiet,ut cum Magdalena exclamemus aliquando; laudemus amorem! amemus JEſum.

Hoc quoque eſt admirabile & laudabile in S. Magd. quod vix cœperit amare ſuum Redemptorem, & ſubitò tam ardenter amaverit, ut ipſe Chriſtus D. teſtimonium perhibuerit, quod *dilexerit multum!* Viciſſim ipſe S. Brigittæ revelavit, ſibi tres in mundo animas fuiſſe cariores, nempe SS. Matris, S. Joannis Baptiſtæ, & pœnitentis Magdalenæ. Et proinde miſericordiam fuit conſecuta, & in ipsâ primâ oſtendit Chriſtus Jeſus ſuam patientiam, divitias gratiæ, theſauros bonitatis, ad infirmitatem eorum, qui credituri ſunt ad vitam æternam; & qui veram pœnitentiam ſunt acturi, ut cum Magdalena diligant multum! Arbitror ego, Chriſtum D. hoc revelaſſe pro peculiari ſolatio pœnitentiam peccatorum, ut ſciant, quod licet peccaverint, poſſint nihilominus eſſe objectum peculiariſſimi amoris, dummodo, quamprimum, ut cognoſcunt, ſe eſſe peccatores, ut agnoſcunt, ſe Deum & ſummum bonum offendiſſe, ut cognoſcunt, ſe Dei inimicos, ut agnoſcunt, ſe perdidiſſe gratiam, & poſt mortem ſe deturbandos ad inferos; Ex alterâ parte, ut cognoſcunt infinitam piiſſimi Jeſu miſericordiam, &c. Si inquam peccatores talia cognoſcant, & cum Magdalena confugiant ad pedes Jeſu; non eſt quod timeant. Agendum porro eſt, quod egit Magdalena.

§. 6. Laudabile quoque eſt, quod initio converſionis Chriſtum D. amaverit ardentiſſimè; & ita ab eodem fuit redamata.

Admiſſa ad pedes Jeſu, retro in terram ſe dimiſit, cum profundiſſimâ reverentiâ; *Quantum enim pœnitentes, per humilitatem ſe dejiciunt, tanto amplius* (S. Ambr. in Apoc. c. 5.) *in amore ejus exardeſcunt: quia humilitas, quæ fit in conſpectu Dei, nutrit amorem.* Dion. Carthuſ. in S. Lucam. *Quamvis contactu pedum Chriſti, ſe judicaret indignam, tamen magnitudine dilectionis victa, ſe cohibere nequivit.* Sic perge Magdalena. *Vis, ut tibi propinquet DEus?* quærit S. Auguſtinus; & reſpondet, *humilia te.* O Magdalena! vis ut cœleſtis Medicus ſanet vulnera tua? humilia te, &c.

§. 7. Quod eligent ex humilitate, pedes Domini.

Digitized by Google

§. 8. *Quod copioſè fleverit. Unde lachrymarum copia?*

Humiliata ſic atque inclinata ad pedes, ſive retro pedes Jeſu incipit pœnitens peccatrix amariſſimè flere. Alias frequenter cymbæ mearum concionum navigant in dulciſſimo lachrymarum mari, unum aut alterum ſanctorum Patrum dictum modò præterire non poſſum. Unde quæſo, in recenter converſa tantus amor? tanta dilectio? ut illa ab ipſo DEO & æternâ ſapientiâ pronuntietur *multa & magna*? à ſponſo, *fortis ut mors*? lachrymas Magdalena effudit, & de imbre lachrymarum non miror, quod creverit in immenſum dilecti amor. Ita ſenſit Drogo l. de ſacr. Paſſ. *Ad lavanda ſui Domini veſtigia, non alias, quàm oculorum ſuorum undas attulit; tunc verò ubi affectus vehementior incanduit; & exuberavit carbo larchymarum imbre reſperſus fortius exarſit.* Puto vos advertere ſimile, quod latet. Ut aurifaber carbones magis accendat, aſpergit illos guttis aquæ; Sic exardeſcunt magis; hoc contigit ſanctæ Mariæ Magdalenæ; quò magis flevit, eò fortior facta eſt dilectio. Quot lachrymæ, tot novæ ſcintillæ.

§. 9. *Proſecutio.*

Joannis 20. verſ. 13. cùm Magdalena in ſepulchro non reperiiſſet corpus Domini ſui, amaras cœpit lachrymas profundere, ut Angeli quæſiverint, *Mulier, quid ploras*? Ubi Haymon pulchrè advertit; *quod illis verbis non minuerint Magdalenæ lachrymas, ſed plures & majores extorſerint - ſicut enim nos, cùm propter charorum amiſſionem flemus, ſi quis nos fletus cauſas inquirat, fletum magis accumulat; ita & illi cauſas doloris interrogabant, ut fletum augerent.* Itaque non miremur, Magdalenam tam copioſas effudiſſe lachrymas, ut iiſdem potuerit rigare pedes JEſu; cauſa fuit ipſe JEſus, quem ardentiſſimè amabat. Cauſa fuit JEſus, quem ſciebat ſe offendiſſe, & de offensâ hâc acerrimè dolebat. Cauſa fuit, quod contriſtaſſet dilectum ſuum. Magdalena, quid ploras? quæro Auditores, non ut lachrymas minuam, ſed majores extorqueam. Magdalena, quid ploras? ſcio me interrogare, non ut lachrymarum fluxum ſiſtam, ſed ut fluant uberius. Magdalena, quid ploras? ceſſent gemitus, ceſſent deſideria, ceſſent lachrymæ! ſed ſcio, ideo tales affectus exardeſcere magis. Magdalena, quid ploras? quæro hoc, ut triſtiſſimum pœnitentis cor amaritudine majori repleatur.

Digitized by Google

pleatur. Quæſtione hac in memoriam illi revoco, quod animam ſuam, tam nobile pignus, & quâ ipſi nihil præſtantius à DEO datum eſt, tot graviſſimorum ſcelerum mole oneraverit, imo quod maximum eſt, ſuum Dominum CHRISTUM JESUM offenderit. Magdalena, quid ploras? unde tot lachrymæ, unde tanta illarum ubertas & copia? inde, quia amor, quo ardet, his lachrymis fit ardentior: lachrymæ illum accendunt: ignis verò auget lachrymas. Neſcio quid dicam; an Magdalena ſit felicior, quod tam ardenter amet? an quod ubertim ploret? Dicam, fuiſſe felicem flendo, & fuiſſe felicem amando.

De Anna matre Samuëlis dicitur l. 1. Reg. c. 1. v. 10. *Cùm amaro eſſet animo, oravit ad Dominum, flens largiter.* Gen. 37. v. 4. Jacob ob Joſephum, quem putabat occiſum, adeò flevit, *ut conſolationem noluit accipere,* imò dixit, *deſcendam ad filium meum lugens in inferno.* Anna mater Tobiæ cap. 10. verſ. 4. *flevit irremedialibus lachrymis.* Quare copioſas lachrymas effuderit pœnitens David, teſtatus eſt v. 7. Pſ. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Thren. 2. verſ. 19. ait Jeremias: *Conſurge, effunde ſicut aquam cor tuum, ante conſpectum Domini: leva ad eum manus tuas.* Et quid miramur, Magdalenam ad pedes JEſu laxaſſe lachrymis habenas? amaro inprimis fuit animo, adeò ut nullibi reperiret conſolationem, niſi in lachrymis, & apud dilectum cordis ſui: aliud dolor ejus non admiſit ſolatium. Ita flevit, ut dicere poſſet, lachrymis meis lavabo pedes JEſu! effudit cor ſuum ſicut aquam ante conſpectum Domini. Quia copioſam eſſe voluit ſuam ſatisfactionem, copioſam etiam obtulit lachrymarum irrigationem. Aſpergere tantùm volui aliquam partem hujus concionis aliquot guttis lachrymarum, & adverto illam irrigari; accedo ad alios verſus ex hodierno Evangelio.

§. 10. *Alia lachrymarum cauſa.*

Capillis capitis ſui tergebat eos. Cùm jam copioſis pedes lachrymis irrigaſſet, aureos capitis ſui capillos diſperſit ſuper illos, ut illis quaſi linteo eoſdem extergeret. Fecit hoc prudentiſſima pœnitens variis de cauſis. 1. Nautæ olim, poſteaquam

§. 11. *Irrigatos pedes deterſit.*

Digitized by Google

quam aliquod maris periculum evaſiſſent, domum reduces, in gratiarum actionem Diis pro victimâ obtulerunt capillos. In maximo tempeſtuoſi maris periculo fuit Magdalena; Ex eodem à Chriſto D. erepta, gratitudinis ergo ejus p[illegible]es deterſit capillis. 2. Sic in illâ impletus fuit verſus 22. Pſ. 67. *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Ambulavit diu Magdalena in gravibus delictis, vanitate capillorum, veluti laqueo multos irretiens: inimicus Chriſti diabolus, per capillos Magdalenæ multas animas ſubjugavit; Sed ecce dum proſternitur ad pedes Jeſu; ipſa de diabolo per eoſdem capillos, glorioſum agit triumphum. S. Chryſoſt. ſer. 95. *Capilli capitis ſui tergebat, ut juxta Pſalmiſtam, verticem capilli (ex quo ambulaverat in delictis ſuis) in ſanctitatem, tali verteret, ſervitute.* 3. Cant. 4. v. 9. fatetur ſponſus, vulneratum fuiſſe cor ſuum, in uno crinæ ſponſæ; ut fortius Magdalena vulneret cor JEſu, omnes capillos in aureas commutavit ſagittas. 4. Mirabile quid refert Lactantius Firmianus. Cùm Carthaginenſes milites ex mœnibus contra irruentes hoſtes fortiſſimè pugnarent, in pugnæ, fervore, rupti fuerunt multorum arcuum funes; quod cùm mulieres immixtæ militibus adverterent, mox ſuis manibus detonſos capillos, contorſerunt in funes; quo ſtratagemate cauſa fuerunt victoriæ. Similibus funibus uti voluit Magdalena, ut vinceret diabolum; nunquam amoris ſagittæ evibrantur fortius, quàm cum arcus amoris inſtructus eſt, his funibus, ſive capillis amoris. 5. De Eſthere Regina dicitur, cap. 14. v. 2. *Omnia loca, in quibus antea lætari conſueverat crinium laceratione complevit.* Quod fecit more dolentium. Nolite cogitare hoc feciſſe Magdalenam, non illa ſuos lacerando diſcerpit capillos; ut tamen oſtenderet ſe lugere; comas ſuas diſſolvit, & iiſdem pedibus Chriſti ſe alligavit. 6. De Mardochæo ait c. 4. v. 1. Eſther. *Scidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti, & in plateâ mediæ civitatis magna voce clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui. Et hoc ejulatur uſque ad fores palatii gradiens.* Talia præſtitit Magdalena. Ex concione in quâ à Chriſto D. converſa fuit, domum redux abjecit veſtimenta ſuperbiæ, & lugubri induta togâ, diſſolutis comis, currens per plateas Jeroſolymæ, oſtendit amaritudinem

Digitized by Google

dinem animæ ſuæ ; forte ſecum ipſa contulit cum Sponſa, Cant. 3. v. 2. *ſurgam & quæram quem diligit anima mea. Dicite filiæ Sion*, &c. Fortaſſis in corde ſuo dixit, O infelix Magdalena, quid egiſti ? O vani oculi mei, nunquid vos hactenus turpis amoris evibraſtis ſagittas? Capilli mei, nunquid fuiſtis laquei vanitatis, Impurum os ! ah horreo ! dum ſpurcitias linguæ meæ conſidero. Manus meæ ! nunquid plenæ eſtis ſanguine turpiſſimorum ſcelerum? Pedes mei ! nunquid ambulaſtis ſemitas iniquitatis ? Sed jam tempus eſt, ut vindictam de vobis capeſſam. Vos oculi ! pedibus Salvatoris mei aquam date. Vos capilli, eritis mantile. Tu impudicum os, ſanctiora figes oſcula. Tu lingua ; ardentiſſima proferes ſuſpiria. Vos manus arripietis flagella, virgaſque, ut cædatur ac luat petulans caro, &c. vos pedes, agite, currite ad JEſum. (exclamat S. Greg.) *quàm pulchrum Magdalena Speculum pœnitentibus. Surgite*, ait S. Bernard, *ad exemplum Magdalenæ, proſternite vos in terram, amplexamini pedes Salvatoris, lachrymis illum placare ſtudete*, &c. Si id feceritis, audietis ex ore JEſu, *remittuntur*, &c.

In epilogo ſpero vos audituros cum devotione & ſolatio id, quod refert P. Nadaſi in Anno cœleſti, feſto S. Mariæ Magd. Illum ait, qui DEO gratias agit, pro illo amore, quem piiſſimus JESUS, illi lachrymis riganti pedes ſuos, & tergenti, & oſculanti infudit ; & pro amore, quo illius pectus & totum cor implevit ; illum inquam, intercedente eâdem S. Maria Magdalena obtenturum verum pœnitentiæ donum, futurumque infallibiliter, ut expiatus in divino amore proficiat. Eja Aud. agite benigniſſimo JESU gratias pro benignis oculis, quibus eam aſpexit. Agite gratias pro illo igne, quo nigrum carbonem convertit in prunas Seraphicas. Agite gratias pro illis lachrymis, in quas vi divini amoris cor Magdalenæ fuit liquefactum ; Agite illi gratias pro ſanctiſſimis cogitationibus, gemitibus, ſuſpiriis, in quæ æſtuans & anhelans pœnitens erupit. Agite gratias DEO, congratulamini Magdalenæ pro omnibus & ſingulis actibus amoris, quibus DEO & dilecto ſuo

§. 12. *Promiſſio à DEO facta S. Mariæ Magdalenæ*

Digitized by Google

Magiſtro placuit. (Repete breviter præcipua puncta Concionis, v. g. agite gratias, pro illo ſolatio, quod reperit juxta pedes JEſu) deinde, per eosdem oculos, per eundum JEſu amorem erga Magdalenam, & Magdalenæ erga JEſum, &c. petite veram pœnitentiam, petite Magdalenæ lachrymas, &c. petite intenſiſſimum DEI amorem, & obtinebimus. Pridie hodierni feſti, S. Maria Magdalena conſpecta fuit S. Gertrudi, tot aureis floribus ſplendida, tot gemmis ornata, quot olim peccatis fuit commaculata; vidit S. Gertrudis eandem ſupplicem ad pedes JEſu pro ſuis clientibus; Eja animæ pœnitentes; animos vobis jure merito, ſtimuloſque hæc addat imago; peccaſtis cum Magdalena? cum eadem agite pœnitentiam; cum eadem procumbite in genua; cum eâdem lachrymis indulgete liberius, cum eâdem erumpite in doloris, amoriſque ſuſpiria, & quid fiet? maculæ convertentur in gemmas; remittentur peccata, cum Magdalena æternùm amabimus JEſum, & ipſe nos iterum amabit: ſumamus adhuc ſemel ferventiſſimè rogo ac obſecro illam in ſpeculum pœnitentiæ, & ſi quædam in cordibus noſtris adhuc luxuriæ, ſuperbiæ &c. ſcintillæ ardent, ſummo conemur ſtudio ut illas penitus pœnitentiæ lachrymis extanguamus, melius eſt enim hic per paucos dies imo per momentum cum Magdelena, quam in æternum in ardentiſſimis inferni flammis cum obſtinatis & obduratis peccatoribus flere ac lachrymari; ſi hoc fecerimus, audiemus quoque hanc felicem cum Magdalena vocem, *remittuntur tibi peccata tua* & ſic feliciter ad cœleſtem perveniemus patriam.

CON

Digitized by Google

CONCIO LXXVII.

FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.
Matth. 20. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

S. Jacobus per labores, tribulationes & perſecutiones, exemplo ſui Magiſtri, obtinuit coronam gloriæ cœleſtis.

§. 1. *Spinæ S. Benedicti converſa in roſas, nos docent, viam ad regnum cœlorum, eſſe ſtratam ſpinis.*

§. 2. *Paſſio non obfuit Chriſto D. Per crucem, clavos, &c. obtinuit gloriam: pari modo Apoſtoli, & S. Jacobus, &c.*

§. 3. *Quare Chriſtus D. Joannis 14. ſe vocet Viam.*

§. 4. *Cur Chriſtus D. ad alias petitiones promptiſſimus, S. Jacobo negaverit regnum.*

5. *Labores, perſecutiones, &c. Sanctis pararunt coronam cœleſtis gloriæ.*

§. 6. *Varia Corona ab Angelis oblata Martyribus, & aliis Sanctis.*

§. 7. *Coronatur illis S. Jacobus.*

§. 8. *Cur Chriſtus D. ſuis Apoſtolis inſinuaverit, ſe prius bibiturum calicem Paſſionis.*

§. 9. *Quæ connexio inter calicem & regnum.*

§. 10. *Cur primatum illis negaverit.*

§. 11. *Pulcher locus ex Tertulliano de ſpineâ Chriſti D. corona.*

§. 12. *Alius de ſanguineo ejus ſudore*

§. 13. *Cur S. Jacobus mereatur peculiarem noſtram devotionem.*

NOtum eſt generoſiſſimum factum S. Patriarchæ Benedicti, qui ut immundum ſpiritum, fœdis ſibi cogitationibus importunum, fugaret, nudo corpore inter ſpinas atque urticas ſe ſe volutavit. Non exterreant vos ſanguineæ ſpinæ in exordio meæ Panegyris, quam dicere volo glorioſiſſimo meo Patrono S. JACOBO. Spinæ illæ converſæ ſunt in roſas. Diu à morte S. BENEDICTUS ſanctæ

§. 1. *Spinæ S. Benedicti converſa ſunt in roſas.*

Virgini apparuit, totus efflorenſcentibus roſis inſignis; & undique toto corpore vernans; ſingulis roſis, alias, fœcundo ſinu fundentibus. Quo ſpectaculo, addit hiſtoria, DEUS voluit nos docere, quanto coronentur præmio afflictationes, mortificationes, & tribulationes, quibus juſti in hoc mundo exercentur, atque ad æternæ gloriæ fructum præparentur. Hoc quoque modo omnes ſancti Apoſtoli ad illam gloriam præparati ſunt; per labores, per perſecutiones, per tormenta, ſævoſque dolores. S. Jacobo caput gladio fuit amputatum; ex quo vulnere, quod ſecuris inflixit; ex quo ſanguine, qui effluxit; crevêre pulcherrimæ roſæ, quibus invictus pugil coronatus eſt in cœlis. Quomodo hanc veritatem in hodierno Evangelio Chriſtus D. ſuis Apoſtolis, præſertim Joanni & Jacobo, demonſtrarit, hâc concione prolixius oſtendam. Addam unam aut alteram cauſam, ob quam æquiſſimum eſt, ut S. Jacobum peculiari devotione veneremur. Attendite.

§. 2. Paſſio, non obfuit Chriſto Domino. Per Crucē, clavos &c. obtinuit gloriam: pari modo Apoſtoli, & S. Jacobus &c.

De Capite & Rege Martyrum, CHRISTO Salvatore noſtro eleganter dixit Theodoretus hom. de Nat. Chriſti. *Noli detrahere ejus abjectioni, qua tyrannis diabolica eſt deſtructa. Noli exprobrare, quia cæſus eſt DEus palmis, per quas à peccatis homines liberavit. Non vincula DEO dicamus indigna, quibus vincula ferarum nequitiæ ſolvit; Noli vituperare Crucem, quæ deſtruxit aras. Noli deſpicere clavos, quibus CHRISTVS orbem terrarum ad unum ſenſum pietatis infixit.* Pari ratione de membris hujus myſtici corporis, ſive Eccleſiæ, cujus caput Chriſtus eſt, & præſertim de glorioſis Apoſtolis, atque invictis Martyribus diſcurrere debemus. Ex ep. 2. ad Cor. c. 4. v. 8. Tribulationem ſunt paſſi, ſed non anguſtiati; aporiati ſunt, ſed non deſtituti; perſecutionem ſunt paſſi ad magnam gloriam, dejecti ſunt, ſed non perierunt, ſemper mortificationem JEſu in corporibus ſuis circumtulerunt; & ita vita JEſu, ejusque gloria manifeſtata fuit in mortali illorum carne. Ne quæſo iraſcamini Crucibus S. Petri, S. Andreæ, & S. Philippi; non fuſtibus & ſecuribus, quibus cæſi ſunt Thadæus & S. Matthias, non cultro,

quo

quo excoriatus fuit S. Bartholomæus; non ferro & gladio, quo glorioſus Patronus noſter S. Jacobus, cujus hodie ſolennia celebramus, fuit decollatus, non parvi æſtimetis glorioſa illorum vulnera, & ſanguinem, quem pro Chriſto effuderunt, non vos terreant carceres & vincula, quibus fuerunt ligati; non ſcorpiones & flagella, quibus cæſi ſunt. Hæc tormentorum inſtrumenta, cruces, fuſtes, cultri, gladii, flagella, ſecures, vulnera ſanguis, vincula; addita cruci, clavis, virgis, vinculis, flagellis, vulneribus, ſanguini Jeſu crucifixi Salvatoris noſtri, deſtruxerunt diabolicam tyrannidem, ligârunt dæmonem, dejecerunt idololatriam, liberarunt mundum à vinculis peccati; Deorum dejecerunt aras, illorum delubra converterunt in templa; Deo, fidei, & religioni, virtutique ſubjecerunt orbem. S. Petro, S. Andreæ, S. Philippo glorioſum fuit crucifigi, & ſancto Jacobo capite plecti fuit glorioſiſſimum.

§. 3. Quare Chriſtus D. Joannis 14. ſe vocet viam?

Ad gloriam, ad Chriſtum D. ad regnum cœlorum, alia non eſt via, quàm via tribulationis, & arcta ſemita pœnitentiæ. Joannis 14. v. 16. dixit de ſe Chriſtus Dominus, *Ego ſum via, veritas & vita.* Si vita noſtra eſt Chriſtus, ſi vivimus, quia per gratiam Chriſtum in nobis habemus, conſequenter id pendet à Chriſto D. ut per ejus gratiam deinde nanciſcamur & gloriam. Veriſſima ſunt hæc & certiſſima. S. Jacobus v. g. Chriſto D. debet, quod æternum in æternâ vitâ ſit futurus beatus. Sed cur amabo, ait æterna Veritas, ſe quoque eſſe viam? Myſterium advertit D. Leo ſer. 16 de paſſ. *Merito Dominus ipſe factus eſt via, quia niſi per Chriſtum non itur ad Chriſtum. Per ipſum autem ad ipſum tendit, qui ſemitam patientiæ & humilitatis ejus incedit, in quo itinere, nec æſtus deeſt laboris, nec procella formidinis. Ibi ſunt inſidiæ iniquorum, perſecutiones infidelium, minæ potentium; quæ Dominus Rex gloriæ, ideò omnia infirmitatis noſtræ forma percurrit, ut inter præſentis vitæ pericula, non tam optandum ſit nobis declinando illa effugere, quàm tolerando ſuperare.* In his primi Chriſti D. imitatores fuerunt ſancti ejus Apoſtoli, & inter hos glorioſiſſimus S. Jacobus; ſed via laborum, via tribulationum, ſemita patientiæ, labores, ardua itinera, ex Judæâ & Samariâ, in Hiſpanias, ex Hiſpaniis per diverſas regiones & provincias iterum Jeroſolymam, perſecutiones Regis Herodis, mors ipſa, ſecuris & gladius;

Digitized by Google

via illi fuerunt ad Chriſtum & æternam gloriam, ad regnum cœlorum. Fallitur turpiter, qui à Chriſto Domino ſummo Rege gloriæ, regnum ſperat ſine certamine.

§. 4. *Cur Chriſtus ad alias petitiones promptiſſimus, S. Iacobo negaverit regnum.*

Joannis 5. c. v. 6. Chriſtus D. ultrò ſuaviſſimis verbis quærit ex paralytico, *Vis ſanus fieri?* & dicente Matth. 8. v. 3. *Si vis, potes me mundare:* confeſtim reſpondit, *Volo, mundare.* Et aliàs frequentiſſimè ægris petentibus ſimpliciter ſanitatem, illam conceſſit. Joh. 13. v. 26. ipſe Joannes, cujus mater à Chriſto petiit regnum, in ultimâ cœnâ ab eodem petiit rem ſecretiſſimam, ſcire proditorem. *Et Joannem Dominus Jeſus* (Rupertus) *cæteris arctius diligens, aperuit illi ſecreta cœli;* reſpondit enim illi Jeſus, *ille eſt, &c.* In hodierno verò Evangelio Matth. 20. v. 21. accedit illum mater noſtri S. Jacobi & S. Joannis, & ait, *Dic, ut duo filii meï ſedeant, unus ad dexteram, alter ad ſiniſtram in regno tuo.* Quibus ſtatim ait, *Non eſt meum dare vobis, &c.* Mi JEſu! cur peregrinis tam pius es, ut poſtulata ſtatim concedas? erga tuos autem Apoſtolos tam rigidus & ſeverus, ut illorum precibus nolis annuere? Scitote, eam eſſe naturam Chriſti D. ut licet alia poſtulata concedat; regnum tamen & gloriam ſine merito, ſine laboribus, ſine certamine, ſine vulneribus & ſanguine nulla prorſus ratione cupiat impertire. Hoc bravium non niſi legitimè certantibus eſt præparatum. Talia lego apud D. Baſilium ſel. orat. 24. *Thronus laborum præmium eſt, non ambitionis donum gratuitum: ex rectè geſtis thronus comparatur. Nudam poſtulationem datio non ſequitur; monſtra meritum tuum, & meam intuere poteſtatem. Si leproſus curationem petit, &c. virtutem exero! Volo! mundare! ſi cæcus luminis orbitatem gemit; ſecundum fidem veſtram fiat vobis. Si plorat meretrix, remiſſionem concedo, ſi publicanus pectus ferit, errata non exaro. Quod ſi thronum verò quis petat, & regiam poteſtatem quærat, & ſedere ad dexteram affectet* (audin hæc glorioſe ſancte Jacobe?) *tunc quid poſſim, curioſè diſpicio, fuſum pro pietate ſudorem teſtibus repoſco. Si repererο, quod iis condignum ſit, tunc eſt meum dare; vocant enim dantis poteſtatem accipientis merita.* S. Baſilius: *Nec enim Patris eſt, temerè gratiſque talia largiri.* Gratulamur hodie Auditores ſancto Jacobo, quod beatus ſit in regno cœlorum;

lorum; ſedet in gloria ad dexteram Regis gloriæ; Sed quâ viâ ad thronum hunc conſcendit? an accepit, quia à Chriſto D. ejus mater id petiit? an ejus lachrymis Chriſtus hoc dedit? an, quia fuit ejus conſanguineus? nulla in his Deus agnoſcit merita. Laborandum illi fuit! ſudandum fuit! currendum fuit! certandum fuit. Gloria, quâ fruitur; thronus, in quo quieſcit; bravium, quod apprehendit, corona, quâ coronatus eſt; merces & præmium fuerunt laborum. Hanc viam tenuit, per Chriſtum ad Chriſtum, per crucem verò ad gloriam. *Nemo coronatur, niſi legitimè certaverit.*

§. 5. Labores, perſecutiones, &c. Sanctis pararunt coronam gloriæ.

Labores, perſecutiones, tribulationes, vulnera, purpura effuſi ſanguinis, S. Jacobo, aliisque SS. Martyribus, æternæ præpararunt gloriæ coronam. Cap. 61. v. 3. ait Jeſaias, *Vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere; oleum gaudii, pro luctu; pallium laudis, pro ſpiritu mœroris.* Voculas illas cum elegantia quadam grammaticali ſic exponunt Hebræi, *ut darem eis cidarim pro cinere.* Cidaris enim apud illos ſignificat ſertum gloriæ. Non ſine myſterio cineres in ſacris literis ſunt ſymbolum pœnitentiæ, vitæ aſperæ, mortificationis, tribulationum & adverſitatum; item laborum dolorumque, quibus juſtorum vitæ exercentur. Ita ait Jeremias Thren. cap. 2. verſ. 10. *Sederunt* (ſcilicet ſenes & principes populi Iſraëlitici) *in terra, conticuerunt aures ſuas; conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis;* in doloribus, in afflictionibus. Nunc audite quomodo à S. Joanne in Apoc. c. 4. v. 4. alii ſenes deſcribantur. *In circuitu ſedis ſedulia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes; circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Utrobique deſcribuntur ſeniores; ſed ibi, induti ciliciis! hic in candidiſſimâ fulgentes ſtolâ; ibi in capitibus habent cineres, hic aureas coronas. Accidit ſcilicet Sanctis in gloriâ; quod accidit capiti, Chriſto D. Rupertus l. 6. in Cant. *Rectè paſſio Regis dicitur purpura Regis, propter purpuram deriſoriam, quam circumdederunt ei, tanquam Regi. Nam illi quidem irridenter purpuram circumdederunt ei; ſed ille ſeriò, & purpuram admiſit, & calamum pro ſceptro ſuſcepit: quia certiſſimè per hæc fiebat, ut & in cælo, & in terra purpuram regni, & ſceptrum acciperet imperii.* Sic fit, vilis juſtorum

Digitized by Google

rum in hac vita habitus, cineres, lachrymæ, luctus, gemitus, dolores, &c. in cœlis nobis præparant coronam & gloriam, & oleum gaudii, & pallium laudis. Hanc viam tenuit Chriſtus. Tenuerunt ſancti ejus Apoſtoli, atque inter illos glorioſus S. Jacobus.

§. 6. *Variæ coronæ ab Angelis oblatæ SS. Martyribus, & aliis Sanctis.*

Illorum ſecuti ſunt exemplum alii Sancti, S. Margaretæ ſive Marinæ, poſtquam carceres, ignes, aquas, verbera ſuſtinuiſſet, in ultimo agone cœleſtis columba auream attulit coronam, & Angelorum vox inſonuit; *Marina, acceptâ coronâ incorruptionis, jam requieſce in ſæculum.* S. Roſalia, oſtio antri ſuæ pœnitentiæ, has voculas pro epigraphe inſcripſit; *Amore Domini mei*, ſive *amore ſponſi mei JEſu!* hoc amore fragrans, multis annis SS. confecit vitam, tum, ſponſi cœleſtis, ſive Jeſuli manu, ſedentis in ſinu matris, inter admirabiles blanditias, corona ex roſis contextâ, accinentibus Angelis, fuit coronata. Sed vixit tamen prius inter ſpinas. S. Euphemia V. M. ignibus fuiſſet uſta, ſerris ferreis lacerata; cum tandem, uno ferræ morſu occumberet, Angelica vox de cœlis illi accinuit, *Veni ſponſa, ad datorem coronarum.* S. Nicetus Ep. poſt graviſſimos pro Chriſto labores exantlatos in agone dixit, *Video Paulum cum Joanne B. invitantem me ad requiem ſempiternam; atque exhibentem mihi coronam cæleſtibus margaritis ornatam.* S. Demetrio Ep. Angelus imponens coronam dixit: *Pax tibi! Chriſti athleta! eſto fortis.* Equidem non me latet, audiviſſe vos, de coronis ex roſis & liliis, quibus Angelus, pennis flammeis, vultu ſcintillante ornavit S. Cæciliam ſponſam, & Valerianum ſponſum, dicens: *Has coronas corde immaculato & puro corpore cuſtodite; nunquam mareſcent à vobis, nequaquam amittent ſuavitatem odoris, neque poterunt unquam, ab aliis aſpici, niſi à caſtis.* Paſſim in vitis SS. Martyrum ſimiles reperietis coronas. Sed revertamur ad glorioſum Apoſtolum.

§. 7. *Coronatur illus S. Iacobus.*

Super S. Spei Epiſcopi caput, volitans è cœlo columba; hæc verba ſcripta reliquit, *Corona ejus pretioſa*; Ita volate, pennas columbæ aſſumite meæ cogitationes; inſidete vertici imaginis S. Jacobi, veſtris plumis hæc efformate verba, corona S. Jabobi eſt pretioſa. Hanc addite epigraphen; coronatus eſt corona incorruptionis, jam requieſcit in ſæculum. Mutate literas, ut hoc legamus lemma; S. Jacobus multa egit, multa tulit amore Jeſu! ex amore Jeſu ſangui-

ſanguinem, vitam, & caput dedit. Idem JEſus ejus caput coronavit roſis. Hic eſt dator coronarum. Eja cœleſtes columbæ, alias afferte è paradiſo roſas, ex illis has nectite voculas; Corona S. Jacobi rutilat, nitet, fulget cœleſtibus margaritis. Ex unionibus & margaritis has formate voculas; Pax tibi! gloria tibi! gaudium tibi ô fortiſſime Athleta Chriſti S. Jacobe! Nunquam illæ coronæ marceſſent, nunquam amittent odorem ſuavitatis in perpetuas æternitates. In pretioſas has coronas oculos veſtros ita conjicite Auditores, ut ſimul ſecurim & gladium, quo illas reportavit, aſpiciatis. Gladio Spiritus legitimè certavit, pugnavit, vicit! ita coronatus eſt. Quod ſi ad ſimiles anhelamus coronas, mementote, & pugnandum vobis eſſe. Quò magis tribulatio nos premit, eò amplius intuitu coronæ cœleſtis, & vehementius animari nos oportet ad virtutes; pulchritudo bravij roborabit nos in ſpe, replebit nos alacritate, & corda noſtra in caritate DEI dilatabit, ut fortiter curramus, quoad illud æternæ gloriæ bravium apprehendamus. Verùm age, iterum prodi in medium Dive mi Patrone Jacobe!

§. 8. *Cur Chriſtus D. fuit Apoſtolis, inſinuaverit, ſe prius bibiturum calicem Paſſionis.*

Inter reliqua ait Chriſtus D. ad Joannem & Jacobum in hodierno Evangelio Matth. 20. v. 22. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Perſpicuum eſt, fuiſſe locutum de calice Paſſionis; quaſi quæreret; petitis à me regnum, ſed poteritiſne prius in patientiâ ferre injurias, ſi mundus vos odio proſequatur, ſi conjiciat in carceres, ſi verbera addat verberibus, ſi flagris cædat, ſi gladios minitetur, ſi fuſtes expediat, ſi cruces erigat, ſi haſtas intentet? dicite, num hunc poteritis calicem labiis admovere? dicite, num hanc tenere ſemitam cogitatis? dicite, num iſta vobis lectio arridet? itane eſtis conſtituti, ut deſideretis multa tolerare? Jacobe mi, quid ſi neceſſe ſit fundere ſanguinem, occidi gladio, percuti ſecuri? profectò ſcias, tale abſynthium meus Pater, in calice Paſſionis propinat illis, qui æternæ regnum gloriæ ambiunt. Tale filio ſuo propinavit Jacobo! *poteriſne bibere?* Intelligo jam Chriſti quæſtionem, ſed cur addidit, *quem ego bibiturus ſum?* jam inſinuavi cauſam ex S. Chryſoſtomo ibi. *Vt communicatione laborum cum ipſo promptiores redderentur.* Hoc nimitum nos debet allicere, ut non inviti bibamus calicem paſſionis; ut gaudeamus

Digitized by Google

in tribulationibus; quia Chriſtus D. prius bibit, ipſe prius paſſus eſt; prior ſe humiliavit, propter quod DEUS exaltavit illum. Hanc viam tenuêre Chriſtus & Apoſtoli; eandem nos tenere oportet, ſi quidem aſpiramus ad regnum.

§. 9. *Quæ connexio, inter calicem, & regnum.*

† *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Petentibus regnum & principatum, calicem paſſionis porrigit Dominus. *Sed quid hic calix habet cum regno?* ait D. Baſilius Sel. orat. 24. *Mater regnum poſtulaverat; obtentu facillimè arbitrata; ſperabatque, quod petebatur, ex ſola poſtulatione rogantibus adventurum. Chriſtus Dominus verò regni acquirendi modum docebat; thronus laborum fructus eſt; via eſt paſſio, labores pro religione ſuſcepti regnum merentur.* Illos, qui anhelant ad bravium, bonus JEſus prius allicit ad curſum & certamen. Allicit, ſuo exemplo ipſe prius bibit; allicit promiſſione coronæ; allicit; proponendo hanc eſſe voluntatem Patris ſui, ut qui appetunt regnum, prius bibant calicem Paſſionis. S. JACOBE! intelligis phraſin & mentem tui Magiſtri? Vade, curre prius, & percurre terrarum orbem, & prædica Evangelium. Curre prius & percurre Hiſpanias, ut eò portes nomen JESU! Hoc ubi feceris, Hieroſolymam revertere, ut ibi pro eo percutiaris gladio. Ita coronaberis, ita regnabis, ita ſedebis ad tui dexteram Magiſtri.

§. 10. *Cur primatum illis negaverit.*

Subdit Chriſtus Dominus. *Sedere ad dexteram meam, & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis;* quibus verbis id, quod petebatur, neque conceſſit, neque negavit; ſed voluit illos manere in ancipiti; *Et ita,* (inquit S. Cæſarius Nazianc. dial. 3.) *per illos reliquos caſtigavit, & accenſum in ipſis abſurdum amorem primatus extinxit, terrore negationis.* Oſtendit illis Chriſtus Dominus regnum ſuum de hoc mundo, non conſiſtere in honoribus, ſed in abjectione, in cruce, in humilitate, &c. nec aliter conferri regnum. D. Alexandrinus l. 10. theſ. *Inani gloria moti, à dexteris & ſiniſtris, ſedere concupiiſtis; id autem dare, meum non eſt; non enim dabo morbum alicui, qui doceo atque hortor ut à morbo ca-*

bo caveat is ; Ab inani ergo Zebedai filios gloria , improbaque ambitione deterret. Non Vanitas, ſuperbia, pompa hujus mundi, &c. ſed humilitas & calix paſſionis, nos ducunt ad vitam æternam.

Lib. de cor. mil. cap. 14. quærit Tertullianus; *Chriſtus JEſus, quale oro te, ſertum pro te ſubivit? Ex ſpinis opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus Crucis, omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtunderis. Certè præter figuram, contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio; & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora, & fœdaverunt, & lancinaverunt.* Talia ſuſtinuit Chriſtus Dominus, tali in terris coronatus fuit corona. Tum Tertullianus elegantem ſubijcit ironiam. *Ito tu nunc, laurea, & myrto, & olea, & illuſtriori quaque fronde, & quod magis uſui eſt, centenariis quoque roſis ex horto Midæ lectis, & utriſque lilijs, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis forſitan & auro.; ut illam Chriſti coronam æmuleris, quæ poſtea ei obvenit*; q.d. Corona gloriæ cœleſtis, non paratur, vel nectitur ex liliis & roſis hujus mundi, ſed ex ſpinis. Pergit Tertull. *Poſt favos mella guſtavit; nec ante Rex gloriæ à cœleſtibus ſalutatus eſt, quam Rex Judæorum proſcriptus in crucem.* Ito tu, & hic guſta mel; cave, potaberis calice fellis. Cave, ne abjicias crucem; cum cruce abijcies & coronæ gloriam. Addit tandem ſeriò Tertull. *Si ob hæc caput tuum ei debes; tale ſi potes, ei tuum repende, quale ſuum pro tuo obtulit, - ſcilicet ſpinis coronatum.* Ideò S. JACOBUS dedit caput, & cum capite ſanguinem.

§. 11. Pulcher locus ex Tertull. de ſpineâ coronâ Chriſti D.

Dum ſanguinem nomino, occurrit mihi ſanguineus CHRISTI Domini ſudor, qui in monte Oliveti, in ſupremâ cum morte luctâ, non à facie tantùm, vel capite, ſed ex omnibus membris per totum corpus copioſè defluxit, & decurrit in terram. Lucæ 22. verſ. 44. quæ circumſtantia nos monet, totum Corpus CHRISTI myſticum, omniaque ejus membra non

§. 12. Alius de ſanguineo ejus ſudore

Digitized by Google

ſine ſudore, eòque ſanguineo, ſine cruce inquam, & laboribus ipſi inhærere; nec ſine his ad regnum unà cum ipſo poſſe pertingere; quod S. Petrus ep. 1. c. 4. v. 13. inſinuat illis verbis; *communicantes paſſionibus Chriſti gaudete.* Quæ verba ita legit S. Ambroſius l. 5. in c. 7. S. Lucæ. *Tinge carnem tuam in Chriſti ſanguine, ſicut ſcriptum eſt* Pſ. 67. v. 24. *Vt intingatur pes tuus in ſanguine. Et tu ergo veſtigium animi tui, & mentis inceſſum, indubitata confeſſione Dominicæ Crucis tinge. Tingis carnem tuam in ſanguine Chriſti, ſi vitia diluas, ſi peccata detergas, mortem Chriſti in tua carne circumferens.* Proinde arbitror neceſſe eſſe, ut ſi nobis quoque Chriſtus D. quæſtionem hanc proponat; *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*? Cum S. Jacobo & S. Joanne intrepide reſpondeamus, *Poſſumus.* Scio gloſſam interl. dicere, *Imperitis levius videtur, quod periti timuiſſent.* Alij tamen Interpretes putant illos intellexiſſe ſignificationem calicis, ſcilicet per illum intelligi paſſionem, & tamen uti petiverunt primatum, ita reſpondiſſe, ſe calicem hunc poſſe bibere; cùm revera id needum poſſent; ſed poſtea potuerint per gratiam Chriſti, acceptam à Spiritu ſancto in Pentecoſte. Maldonatus ibi; *Malo ego credere, nec temerè, nec inſcienter, ſed amanter & verè reſpondiſſe, ſe paratos eſſe, ut pro Chriſto morerentur, ut poſtea exitus docuit.* Ad vos ego nunc me converto Audit. O ſi ſimilis & noſtra eſſet reſponſio, *Poſſumus*! Profectò non deeſt, qui nos vice Chriſti interrogat, vel locus, vel ſocius, vel occaſio; Poteſtis bibere hunc calicem? poteſtis amore JEſu forti ſtomacho concoquere hunc bolum injuriæ? poteſtis animo patienti ferre has contumelias? hanc crucem domeſticam, & ſimilia? O Auditores, quid reſpondemus. *Poſſumus*, an nolumus: ſi volumus, poſſumus: ſi nolumus, non poſſumus. Poſſumus cum gratiâ DEI: poſſumus ſi immenſum Chriſti in nos amorem habeamus præ oculis. Poſſumus, ſi glorioſis Apolorum veſtigiis inhærere mens eſt; poſſumus, ſi nos verum tenet æternæ gloriæ deſiderium. Non coronabitur in regno gloriæ, niſi qui legitimè prius certaverit in regno miſeriæ.

Finiam

Digitized by Google

§. 13. *Cur S. Jacobus mereatur peculiarem hoſtiam venerationem.*

Finiam ſtatim, cum promiſſioni meæ in exordio factæ fecero ſatis, ſcilicet ut nonnullas afferam cauſas, quæ nobis ſuppetunt, ut glorioſum S. Jacobum peculiari quodam ſtudio veneremur. S. Gertrudi revelavit Chriſtus D. peculiariter à ſe amari S. Jacobum, ob peculiarem zelum, quo ex amore Dei dum viveret, exarſit ad ſalutem animarum, & ad perferenda pro amore Chriſti ardua quævis; æquiſſimum eſt, ut exemplo Chriſti & nos illum ſingulariter amemus. Eſt deinde ſanctus Jacobus peculiaris patronus & advocatus morientium. Hominem innocentem in furcam actum, è mortis faucibus extraxit, cum eum in patibulo mori non permiſit, ſed manifeſto miraculo vitæ, quæ perdita putabatur ab omnibus, reſtituit: Pari auxilio in ſupremo agone aſtitit Carolo Magno, aliiſq; clientibus. Itaque rogemus illum frequenter, ut ſicuti viſibilis in candido equo, fulguranti gladio, Hiſpanorum exercitum contra Mauros præceſſit, nobilemque illis obtinuit victoriam, ut ita in ultimâ luctâ, cùm contra diabolos pugnandum nobis erit, nobis adſit, ut ipſius auxilio vincamus; & ita tandem, æternùm felices, cum eodem glorioſè coronemur in cœlis.

CONCIO LXXVIII.

FESTO S. P. IGNATII, FUNDATORIS SOC. JESU.

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſuâ.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEprædicat invictam & victricem S. Ignatii patientiam, inter tot adverſitates, & perſecutiones.

Digitized by Google

§.1. *Calari, in vigilia S. Ignatii, lactens puſio, ejus promulgavit feſtum; unde ſumitur Exordium.*

§.2. *Illæ virtutes ſunt eximiæ, quæ variis probantur adverſitatibus, veluti aurum igne.*

§.3. *Ideò virtutes ſancti Ignatii, ita fuerunt probatæ, v.g. ejus patientia.*

§.4. *Ejus humilitas, manſuetudo, &c.*

§.5. *Patientia ſancti Ignatii fecit exercitia 1. à dæmonibus, veluti Jobi, ſed vicit.*

§.6. 2. *Ab hoſtibus diverſiſſimis, à quibus falsò accuſatus, conjectus in carceres, verberatus, illuſus, tamen vicit.*

§.7. 3. *Ab intentatis virgis, à Rectore Univerſitatis Pariſienſis.*

§.8. *Integra catena perſecutionum, contra S. Ignatium.*

§.9. *Lydii lapides Ignatianæ patientiæ, fuerunt ejus itinera, & modus vivendi.*

§.10. *Quantas perſecutiones ſanctus IGNATIUS pertulerit Romæ.*

§.11. *Ob quas cauſas ita fuerit probata patientia ſancti Ignatii.*

§.12. *Quod variis ſymbolis declaratur.*

§.13. *Invictam S. Ignatii patientiam animârunt cæleſtes apparitiones.*

§.14. *Præſertim illa, in quâ Chriſtus D. oneratus cruce, promiſit, ſe illi Romæ fore propitium.*

§.15. *Epilogus.*

§. 1. Calari, in vigilia S. Ignatii lactens puer fuit locutus. Unde ſumitur exordium.

RECepta tenet apud Italos, Hiſpanosque conſuetudo, ut ſolennibus ſanctorum Patronorum, præſertim Fundatorum & Patriarcharum, Religioſorum Ordinum, feſtis, vel potius pridie eorum, ingruentibus tenebris, præludatur miſſilibus ignibus, atq; pyrobolis; ut templorum turres ornentur facibus & laternis; ut vaſa illita pice accendantur, inter feſtivos tubarum, lituorumque clangores; cujuſmodi feſtos honores non rarò ipſe oculis ſpectavi, & auribus percepi. Evenit ergò Calari (teſte Eſcobar & Lancicio) ſero veſpere in vigilia S. P. Ignatii, ut cùm ex arce detonarent tormentorum tonitrua, cùm æneæ machinæ fulminarent è mœnibus, cùm aër feſtivis luceret ignibus, fœmina lactentem

lactentem geſtans in brachiis puerum, attonita tanti gaudii cauſam percontaretur. Rem miram! puſio ille, qui hactenus nullum verbum lallârat, clarâ voce reſpondit, *Craſtinâ die D. IGNATII ſolennia celebrantur.* Quæret fortaſſis nonnemo ex præſentibus, quid ſignificet inſolitus templi hujus ornatus, altariumque nitor? quid pulchro ordine diſpoſita honoris eximii emblemata? quid florida ſerta? quid triumphales arcus? Celebrantur ſancti Ignatii ſolennia. Quid Academicæ juventutis pietas atque devotio? quid ille concurrentium fervor? quid devotiſſimæ confeſſiones & communiones; quæ denique ſubeſt cauſa, quod ego hodie hanc cathedram conſcenderim? reſpondeo, ut viro ſanctiſſimo, ſancto P. IGNATIO, cujus ſolennia celebrantur, dicam panegyrin. Quod antequam faciam, breviter moneo, hanc inter ſeptem eſſe ordine quintam. *Prima* egit de viri ſancti admirabili & ſanctiſſima à mundo ad DEUM converſione; de rigidiſſimâ ejus pœnitentiâ. *Secunda* de ejus actis in monte Serrato, in antro Manreſano, in itineribus ad terram ſanctam, de reditu in Hiſpaniam. *Tertia* de variis & eximiis viri ſancti virtutibus. *Quarta* de ardentiſſimo ejus erga DEUM amore. Hæc *quinta*, invictam ejus inter graviſſimas perſecutiones patientiam, fortitudinem & conſtantiam vobis depinget. Magnus belli dux eximiam hanc virtutem, hoc emblemate oculis noſtris propoſuit. Inter duas palmas aurea in aëre rutilat corona, in cujus apice lucida fulget crucula, cum hoc lemmate, *Patientia victrix.* Talis fuit patientia virtutum regina Patris mei ſancti IGNATII; quam poſtquam demonſtravero, ſentietis, ut ſpero, una mecum, ſanctum IGNATIUM ſub vexillo & labore ſanctiſſimæ crucis fuiſſe generoſiſſimum ac fortiſſimum militem & ducem; cujus proinde ſolennia hodiernâ die in Eccleſiâ, jure merito ſolenniſſimè celebrantur.

§. 2. Illa virtutes ſunt eximia, quæ variis probantur adverſitatibus.

Inter Chriſtianas virtutes, eminet patientia; & eò magis, quò amplius in gymnaſio tribulationis, in ſcholâ adverſitatum, variis exercitiis, & diverſis exercetur. In fame, ſiti, frigore, nuditate, in carceribus, in vinculis, in perſecutionibus, in periculis probatur

Digitized by Google

probatur pulcherrimè. Talis diſcipulus in ſcholâ crucis, in theatro patientiæ, jucundiſſimum Deo, Angelis & hominibus eſt ſpectaculum. Eximia virtus eſt humilitas, ſoror patientiæ; ſed tum illa vernat inſtar amœniſſimæ roſæ, cum in horto & regno tribulationis, in quo nihil coronat, niſi quod pungit, variis eſt cincta & circumſepta ſpinis. Ita Regis dolorum, qui de ſe dixit, ego ſum humilis corde, verticē ſpinæ coronarunt. Amabilis virtus eſt manſuetudo; eò amabilior, quò magis Lydio lapide ſanctæ crucis probatur; tum manſuetudo & benignitas Chriſti D. maximè patuit, cum in cruce oravit pro inimicis. Tam atrocia tormenta manſuetiſſimam ejus patientiam labefactare non potuerunt. Heroica virtus eſt amor crucis, ſive ſitis quædam, & accenſum quoddam deſiderium agendi & patiendi multa & ardua pro Chriſto & DEO: Sed tum majorem meretur commendationem, cum non tantùm inter cancellos affectuum incluſa continetur; ſed opere ipſo agit fortia, & ardua patitur. Illa eſt victrix patientia, quæ cum Chriſto alligata ad columnam, cùm illo coronata ſpinis, cùm illo affixa cruci, cum Jobo ait; *Sit nomen Domini benedictum*; vel cum regio Pſalte, *Ego in flagella paratus ſum*; vel, *Fiat voluntas Domini, ſicut in cœlis, ita in terris.* Talis inquam victrix eſt patientia & triumphat!

§. 3. *Ideo virtutes S. Ignatii adeò fuerunt probatæ, v. g. ejus patientia.*

Ob hanc cauſam ego eximias ſancti Ignatii virtutes magni æſtimo. Facio magni ejus patientiam, in gymnaſio virtutum, in ſcholâ ſanctiſſimæ crucis, tam variis modis exercitam atque probatam. In nuditate; nam divites veſtes cum pauperis veſte commutavit, & vili ſacco indutus nudis pedibus perrexit ad montem Serratum. In fame & ſiti; ſiquidem per multos dies fruſto panis, & hauſtu aquæ vixit contentus. In doloribus; ob cilicia, ferreasque catenas, quibus aliquoties de die & nocte in corpus ſuum uſque ad vulnera, uſque ad ſanguinis effuſionem deſævit. Patientia ſancti Ignatii exercita fuit in carceribus & catenis, coram diverſis tribunalibus, inter graviſſima convitia & atroces calumnias. Ignatius! ille impoſtor, ille juventutis ſeductor! ille hypocrita! ille hæreticus, graviſſimorum ſcelerum reus; ſic de eo ſentiebant & loquebantur malevoli. Nihilominus carcerem, vincula, catenas, calumnias, accuſationes, opprobria riſit, contempſit & vicit, victrix ſancti Ignatii patientia.

Digitized by Google

tientia. Ita Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Europæ, Angelis Deo jucundiſſimum S. Ignatius in theatro patientiæ præbuit ſpectaculum.

Æſtimo magni S. Ignatij Hiſpani herois profundiſſimam humilitatem; & eò magis eſt æſtimanda, quia vernans fuit roſa, cincta ſpinis. Roſa fuit S. Ignatius, ob roſeam purpuram & ſanguinem nobiliſſimæ in Cantabriâ proſapiæ. Roſa fuit ob amabiles gratias à naturâ illi collatas. Roſa fuit ob odorem & fragrantiam pulcherrimarum virtutum. Roſa fuit ob floridam ætatem; Roſa ob amœna folia honorum & divitiarum, Roſa, plena ſpe magnorum titulorum & dignitatum, ad quas excelſus ejus animus, per heroicorum factorum gradus, aſpirabat. Talis roſa fuit S. Ignatius in hoc mundo, ſive in aulâ potentiſſimi Regis Hiſpaniarum, à quo dignus fuit habitus, qui regni Navarræ metropolim & arcem Pamplonæ contra ingentem Gallorum exercitum propugnaret. Verùm roſa hæc in hortum crucis tranſplantata, cincta & circumdata mille ſpinis tribulationum, longè facta eſt pulchrior, atque amœnior; ad illud culmen perfectionis aſcendit profunda S. Ignatij humilitas, ut quidquid pungeret, læderet, ureret, cruciaret, victrici illi humilitati & patientiæ dulce omninò, & delectabile videretur. In hoc mundo aliam deinde coronam non ambiit, quàm ſpineam; ne ſub vulnerato capite ſui Regis Chriſti membrum eſſet delicatum. Pari modo reliquæ virtutes S. Ignatij; manſuetudo, amor crucis, conſtantia, fortitudo, variis modis, Lydio lapide S. crucis, fuerunt comprobatæ; quod ex hiſtoriâ ejus vitæ magis in particulari patebit. *§. 4. Ejus humilitas, manſuetudo, &c*

Ut DEus olim oſtenderet mundo, quanta eſſet patientia Jobi, ſatanæ tradidit poteſtatem illum vexandi, quantum luberet; quod & fecit; ſed nihil tamen potuit contra ejus patientiam proficere. Job plenus ulceribus à plantâ pedis uſque ad verticem capitis, ſedens in fimeto, jucundiſſimum invictæ patientiæ ſpeculum, alia verba non protulit quàm hæc, *ſit nomen Domini benedictum. Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Nomen Domini ei fuit ſolatio, ab hoc robur ſuſcepit, quo ejus patientia vicit & triumphavit contra ſatanam. Hoc eodem lapide probatus fuit fortiſſimus adamas invictæ patientiæ S. Ignatij. Primi & atrociſſimi ejus *§. 5. Patientia S. Ign. fuit probata à dæmonibus, veluti Jobi, ſed vicit!*

 perſe-

perſecutores fuerunt dæmones; dedit illis DEus quandam poteſtatem vexandi S. Ignatium, ad exagitandam ejus patientiam; ideo horrendis ſpectris illum frequenter terruerunt; in primâ converſione, horrendo terrore, motu & fragore ejus cubiculum concuſſerunt; vidi meis oculis in arce Lojola relictas in feneſtris rimas. Non rarò, jacentem nocte ante Venerabile Sacramentum, in ardentibus precibus magno agmine illum circumdederunt, latrantes ut canes, ſibilantes ut ſerpentes, rugientes ut leones, mugientes ut tauri; Ignatio perſeverante in oratione. A minis perventum fuit ad verbera, cum baculis & fuſtibus infernalia illa ſpectra illum exceperunt, ſed alias voces non extorſerunt, niſi has, *Mi JEſu! mi JEſu!* Hoc dulce nomen S. Ignatio fuit clypeus, ſub quo contra averni monſtra delituit ſecurus. Dulciſſimum & auguſtiſſimum JESU nomen fuit illi gladius, quo victrix patientia vicit dæmones. Hoc nomen deinde illi fuit igneum flagellum, quo ipſe dæmones in obſeſſorum corporibus flagellavit. A fortiſſimo nomine JEſu! ſumpſit robur, quo vicit potentiſſimos hoſtes. Nomen hoc Ignatio & ejus Societati fuit & eſt fortiſſima turris, contra quam hactenus portæ inferi non prævaluerunt.

§. 6. *Ab hoſtibus diverſiſſimis, à quibus falsò accuſatus, conjectus in carceres &c.*

Et quia dæmones ſoli patientiam Ignatij labefactare non potuerant, alios inſuper hoſtes in auxilium evocarunt; hæreſin, mendacia, odia, calumnias diverſiſſimorum hominum; Compluti præſertim, tum & hodie in nobiliſſimâ Hiſpaniæ Univerſitate, altiores inciperet claſſes frequentare; excitavit enim diabolus nequam & malevolos homines, qui ejus famam cavillis proſcinderent, & coram ſacris fidei Quæſitoribus accuſarent veluti hæreticum & veneficum, ſic ut brevi temporis ſpatio ter citatus ad inquiſitionem, per dies quadraginta publicis fuerit incluſus carceribus, donec & viri innocentia, & calumniarum atque injuriarum in lucem prodiêre. Compluto vir innocentiſſimus abiit Salmanticam, ad alteram celeberrimam in Hiſpania Univerſitatem; ob eaſdem criminationes mox iterum gravi onuſtus catenâ in carcerem conijcitur, verùm & hæc catena fuit Lydius lapis, quo aurum patientiæ, & innocentiæ Ignatij, repertum fuit optimum. Evanuêre falſæ criminationes, vicit patientia S. Ignatij. Fuerunt, qui illi impegerunt

colaphos,

Digitized by Google

colaphos, qui truſerunt pedibus, verberarunt baculis, qui irriſerunt ut ſtultum, fuit, qui globo voluit trajicere, niſi cœleſti voce fuiſſet conterritus, Quò tendis infelix? fuit qui in faciem illi diceret, *dignus es publico incendio, qui comburaris vivus*; immota manſit Ignatij patientia; ut auditus fuerit dicere, ardentiſſimis ex accenſo pectore vocibus; non eſſe excogitabiles falſas criminationes, non eſſe ullibi tot carceres, & catenas, non eſſe tot tormenta, quin plura & majora, ad majorem DEI gloriam pro Chriſto, ferre & tolerare deſideret. Eja adoleſcentes amantiſſimi, cur arcubus, columnis, altaribus, quæ in honorem S. Ignatij erexiſtis & ornaſtis, cur hujus emblematis fuiſtis immemores? eja adhuc nectite coronam, formate in illa Crucem, addite hanc inſcriptionem, *Victrix Ignatij Patientia*!

§. 7. Ab immentatis virgis, in Univerſitate Pariſienſi.

Ex Hiſpaniis venit in Galliarum Metropolim, ad Univerſitatem Pariſienſem. Hic ob pijſſimos mores, ob templorum frequentationem, ob frequentem Sacramentorum uſum, ob raram in divinis devotionem, ad quam alios nobiliſſimos adoleſcentes ſecum pertraxit, coram Univerſitatis Rectore accuſatus fuit, adoleſcentum ſeductor, & hypocrita, condemnatur triginta aliquot annorum vir, & homo Hiſpanus ad publicam virgarum pœnam; quas lubens tuliſſet, niſi putaſſet fore ad majorem DEI gloriam ſuam innocentiam admirabili quâdam in verbis manſuetudine, in moribus humilitate, in factis gravitate propugnare; id quod & fecit tam feliciter, ut Rector Univerſitatis, vir maximæ auctoritatis, ad victricis patientiæ pedes ſe abijciens, erroris veniam, attonitâ præſenti juventute demiſſiſſimè efflagitaverit.

§. 8. Catena perſecutionum, contra patientiam S. Ignatij.

Fuerunt nihilominus, qui Ignatio impegerunt alapas & colaphos; ut hos ſine impatientiæ motu, & vindictæ deſiderio patienter ferat Nobilis & Heros Hiſpanus, prout tulit ſanctus Ignatius, ut inquam hoc fiat ſine ingenti gratiæ miraculo, mihi nullo modo perſuadere poſſum. Fuit, qui paucos illi furatus eſt nummos; at qualem hic egit triumphum patientia & charitas ſanctiſſimi Ignatii? cùm intellexit illum ægrum alibi decumbere, eò advolavit, ut illi inſerviret, & inſerviit quam diligentiſſimè dies & noctes.

 O victri-

Digitized by Google

O victricem patientiam! quam fortiſſima tot adverſitatum catena ligare non potuit! quot ejus annuli, tot Lydij lapides, qui probarunt Ignatij patientiam, fortitudinem, & conſtantiam nullâ adverſitate potuiſſe labefactari.

§. 9. *Lydij lapides Ignatianæ patientiæ, fuerunt ejus itinera & modus vivendi.*

Probatio Chriſtianæ patientiæ, ſive Lydius lapis, eſt vita rigida & aſpera; & qualis fuit vita S. Ignatij, ſive modus vivendi? ſubucula ejus fuit horridum cilicium; veſtis exterior ſaccus ex canabe, pileus, intonſa cæſaries; locus habitationis, xenodochium, vel antrum aut cavea tenebroſi ſaxi; lectus, terra; cervical, durus lapis; ſocij, cum quibus converſabatur, mendici, & ægri; cibus & potus, panis & aqua. Intra viginti quatuor horas diei & noctis, ſeptem ſolidas flexis humi genibus impendit orationi; ter quotidiè horridâ catena in ſe ſævijt uſque ad ſanguinem; ſomnus illi fuit duarum vel trium horarum, cum ingenti corporis defatigatione, ob continua ſuſpiria & gemitus, ob lachrymarum copiam, ob alios corporis dolores & incommoditates. DEum bonum! quot inſignia patientiæ objecta! Et hæc in arduis & longiſſimis itineribus, ex Hiſpania in Galliam, ex Gallia in Belgium, ex Belgio iterum in Hiſpaniam, iterum ex Hiſpania, per Galliam & Germaniam, in Italiam; indè in Palæſtinam, pauper, hinc omni viatico, nudis pedibus, in fame, ſiti, per pericula, terrâ, marique, in naufragiis, per mille rerũ diſcrimina. An non dicemus, hæc itinera, hunc modum vivendi, fuiſſe ſtadium, per quod Ignatius cucurrit ad bravium victricis patientiæ. Verbo, vita Ignatij fuit pati! & tolerare aſpera pro Chriſto.

§. 10. *Quantas perſecutiones S. Ignatius invicto animo pertulerit.*

Ex Palæſtinâ coactus fuit Romam repetere, hoc eſt, præcipuum Ignatianæ patientiæ & fortitudinis theatrum, dum Societatis à ſe inſtitutæ à ſacrâ Apoſtolicâ Sede rogavit confirmationem. Dici non poteſt, quâ curâ & ſollicitudine, inquiſitum fuerit in ejus vitam, doctrinam, mores, ſocios, ab Epiſcopis, ab Inquiſitoribus fidei, à Cardinalibus, à ſeculari Magiſtratu, à diverſorum Ordinum Religioſis, à vulgo & plebe, eò curioſius, quod contra Ignatium, falſæ quidem, ſed atrociſſimæ ſpargerentur fabulæ; ab hæreſi ex Aquilone, à calumniis ex Occidente; ex Gallia & Hiſpaniâ; fugitivum, graviſſimorum ſcelerum reum; damnatum ad ignes, evaſiſſe ex illis regnis; proinde infamibus

flammis

Digitized by Google

flammis combuſtam ejus effigiem. Et quid non mendax excogitavit invidia? donec rem Deo ita dirigente, urbi & orbi patuit Ignatii innocentia? donec omnia vicit victrix ejus patientia; nimirum tot mendacia, tot calumniæ, tot criminationes, &c. fuerunt pulcherrima folia, & flores, quibus cœlum illi pulcherrimum cœleſtis gloriæ ſertum contexuit.

Fuit S. Ignatius arbor bona; verùm cum *arbor ſolida non ſit*, teſte Seneca de Provid. c. 1. *nec fortis, niſi frequens illam ventus aggrediatur; ut iſtâ vexatione conſtringatur, & radices certiùs figat;* Ob hanc cauſam ſanctum Ignatium ejusque Societatem ita vexari oportuit. Lucidiſſima fax fuit ſanctus Ignatius; ita debuit ventillari, ut clariores ſcintillæ pulcherrimarum virtutum promicarent, ſic ſplenduit clarius. Sol fuit ſanctus Ignatius: debuit obduci nubibus, ut clarius & ſerenius rutilaret. Roſa fuit Ignatius: cingi debuit ſpinis, ut eſſet formoſior. Thus fuit ſanctus Ignatius, debuit injici prunis; ſic ejus odor fuit fragrantior. Adamas fuit; percuti debuit, ut conſtaret frangi non poſſe invictam, & victricem patientiam ejus. Nihil Ignatio nocuerunt tot adverſitates; preſſêrunt illum nonnihil, non oppreſſerunt; depreſſerunt, ut magis erigerent. *§. 11. Ob quas cauſas ita fuerit probata S. Ignatii patientia.*

Quod viri docti doctiſſimis ſymbolis conati ſunt exprimere. Meo judicio benè fecit, qui militari vexillo lacero appoſuit hoc lemma, *Jam ſe formoſius ipſo eſt.* Tale labarum plenum foraminibus ſignum eſt, quod laceratum fuerit in præliis ab hoſtilibus globis; ideoque pulchrius eſt. Fundavit ſanctus Ignatius minimam Societatem Jeſu, veluti fortem & pugnatricem cohortem, in ordinatâ acie militantis Eccleſiæ, ſub Duce & Rege Jeſu Chriſto. Pro vexillo & labore filiis reliquit victricem patientiam; eò pulchriorem, quò magis laceram. Bene fecit, qui depinxit ſolem, contra quem ejus inimici & oſores, filii hujus ſæculi & tenebrarum, evibrant ſagittas, quæ incaſſum emiſſæ ſuper illorum capita recidunt, cum hac inſcriptione, *Solem nulla ſagitta ferit.* Talis ſol fuit victrix patientia ſancti Ignatii; cui nulla ſagitta nocere potuit. Sunt flores, qui virent pulchrius, ubi prius pedibus fuerint conculcati. Talis flos fuit patientia Ignatii; addite has voculas, *Calcata vireſcit.* *§. 12. Quod variis ſymbolis declaratur*

 Cant.

Cant. 8. v. 7. teſtatur ſponſus, quod charitatem ſponſæ aquæ multæ non potuerint extinguere. Idem dici poteſt de patientia ſancti Ignatii, & illud Hugonis Victorini; tam vehemens fuit flamma, tantus ignis, tanta ſitis patiendi in ſancto Ignatio, ad majorem DEI gloriam, ut ignis ille (muto nonnihil verba citati Auctoris) accenſus fuerit in aqua, arſerit in turbine, lucem pulcherrimam ſparſerit in oculo, in carceribus, in antris, in xenodochiis. Ignis ſancti Ignatii fuit ardor Divinæ dilectionis, qui accenditur in aquâ compunctionis, ardet inter turbines tribulationum. Damianus Card. ſer. 21. rem his verbis exponit. *Mens viri fortis* (dicamus hodie ſancti Ignatii,) *quaſi igne ſuccenſa materies, quò plus adverſitatum ventis impellitur, in amorem DEI ardentius inflammatur.* Hinc illud ſymbolum; *ignis ab aere ventilatus*, cum inſcriptione, *ſpirantibus auris:* Talis fuit Divi mei Patriarchæ patientia! profecto crevit ſpirantibus auris. Videbatur omnes è carcere ſuo ventorum furias Æolus emiſiſſe; conjurabant omnes perſecutionum procellæ in unum ignem, in ſanctum Ignatium; ſed crevit ſpirantibus auris. Omni ex parte ſpirarunt venti calumniarum, Auſter & Africus, Eurus & Vulturnus; convitia & contumeliæ, flagella & & verbera; carceres & compedes; omnes inferni prodierunt, ut hunc ignem ſanctum Ignatium extinguerent; at fruſtra! crevit ſpirantibus auris.

§. 13. Invictam S. Ignatii patientiam animârunt cœleſtes apparitiones.

Monet me clepſydra, ut vobis oſtendam fontem, ex quo patientia ſancti Ignatii tantum hauſit robur, quo confortatus tot vicit perſecutiones; quo confirmatus, gaviſus fuit, ſe pati contumeliam pro nomine JESU. Ego arbitror, unum ex præcipuis fontibus fuiſſe cœleſtes viſiones & apparitiones Chriſti & B. Virginis; quarum numerus in Actis publicis & Hiſtoriâ Vitæ numerum trigeſimum excedunt. Contigit in initio converſionis, quod inter aſſultus dæmonum & carnis, B. VIRGO illi obtulerit amplexandum JESULUM. Contigit, quod eadem mater pulchræ dilectionis illi apparens, eundem recrearit dono Angelicæ caſtitatis, extincto fomite libidinis. Contigit, quod laſſo in itinere ſe comitem adjunxerit CHRISTUS Dominus, & quid miramur, in itineribus invictam fuiſſe ejus patientiam? Contigit, quod in ſacrificio

ſacriſicio miſſæ, ſub accidentibus Hoſtiæ Chriſtum Salvatorem præſentem fuerit intuitus. Frequenter B. Virgo adhærens ejus lateri, dictavit illi libellum exercitiorum & conſtitutionum. Contigit teſte Lancicio, quod apparuerit illi Spiritus ſanctus in cœleſti claritate & flammâ igneâ, Chriſtus Dom. in ſpecie luciſſimi ſolis. Quid miramur, has flammas & luces, hos ardores & ſplendores in illius pectore accendiſſe illam ſitim patiendi ardua ad majorem DEI gloriam. Omitto modò ſimiles viſiones complures.

§. 14. *Præſertim illa, in quâ Chriſtus D. oneratus cruce promiſit ſe illi Romæ fore propitium.*

Omnium celeberrima fuit illa, in quâ in itinere Romano, in vetuſto ſacello, in quod oraturus ſe receperat, aperto cœlo, in conſpectu æterni Patris vidit Chriſtum Salvatorem oneratum prægrandi ligno crucis, & loquentem inaudiit: *Ego vobis Romæ ero propitius.* Memini, me ante triginta aliquot annos pulcherrimum de hâc apparitione audiviſſe diſcurſum. Dicebat nobilis concionator, colligere nos poſſe ex hâc apparitione, omnes tres Perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis, partim ſub corporeis & viſibilibus ſpeciebus, partim inviſibiliter, peculiari tamen modo in terris fuiſſe præſentes ſancto Ignatio; & ideo ex ipſo fonte Divinitatis ſingularia in Ignatium derivata fuiſſe ſolatia, quibus recreatus par fuit tolerandæ omni adverſitati: Sed occurrit hæc difficultas. In picturâ, in quâ apparitio hæc oculis noſtris ſpectanda proponi ſolet; videmus ſanctum Ignatium abjectum in genua. Videmus inter nubes in ſolio majeſtatis ſuper alas Cherubin reſidentem Patrem cœleſtem; videmus in aëre Chriſtum oneratum cruce, & ſpinis coronatum. Ecce Patrem! Ecce Filium! ſed quænam nobis occurrit imago vel ſedes Spiritus ſancti? ſub quâ formâ, quo modo, vel ubi, Spiritus ſanctus peculiariter illi adfuit? Scio axioma illud Theologicum, *Ubi Pater eſt, & Filius, ibi eſt & Spiritus ſanctus.* Scio ſanctum Ignatium fuiſſe plenum gratia, ſcio arſiſſe ejus pectus flammâ Divini amoris; ſcio cordi ejus flammeis literis fuiſſe inſcriptum nomen Jeſus! ubi eſt gratia, ubi amor, ubi Jeſus, ibi eſt Spiritus S. Verùm hæc aliis Sanctis ſunt communia; aſt quid peculiare quæro in S. Ignatio; & puto me reperire illud in viri ſanctiſſimi oculis; ex quibus, cum continuæ & copioſæ fluxerint lachrymæ; quas defluxiſſe putamus in

his

Digitized by Google

his apparitionibus, cum v. g. vir ſanctus Jeſum ſuis ulnis fuit amplexatus, &c. & præſertim, cum Chriſtus D. oneratus cruce, coronatus ſpinis illi apparuit: enim verò tum & adfuit Spiritus S. At quomodo viſibilis? Gen. 3. v. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Optimè! oculos! oculos D. Ignatii videamus, ſtillant continuò lachrymis; pleni ſunt aquis, fluctuant in iis amoris & doloris undæ; ſigna manifeſtiſſima præſentiæ Spiritus ſancti. Hic viri ſanctiſſimi oculis incubuit; hic illos ſuis aliis obumbravit, in his fuit peculiaris habitatio Spiritus S. Hic Spiritus! Ignatii oculi! ardens ejus cor! ejus charitas & dilectio! ejus zelus pro animarum ſalute, & Dei gloriâ; peculiaris præſentia Perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis; victricem Ignatii patientiam animârunt. Perge Ignati! per ſpinas, per ſaxa, per tribulationum fluctus, qua re majorem Dei gloriam; Jeſus erit tibi propitius, ſanctiſſima ejus crux, & ſpinea corona ſunt pignus promiſſionis. Opponet ſe orcus! perge! Jeſus erit propitius; innatat tuis oculis Spiritus S. imò, habitat in corde tuo, & cum illo, id, quod eſt dulciſſimum in ſanctiſſima Trinitate. Ob hanc dulcedinem, non ſenties ſpinas. Perge Ignati! opponet ſe forſan hæreſis; perge! ſpiritus ubi vult ſpirat; perge Ignati, vult in te ſpirare Spiritus S.; ut per te, tuosque ſodales exſpiret hæreſis. Occurret catenato perſecutionum agmine comitata calumnia; perge Ignati. Victrix evadet tua patientia. Ne metuas:

Tandem bona cauſa triumphat,
Tandem patientia vincet,
Tandem ruet hoſtis in orcum.

Tu verò genuina D. Ignatii ſoboles, Societas Jeſu, perge cum glorioſo parente; utere eodem, quo & ille uſus eſt ſcuto; pectus tuum loricâ patientiæ muni. Victrix fuit patientia parentis; victrix erit patientia ſobolis. Perge, & quod cœpiſti, certa bonum certamen, curſum conſumma, fidem ſerva; & de reliquo tibi quoque repoſita eſt corona gloriæ, quam tibi ſub illuſtri ſui nominis vexillo militanti reddet benigniſſimus Jeſus, Amen.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXIX.

FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit.

Joan. 12. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN primâ parte deſcribitur atrocitas ſupplicij, quo ſanctus Laurentius laureolam martyrij obtinuit. Altera pars eſt quædam continuatio materiæ in concione feſti S. Jacobi pertractatæ, nimirum S. Laurentium per has flammas factum eſſe pulchriorem, & glorioſiorem. Tertia pars nos monet, ut ſi non corpore, ſaltem corde ardeamus, flammâ amoris erga Chriſtum D. Hic amor nos reddet beatos.

§. 1. *Exordium ſumitur à themate Concionis.*

§. 2. *Roma gentilis vidit unum Mutium Scævolam.*

§. 3. *Roma Chriſtiana multos tales vidit Heroës. Martyrem Anonymum.*

§. 4. *Procopium; S. Eulaliam. S. Chriſtinam.*

§. 5. *Præſertim S. Laurentium.*

§. 6. *Martyrium ejus eleganter deſcripſit S. Auguſtinus.*

§. 7. *Ejus atrocitas & diuturnitas ex S. Leone.*

§. 8. *Iterum ex S. Auguſtino.*

§. 9. *Oſtenditur per ſimilia, tribulationem prodeſſe virtuti, per quam fit pulchrior & glorioſior.*

§. 10. *Senſus literalis horum verborum ex Cant.* Murænulas aureas faciemus tibi.

§. 11. *Senſus myſticus.*

§. 12. *Sumitur inde cauſa, ob quam placuit Chriſto D. S. Laurentium aſſari ignibus.*

§. 13. *Tribulatio dedit illi ſceptrũ, & coronam gloriæ.*

§. 14. *Amor erga Chriſtum animavit S. Laurentium.*

§. 15. *Vt diligendo & amando rapiamus bravium cæleſtis gloriæ.*

§. 16. *Epilogus.*

Digitized by Google

§. 1. *Exordium ſumitur à themate Concionis.*

CItata à me verba ex cap. 12. S. Joan. v. 24. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, &c. S. Aug. D. Chryſoſt. Beda & alij, intelligunt de Chriſti paſſione & exaltatione. Nam, ut ex omnium ore ait S. Auguſt. *Ipſe Dominus JEſus fuit granum mortificandum in infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide populorum:* ac ſi dixerit Dominus; ſicut granum frumenti, niſi ſepeliatur in terrâ, moriatur, & putrefiat, fructum non profert; ſepultum verò ac mortuum, plura ex ſe grana progignit; ita & mortem me nunc obire, & in terrâ ſepeliri oportet, ut qui non niſi mediocrem diſcipulorũ manum adhuc mihi adjunxi; in mortis meæ præmium, opulentiſſimam à Patre hæreditatem gentium, quæ in me crediture ſunt, nanciſcar. Quibus verbis Chriſtus Dominus nos docet; ſine adimpleta conditione ſuæ paſſionis & mortis, nihil de mundi redemptione, nihil de nominis inde ſecuturâ exaltatione fuiſſe ſperandum; ſicut de grano frumenti, non ſeminato neque mortuo, ſed in horreis aſſervato, nulla ſegetis ſpes relinquitur. Unde ſapienter à Toleto & Maldonato fuit obſervatum, aliud eſſe granum in terram cadere; & aliud in illâ mori; atque ita Chriſtus per primum ſignificavit ſuum in uterum Virginis deſcenſum in Incarnatione; per grani verò mortem expoſuit ſuam paſſionem, quæ præter Chriſti adventum adhuc fuit neceſſaria, *Nec enim nobis naſci profuiſſet, niſi mortuus eſſet.* Non quia non potuiſſet DEus abſque Chriſti paſſione, & mundum ſalvum facere, & Filium ſuum glorioſum reddere, ſed quod divino decreto id eſſet diſpoſitum, ut Chriſtus D. ſuâ morte, & mundi ſalutem, & nominis clarificationem obtineret. Ho ſenſus omnes SS. Martyres fuerunt grana frumenti, atque inter illos S. Laurentius, quod in hac panegyri fuſius oſtendam.

§. 2. *Roma gentilis vidit unum Mutium Scævolam.*

Heroicum factum Q. Mutij Scævolæ, quo Romam, dilectam ſuam patriam ab ingenti periculo liberavit, nullus Livio deſcripſit elegantius, lib. 1. Dec. 1. *En tibi Mutius! ut ſentias quàm vile ſit corpus ijs* (quam nihil curent omnis generis tormenta, & cruciatus) *qui magnam gloriam petunt. Dexteram accenſo ad ſacrificium foculo, injicit; quàm cum velut alienato à ſenſu animo torreret; propè attonitum miraculo Rex, à Sede proſiliit, & amoveri juvenem juſſit*, &c. Hoc

Idem

Digitized by Google

Idem facinus ita commendat Seneca ep.66. *Ego dubitem, quin magis laudem truncam illam & retorridam manum Mutij, quam cujuslibet viri fortiſſimi quodcunque facinus. Flammarum contemptor, manum ſuam in foculo diſtillantem perſpectavit, donec Porſenna gloriæ invidit, & ignem invito eripi juſſit.* Longum eſſet recenſere illas laudes, quibus Poëtæ Mutium ob hoc factum celebrarunt, unicum Martialis dyſtichon omittere non poſſum.

Quod niſi rapta foret nolenti, pœna, parrabat,
Savior in laxos ire ſiniſtra focos.

Addit Valerius M. l.3. c.3. *Nullum profectò Dij immortales, admotum aris cultum, attentioribus oculis viderunt.* §. 3.

Unum Scævolam vidit gentilis Roma; facta Chriſtiana plurimos tales ſpectavit heroës. S. Chryſoſtomus oratione de S. Bartholomæo ſatis commendare non poteſt invictum illum Chriſti Athletam, qui manum ſupinam, thure plenam, foculo aræ impoſito; à violentis tortoribus immiſſam, nunquam invertit, ne decidente in prunas thure, ſacrificaſſe videretur. Addit S. Baſilius in concione de eodem Martyre, quod inter uſtulatæ manus cruciatus ſuaviſſimè cecinerit illas Davidis voces, ſive initium Pſ.17. v.35. *Benedictus Dominus DEus meus, qui docet manus meas ad prælium.* atque ita, pugil hic, ardente dexterâ, de palmâ gloriæ avulſit ramos, ex quibus SS. Angeli victori pulcherrimi præpararunt coronam triumphi. Tert. in apol. c.50. *Dexterā ſuam libens in ara reliquit.* O ſublimitas animi!

Roma Chriſtiana multos ſpectavit ſimiles heroes. Martyrem Antiniũ.

Procopius, purpuratus Chriſti athleta, thus manu excipere, illudque prunis ardentibus ſuſtinere juſſus, tyranni vim & dolum ita eluſit; manum immotam lento igni aduri paſſus, ne qua maledicentiæ daretur occaſio, ac ne vox, ne animus deeſſe videretur, interea dum arderet, ſtillaretque manus, accinuit illud Davidis ex Pſ.72. v.24. *Tenuiſti manum dexteram meam; Et in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Verùm, *quot tales heroes ſpectavit Roma Chriſtiana* (ait Minutius in Octav. num. 68.) *qui non dexteram ſolum, ſed & totum corpus uri, cremari, uſtulari, ſine ullis ejulatibus pertulerunt; etiam imbelles Virgines & fœminas?* S. Eulalia, cùm ei ardentes tædæ, & funalia, juſſu Daciani, toto corpore admoverentur, dixit.

§. 4. *S. Procopium. S. Eulaliam S. Chriſtinā.*

jam aſſum eſt corpus meum; vires tamen mihi minimè deficiunt; Tyranne! jube ut aſpergar ſale, ut cœleſti Sponſo cibus ſapidus ſim. Qualis heroina! S. Chriſtina (Surius 24. Julij) tota in flammas abitura dixit; *Satiare miſer; carnem & corpus meum urere potes; ſed ut impietati conſentiam, hoc efficere non potes. Accende rogos; inter flammas Chriſtum credo.*

§. 5. *Præſertim S. Laurentium.* In hoc invictiſſimorum Martyrum choro, qui per ignes & flammas martyrij laureolam obtinuerunt, primatum ducit glorioſiſſimus S. Laurentius, id eſt, ſi literæ hujus nominis nonnihil transponantur, *lauro nites*, O glorioſiſſime Martyr, cogitate vos illum intueri, toto corpore ſuper ardentem craticulam extenſum; ferreis catenis alligatum & perpendite quàm ipſi vile fuerit ſuum corpus; quàm forti & generoſo animo tantos contempſerit cruciatus, quia ad magnam gloriam aſpiravit, non dexteram, ſed totum corpus voracibus flammis conſecravit. Miraculo hoc, & fortitudine tantâ attonitus ſtetit tyrannus Valerianus. S. Laurentius non unum membrum, ſed collum, ſed humeros ſed caput, ſed dorſum, ſed latera, ſed manus ac pedes, ſed totum denique corpus in ferreâ & ignea erate, cruore diſtillantia perſpectavit Contemptor flammarum! Chriſtianus Scævola! imò Scævola fortior! Nullum hactenus ſacrificium Altiſſimo oblatum, attentioribus oculis conſpexerunt Angeli. Et ne vox, aut animus deeſſe videretur, ipſum tyrannum ad epulas invitat, *Aſſatum eſt corpus, verſa & manduca.* Quis non exclamet cùm Tertulliano, *O ſublimitas animi!* Ita, probatio conſtantiæ S. Laurentij, in fide & amore Chriſti, inventa eſt multò pretioſior auro, *quod per ignem probatur in laudem*, Ex ep. 1. S. Petri c. 1. v. 7.

§. 6. *Martyrium S. Laurentij eleganter deſcripſit S. Auguſtinus.* Crudeliſſimum S. Laurentii martyrium eleganter deſcripſit S. Auguſtin. ſer. 1. de S. Laur. *Non enim S. Laurentius brevi vel ſimplici paſſione perimitur; nam qui gladio percutitur, ſemel moritur; qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur: hic autem longâ & multiplici pœna cruciatur. Dicitur enim ab illo ſæviſſimo perſecutore, hac in Laurentio conſtituta pœna, ut ardentium expoſitæ maſſa carbonum, inſuper cum ferrea crate diſtentum, lenta flamma conſumeret; ut non tam inflammando citò interimeret hominem; quàm diu exurendo torqueret; ita ut cum unum latus exuſtum perſecutor cerneret, aliud latus ignibus obijceret exurendum.*

Hanc

Digitized by Google

Hanc circumſtantiam crudeliſſimi & longiſſimi Martyris adverti S. Leo. in natali S. Laur. dum ait: *Fremit prædo fruſtratus & ardeſcens renuntiare Chriſto Laurentium jubet, & ſolidiſſimam illam Levitici animi fortitudinem diris parat urgere ſuppliciis; quorum ubi prima nil obtinent, vehementiora ſuccedunt laceros artus, & multâ verberum ſectione conſciſſos, ſubjecto præcipit igne torreri, ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in ſe haberet urendi, converſorum alternâ mutatione membrorum fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Nihil obtinuit, nihil proficit ſæva crudelitas! ſuperari charitas Chriſti flammâ non potuit; ſegnior fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit. Aucta fuit palma, dùm exaggerata fuit pœna. Inſtrumenta ſupplicii tranſierunt in honorem triumphi!* §. 7. Ejus atrocitas & diuturnitas ex S. Leone.

Ne putetis eſſe finem martyrii. Iterum (ait ſanct. Aug. ſer. 30. de Sanctis.) *Beatus Laurentius - ſolutis catenis - in dorſum ſupinus vertitur, & renes ejus ignibus exuruntur;* Colligo ex his verbis S. Aug. S. Laurentium primum prono corpore, facie & pectore, totoque corpore antrorſum fuiſſe poſitum & extenſum ſuper craticulam; deinde fuiſſe poſitum ſupinum, ut ita impleretur Pſalmi prophetia, Pſ. 25. v. 2. *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.* Duplici ſe poſtulat igne comburi. Nam ſi de ſolo mundi igne loqueretur, ſufficeret renes tantum exurendos incendiis obtuliſſe. Cor autem, niſi flamma Chriſti non urit. Ita quoque S. Laurentii dum iterum, iterumque, & magis, & diu tortus eſt, palma & triumphus redditus fuit pulchrior & glorioſior. §. 8. Item ex S. Aug.

Palma quo magis premitur, eò magis erigitur. Laurus eò formoſior viret, quò major eſt aëris inclementia. Delphinus eò hilarius ludit in mari, quò tempeſtas eſt ferocior. Quò magis ſæviunt venti, eò altius evolat aquila; quò impetuoſius in procelloſo mari ſe ſe erigunt fluctus, eò ſublimius elevant navim. Thus injectum igni, fragrat fragrantius. Roſa redolet ſuavius, ſpirante aquilone, vel dum contunditur in mortario. In agro & horto Eccleſiæ invicti Chriſti Martyres, &c. quò magis oppreſſi fuerunt à tyrannis, eò altius ſe ſe erexerunt. Quò major fuit perſecutionum inclementia & rabies, eò pulchrius viruerunt laurea illorum ſerta. Immerſi fuerunt §. 9. Oſtenditur per ſimilia, tribulationem prodeſſe virtuti, per quam fit pulchrior & glorioſior.

fuerunt in mare tribulationum: ſed inter fluctus luſerunt veluti delphini, tumultuati ſunt venti eò ſublimius cœleſtes aquilæ evolarunt. Injecti ignibus, aduſti facibus, toſti in ſartaginibus, roſæ illi Paradiſi fragrarunt fragrantius. Talis palma, talis laurus, talis delphinus, talis aquila, tale thus, talis roſa fuit S. Laurentius. Per crudeliſſimum ſupplicium invicta illius virtus reddita eſt pulchrior, apparuit glorioſior.

§ 10. *Senſus literalis horum verborum ex Cant. Muranulas aureas faciemus tibi.*

Dum ſponſus in Canticis cap. 1. agit de exteriori ornatu ſponſæ, de aurato veſtitu, de calceamentis filiæ Principis, &c. inter alia v. 10. ait ad illam: *Muranulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* 1. Pro murænulis alii legunt *catenulas*, vel pro auribus, vel pro collo. 2. Alii legunt *funiculos*, at quale hoc ornamentum? 3. Dulces ſunt hi funiculi, cum pleni ſunt unionibus, ideo 4. alii legunt *margaritas.* Quales catenæ etiam Principum & Regum colla ſolent ornare, ut conſtat ex cap. 41. Geneſis. Ex cap. 8. Judicum. Ex cap. 5. Danielis, & aliis Scripturæ locis. Septuaginta Interpretes cit. verſum ſic legunt, *Similitudines* (ſive imagines) *auri faciemus tibi.* Sic videmus, ex auro & gemmis formari columbas, aquilas, leones, agnos, & aliarum rerum ſimulachra, corcula, ſagittas, flores, præſertim roſas, lilia; ex auro, ſaphyris & adamantibus, aliiſque pretioſiſſimis gemmis. Pia eſt hæc animæ devotæ conſideratio, quæ ait, cœleſtem ſponſum per murænulas & ſimilitudines, ſive aureas imagunculas intellexiſſe cruculas; quo ſenſu ſponſus voluit dicere: Amica mea, inter ornamenta colli & pectoris tui, deſidero videre pretioſam cruculam, permitto, ut illam exornes ſimilibus floſculis ex auro & gemmis. Et ego ipſe providebo, ego ipſe talia tibi ornamenta conficiam. Hæc ad literam.

§. 11. *Senſus myſticus.*

Senſum myſticum exponunt ultimæ voculæ citati verſus; *Vermiculatas argento.* Septuaginta legunt: *Cum variis notis ſive ſtigmatibus argenti.* Philo Carpathius hic. *Quæ quidem ſtigmata ac notæ, flagella & tormenta pro Chriſto Jeſu paſſa apertiſſimè declarant.* Quo etiam ſenſu ſanctus Paulus ad Galatas dixit cap. 6. verſ. 17. *Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* Sanctus Chryſoſtomus in c. 9. ad Gal. *Non dixit habeo, ſed porto, tanquam aliquis de trophæis glorians, ſigniſque regalibus.* Ita in aulis Regum primarii proceres

Digitized by Google

proceres palam portant aureas catenas, vel imagines à Regibus oblatas, in ſignum peculiaris favoris & honoris, quo affecti ſunt. Itaque ſtigmata JEſu, id eſt, vulnera, tormenta, dolores, afflictiones, cruculæ, præcipuum ſunt ornamentum, ſive margaritæ aureæ, ut alii legunt pro murænulis; animæ ſanctæ, quibus veluti ſponſa à cœleſti ſponſo coronatur. Id agnovit ſanctus Ignatius Martyr, Ep. ad Epheſios, *Is* (ſcilicet Chriſtus) *eſt gloriatio mea; denique indeficientes meæ divitiæ, & ſpirituales margaritæ ſunt illa vincula, quæ è Syria Romam uſque circumfero.*

Jam intelligo cauſam, ob quam Chriſto D. placitum fuerit, ſanctum ſuum Laurentium aſſari ſuper craticulam; Murænulas, torques, aureas cruculas, gemmeos floſculos, pretioſas margaritas, quibus ornare voluit cœleſtem invicti Martyris coronam, pulchriores & pretioſiores reddidit per hoc incendium. Ideo ejus fuit gloriatio Chriſtus. Indeficientes ſancti Laurentii divitiæ; theſaurus ejus cœleſtes margaritæ, fuerunt carbones illi, qui ſubſtrati aſſandum uſtularunt. *Ideo* (S. Baſilius de Barlaam Martyre) *flagella loco gaudii duxit; flagellis ſe tanquam roſis impeti arbitratus: pericula calcavit, carbones ſenſit, ac ſi ſuper roſis tripudiaret. Carceris clauſura, quaſi prato quodam viridi oblectatus eſt; tormentorum adinventionibus, veluti floſculis circumdatus eſt.* Hi floſculi, quibus ornari debuit corona S. Laurentii, probari, & pulchriores debuerunt fieri per ignem. Ut dicere liceat de S. Laurentio, quod S. Chryſoſtomus dixit h. 8. de laud. S. Pauli; *Non minus plagis ſuis gaviſus fuit, quam regiis triumphis; livoribus, quos ei verbera intulerunt, gloriatus fuit quaſi quibuſdam coronis; ſqualore carceris, ſive in accenſa craticula, ut paradiſi amœnitate fuit gaviſus.*

§. 12. *Sumitur inde cauſa, ob quam Chriſto D. placuit S. Laurentium aſſari pruni: Tribulatio illum circumdedit floribus & roſis.*

Varias ſæpe per legi cauſas, ob quas cœleſtis Sponſus afflictam Sponſam comparaverit in horto ſuo lilio, & quidem inter ſpinas. Cant. 2. v. 1. ubi Chaldaica Paraphraſis ait; *comparata ſum lilio*, quod germinat inter ſpinas, à quibus perforantur & rumpuntur folia ejus. Sed in c. 6. v. 29. S. Matthæi, legite quid Chriſtus D. dicat, *Nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* S. Amb. l. 3. Exam. c. 8. *Rex opulentiſſimus & ſapientiſſimus inferior judicatur, quàm hujus floris pulchritudo eſt, etiam inter ſpinas:* ob quã cauſam fortaſſis auctor

§. 13. *Tribulatio dedit ſceptrum & coronam gloriæ.*

naturæ

Digitized by Google

naturæ pulcherrimum hunc florem, per modum regii ſceptri efformavit; ut per hoc intelligamus; pungi ſpinis, pati pro Chriſto, Laurentium jacere ſuper prunas; idem eſſe ac regio ſceptro à cœleſti ſponſo coronari: Fallor, niſi ob eandem cauſam, genæ ſponſæ comparantur fragmentis mali punici, Cant. 4. v. 13. qui fructus à natura pulcherrimâ ornatus eſt coronâ, ut nos moneat, tribulationes pro Chriſto perperpeſſas v. g. S. Laurentii carbones, prunas, craticulam; omnium dolorum inſtrumenta, in pulcherrimas fuiſſe coronas converſa.

§. 14. *Amor erga Chriſtum animavit S. Laurentium, in quo præſertim cum illo ardere debemus.* Tantæ gloriæ ſpes tantò magis animavit S. Laurentium, quo erat ardentior ejus in Chriſtum D. amor. S. Aug. ſupra cit. *Hoc igne beatus Laurentius accenſus, flammarum non ſentit incendium: & dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœnam non ſentit.* Tum inopinatam affert quæſtionem; Quis nolit ad horam uri Laurentii igne ut æternum gehennæ non patiatur incendium. Verum! O S. Auguſtine, quis non horreat craticulam ſancti Laurentii? quem non terreant iſtæ prunæ? Reſpondet ad ſolatium noſtrum. *Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu; non ſubjicit mihi perſecutor ignem, ſed ſubjicit mihi deſiderium Salvatoris. Oremus igitur fratres,* (ſer. 30. de Sanctis) *beatum Laurentium, qui dum fide ſuâ perſecutoris flammas vicit; oſtendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia ſuperare, & amore Chriſti diem judicii non timere. Nos verò fratres dilectiſſimi, ſi ad conſortium SS. Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcere.* S. Chryſoſt. hom. 11. in Ep. ad Hebr. *Potes tu quoque ſi velis tale offerre ſacrificium, etiamſi igne non comburaris, ſed potius alio igne, ut puta, igne paupertatis voluntariæ, igne afflictionis, igne patientiæ in laboribus, &c.* & præſertim igne ardentis amoris erga Chriſtum D;

§. 15. *Ut diligendo & amando rapiamus bravium cœleſtis gloriæ.* Cap. 3. Cant. v. 9. ait: *Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media caritate conſtravit, propter Filias Jeruſalem.* Affectuoſiſſimè ſuper hæc verba ait ſanctus Thomas de Villa Nova ſer. 1. in Quadrageſima. *O Domine, quàm pulchrum eſt ferculum!* (quàm dilecta tabernacula tua; quemadmodum deſiderat cervus, &c.)

vus, &c.) *ſed aſcenſus arduus; quis aſcendet per illum?* aſcenſus, quo S. Laurentius aſcendit, fuit ignea craticula; egone potero ſuſtinere tale incendium. Pergit vir ſanctus. *Sed nolite diffidere; nam media charitate conſtravit; propter filias Jeruſalem, tenellas & delicatas, ſanguinem in charitatem, crucem in amorem commutavit. Non exigitur hodie à te Chriſtiane mors, non ſanguis, non ſupplicia; ama, & regna. Quid facilius quàm amare? O quàm conſtrata eſt via, & quam plana, ut diligendo pervenias, quo pervenit Laurentius patiendo.* Scit DEus regni vias ſuis fidelibus accommodare; ubi novit fortes, validoſque athletas, Laurentios; perſecutiones permittit, ut per ferrum & ignem, rapiant bravium æternæ beatitudinis. Ubi delicatas teneraſque ſuorum mentes prævidet, quidquid ſanguinolenti belli eſt, facit ceſſare, ut amando & diligendo ipſi quoque fiant beati.

Nunc itaque victor triumphat in cœlis Laurentius. Meritò triumphas Lauro immortali coronate Levita ſanctiſſime! bonum certamen certaſti; curſum conſummaſti, fidem ſervaſti! an non bonum certamen, quo ignem tormentorum omnium atrociſſimum, ſuperaſti; an non felix curſus, qui per ardentes prunas incitatus, terminum tenuit, & bravium cœleſtis gloriæ; an non fides eximia? quæ etiam in flammis probata, nec colorem perdidit, nec conſtantiam. Triumpha nunc igitur glorioſè; at dum triumphas, hoc unum precor, noſtræ quoque infirmitatis memor, Patronus ad DEI thronum accede; & geminam nobis gratiam, quam potes, exora. Altera eſt, ut fœdos libidinum ignes, quibus mundus prope totus jam paſſim inflammatus videtur, nobis liceat evadere; altera, ut terribiles illas damnatæ æternitatis flammas, à noſtris capitibus per tuam interceſſionem avertat Divina Clementia, Amen! §. 16. *Epilogus.*

naturæ pulcherrimum hunc florem, per modum regii ſceptri efformavit; ut per hoc intelligamus; pungi ſpinis, pati pro Chriſto, Laurentium jacere ſuper prunas; idem eſſe ac regio ſceptro à cœleſti ſponſo coronari: Fallor, niſi ob eandem cauſam, genæ ſponſæ comparantur fragmentis mali punici, Cant. 4. v. 13. qui fructus à natura pulcherrimâ ornatus eſt coronâ, ut nos moneat, tribulationes pro Chriſto perperpeſſas v. g. S. Laurentii carbones, prunas, craticulam; omnium dolorum inſtrumenta, in pulcherrimas fuiſſe coronas converſa.

§. 14. *Amor erga Chriſtum animavit S. Laurentium, in quo præſertim cum illo ardere debemus.*

Tantæ gloriæ ſpes tantò magis animavit S. Laurentium, quo erat ardentior ejus in Chriſtum D. amor. S. Aug. ſupra cit. *Hoc igne beatus Laurentius accenſus, flammarum non ſentit incendium: & dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœnam non ſentit.* Tum inopinatam affert quæſtionem; Quis nolit ad horam uri Laurentii igne ut æternum gehennæ non patiatur incendium. Verum! O S. Auguſtine, quis non horreat craticulam ſancti Laurentii? quem non terreant iſtæ prunæ? Reſpondet ad ſolatium noſtrum. *Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu; non ſubjicit mihi perſecutor ignem, ſed ſubjicit mihi deſiderium Salvatoris. Oremus igitur fratres,* (ſer. 30. de Sanctis) *beatum Laurentium, qui dum fide ſuâ perſecutoris flammas vicit; oſtendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia ſuperare, & amore Chriſti diem judicii non timere. Nos verò fratres dilectiſſimi, ſi ad conſortium SS. Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcere.* S. Chryſoſt. hom. 11. in Ep. ad Hebr. *Potes tu quoque ſi velis tale offerre ſacrificium, etiamſi igne non comburaris, ſed potius alio igne, ut puta, igne paupertatis voluntariæ, igne afflictionis, igne patientiæ in laboribus, &c.* & præſertim igne ardentis amoris erga Chriſtum D;

§. 15. *ve diligendo & amando rapiamus bravium cœleſtis gloriæ.*

Cap. 3. Cant. v. 9. ait: *Ferculum ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media caritate conſtravit, propter Filias Jeruſalem.* Affectuoſiſſimè ſuper hæc verba ait ſanctus Thomas de Villa Nova ſer. 1. in Quadrageſima. *O Domine, quàm pulchrum eſt ferculum!* (quàm dilecta tabernacula tua; quemadmodum deſiderat cervus, &c.)

vus,&c.) *ſed aſcenſus arduus; quis aſcendet per illum?* aſcenſus, quo S. Laurentius aſcendit, fuit ignea craticula; egone potero ſuſtinere tale incendium. Pergit vir ſanctus. *Sed nolite diffidere; nam media charitate conſtravit; propter filias Ieruſalem, tenellas & delicatas, ſanguinem in charitatem, crucem in amorem commutavit. Non exigitur hodie à te Chriſtiane mors, non ſanguis, non ſupplicia; ama, & regna. Quid facilius quàm amare? O quàm conſtrata eſt via, & quam plana, ut diligendo pervenias, quo pervenit Laurentius patiendo.* Scit DEus regni vias ſuis fidelibus accommodare; ubi novit fortes, validoſque athletas, Laurentios; perſecutiones permittit, ut per ferrum & ignem, rapiant bravium æternæ beatitudinis. Ubi delicatas teneraſque ſuorum mentes prævidet, quidquid ſanguinolenti belli eſt, facit ceſſare, ut amando & diligendo ipſi quoque fiant beati.

Nunc itaque victor triumphat in cœlis Laurentius. Meritò triumphas Lauro immortali coronate Levita ſanctiſſime! bonum certamen certaſti; curſum conſummaſti, fidem ſervaſti! an non bonum certamen, quo ignem tormentorum omnium atrociſſimum, ſuperaſti; an non felix curſus, qui per ardentes prunas incitatus, terminum tenuit, & bravium cœleſtis gloriæ; an non fides eximia? quæ etiam in flammis probata, nec colorem perdidit, nec conſtantiam. Triumpha nunc igitur glorioſè; at dum triumphas, hoc unum precor, noſtræ quoque infirmitatis memor, Patronus ad DEI thronum accede; & geminam nobis gratiam, quam potes, exora. Altera eſt, ut fœdos libidinum ignes, quibus mundus prope totus jam paſſim inflammatus videtur, nobis liceat evadere; altera, ut terribiles illas damnatæ æternitatis flammas, à noſtris capitibus per tuam interceſſionem avertat Divina Clementia, Amen! §. 16. *Epilogus.*

CONCIO LXXX.

FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.

Cant. 6. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Duplicem proponit comparationem inter ſolem & MARIAM aſſumptam ad cœlos; ut pateat, quanta ſit ſublimitas & altitudo Marianæ gloriæ ſuper omnes reliquos Sanctos, & Angelos.

§. 1. Exaltata eſt ſancta DEI genitrix.

§. 2. Mortua eſt Maria; ſed poſt triduum revixit.

§. 3. Proſecutio.

§. 4. Maria eſt ſol meridianus.

§. 5. Sol meridianus ſiſtit in loco altiſſimo.

§. 6. Ad altiorem verticem gloriæ aſcendit Maria.

§. 7. Proſecutio.

§. 8. Idem probatur ex aliis SS. Patribus.

§. 9. In glorioſa Aſſumptione ipſe Filius occurrit Matri.

§. 10. Proſecutio.

§. 11. Varia ſymbola ſublimiſſimæ gloriæ B. Virginis.

§. 12. Ejusdem magnitudo.

§. 13. Pulcherrimi colores ſolis Mariani.

§. 14. Maria in Aſſumptione fuit mulier amicta ſole.

§. 15. Alia elogia ſolis & Mariæ.

§. 16. Epilogus.

Aſſur-

Digitized by Google

§. 1. *Exaltata eſt S. DEI genitrix.*

ASſurgite animis, Auditores ad cœlũ, quo Mariani triumphi ſublimitas hodiernâ die nos vocat. Hodie enim, ut fideliũ pia, & indubitata tenet ſentẽtia, Maria Deipara, cœli terræque Imperatrix, Domina Patrona noſtra, emenſo feliciter mortalis vitæ curriculo, poſt ſanctam & pretioſam mortem, reſumpto corpore in ſupremam beatitatis arcem eſt invecta triumphali pompâ, & ſupra quam dici aut cogitari poteſt, apparatu, comitatuque ſplendidiſſimo. Hoc eſt, quod lætis cantat hymnis Eccleſia, *Aſſumpta eſt Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Maria Virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum ſtellato ſedet ſolio.* Hodie Maria Virgo aſcendit cœlos; gaudete: quia cum Chriſto regnat in æternum. *Exaltata ut ſancta Dei genitrix, ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna.* Incredibili ſcilicet pompâ, magnificentiâ, & triumpho, ut beati cœli incolæ, introeunti in divinum Capitolium, triumphatrici Virgini applaudentes, ſuaviſſimè accinuerint, *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Cant. 6. cap. v. 9. Eximia Dominæ noſtræ elogia, & pulcherrimas eximiarum laudum imagines, ſive emblemata continet hic verſus. Alias in feſtivitate Virginis natæ comparavi illam cum Aurorâ, comparabo alias Lunæ; In hodiernâ glorioſiſſimæ Aſſumptionis ſolennitate, ex tumulo & ſepulchro prodire mihi videtur electa, lucida, glorioſa ut ſol. Immenſus panegyri meæ campus aperit. Sed ne in incertum evagetur dictio; in duobus MARIAM comparabo ſoli. Solem inquam inter & Virginem aſſumptam analogia prima hæc erit; Oritur ſol mane, occidit veſpere, & mane rurſum pulchrior exſurgit; Orta eſt Maria in ſuâ Nativitate, veluti ſol ſine omni maculâ; occubuit & occidit, dum mortua, illata fuit ſepulchro; hodie oritur venuſtior. Alter fons comparationis inter ſolem & Virginem, hic erit. Sol in meridie, in loco ſiſtit altiſſimo; in longè ſublimiori, ad dexteram Filij ſui, aſtat hodie ſol myſticus, ſuper omnes Sanctos exaltatus. Uti Maria in terris prima & proxima Filio fuit in gratiâ, ita in cœlis prima eſt in gloriâ. Quod dum oſtendo, favete auribus, & linguis.

Fuit Maria in terris Mater DEI; (nihil ſublimius de eâ dicere poſſum) noſtræ tamen conditionis; Creatura, non Dea, imò mortis imperio obnoxia; quippe homo, & quidem imbecillioris ſexus; terræ illata, ut reliqui mortales; è cujus tamen viſceribus, ſive ſepulchro, poſt triduum, hodiernâ die, glorioſiſſimè fuit aſſumpta ad cœlos, & rediviva reſurrexit. Notus eſt verſus 5. cap. 1. Eccleſiaſtis, *Oritur ſol, & occidit, & rurſum oritur.* Idem de Dominâ noſtrâ hodie dicere poſſumus: orta fuit veluti ſtella matutina, veluti aurora, veluti ſol, dum nata in hanc lucem venit; ſed occidit, dum ante triduum decima tertia Auguſti, viam univerſæ carnis fuit ingreſſa. Sed occidit, ut ſol; qui poſt totius diei peractum curriculum ad Occidentem vergens, veluti ad quietis cubile, ſe confert, abſque ullo doloris ſenſu, abſque radiorum detrimento; ut manè ſequenti venuſtior redeat; ut ex roſeo cubili, tanquam Sponſus è thalamo prodeat, vel ut canit nobilis Poëta, *Os decorum, ut æthere, ſol magnus extulit, gradu fertur citato; veſpere anhelus redit ad ſuum cubile, mane ut pulchrior, vultu reſurgat aureo.* Sol dum occumbit, hominum perſuaſione ſe mergit Oceano; nihil tamen ex ſalſis aquis contrahit maculæ; nihil amittit ſplendoris, oculis tantùm in uno vel altero hemiſpherio exiſtentibus ſubtrahitur, in ſe ſemper lucidiſſimus.

§. 2. *Profectio.* Idem accidit Beatiſſimæ Virgini, ſoli myſtico; licèt virgineum corpus, ſepulchro, putredinis officinæ illatum fuerit, incorruptum tamen permanſit, & immaculatum, omnis fœtoris & putredinis expers. Occidit, abiit, occubuit ut ſol, tertio ab occaſu & obitu die, qui eſt hodiernus, cùm admirabili gloriâ, cum glorioſi corporis dotibus, immortalitatis paludamento, amicta ſole, eadem integra, non alia ex ſepulchro rediit & revixit. In ſcrobe defoſſus flos Virginum ſtatim reviruit, æterno vere ſemper florentis immortalitatis, & immarceſſibilis gloriæ. Occidit Domina noſtra, dum dulciſſimæ mortis ſpiculo occubuit; ſed rurſum orta eſt, ut ſol! ſol pulcherrimus, ſol lucidiſſimus, ſol glorioſiſſimus! pulcherrima, lucidiſſima, glorioſiſſima Maria! in meridie gloriæ.

Scimus

Scimus ſolem nunquam ſerenioribus ſpectabilem radiis comparere, quàm cum in meridie, velut in aurato curru, veluti meridiano ſolio ſuper noſtros vertices, omnium corporum tenues reducit umbras, & ipſe ſolus in firmamento, veluti Rex lucis & ardoris, alias ſtellarum faces contegit. Tum triumphat! tum optato omnia vivificat calore. Aſſurgite rurſum animis Mariani Auditores, ad meridiem ſolis myſtici, ad meridiem Marianæ gloriæ, quo nos invitat Virgo ad cœlos glorioſè aſſumpta. Nunquam Maria ſerenioribus luxit & arſit radiis, quam hodie in meridie, dum ad cœlorum elevata Zenith, Regina eſt lucis, Regina ardoris. Hodie triumphat ſol myſticus; hodie militantem Eccleſiam ſalutari vivificat calore. O quos benignitatis ſuper nos vibrat radios, quibus nos aſpicit, fovet, tuetur, ſol pulcherrimus, ſol lucidiſſimus, ſol ardentiſſimus, ſol glorioſiſſimus, pulcherrima, lucidiſſima, ardentiſſima, glorioſiſſima Virgo Maria. *§. 4. Maria eſt ſol meridianus.*

Circa meridiem ſoli, à rerum omnium conditore, deſtinatus eſt locus altiſſimus; in quo in triumphali ſuo curru, aureâ indutus chlamyde ſiſtit, nec altius aſcendere poteſt; Hic ſoli in auratis columnis vel terminis, poſitum eſt illud Auguſtiſſimi Caroli V. lemma, columnis Herculeis affixum, *Non plus ultra.* Hic ſol ſideribus aliis omnibus ſupereminet. Unde Mathematici fingunt, eſſe punctum quoddam in cœlo, vertici noſtro imminens, quod Arabes vocant Zenith, in quo veluti ſolio collocant ſolem meridianum, in quo de die maximè lucet & ardet. *§. 5. Sol meridianus ſiſtit in loco altiſſimo.*

Longè ſublimius & altius in glorioſâ Aſſumptione exaltatus eſt ſol myſticus; hoc eſt, ſancta DEI genetrix, & exaltata eſt ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna. Hoc eſt: hodie illa Virgo ad altiſſimum in cœlo gloriæ punctum, quod non hominum tantùm, ſed Angelorum capitibus eſt ſuperpoſitum, pervenit; ad dexteram ſcilicet Altiſſimi, ſuper latera Aquilonis, ſuper pennas ventorum. De hâc exaltatione applauſit ſoli myſtico Leo Imperator, cum dixit? *Quid hodie agitur? quod ſpectaculum exhibetur? An non, obſecro te, O Domina, præpotens Filius tuus, te, inquam, ſanctificationis arcam; te! ornatiſſimum thalamum; & diviniſſimum thronum ad ſuum divinum & auguſtale templum tranſponit? an non illam, ex quâ carnis* *§. 6. Ad altiorem verticem gloria aſcendit Maria.*

 indu-

Digitized by Google

indumentum ſuſcepit, ad ſumma faſtigia cœlorum evexit? An non omnes qui illi adſunt, & adminiſtrant, tibi quoque prompta deferunt obſequia.

§. 7. *Proſecutio.*

Applauſit hodie Virgini mellifluis verbis mellifluus S. Bernardus; *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium* DEI *Maria ſuſcepit; nec in cœlis regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ filius ſublimavit. Et quis cogitare ſufficiat, quàm glorioſa hodie mundi Domina, mundi ſol, mundi & cœli Regina proceſſerint, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſum cœleſtium regionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta? quam placido vultu, quam ſerena facie, quam divinis amplexibus ſuſcepta à Filio, & ſuper omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum eâ gloriâ, quæ tantum decuit Filium!* Triumphat ſol in meridie; triumphat ſol myſticus in puncto gloriæ altiſſimo.

§. 8. *Idem probatur ex aliis S. Patribus.*

Applauſit hodie Virgini in meridie gloriæ S. Damaſcenus, dum ait: *Omnes res creatas ſuperat Maria; omnibus dominatur operibus; ſuper cœlos cœlorum extollitur mirabiliter? hanc ſuper omnes Angelorum choros, ſuper Seraphim quoque ac Cherubim exaltatam eſſe, nefas eſt dubitare.* Quod, ut S. Bernardinus putat, figuratum fuit l. 3. Reg. cap. 2. v. 19. ubi textus ait, *Surrexit Rex Salomon in occurſum matris ſuæ, & adoravit eam; & ſedit ſuper thronum ſuum; poſitusque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus. Vbi contemplare*, ait S. Bernardinus, *mirificam obviationem, quia ſurrexit Salomon in occurſum matris ſuæ; mirificam adorationem, quia adoravit eam? altiſſimam ſublimationem* (aſſurgite animis & oculis Auditores, ſpectate ſolem myſticum in cœlorum abſide ſeu Zenith) quia poſitus eſt thronus matri Regis: immediatiſſimam conjunctionem, quia ſedet ad dexteram ejus: juxta Pſaltis oraculum Pſ. 44. v. 10. *Aſtitit Regina à dexteris tuis*; id eſt, ſicut benedictus Jeſus ſedet à dexteris Patris in potioribus bonis paternis; ſic ita Virgo glorioſa in potioribus bonis Filii ſui Jeſu, juxta ipſum, in throno ſublimata conſedit.

§. 9. *In glorioſâ aſſumptione, Matri occurrit ipſe Filius.*

Ex quo loco advertere poteſtis, Virgini ad gloriæ ſuæ faſtigium aſſurgenti, non ocurriſſe tantùm obvios cœlos, cœlorumque incolas, qui data porta; ſed ipſum Regem Regum, Dominum Dominantium,

minantium, Chriſtum Jeſum; Filium matri! inter cujus amplexus, teſte S. Bernardo cœlos intravit, dilecto Filio ſuo & ſponſo innixa, juxta illud Cant. 8. v. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* Mirati fuêre Cœlites omnes, triumphatricem Virginem nullo alio triumphali curru, non in aureâ nube, non ſuper pennas Cherubinorum, non in coloratâ iride in ſublime evehi, quàm ut dilecto ſuo innitatur; ſibi ipſi cum ſponſâ applaudens; *Lava ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Ob quam circumſtantiam tam mirificæ obviationis, tam amabilis occurſus Filii & Regis, S. Bernardus iterum in dulciſſima hæc erupit verba, & lætiſſimam aggratulationem; *Super hunc innititur mater illa feliciſſima, & in aureo reclinatorio Divinæ Majeſtatis recumbens, inter ſponſi, imò filii ſui brachia recumbit. O quanta vicinitas! quàm ſpecialis gloria, inniti ſuper illum, quem reverentur & colunt Angelicæ poteſtates. O amabiles vices! rependit filius, immenſus cœli terræque jam regnator, matri officium, quod ipſa præſtiterat; cum infantem & parvulum ſæpius brachiis ſuis innixum geſtavit*: Verum nimirum Salomonem, in ferculo illo aureo, cujus columnæ argenteæ, & medium caritate conſtratum. §. 10. *Profectio.*

Triumphat ſol myſticus; triumphat Maria in meridie gloriæ ſuæ; in quâ ſupergreſſa eſt univerſas creaturas, ſive humani ſive Angelici ordinis, quod in ſacris literis tam variis ſymbolis nobis proponitur, ut obruar multitudine. Cogitate cedrum, palmam, cypreſſum, roſam, lilium, olivam, platanum, quercum, therebynthum, & quicquid eſt arborum ſublimium, procerarum, & in altum aſſurgentium; vel quicquid in floribus eſt elegantiæ & pulchritudinis; ubiq; in omnibus, in arboribus & floribus veluti ſymbolis & imaginibus Deiparæ ad cœlos aſſumptæ, præ omnibus ſublimitas atq; exaltatio repræſentatur. In monte cœleſtis Libani cedrus eſt Maria. Ite pictores, ornate hanc cedrũ eleganti emblemate, depingite in illo ſolem, & pro lemate addite verſ. 21. c. 26. Eccl. *Sol oriens mundo in altiſſimis.* Palma eſt Maria; depingite in hâc arbore ſolem; epigraphẽ ſumite ex c. 42. Eccl. v. 16. *Sol illuminans omnia* (Seraphinos, Cherubinos, &c.) *gloria Domini, plenũ eſt opus.* Specioſa oliva eſt Maria. Ut ſit ſpecioſior, ornate illam cryſtallino ſpeculo, in quo refulget ſol; ſuperſcriptio ſit §. 11. *Varia ſymbola ſubmiſſima gloria B. Virginis.*

verſus

verſus 2. cap. 43 Eccleſiaſtici :* *Vos admirabile opus excelſi*, ſcillicet eſt, celſiſſima & ſublimiſſima Maria. *Magnus Dominus, qui fecit illum.* ib. v. 5. Platanus eſt Maria. Pulcherrimæ huic arbori appendite auratum clypeum cum imagine ſolis; aſcribite verſum 6. Pſ. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Simili emblemate ornate myſticum therebynthum; ſed addite verſum 38. Pſ. 88. *Thronus ejus ſicut ſol.* Si inter flores oculis veſtris præ reliquis arrideat roſa; illius foliis inſcribite v. 7. cap. 11. Eccleſiaſtis; *Delectabile eſt oculis videre ſolem.* Longè delectabilius eſt videre Mariam in gloria ſua. Vel v. 29. cap. 7. Sapientiæ; *Et hæc ſpecioſior ſole.* Nolo diutius inter arbores & flores commorari; facile erit, plures ſimilibus elogiis exornare; ad meum me recipio diſcurſum, & dico cum ſanctis Patribus:

§. 12. *Ejuſdem magnitudo.*

Sicut nulla creatura in terris fuit ſanctior quàm Maria, ita in cælis nulla eſt ſublimior. Infert ulterius ſanctus Bern. *Quod ſi oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparavit diligentibus ſe; quid præparaverit Mariæ, quæ præ omnibus illum dilexit?* Cujus rei figura fuit arca Noë, de quâ dicitur cap. 7. Gen. v. 18. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt arcam in ſublime à terra.* Ubi ſanctus Bernardinus: *Multiplicatio aquarum in arcâ denotat gratiarum multitudinem in Maria; quæ elevaverunt arcam, in quâ ſalvatum eſt univerſum ſemen generis humani, & quidem in ſublime; ad gloriam altiſſimam, ſuper reliquas omnes creaturas; arca aurea gratiæ & gloriæ.*

§. 13. *Pulcherrimi colores, ſolis Mariani.*

Solem vel Phœbum in meridie ſolent Poëtæ & pictores depingere, vel induere paludamento aureo, cum auratis capillis; aureo ſubvectum curru. Aureus color placet illis in ſole, ſicut argenteus in lunâ, purpureus & rubicandus in Mercurio, flammeus in Marte, roſeus in Venere, pallidus in Jove, viridis in Saturno. Simili colorum luſu natura ludit in gemmis & floribus. Candicat luna, candicat adamas & margarita, candicat lilium. Rubet Mercurius, rubet carbunculus, rubet viola. Ardet & flammicat Mars, ardet ſaphyrus & caryophyllus; Purpurat Venus, purpurat jaſpis, purpurat roſa; pallet Jupiter, pallet amethyſtus & narciſſus; Viret Saturnus, viret ſmaragdus, viret roſmarinus. Poſtquam omnibus his

coloribus

coloribus in mentibus veſtris depinxeritis imaginem Virginis aſſumptæ ad gloriam ſuam; videte an non eximiam habituri ſitis imaginem: candicat illa, quia eſt unio & lilium; rubet, quia eſt carbunculus & viola. Ardet, quia ſapphirus eſt, & cariophyllus. Purpurat, quia Jaſpis eſt & Roſa; pallet quia amethyſtus eſt & Narciſſus. Viret, quia ſmaragdus eſt; candori, rubori, purpuræ, pallori, virori denique addite colorem ſolis aureum, & dicite, omnium ſanctorum pulchritudinem & gloriam ſuperat Sol Myſticus MARIA!

Fallor, ſi hunc ſolem myſticum non vidit S. Joannes Aſtrologiæ peritiſſimus Evangeliſta cap. 12. Apocal. v. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole.* Ex mente S. Bernardi, mulier hæc figura fuit Mariæ, quando Virgo & Mater, ſuperveniente Spiritu ſancto & virtute Altiſſimi obumbrante DEI Filium concepit, vel, ut cum Cœlio Pannonio loquar; tum amicta ſole fuit, quando virtus Altiſſimi eam obumbravit, illumque intra uterum concepit, qui intra omnia, extra omnia, ſuper omnia, & infra omnia, incomprehenſibilis exiſtit. Non diſplicet hæc explicatio, cum ſermo eſt de feſtivitate Virginis Annuntiatæ; In hodierna ſolennitate dico illam mulierem fuiſſe imaginem Mariæ aſſumptæ ad cœlos, quâ die, inſtar meridiani ſolis, in altiſſimo puncto gloriæ, in abyſſo lucis, ſingulari ſplendore refulget; tota immenſa lumini, tota irradiata fulgoribus tota induta luce, circumcincta ſplendore, involuta lumine, tota quanta lux gloriæ, tota Sol; in vitâ, in gratiâ, & ſanctitate, tota pulchra; in gloria, in cœlis, tota glorioſiſſimus Sol Mariæ ſol aureum humeris imponit paludamentum; luna pedibus argenteos ſupponit calceos, ſidera & ſtellæ gemmantem capiti innectunt coronam. Coronata ſtellis, paludata ſole, calceata luna, mulier, ſive Maria elevata eſt ſuper omnes cœlos. Triumphat ſol myſticus. §. 14. *Maria in Aſſumptione fuit mulier amicta ſole.*

Superſunt varia elogia, quibus SS. Patres deprædicant ſolem, à S. Thoma dicitur eſſe fons ſplendoris, fornax ardoris, principium lucis, Rex naturæ, mens mundi, fulgor Olympi. A S. Ambroſio, jucunditas diei, & pulchritudo cœli. Iterum ſol eſt MARIA! fons eſt ſplendoris: bibite ex hoc fonte, qui ſedetis in tenebris & §. 15. *Alia elogia Solis & Mariæ.*

umbrâ mortis. Maria eſt fornax ardoris! accedite, quorum pectora frigidus ſcelerum horror occupavit. Maria eſt principium lucis; quiſquis cœcus eſt, accedat & lumen ſperet à lucis principio. Maria eſt Regina naturæ: quiſquis huic vult eſſe ſubditus, diſcat illam amare, honorare, laudare. Vivat ſol myſticus! vivat Maria! In firmamento cœli, reſplendens glorioſè. Eccleſ. cap. II.

§. 16. *Epilogus.* Hæc de ſublimitate Marianæ gloriæ. Supereſt, ut in Epilogo aliquid ad noſtrum ſolatium accedat: ut ſcilicet advertamus in Mariano ſolio ſimul regnare gloriam & clementiam, ſublimitatem, & benignitatem, Majeſtatem, & Amorem, magnificentiam & miſericordiam, ſplendorem & amorem. Glorioſiſſimus eſt Mariæ thronus in cœlis; ſed idem in terris eſt aſylum miſerorum, communis ara indigentium, & tribunal gratiarum. Exaltatus eſt ejus thronus! nihilominus ex illo, & in illo, clientum cauſas agit ſuaviter & fortiter. Ex illo pro nobis Erebo indicit bellum, ut nos protegat! ſol eſt lucidiſſimus cœcos illuminans, ſol ſplendidiſſimus, mortuos vivificans. Sol vitalis, triſtes erigens, afflictos conſolans. Verbo, ſol jucundiſſimus, qui deſperatis diem ſalutis accendit; ſic ut veriſſimè dicere poſſim;

Nullus miſer eſt niſi ſine Maria!
Nemo cùm ipſa niſi felix.

CON-

CONCIO LXXXI.

FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus.

Lucæ 22. c. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUmmus perfectæ patientiæ gradus eſt, pati adverſa cum gaudio. Hunc gradum fuere aſſecuti ſancti Apoſtoli, & glorioſi Martyres; in tormentis, roborati ab amore DEI, & charitate Chriſti.

§. 1. *Exordium de eſſentia & perfectione patientiæ.*
§. 2. *Lætanter pati, Deo eſt glorioſum;*
§. 3. *Et ipſis Athletis.*
§. 4. *Hinc Martyrum in tormentis gaudium v. g. S. Bartholomæi.*
§. 5. *Et aliorum Heroum.*
§. 6. *Teſtimonia S. Franciſci Xaverij.*
§. 7. *Et S. Ignatij.*
§. 8. *Ardentia multorum patiendi deſideria.*
§. 9. *Unde profluxerit tantum gaudium. 1. ex amore Dei.*
§. 10. *2. Ex amore Chriſti.*
§. 11. *Epilogus.*

§. 1. *Exordium de eſſentia & perfectione patientiæ.*

OCcaſione martyrij, quod ſubiit D. Bartholomæus Apoſtolus, anno ſuperiore, ex hoc loco egi de virtute patientiæ. Patientia autem eſt virtus, quæ hominem inclinat, ut cum pace Spiritus, ſine paſſionibus iræ, vel triſtitiæ, & tædij perferat, ac toleret, quidquid ſibi contrarium occurrit. Itaque objectum hujus virtutis latiſſimè patet, & permulta complectitur, paupertatem, defectum in temporalibus, morbos corporis, afflictiones animæ; verbo, quidquid homini moleſtum poteſt accidere. Hæc proinde Virtus homini Chriſtiano planè eſt neceſſaria; cum enim bene dixerit S. Auguſtinus ſerm. 32. de SS. *Tota hominis*

Digitized by Google

Chriſtiani vita, crux eſt; in cruce per totam iſtam vitam pendere debet Chriſtianus: non eſt in hac vita tempus evellendi clavos; hinc neceſſario ſequitur, patientiam nobis eſſe perquam neceſſariam. Inſinuavi tum, triplicem eſſe ſtatum patientium. Sunt qui crucem ferunt patienter, nec contra Deum obloquuntur; ſi tamen illam excutere poſſent, facerent. Sunt qui ferunt libenter; & ſummo cum gaudio, qui eſt ſummus patientiæ gradus; eandem excipiunt; In quo excellentiſſimi fuerunt ſancti Martyres, qui inter tormenta graviſſima exultarunt præ gaudio. Hujus patientiæ perfectionem alias expoſui; verùm cùm materiam non minus amplam, quàm pulchram tum abſolvere non potuerim in unâ Concione, id modò in honorem S. Bartholomæi Apoſtoli, de veſtrâ interim, nihil dubitans benevolentiâ, exequi decrevi.

§. 2. *Lætanter pati; DEO eſt glorioſum.*

Quanta ſit patientiæ perfectio, præclarè advertit D. Chryſoſtomus, cujus hæc, inter aurea, hâc de re, ſunt verba. *Et quippe fortitudinis* (ſive patientiæ) *excellentiſſimus gradus, non tantùm patienter & libenter, ſed lætanter quoque res adverſas ferre.* In hoc gradu Spiritus ſanctus collocat Apoſtolos, de quibus ait caput 5. Act. v.41. *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JEſu contumeliam pati.* Hoc Martyrum gaudium in tormentis, & DEO, & ipſis eſt athletis glorioſum. De primo ait S. Hieronymus ad Hedibiam quæſt. 11. *Triumphus DEI eſt, paſſio Martyrum, & pro Chriſti nomine cruoris effuſio: inter tormenta mira perſeverantia ſtare, torqueri, & in ſuis tormentis gloriari.* Alligatur v.g. S. Bartholomæus columnæ, cæditur virgis, laceratur unguibus; ex omnibus membris effluit copioſus ſanguis, condenſantur vulnera; tamen ſtat, gaudet, gloriatur. O triumphum DEI! O jucundum Deo ſpectaculum! extenditur in equuleo; excoriatur vivus, & membratim, cum incredibili dolore; nihilominus non ſuccubuit ejus patientia, triumphus DEI!

§. 3. *Et ipſis Athletis.*

Æquè glorioſum & honorificum id eſſe ſanctis Martyribus, agnovit S. Secunda, quæ dum ſoror Ruffina tyranni juſſu acriter cæderetur, ſibi verò parceretur, auſa eſt dicere; *Quid eſt, quod ſororem meam honore, me ignominia afficitis? jube ambas ſimul cædi: glorio-*

glorioſum eſt pro Chriſto pati. Memoriâ digna ſunt ſuprema verba glorioſi in Japoniâ pugilis anno 16 9. nomen ejus fuit Michaël qui poſt aliquot annorum carcerem & gravem perſecutionem, auſus fuit dicere: *nunc intelligo irriſiones, contemptus, faſtidia, quaslibet denique injurias pro DEI amore æquo animo toleratas, omnibus Regum & Imperatorum ſceptris ac diadematibus eſſe infinitis partibus anteponenda. quadriennio fui in carcere, ita lætus & alacer, ut uno tantum die mihi fuiſſe videar.* Amabo vos Auditores, an talis & veſtra in afflictionibus oratio? an morbus veſter, aut alia quæcunque adverſitas, horulam? an annum integrum durare videtur? Certum eſt, amanti Chriſtum, nulla longa nimis tormenta; certum eſt agnoſcenti, quàm ſit glorioſum pati pro Chriſto, nullam nimis acerbam eſſe tribulationem. Videte nunc, qualis & quantus ſit veſter in Chriſtum amor, videte, qualem & quantam Dei gloriam conſectemini.

§. 4. *Hinc Martyrum in tormentis gaudium v.g. S. Bartholomæi.*

Miror ego divinæ potentiam gratiæ, quoties beatorum Martyrum inter graviſſima tormenta gaudium conſidero. Cùm v.g. video S. Bartholomæum inter diras carnificum manus, miror; cùm ſævos video cultros acui, miror! cùm in illius carne lanienam peragi horrendam, intueor, miror? Et quis talia ſpectans non admiretur? quis non ad tantos, tamque immanes cruciatus obſtupeſcat? Hoc tamen in majorem me rapit admirationem, quod Bartholomæum inter cultros ſicaſque cruentas, plenum gaudio, & cœleſtibus plenum deliciis conſpiciam. Enimverò hic divinæ potentiam gratiæ maximè admiror.

§. 5. *Et aliorum Heroum.*

SS. Marcus & Marcellianus fratres, pedibus ad ſtipitem clavis affixi, dixerunt; nunquam tam jucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter JESU Chriſti cauſa perferimus; in cujus amore nunc fixi eſſe cœpimus. Utinam tam diu nos hæc pati ſinat, quamdiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus. Sanctus Tiburtius, dum ardentes prunas calcaret, dixit, ſe incedere ſuper roſas. De S. Agnete, ait S. Ambroſius l. de virg. *non ſic ad thalamum nupta properavit, ut ad ſupplicij locum B. Agnes.* Plura talia referunt SS. Martyrum hiſtoriæ. Meminiſſe placet Martyris recentiſſimi

Fuit Maria in terris Mater DEI; (nihil ſublimius de eâ dicere poſſum) noſtræ tamen conditionis; Creatura, non Dea, imò mortis imperio obnoxia; quippe homo, & quidem imbecillioris ſexus; terræ illata, ut reliqui mortales; è cujus tamen viſceribus, ſive ſepulchro, poſt triduum, hodiernâ die, glorioſiſſimè fuit aſſumpta ad cœlos, & rediviva reſurrexit. Notus eſt verſus 5. cap. 1. Eccleſiaſtis, *Oritur ſol, & occidit, & rurſum oritur.* Idem de Dominâ noſtrâ hodie dicere poſſumus: orta fuit veluti ſtella matutina, veluti aurora, veluti ſol, dum nata in hanc lucem venit; ſed occidit, dum ante triduum decima tertia Auguſti, viam univerſæ carnis fuit ingreſſa. Sed occidit, ut ſol; qui poſt totius diei peractum curriculum ad Occidentem vergens, veluti ad quietis cubile, ſe confert, abſque ullo doloris ſenſu, abſque radiorum detrimento; ut manè ſequenti venuſtior redeat; ut ex roſeo cubili, tanquam Sponſus è thalamo prodeat, vel ut canit nobilis Poëta, *Os decorum, ut æthere, ſol magnus extulit, gradu fertur citato; veſpere anhelus redit ad ſuum cubile, mane ut pulchrior, vultu reſurgat aureo.* Sol dum occumbit, hominum perſuaſione ſe mergit Oceano; nihil tamen ex ſalſis aquis contrahit maculæ; nihil amittit ſplendoris, oculis tantùm in uno vel altero hemiſpherio exiſtentibus ſubtrahitur, in ſe ſemper lucidiſſimus.

§. 3. *Proſecutio.* Idem accidit Beatiſſimæ Virgini, ſoli myſtico; licèt virgineum corpus, ſepulchro, putredinis officinæ illatum fuerit, incorruptum tamen permanſit, & immaculatum, omnis fœtoris & putredinis expers. Occidit, abiit, occubuit ut ſol, tertio ab occaſu & obitu die, qui eſt hodiernus, cùm admirabili gloriâ, cum glorioſi corporis dotibus, immortalitatis paludamento, amicta ſole, eadem integra, non alia ex ſepulchro rediit & revixit. In ſcrobe defoſſus flos Virginum ſtatim reviruit, æterno vere ſemper florentis immortalitatis, & immarceſſibilis gloriæ. Occidit Domina noſtra, dum dulciſſimæ mortis ſpiculo occubuit; ſed rurſum orta eſt, ut ol! ſol pulcherrimus, ſol lucidiſſimus, ſol glorioſiſſimus! pulcherrima, lucidiſſima, glorioſiſſima Maria! in meridie gloriæ.

Scimus

Scimus ſolem nunquam ſerenioribus ſpectabilem radiis comparere, quàm cum in meridie, velut in aurato curru, veluti meridiano ſolio ſuper noſtros vertices, omnium corporum tenues reducit umbras, & ipſe ſolus in firmamento, veluti Rex lucis & ardoris, alias ſtellarum faces contegit. Tum triumphat! tum optato omnia vivificat calore. Aſſurgite rurſum animis Mariani Auditores, ad meridiem ſolis myſtici, ad meridiem Marianæ gloriæ, quo nos invitat Virgo ad cœlos glorioſè aſſumpta. Nunquam Maria ſerenioribus luxit & arſit radiis, quam hodie in meridie, dum ad cœlorum elevata Zenith, Regina eſt lucis, Regina ardoris. Hodie triumphat ſol myſticus; hodie militantem Eccleſiam ſalutari vivificat calore. O quos benignitatis ſuper nos vibrat radios, quibus nos aſpicit, fovet, tuetur, ſol pulcherrimus, ſol luciđiſſimus, ſol ardentiſſimus, ſol glorioſiſſimus, pulcherrima, luciđiſſima, ardentiſſima, glorioſiſſima Virgo Maria. §. 4. *Maria eſt ſol meridianus.*

Circa meridiem ſoli, à rerum omnium conditore, deſtinatus eſt locus altiſſimus; in quo in triumphali ſuo curru, aureâ indutus chlamyde ſiſtit, nec altius aſcendere poteſt; Hic ſoli in auratis columnis vel terminis, poſitum eſt illud Auguſtiſſimi Caroli V. lemma, columnis Herculeis affixum, *Non plus ultra.* Hic ſol ſideribus aliis omnibus ſupereminet. Unde Mathematici fingunt, eſſe punctum quoddam in cœlo, vertici noſtro imminens, quod Arabes vocant Zenith, in quo veluti ſolio collocant ſolem meridianum, in quo de die maximè lucet & ardet. §. 5. *Sol meridianus ſiſtit in loco altiſſimo.*

Longè ſublimius & altius in glorioſâ Aſſumptione exaltatus eſt ſol myſticus; hoc eſt, ſancta DEI genetrix, & exaltata eſt ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna. Hoc eſt: hodie illa Virgo ad altiſſimum in cœlo gloriæ punctum, quod non hominum tantùm, ſed Angelorum capitibus eſt ſuperpoſitum, pervenit: ad dexteram ſcilicet Altiſſimi, ſuper latera Aquilonis, ſuper pennas ventorum. De hâc exaltatione applauſit ſoli myſtico Leo Imperator, cum dixit? *Quid hodie agitur? quod ſpectaculum exhibetur? An non, obſecro te, O Domina, præpotens Filius tuus, te, inquam, ſanctificationis arcam; te! ornatiſſimum thalamum; & diviniſſimum thronum ad ſuum divinum & auguſtale templum tranſponit? an non illam, ex quâ carnis* §. 6. *Ad altiorem verticem gloriæ aſcendit Maria.*

 indu-

Digitized by Google

indumentum ſuſcepit, ad ſumma faſtigia cœlorum evexit? An non omnes qui illi adſunt, & adminiſtrant, tibi quoque prompta deferunt obſequia.

§.7. Proſecutio.

Applauſit hodie Virgini mellifluis verbis mellifluus S. Bernardus; *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium DEI Maria ſuſcepit; nec in cœlis regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ filius ſublimavit. Et quis cogitare ſufficiat, quàm glorioſa hodie mundi Domina, mundi ſol, mundi & cœli Regina proceſſerint, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſum cœleſtium regionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta? quam placido vultu, quam ſerena facie, quam divinis amplexibus ſuſcepta à Filio, & ſuper omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum eâ gloriâ, quæ tantum decuit Filium!* Triumphat ſol in meridie; triumphat ſol myſticus in puncto gloriæ altiſſimo.

§. 8. Idem probatur ex aliis S. Patribus.

Applauſit hodie Virgini in meridie gloriæ S. Damaſcenus, dum ait: *Omnes res creatas ſuperat Maria; omnibus dominatur operibus; ſuper cœlos cœlorum extollitur mirabiliter? hanc ſuper omnes Angelorum choros, ſuper Seraphim quoque ac Cherubim exaltatam eſſe, nefas eſt dubitare.* Quod, ut S. Bernardinus putat, figuratum fuit l. 3. Reg. cap. 2. v. 19. ubi textus ait, *Surrexit Rex Salomon in occurſum matris ſuæ, & adoravit eam; & ſedit ſuper thronum ſuum; poſitusque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus. Ubi contemplare,* ait S. Bernardinus, *mirificam obviationem, quia ſurrexit Salomon in occurſum matris ſuæ; mirificam adorationem, quia adoravit eam? altiſſimam ſublimationem* (aſſurgite animis & oculis Auditores, ſpectate ſolem myſticum in cœlorum abſide ſeu Zenith) quia poſitus eſt thronus matri Regis: immediatiſſimam conjunctionem, quia ſedet ad dexteram ejus: juxta Pſaltis oraculum Pſ. 44. v. 10. *Aſtitit Regina à dexteris tuis*; id eſt, ſicut benedictus Jeſus ſedet à dexteris Patris in potioribus bonis paternis; ſic ita Virgo glorioſa in potioribus bonis Filii ſui Jeſu, juxta ipſum, in throno ſublimata conſedit.

§. 9. In glorioſâ aſſumptione, Matri occurrit ipſe Filius.

Ex quo loco advertere poteſtis, Virgini ad gloriæ ſuæ faſtigium aſſurgenti, non ocurriſſe tantùm obvios cœlos, cœlorumque incolas, qui data porta; ſed ipſum Regem Regum, Dominum Dominantium,

minantium, Chriſtum Jeſum; Filium matri! inter cujus amplexus, teſte S. Bernardo cœlos intravit, dilecto Filio ſuo & ſponſo innixa, juxta illud Cant.8.v.5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* Mirati fuêre Cœlites omnes, triumphatricem Virginem nullo alio triumphali curru, non in aureâ nube, non ſuper pennas Cherubinorum, non in coloratâ iride in ſublime evehi, quàm ut dilecto ſuo innitatur; ſibi ipſi cum ſponſâ applaudens: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Ob quam circumſtantiam tam mirificæ obviationis, tam amabilis occurſus Filii & Regis, S. Bernardus iterum in dulciſſima hæc erupit verba, & lætiſſimam aggratulationem; *Super hunc innititur mater illa feliciſſima, & in aureo reclinatorio Divinæ Majeſtatis recumbens, inter ſponſi, imò filii ſui brachia recumbit. O quanta vicinitas! quàm ſpecialis gloria, inniti ſuper illum, quem reverentur & colunt Angelicæ poteſtates. O amabiles vices! rependit filius, immenſus cœli terræque jam regnator, matri officium, quod ipſa præſtiterat; cum infantem & parvulum ſæpius brachiis ſuis innixum geſtavit:* Verum nimirum Salomonem, in ferculo illo aureo, cujus columnæ argenteæ, & medium caritate conſtratum. §. 10. *Proſecutio.*

Triumphat ſol myſticus; triumphat Maria in meridie gloriæ ſuæ; in quâ ſupergreſſa eſt univerſas creaturas, ſive humani ſive Angelici ordinis, quod in ſacris literis tam variis ſymbolis nobis proponitur, ut obruar multitudine. Cogitate cedrum, palmam, cypreſſum, roſam, lilium, olivam, platanum, quercum, therebynthum, & quicquid eſt arborum ſublimium, procerarum, & in altum aſſurgentium; vel quicquid in floribus eſt elegantiæ & pulchritudinis; ubiq; in omnibus, in arboribus & floribus veluti ſymbolis & imaginibus Deiparæ ad cœlos aſſumptæ, præ omnibus ſublimitas atq; exaltatio repræſentatur. In monte cœleſtis Libani cedrus eſt Maria. Ite pictores, ornate hanc cedrũ eleganti emblemate, depingite in illo ſolem, & pro lẽmate addite verſ.21.c.26. Eccl. *Sol oriens mundo in altiſſimis.* Palma eſt Maria; depingite in hâc arbore ſolem; epigraphẽ ſumite ex c.42. Eccl. v.16. *Sol illuminans omnia* (Seraphinos, Cherubinos, &c.) *gloria Domini, plenũ eſt opus.* Specioſa oliva eſt Maria. Ut ſit ſpecioſior, ornate illam cryſtallino ſpeculo, in quo refulget ſol; ſuperſcriptio ſit verſus §. 11. *Maria ſymbolis ſubmiſſima gloria B. Virginis.*

verſus 2. cap. 43 Eccleſiaſtici: *Vos admirabile opus excelſi*, ſcilicet eſt, celſiſſima & ſublimiſſima Maria. *Magnus Dominus, qui fecit illum.* ib. v. 5. Platanus eſt Maria. Pulcherrimæ huic arbori appendite auratum clypeum cum imagine ſolis; aſcribite verſum 6. Pſ. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Simili emblemate ornate myſticum therebynthum; ſed addite verſum 38. Pſ. 88. *Thronus ejus ſicut ſol.* Si inter flores oculis veſtris præ reliquis arrideat roſa; illius foliis inſcribite v. 7. cap. 11. Eccleſiaſtis; *Delectabile eſt oculis videre ſolem.* Longè delectabilius eſt videre Mariam in gloria ſua. Vel v. 29. cap. 7. Sapientiæ; *Et hæc ſpecioſior ſole.* Nolo diutius inter arbores & flores commorari; facile erit, plures ſimilibus elogiis exornare; ad meum me recipio diſcurſum, & dico cum ſanctis Patribus:

§. 12. *Ejuſdem magnitudo.* *Sicut nulla creatura in terris fuit ſanctior quàm Maria, ita in cœlis nulla eſt ſublimior.* Infert ulterius ſanctus Bern. *Quod ſi oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparavit diligentibus ſe; quid præparaverit Mariæ, quæ præ omnibus illum dilexit?* Cujus rei figura fuit arca Noë, de quâ dicitur cap. 7. Gen. v. 18. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt arcam in ſublime à terra.* Ubi ſanctus Bernardinus: *Multiplicatio aquarum in arcâ denotat gratiarum multitudinem in Maria; quæ elevaverunt arcam, in quâ ſalvatum eſt univerſum ſemen generis humani, & quidem in ſublime; ad gloriam altiſſimam, ſuper reliquas omnes creaturas; arca aurea gratiæ & gloriæ.*

§. 13. *Pulcherrimi colores, ſolis Mariani.* Solem vel Phœbum in meridie ſolent Poëtæ & pictores depingere, vel induere paludamento aureo, cum auratis capillis; aureo ſubvectum curru. Aureus color placet illis in ſole, ſicut argenteus in lunâ, purpureus & rubicandus in Mercurio, flammeus in Marte, roſeus in Venere, pallidus in Jove, viridis in Saturno. Simili colorum luſu natura ludit in gemmis & floribus. Candicat luna, candicat adamas & margarita, candicat lilium. Rubet Mercurius, rubet carbunculus, rubet viola. Ardet & flammicat Mars, ardet ſaphyrus & caryophyllus; Purpurat Venus, purpurat jaſpis, purpurat roſa; pallet Jupiter, pallet amethyſtus & narciſſus; Viret Saturnus, viret ſmaragdus, viret roſmarinus. Poſtquam omnibus his

coloribus

Digitized by Google

coloribus in mentibus veſtris depinxeritis imaginem Virginis aſſumptæ ad gloriam ſuam; videte an non eximiam habituri ſitis imaginem: candicat illa, quia eſt unio & lilium; rubet, quia eſt carbunculus & viola. Ardet, quia ſapphirus eſt, & cariophyllus. Purpurat, quia Jaſpis eſt & Roſa; pallet quia amethyſtus eſt & Narciſſus. Viret, quia ſmaragdus eſt; candori, rubori, purpuræ, pallori, virori denique addite colorem ſolis aureum, & dicite, omnium ſanctorum pulchritudinem & gloriam ſuperat Sol Myſticus Maria!

Fallor, ſi hunc ſolem myſticum non vidit S. Joannes Aſtrologiæ peritiſſimus Evangeliſta cap. 12. Apocal. v. 1. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole.* Ex mente S. Bernardi, mulier hæc figura fuit Mariæ, quando Virgo & Mater, ſuperveniente Spiritu ſancto & virtute Altiſſimi obumbrante DEI Filium concepit, vel, ut cum Cœlio Pannonio loquar; tum amicta ſole fuit, quando virtus Altiſſimi eam obumbravit, illumque intra uterum concepit, qui intra omnia, extra omnia, ſuper omnia, & infra omnia, incomprehenſibilis exiſtit. Non diſplicet hæc explicatio, cum ſermo eſt de feſtivitate Virginis Annuntiatæ; In hodierna ſolennitate dico illam mulierem fuiſſe imaginem Mariæ aſſumptæ ad cœlos, quâ die, inſtar meridiani ſolis, in altiſſimo puncto gloriæ, in abyſſo lucis, ſingulari ſplendore refulget; tota immenſa lumini, tota irradiata fulgoribus tota induta luce, circumcincta ſplendore, involuta lumine, tota quanta lux gloriæ, tota Sol; in vitâ, in gratiâ, & ſanctitate, tota pulchra; in gloria, in cœlis, tota glorioſiſſimus Sol Mariæ ſol aureum humeris imponit paludamentum; luna pedibus argenteos ſupponit calceos, ſidera & ſtellæ gemmantem capiti innectunt coronam. Coronata ſtellis, paludata ſole, calceata luna, mulier, ſive Maria elevata eſt ſuper omnes cœlos. Triumphat ſol myſticus.

§. 14. *Maria in Aſſumptione fuit mulier amicta ſole.*

Superſunt varia elogia, quibus SS. Patres deprædicant ſolem, à S. Thoma dicitur eſſe fons ſplendoris, fornax ardoris, principium lucis, Rex naturæ, mens mundi, fulgor Olympi. A S. Ambroſio, jucunditas diei, & pulchritudo cœli. Iterum ſol eſt Maria! fons eſt ſplendoris: bibite ex hoc fonte, qui ſedetis in tenebris &

§. 15. *Alia elogia Solis & Mariæ.*

umbrâ mortis. Maria eſt fornax ardoris! accedite, quorum pectora frigidus ſcelerum horror occupavit. Maria eſt principium lucis; quiſquis cœcus eſt, accedat & lumen ſperet à lucis principio. Maria eſt Regina naturæ: quiſquis huic vult eſſe ſubditus, diſcat illam amare, honorare, laudare. Vivat ſol myſticus! vivat Maria! In firmamento cœli, reſplendens glorioſè. Eccleſ. cap. 11.

§. 16. *Epilogus.* Hæc de ſublimitate Marianæ gloriæ. Supereſt, ut in Epilogo aliquid ad noſtrum ſolatium accedat: ut ſcilicet advertamus in Mariano ſolio ſimul regnare gloriam & clementiam, ſublimitatem, & benignitatem, Majeſtatem, & Amorem, magnificentiam & miſericordiam, ſplendorem & amorem. Glorioſiſſimus eſt Mariæ thronus in cœlis; ſed idem in terris eſt aſylum miſerorum, communis ara indigentium, & tribunal gratiarum. Exaltatus eſt ejus thronus! nihilominus ex illo, & in illo, clientum cauſas agit ſuaviter & fortiter. Ex illo pro nobis Erebo indicit bellum, ut nos protegat! ſol eſt lucidiſſimus cœcos illuminans, ſol ſplendidiſſimus, mortuos vivificans. Sol vitalis, triſtes erigens, afflictos conſolans. Verbo, ſol jucundiſſimus, qui deſperatis diem ſalutis accendit; ſic ut veriſſimè dicere poſſim;

Nullus miſer eſt niſi ſine Maria!
Nemo cùm ipſa niſi felix.

CON-

CONCIO LXXXI.

FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus.
Lucæ 22. c. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUmmus perfectæ patientiæ gradus eſt, pati adverſa cum gaudio. Hunc gradum fuere aſſecuti ſancti Apoſtoli, & glorioſi Martyres; in tormentis, roborati ab amore DEI, & charitate Chriſti.

§. 1. *Exordium de eſſentia & perfectione patientiæ.*
§. 2. *Lætanter pati, Deo eſt glorioſum;*
§. 3. *Et ipſis Athletis.*
§. 4. *Hinc Martyrum in tormentis gaudium v. g. S. Bartholomæi.*
§. 5. *Et aliorum Heroum.*
§. 6. *Teſtimonia S. Franciſci Xaverij.*
§. 7. *Et S. Ignatij.*
§. 8. *Ardentia multorum patiendi deſideria.*
§. 9. *Vnde profluxerit tantum gaudium. 1. ex amore Dei.*
§. 10. *2. Ex amore Chriſti.*
§. 11. *Epilogus.*

OCcaſione martyrij, quod ſubiit D. Bartholomæus Apoſtolus, anno ſuperiore, ex hoc loco egi de virtute patientiæ. Patientia autem eſt virtus, quæ hominem inclinat, ut cum pace Spiritus, ſine paſſionibus iræ, vel triſtitiæ, & tædij perferat, ac toleret, quidquid ſibi contrarium occurrit. Itaque objectum hujus virtutis latiſſimè patet, & permulta complectitur, paupertatem, defectum in temporalibus, morbos corporis, afflictiones animæ; verbo, quidquid homini moleſtum poteſt accidere. Hæc proinde Virtus homini Chriſtiano planè eſt neceſſaria; cum enim bene dixerit S. Auguſtinus ſerm. 32. de SS. *Tota hominis*

§. 1. Exordium de eſſentiâ & perfectione patientiæ.

Digitized by Google

Chriſtiani vita, crux eſt; in cruce per totam iſtam vitam pendere debet Chriſtianus: non eſt in hac vita tempus evellendi clavos; hinc neceſſario ſequitur, patientiam nobis eſſe perquam neceſſariam. Inſinuavi tum; triplicem eſſe ſtatum patientium. Sunt qui crucem ferunt patienter, nec contra Deum obloquuntur; ſi tamen illam excutere poſſent, facerent. Sunt qui ferunt libenter; & ſummo cum gaudio, qui eſt ſummus patientiæ gradus; eandem excipiunt; In quo excellentiſſimi fuerunt ſancti Martyres, qui inter tormenta graviſſima exultarunt præ gaudio. Hujus patientiæ perfectionem alias expoſui; verùm cùm materiam non minus amplam, quàm pulchram tum abſolvere non potuerim in unâ Concione, id modò in honorem S. Bartholomæi Apoſtoli, de veſtrâ interim, nihil dubitans benevolentiâ, exequi decrevi.

§. 2. *Latanter pati; DEO eſt glorioſum.* Quanta ſit patientiæ perfectio, præclarè advertit D. Chryſoſtomus, cujus hæc, inter aurea, hâc de re, ſunt verba. *Et quippe fortitudinis* (ſive patientiæ) *excellentiſſimus gradus, non tantùm patienter & libenter, ſed latanter quoque res adverſas ferre.* In hoc gradu Spiritus ſanctus collocat Apoſtolos, de quibus ait caput 5. Act. v. 41. *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JEſu contumeliam pati.* Hoc Martyrum gaudium in tormentis, & DEO, & ipſis eſt athletis glorioſum. De primo ait S. Hieronymus ad Hedibiam quæſt. 11. *Triumphus DEI eſt, paſſio Martyrum, & pro Chriſti nomine cruoris effuſio: inter tormenta mira perſeverantia ſtare, torqueri, & in ſuis tormentis gloriari.* Alligatur v. g. S. Bartholomæus columnæ, cæditur virgis, laceratur unguibus; ex omnibus membris effluit copioſus ſanguis, condenſantur vulnera; tamen ſtat, gaudet, gloriatur. O triumphum DEI! O jucundum Deo ſpectaculum! extenditur in equuleo; excoriatur vivus, & membratim, cum incredibili dolore; nihilominus non ſuccubuit ejus patientia, triumphus DEI!

§. 3. *Et ipſis Athletis.* Æquè glorioſum & honorificum id eſſe ſanctis Martyribus, agnovit S. Secunda, quæ dum ſoror Ruffina tyranni juſſu acriter cæderetur, ſibi verò parceretur, auſa eſt dicere; *Quid eſt, quod ſororem meam honore, me ignominia afficitis? jube ambas ſimul cadi: glorio-*

glorioſum eſt pro Chriſto pati. Memoriâ digna ſunt ſuprema verba glorioſi in Japoniâ pugilis anno 16 9. nomen ejus fuit Michaël qui poſt aliquot annorum carcerem & gravem perſecutionem, auſus fuit dicere: *nunc intelligo irriſiones, contemptus, faſtidia, quaslibet denique injurias pro DEI amore æquo animo toleratas, omnibus Regum & Imperatorum ſceptris ac diadematibus eſſe infinitis partibus anteponenda. quadriennio fui in carcere, ita lætus & alacer, ut uno tantum die mihi fuiſſe videar.* Amabo vos Auditores, an talis & veſtra in afflictionibus oratio? an morbus veſter, aut alia quæcunque adverſitas, horulam? an annum integrum durare videtur? Certum eſt, amanti Chriſtum, nulla longa nimis tormenta; certum eſt agnoſcenti, quàm ſit glorioſum pati pro Chriſto, nullam nimis acerbam eſſe tribulationem. Videte nunc, qualis & quantus ſit veſter in Chriſtum amor, videte, qualem & quantam Dei gloriam conſectemini.

§. 4. *Hinc Martyrum in tormentis gaudium v.g. S. Bartholomæi.*

Miror ego divinæ potentiam gratiæ, quoties beatorum Martyrum inter graviſſima tormenta gaudium conſidero. Cùm v.g. video S. Bartholomæum inter diras carnificum manus, miror; cùm ſævos video cultros acui, miror! cùm in illius carne lanienam peragi horrendam, intueor, miror? Et quis talia ſpectans non admiretur? quis non ad tantos, tamque immanes cruciatus obſtupeſcat? Hoc tamen in majorem me rapit admirationem, quod Bartholomæum inter cultros ſicaſque cruentas, plenum gaudio, & cœleſtibus plenum deliciis conſpiciam. Enimverò hic divinæ potentiam gratiæ maximè admiror.

§. 5. *Et aliorum Heroum.*

SS. Marcus & Marcellianus fratres, pedibus ad ſtipitem clavis affixi, dixerunt; nunquam tam jucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter JESU Chriſti cauſa perferimus; in cujus amore nunc fixi eſſe cœpimus. Utinam tam diu nos hæc pati ſinat, quamdiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus. Sanctus Tiburtius, dum ardentes prunas calcaret, dixit, ſe incedere ſuper roſas. De S. Agnete, ait S. Ambroſius l. de virg. *non ſic ad thalamum nupta properavit, ut ad ſupplicij locum B. Agnes.* Plura talia referunt SS. Martyrum hiſtoriæ. Meminiſſe placet Martyris recentiſſimi

in Japonia, Patris Marcelli Maſtrillij; notum eſt, quo miraculo, anno 1635. Neapoli, à S. Franciſco Xaverio liberatus fuerit è periculo mortis, ob letale in capite vulnus; poſtquam votum edidiſſet ſe iturum in Indias. Simul atque in Japoniam anno 1637. appuliſſet, captus, & poſt graviſſima quæque tormenta, poſtquam biduo pedibus ſuſpenſus in obſcuro foramine pependiſſet, cùm tortores ex illo rogarent, num quid peteret, reſpondit; *Nihil; niſi ut in meo me paradiſo relinquatis.* Quid loqueris Maſtrille? quid ais? ergo carcer tibi videtur paradiſus? in paradiſo roſæ & lilia, in paradiſo arbores & plantæ, in paradiſo fontes & flumina; in paradiſo divitiæ & deliciæ, in paradiſo gratia & voluptas. Ubi talia in tuo carcere? quid loqueris Maſtrille? Ergone paradiſus ſit, pendere ſuſpenſum ſuſpino capite, uſtulari ferro, cruciari fame ac ſiti; aquarum per os infuſionem, compreſſionemque in corpore violentam novo & inaudito martyrij genere ſuſtinere? hæccine tibi paradiſi nomen promereri videntur? Ita! ita! paradiſus ſunt, ſi tolerentur amore Chriſti; hæc omnia & ſexcenta alia tormenta, in flores ac lilia, in delicias atque divitias, in honorem & amorem convertit læta & victrix patientia.

§. 6. *Teſtimonia S. Patris Fr. Xaverij.*

Videtur piiſſimus Pater hos Spiritus hauſiſſe ex epiſtolis Patroni ſui, Magni S. Franciſci Xaverij Indiarum Apoſtoli, cujus in ep. 1. hæc ſunt verba. *Omnia incommoda* (in tot navigationibus, itineribus, periculis, laboribus, &c.) *ſi Dei cauſa, uti par eſt, ſubeantur; profectò magna ſolatia ſunt, & materia multarum, magnarumque cæleſtium voluptatum.* l. 2. ep. 6. ex inſulâ Mauricâ; *Hæc vobis ſcripſi, ut ſciatis, quantopere hæ inſulæ cæleſtibus affluant gaudiis,* (inter ſpinas carpimus roſas) *nimirum omnia pericula & incommoda, Chriſti Domini cauſa ſuſcepta, theſauri ſunt, cæleſtibus theſauris refertiſſimi. Nunquam alibi tam liquidis perpetuisque animi voluptatibus perfuſum eſſe me memini.* l. 2. ep. 9 *nullis verbis exequi poſſum, quantum ex Provinciæ hujus* (Japonicæ) *laboribus fructum capiam divinæ voluptatis.* Epiſtolam ultimam l. 3. claudit his verbis: *Chriſtianum eſt in cruce magis, quàm in quiete lætari.* Ex his & ſimilibus facile colligere poſſumus S. Xaverium adeptum fuiſſe excellentiſſimum gradum fortitudinis vel patientiæ Chriſtianæ, ſive abundaſſe gaudio in tribulationibus.

Exempto

Exemplo illi præivit ſanctiſſimus Patriarcha Ignatius, ex quo dum in carceribus Salmanticis vir primarius quæreret, num vincula ferret moleſtè, reſpondit: *an tantum malum tibi videtur carcer eſſe,* (illi qui Chriſtum amat) *at verò non tam multæ Salmanticæ compedes ſunt, non tot catenæ, quin ego plures pro Chriſto deſiderem.* §. 7. *Et S. P. Ignatij.*

Hoc Chriſti amantium in doloribus gaudium, & patiendi deſiderium, arguunt ferventia & ardentia talium heroum ſuſpiria: inprimis illud S. Dominici. *Gratias tibi Domine toto pectore ago, pro omni eo, quod tibi placuit, mihi dare, ut paterer; da prætcrea centum morbos, mille dolores,* &c. & illud S. Xaverij, *Amplius Domine!* S. Auguſtini: *hic ure, hic ſeca.* Alphonſi Rodriquez. *JESV, Maria! dulciſſimi mei amores! patiar pro vobis, moriar pro vobis:* Taceo multa alia; & primum punctum Concionis de gaudio, & lætâ patientiâ Martyrum in tormentis abſolvo cum S. Ephrem in encomio Martyrum. *Principibus ipſis & Judicibus audacter inſultabant, & ad majorem eos iram excitabant, dicentes. Si graviora habetis tormenta, admovete nobis; hæc enim nullius momenti ſunt. ignis veſter frigidus apparet, percuſſores imbecilles; gladij, marcida ligna. Nihil quod noſtræ reſpondeat promptitudini, & alacritati, habetis: ad plura & majora toleranda parati conſiſtimus.* S. Chryſoſt. hom. 33. in ep. ad Corinth. *Plenæ erant ferventis olei ſartagines ad torquenda Sanctorum corpora; & tamen inter hæc omnia, in paradiſo, animo deambulantes, non ſentiebant, quod patiebantur.* Sed quæſo te, mi ſancte Chryſoſtome, putaſnè non ſenſiſſe glorioſum noſtrum Bartholomæum, quæ ſuſtinuit tormenta? putaſne & illum animo deambulaſſe in paradiſo? ſic puto, ſic judico, reſponderet, ſi adeſſet, os aureum. *Et quidni ſic judicem? nam ubi DEI amor regnat, floret & patientia, ubi floret Patientia, floret & Paradiſus.* De ſe ipſo dixit S. Paulus 2. Cor. 7. v. 4. *Superabundo gaudio in tribulationibus meis.* D. Chryſoſt. hom. 25. ad pop. *B. Paulus, tentationum imbres, per ſingulos dies, videns in ſe irruentes, tanquam in medio gaudens paradiſo lætabatur, & exultabat.* §. 8. *Ardentia multorum, patiendi deſideria.*

Progredior ad alterum punctum. Inſinuavi aliàs, tantum SS. Martyrum in tormentis gaudium, defluxiſſe veluti ex fontibus, ex memoriâ Chriſti patientis, & jugi recordatione promiſſæ mercedis, §. 9. *Vnde profluxerit tantū gaudium.* 1. *Ex amore*

& æter-

Dulciſſimi DEI. & æternæ gloriæ; hæc duo viri Chriſtiani pectus & animum roborant ad lætam patientiam. Alium fontem elegantibus verbis nobis oſtendit S. Aug. in ſol. c.22. *Tu Domine es dulcedo inæſtimabilis, per quam omnia amara dulcorantur; tua enim dulcedo Stephano lapides dulcoravit: tua dulcedo beato Laurentio craticulam dulcem fecit: pro tuâ dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes, quoniam, &c. Ibat Andreas ſecurus ad Crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat: pro hac emenda Bartholomæus pellem dedit, pro hac quoque guſtanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit; hanc verò ut guſtavit Petrus, clamavit quaſi ebrius dicens, Domine bonum eſt, nos hic eſſe.* Veſtrum eſt Auditores, hujus quam hactenus in medium attuli, experimentum capere doctrinæ. Guſtate & videte, quàm ſuavis ſit Dominus; videte quàm bonum ſit eſſe cùm Chriſto inter tormenta. Videte quid non conſequatur heroica Virtus Patientiæ in animâ Deum amante. Materia, locuſque experimenti non deeſt; non deeſt occaſio; quotidiana eſt; obvia eſt, ubique ſe offert; guſtate & videte. Ibitis vos quoque gaudentes ad crucem; gaudentes dabitis pelles veſtras, &c.

§.10. 2. *Ex amore Chriſti.* Alius fons tanti gaudij fuit ardens amor Chriſti. Nam (ut S. Bernardus ait, *Vbi charitas eſt, ibi patientia eſt.* Et de Chriſto D. ait S. Joannes, *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* q. d. Chriſtus D. in cruce ſuum effudit ſanguinem; quia dilexit nos. Permiſit ſe alligari ad columnam, &c. quia dilexit nos Pulchrè Richardus de S. Vict. *Non laviſſet* (non fuiſſet mortuus in cruce, &c.) *niſi dilexiſſet.* Viciſſim SS. Martyres pro Chriſto ſuum dederunt ſanguinem & vitam; & tormenta pertulerunt graviſſima, quia dilexerunt. *Quod in doloribus exultaverint* (S. Bern. ſer.61. in Cant.) *non fecit ſtupor, ſed amor. Submittitur enim ſenſus, non amittitur; nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur;* ſcilicet, ab amore. *Quo,* (verba ſunt S. Aug. l. 1 de mor. Eccl. c. 22.) *cum ſe anima rapit in DEum, ſuper omnem carnificinam libera, volitabit pennis pulcherrimis, & integerrimis; quibus ad DEI complexus amor caſtus - anhelat* Ideo S. Dorothea ad tyrannum dixit. *Omnia dura & aſpera pati parata ſum pro amore & honore Chriſti JEſu Domini ac Sponſi mei.* S. Felicula, ridens tormenta: *jam cœpi,* inquiebat, *videre*

videre JEſum amatorem meum, in quem totus amor meus defixus eſt. Ego amatorem meum non nego; quia mei cauſa fel edit, acetum guſtavit, ſpinis coronatus eſt, ut Cruci affixus eſt - quia me dilexit; diligo & ego; ego quoque patiar.

Hoc vos quoque facite, animæ triſtes, cùm vobis malè eſt, cum ſolatia in afflictionibus aucupamini, cum patientiam & fortitudinem deſideratis, amate JEſum! Ite Aud. à D. Bartholomæo diſcite, quo animo, quaque virtute ferenda ſint, quæ indies occurrunt adverſa. Profectò ſi ſævos ſenſit cultros Bartholomæus; non deſunt & nobis hodiedum acuti tribulationum cultri; ſunt, quos lancinat dirus culter paupertatis; ſentiunt alij ferreum cultrum injuriarum; In alios febris, aut hydrops, aut alius morbus cultri loco deſævit; nemo non ſuum habet cultrum, à quo vexetur. Hoc reliquum eſt, ut non patienter tantùm, ſed & cum gaudio feramus adverſa, donec ad cœleſte evocemur bravium. §. 11. Epilogus.

CONCIO LXXXII.

FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

De quâ natus eſt JEſus, qui vocatur Chriſtus.
Math. 1. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MAria ſignificat Mare & Dominam. Quæ duo puncta hæc concio elucidat. Miſcentur plurima natæ Virginis elogia.

§. 1. *Genealogia B. Virginis.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Ingreſſus in Concionem.*
§. 4. *Analogia inter mare & Mariam.*
§. 5. *Aliæ analogiæ.*
§. 6. *Alia.*
§. 7. *Maria, idem eſt quod Domina & Imperatrix.*
§. 8. *Cæleſtium, Terreſtrium & Infernorum.*

§ 9. *Qualis Domina ſive Regina ſit Maria, ex Pſalmo 44.*
§. 10. *Proſecutio.*
§. 11. *Proſecutio.*
§. 12. *Quinque literæ nominis Mariæ ſunt plena myſteriis.*
§. 13. *Proſecutio.*
§. 14. *Proſecutio cum conglobatione encomiorum B. V.*
§. 15. *Volupe eſt loqui de nomine Mariæ.*
§. 16. *Epilogus.*

§. 1. *Genealogia B. Virginis.* NObiliſſima non tantùm ſecundum gratiam, ſed quoad ſanguinem, ſtemmatiſque propaginem, fuit Beata Virgo Maria; orta à Patriarchis, à principibus, à belli ducibus, à prophetis; orta fuit à viris ſtrenuis & fortibus, à ſacerdotibus, à pontificibus, à populi rectoribus; ut taceam nobiliſſimas ex altero ſexu heroinas. Ut locum habeat illud Virgilij, *Quæ te tam læta tulerunt ſæcula?* qui tanti talem genuêre parentes? Genealogia tantæ Virginis, eſt veluti torques ex lapidibus pretioſis; duodecim pretioſi lapides fuerunt Patriarchæ; lucidiſſimæ gemmæ fuerunt Reges; ſed gemmula pretioſiſſima & formoſiſſima fuit Maria. Hæc genealogia eſt veluti quoddam cœlum pulcherrimis aſtris & ſtellis exornatum; ſol & luna, & ſtella matutina, fuit Maria; cujus fortunatiſſimus ortus hodie inter denſiſſimas tenebras omnes exhilarat. Genealogia B. Virginis eſt quidam paradiſus, in quo inter Patriarchas, Prophetas, Reges, veluti pulcherrimas arbores, & amœniſſimos flores, flos omnium pulcherrimus, arbor omnium excelſiſſima; v.g. Cedrus, Palma, Cypreſſus eſt Maria; cujus hodie lætiſſimam Nativitatem cum jucunditate celebramus.

§. 2. *Propoſito.* Glorioſiſſimum hoc nomen erit materia hujus concionis. Monui vos aliàs, hanc voculam apud SS. Patres & Interpretes ſacræ ſcripturæ, ſignificare quatuor glorioſa myſteria. 1. Virginem irradiatam, lucidam, illuminatam, qualis fuit mulier illa Apocalyptica, cap. 12. verſ. 1. circumamicta ſole, coronata ſtellis duodecim. Dum auditis natam hodie Virginem appellari Mariam, cogitate puellam vagientem in cunis, eſſe Lunam, Auroram, ſolem! 2. MARIA, idem eſt, quod ſtella maris. Has duas ſignificationes alibi fuſius deduco. Tertiam, quod MARIA, idem ſit quod mare; Quartam, quod Maria ſignificet, Dominam,

Reginam,

Reginam, Imperatricem cœli & terræ; modò aggrediar. Addam in fine, myſteriorum, elogiorum, virtutum, excellentiarum, quas quinque literæ hujus auguſtæ voculæ, *Maria*, comprehendunt, quandam conglobationem. Favete Auditores; ſed tu inprimis Illuminatrix mea, ſtella mea, Domina mea, Regina mea ſalve, ſimul & AVE MARIA!

O feliciſſima Virgo! O formoſiſſima in cunis puellula! liceat mihi majeſtatem tuam alloqui verbis melliflui tui Bernardi Ser. 1. de nom. Mar. *Da mihi glorioſa Virgo MARIA, virtutem, ingenium & ſermonem, ut fidelibus devotis tuis nuntiare valeam gloriam nominis tui; non quantum eſt, aut quale* (hoc enim quî fieret) *ſed ut tantillum ego parvulus tuus* (ego ſervulus tuus, ego filiolus tuus O Maria! O mater, O Domina, talis volo vivere & mori!) *de laudibus tuis immenſis enuntiem, ad gloriam tuam, & ad devotionem meam, & ſolamen omnium me audientium.* Subdit deinde Vir ſanctus, hoc nomen Mariæ, non immerito & ſine causâ, non unam tantùm ſortitum interpretationem; ut ſicut DEum ipſum, non uno tantùm nomine, ſed pluribus nuncupamus, v.g. DEum exercituum, omnipotentem, omniſcium, æternum, immenſum, ſapientiſſimum, miſericordiſſimum, amabiliſſimum, &c. quæ omnia unica vocula, Deus in ſe comprehendit, ut ſic infinitam ejus incomprehenſibilitatem aliquo modo enuntiemus: Sic & glorioſam Virginem multis nominibus deſignamus, & nunc ſolem, nunc lunam &c. nunc Matrem pulchræ dilectionis, &c. quæ omnia unica Vocula *Maria* in ſe continet; ut ſic Matris Dei quoque ſublimitatem & majeſtatem aliquo modo comprehendamus. Hic poſitis.

§. 3. *Ingreſſus in Concionem.*

Communis Sanctorum Patrum opinio eſt, auguſtiſſimum Mariæ nomen derivari à mari: *quia ſicut omnia flumina intrant in mare, & exeunt ab ipſo*, Eccleſiaſtici c. 1. v. 7. ita omnes divinæ gratiæ intrant in Mariam, & ab illâ derivantur in alios. Ut locum habeat verſus 25. Pſ. 103. *hoc mare magnum & ſpatioſum.* Hujus opinionis fuit S. Hieronymus ad Euſtoch. *Cæteris per partes gratia præſtatur*; v.g. Seraphinis collata eſt gratia, quæ illorum ſtatui congruit; idem dici poteſt de Cherubinis (& de omnibus Angelorum choris, omniumque ſanctorum ordinibus, de Patriarchis, &c.) *Maria vero*

§. 4. *Analogia inter mare, & Mariā.*

(veluti in mare) *tota ſe infudit gratiæ plenitudo. ab ipſa autem Virgine nobis communicantur.* Ita ſenſit S. Auguſtinus. *Gratia plena es O Maria! & per totum mundum hanc diffundere meruiſti.* S. Bernardus infra citandus. *Invocantibus eam ſubvenit univerſis; & omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi.* Albertus Magnus ſuper *Miſſus eſt. Congregationem aquarum Geneſis. 1. vocavit DEus maria; locus autem omnium gratiarum vocatur Maria. Dicitur Maria, quia ſicut in mari eſt congregatio omnium aquarum, ita in ipſa eſt congregatio omnium gratiarum.* S. Bonaventura. *Omnia flumina intrant in mare, hoc eſt omnia genera gratiarum, Angelorum, Patriarcharum,* &c. *reliquorum Sanctorum, in Mariam confluunt.* Dionyſius Carthuſ. l. 3. de laud. V. art. 30. *Maria interpretatur mare, quia ſicut nullus valet guttas maris dinumerare; ſic miſericordiam gratiæ excellentiam, gloriamque Mariæ nullus valet exprimere.* Cùm S. Joanne Damaſc. teſte oratione 1. de dormitione, *Maria ſit abyſſus gratiarum.*

§. 5. *Alia analogia.* Tria potiſſimùm in mari conſiderantur. 1. Origo fontium & fluviorum, qui profluunt ex mari: Sic Maria eſt fons & origo omnium gratiarum; ab ipſa promanat gratiarum omnium diverſitas, ut Cant. 4. v. 15 à Sponſo meritò vocetur; *fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano;* in terris læt ficans & irrigans Eccleſiam; in cœlis ſanctos univerſos, & civitatem DEI; Gen. cap. 2. v. 10 *fluvius egreditur de loco voluptatis, ad irrigandum Paradiſum.* In Paradiſo cœleſti, hic fluvius eſt Maria. 2. In mari conſideratur plenitudo aquarum; in Maria plenitudo gratiarum. S. Bernardus *ſuper Miſſus eſt. Ipſa quidem eſt plena in ore gratia affabilitatis, in ventre gratia divinitatis, in corde gratia miſericordiæ & largitatis, in anima plenitudo gratiæ Spiritus S.* Eccleſiaſtici 2[illegible]5. *In me omnis gratia.* 3. In mari eſt amaritudo aquarum, Mariæ tota fere vita, potiſſimum tempore Paſſionis Filij, ſumma fuit amaritudo. Thren. 2. v. 13. *Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Ieruſalem, cui adæquabo, & conſolabor te Virgo filia Sion. Magna enim velut mare contritio tua.* Sub Cruce dicere potuit. ex c. 1. v. 20. Ruth. *Non vocetis me Noëmi, id eſt pulchram, ſed vocate me maram, hoc eſt, amaram, quia amaritudine*

valde

Digitized by Google

valde replevit me omnipotens. Sed de doloribus Virginis alius eſt dicendi locus. Age, nunc lætiora proferamus.

Maria eſt illud mare, quod Exodi 14. v. 22. filiis Iſraël ſtetit pro muro; quod illis liberum dedit tranſitum ad tutius littus. Maria eſt mare, in quo infernalis demerſus eſt Pharao, cum exercitu ejus, cum peccato, morte & inferno in profundum. Maria eſt illud mare, de quo Pſalmiſta dixit, Pſ. 73. v. 13. *Tu confirmaſti in virtute tua mare.* Pſ. 94. v. 5. *Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud.* Maria eſt illud mare, de quo Salomon dixit Sap. 14. v. 5. *Tranſeuntes per ratem liberati ſunt*; innumeri enim per Mariæ nomen, tam mentis, quàm corporis ſalutem ſunt conſecuti. Aliquid addo peculiare. Ex mari Mamortino, ſol cùm altiſſimus eſt, tenuiſſimos elevat vapores, quibus dum retro celſiſſimi objiciuntur montes, ex vaporicus fit ingens ſpeculum, in quo jacentes ad littora horti, prata, domus, palatia, turres & urbes pulcherrimè repræſentantur. Quod ſi magna licet componere parvis, dicam ego ſolem eſſe, & ſolem altiſſimum, lucidiſſimum, calidiſſimum, Spiritum ſanctum. Ex nube formavit ſol ille divinus ſpeculum! quale ſpeculum? Virgineum. Cujus nominis? Mariam! O ſpeculum lucis, ſpeculum ſine maculâ, ſpeculum totius ſanctiſſimæ Trinitatis. Quo tempore creata eſt Virginis hujus anima, & unita pulcherrimo corpori, refulgere cœpit hoc ſpeculum; nec mirum, tot erant divinæ gratiæ radiis! In hoc ſpeculum amantes defixit oculos Filius DEI; hoc ſpeculum in ſui amorem deduxit Angelos, hoc Speculum, quiſquis mortalium, devotis oculis hodiedum ſpectat, incredibili mentis lætitiâ perfunditur. Progredior ad alterum Concionis punctum. §. 6. *Alia comparationes inter mare & Mariam.*

Ex mente S. Hieronymi, MARIA idem eſt, quod Domina, ſive Dominatrix; unde canit Eccleſia, *O glorioſa Domina, excelſa ſuper ſidera.* Secundum Juriſperitos & leges, Imperator eſt Dominus Imperij univerſi; Imperatrix auguſti conjux Domina. In ſenſu myſtico, extra controverſiam Filius Altiſſimi, quà DEUS, & quà Homo, eſt Dominus & Imperator cœli & terræ; Rex Regum, & Dominus dominantium; terrarum orbis eſt ſcabellum ejus. Quis contra luctabitur, ſi proinde aſſeram, Spiritus ſancti ſponſam, Filij Matrem, Patris filiam, cœlique §. 7. *Maria, idē eſt, quod Domina & Imperatrix.*

terræque eſſe Dominam, & auguſtiſſimam Imperatricem; ſi dicam lunam, cœleſteſque globos eſſe ſcabellum pedum ejus.

§. 8. *Cœleſtium, terreſtrium & infernorum.*

Ut cum Sapientia æternâ, ſive Filio ipſa quoque gloriari poſſit, ex cap. 24. v. 8. Eccleſiaſtici. *Gyrum cœli circumivi ſola* (id eſt, ego Maria ſum Domina cœli) *& in profundum abyſſi penetravi,* (quaſi diceret, inferorum quoque & diabolorum ſum Domina, & glorioſa deviƈtrix atque triumphatrix infernalis ſerpentis: *Et in omni terra ſteti, & in omni populo, & in omni gente primatum tenui.*) id eſt, terreſtrium quoque Regina; ut proinde, ſicut in auguſtiſſimo nomine JEſu, ita in glorioſiſſimo nomine Mariæ, omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Rationi S. Bernardi Ser. 3. de nom. Virg. nemo contradicet; *Mater Domini omnis creaturæ, effecta eſt Domina omnis creaturæ; quomodo enim ſubijceretur creaturæ, quæ Mater effecta eſt Creatoris;* altera feliciſſima Eſther, id eſt, elevata & exaltata ſuper omnes creaturas.

§. 9. *Qualis Domina ſive Regina ſit Maria; ex Pſ. 44.*

Reginæ hujus pulchritudinem, ornatum, exaltationem aliaſque excellentias eleganter deſcripſit regius Pſaltes Pſ. 44. v. 10. cum ait, *Aſtitit Regina à dexteris tuis;* quam commendat primò ab excellentiâ pulchritudinis. *Omnis gloria, ejus filiæ Regis ab intus,* id eſt, à gratia, quæ animam facit formoſam; forma corporis exterior, eſt flos, eſt umbra, (Proverb. ult. cap. v. 30. *fallax eſt gratia, & vana pulchritudo.* 2. Commendat Sponſam à decore & pretio veſtium. *Aſtitit in veſtitu deaurato, circumdata varietate:* quæ ego non intelligo de veſtitu Mariæ exteriore; ſed veſte animæ, quæ in gratiâ conſiſtit. Hâc, veluti deauratâ cyclade circumamicta fuit Regina noſtra Maria. Hæc fuit regalis illius purpura, undique auro amoris, & gemmis variarum virtutum inducta; auream veſtem geſtat, quiſquis in ſe circumfert gratiæ pulchritudinem. Auro nil pretioſius, nec gratia! auro nil ſplendidius, nec gratiâ! In veſtitu deaurato, verè Domina, verè mundi Regina, verè cœlorum eſt Imperatrix, quæ tali veſtimentorum apparatu, conſpicua in primo ſuo ortu comparet. Laudat 3. Sponſam à regij Sponſi nobilitate. *Concupivit Rex decorem tuum.* Et qualis Rex, qualis Monarcha? Rex in cujus labiis diffuſa eſt gratia; quid amabilius? Rex potentiſſimus, accinctus gladio ſuper femur ſuum; quid ſecurius?

Rex,

Digitized by Google

Rex, cujus ſagittæ acutæ, ſub quo proſtrati jacebunt populi, quid fortius? Rex, cujus ſedes in ſæculum ſæculi; verbo Rex Regum, & Dominus Dominantium; quid magnificentius? Talis tantique Regis, qualis & quanta Sponſa, Regina atque conjux? tota pulchra eſt; per frontem, per genas, per labia &c. diffuſa eſt gratia; quid amabilius? Regina potentiſſima; quid ſecurius? &c. jure itaque meritiſſimo appellata eſt Maria.

4. Regius Pſaltes illam commendat ab odoris ſuavitate: *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis.* Gloſſa addit. His autem aromatibus odor virtutum ſignificatur; qui odores nuptiali gaudio adhibentur, ut in nuptiis fieri ſolet. 5. à loco, *aſtitit à dexteris.* quæ circumſtantia regalis excellentiæ & prærogativæ præfigurata fuit l. 3. Reg. c. 2. v. 19. ubi Salomon fecit poni thronum Matri, ad dexteram ſuam, juſſitque in eo ſedere. §. 10. *Proſecutio.*

Denique David illam Reginam laudat, à famulatum multitudine. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.* Famulatum Mariæ deſcribit S. Gerhardus Ep. in quodam ſer. de B. V. *Dominus noſter JEſus Chriſtus Matrem ſuam magnificat, quæ Angelicis eſt ſtipata choris* (præſertim hodierna feſtivitate vagiens in cunis) *Archangelicis vallata turmis, Thronorum hinc inde obſeſſa jubilationibus, Dominationum circumcincta tripudiis, Principatuum circumſepta obſequiis, Poteſtatum amplexata plauſibus, Virtutum gyrata honoribus, Cherubin circumſtantiata hymnificationibus, Seraphin undique poſſeſſa ineffabilibus cantationibus. Talis tantaque Virgini, tam excellenti Puellæ, magnificentius nomen imponi non potuit, quàm Maria, id eſt, etiam cœleſtium Spirituum Domina.* §. 11. *Proſecutio.*

Brevis ſed magnificentiſſima hæc vocula, quinque continet literas, M A. R. I. A quarum ſingulæ innumera continent myſteria. Ampliſſimum pulcherrimorum encomiorum campum ego tantùm aperiam; vos deinde pulcherrimis & ſanctiſſimis cogitationibus illum pervagari poteritis. Deſideratis quinque pulcherrimas figuras, aut quinque celeberrimas Heroinas ex Veteri teſtamento? In M. invenietis Menſam auream propoſitionis, & Mariam ſororem Moyſis. In A. Arcam Noë, & amabilem Abigail. §. 12. *Quinque literæ nominis, Maria, ſunt plena myſteriis.*

In R.

In R. Rubum incombuſtum, & formoſam Rebeccam. In I. Iridem divinæ reconciliationis & Juditham; in A. arcam fœderis, & Abiſai. Puella hodie nata, eſt illa aurea menſa, &c. (fiat elegans & brevis repetitio) vocetur Maria!

§. 13. *Proſecutio* Deſideratis quinque eximia beneficia, à Virgine hodie nata, humano generi exhibenda? erit noſtra Mediatrix; erit noſtra Advocata, erit generis humani Reparatrix; erit gratiæ Inventrix, erit Auxiliatrix. O ſancti Angeli; O Cœlites! O terrarum incolæ; ſanctiſſimi Parentes, Joachim & Anna, vocate hanc filiam, hanc puellam, Mariam. Deſideratis alios ſuaviſſimos titulos? pupulæ hodie natæ? Litera M. nobis promittit Matrem miſericordiæ. Litera A. Aquæductum. Litera R. rorem cœleſtem, & refugium peccatorum. Litera I. Januam cœli. Litera A. Atrium cœli.

§. 14. *Proſecutio cum conglobatione encomiorum B. Virginis.* Nata hodie puella, erit Mater viventium, arca theſaurorum DEI, Regina, Imperatrix, Auguſta, Magiſtra virtutum, Magnificentia DEI, Mare miſericordiarum, Margarita pretioſa, Mater admirabilis, Mater puriſſima, &c. Miraculum mundi. Dicite Mariam. Puella nata, in A. erit abyſſus gratiarum, ager benedictionis, amatrix mortalium, anchora noſtræ ſpei, arbor vitæ, areola aromatum, aſylum miſerorum; eſt aula Dei, aurora; auxilium Chriſtianorum. Dicite Mariam. In R. erit radix ſpecioſiſſimi floris, radix omnium bonorum, reclinatorium aureum, in quo Filius Altiſſimi quieſcet. Requies ſanctiſſimæ Trinitatis, roſa inter ſpinas. Talem, tantam Puellam & Reginam appellate Mariam. In I. eſt & erit, idea omnium virtutum, illuminatio ambulantium in tenebris, Imago DEI, Imperatrix clementiæ, interemptio maledictionis, &c. Vocate Mariam. Denique iterum in A. Abyſſus, horum omnium, & plurium encomiorum; gaudeo illam propterea appellatam Mariam.

§. 15. *Voluptas eſt loqui de nomine Mariæ* Quæ vocula ita me afficit, ut cogat dicere cum S. Bernardino Ser. 3. de nomine Virg. *Teſtis conſcientia eſt Dominus, quod ſi quando cœleſti gratiâ largiente, laudibus Virginis, valeo totus per horam occupari, tanta mentis lætitiâ ſaucior, tantaque interius ſuavitate perfundor, ut cunctis mundi vanitatibus, & concupiſcentiis conculcatis, nil aliud aut appetam, aut cogitem, quam cum ipſo lætitia Spiritu,*

ritu, ſi daretur ſtatim exilire ad Dominum (& Dominam addo ego) Ad ipſum itaque Mariæ nomen iterum contemplandum iterum, atque iterum deſcendere lubet. Verùm aliud monet clepſydra.

Modò plaudamus ſinguli & applaudamus pretioſo huic nomini Mariæ! etenim ſi Dei atrium eſt, per hoc noſter in cœlum erit ingreſſus. Si cœli janua eſt, nobis quoque patebit. Si refugium eſt peccatorum, habemus in anguſtiis noſtris aſylum. Si Mater miſericordiæ eſt, quid niſi clementiam, amorem bonitatemque maternam ſperabimus? Plaudamus Auditores; recreet nos nomen MARIÆ; Si Auguſta eſt, nos ejus filij; ſi Impetrix, nos ejus Clientes. Si Regina, nos ejus Ephebi. Si arca theſaurorum DEI, nos theſauros ſperare poſſumus, &c. (affectus in Mariam affectuoſum tibi ſuggeret Epilogum) Gratulemur millies natæ puellæ de glorioſiſſimo & auguſtiſſimo nomine Mariæ. §. 16. *Epilogus.*

CONCIO LXXXIII.

FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

Et ſurgens ſecutus eſt eum.

Matth. 9. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COmmendat tres circumſtantias Divinæ miſericordiæ, dum vocavit Matthæum. 1. Ubi, quando, quo loco, in quo ſtatu vocaverit. 2. Quem vocaverit. 3. Ob quas cauſas.

§. 1. *Exordium & Propoſitio.*

§. 2. *Quo loco & ubi, ſive quando Chriſtus Dominus vocaverit Matthæum.*

§. 3. *Pulchrum ſimile.*

§. 4. *Emblema.*

§. 5. *Homini in ſtatu peccati mortalis conſtituto, offerre gratiam, ingens eſt clementia.*

Digitized by Google

§. 6. *Vocatio Sauli, quàm ſuavis & fortis. Ex cap. 9. Act.*
§. 7. *Et converſio S. Petri.*
§. 8. *Et Samaritanæ.*
§. 9. *Et S. Matthæi.*
§. 10. *Vocatio à Deo ſolet fieri tempore congruo.*
§. 11. *Quem vocaverit Chriſtus Dominus.*
§. 12. *Proſecutio.*
§. 13. *Perpenditur adhuc fuſius hæc circumſtantia: Quis vocetur.*
§. 14. *Chriſtus D. convertit Matthæum. I. Vt erigatur ſpes & fiducia peccatorum.*
§. 15. *II. Vt pateat virtus vocantis gratiæ.*
§. 16. *Epilogus.*

§. 1. *Exordium, & Propoſitio*

HIſtoria hodierni Evangelij, ſive vocatio & converſio Matthæi Publicani, magni peccatoris, iterum nobis eſt viva, & pulcherrima imago, ſive ſpeculum infinitæ miſericordiæ, Chriſti Salvatoris erga peccatores; quam toties datâ operâ meis ſoleo Auditoribus proponere, ad excitandum, hinc ingentem fiduciam; hinc ardentiſſimũ tam amabilis ſuavitatis divinæ amorẽ. Hâc concione, in hunc ſcopum collimabo, ut nonnullas adducam circumſtantias, ex quarum conſideratione in lucem prodeat infinita Dei bonitas, atque clementia. Materia, uti perquàm neceſſaria & utilis, ſic & omnibus, præſertim peccatoribus ſuavis erit, atque amabilis; ut proinde non habeam, quod ad benevolam vos attentionem exhorter.

§. 2. *Quo loco & Vbi, ſive, quando Chriſtus D. vocaverit Matthæum.*

Prima circumſtantia eſt, ubi, & unde, & quando, ſive ex quo loco Chriſtus Dominus vocaverit Matthæum; ſive, quod piiſſimus JEſus illum vocaverit, dum actu ſederet in telonio; dum actu immerſus eſſet ſuis lucris, & uſuris; & quod conſequens eſt, dum actu in miſerabili multorum vitiorum ſtatu verſaretur. Et horum quidem radix eſt avaritia in illis, qui bonis hujus mundi inordinatâ cupiditate inhiant; qualis videtur fuiſſe S. Matthæus; uti ex verbis Chriſti D. liquet, cum deinde dixit, murmurantibus Phariſæis, quod cum Publicanis manducaret, non veni, vocare juſtos, ſed peccatores. Quæ circumſtantia loci, & ubi, ſive, vocari à Deo & Chriſto peccatorem, dum actu peccati mortalis ſordibus contaminatus vivit, immenſum addit divinæ miſericordiæ pondus: nam niſi tum vocaretur, nulla prorſus eſſet ſpes converſionis; ſalutis ſpes nulla,

ſed

Digitized by Google

ſed periculum damnationis æternæ continuum. Sed bonus JEſus, licet (S. Chryſoſtomus hom. 31.) *non deſiſtentem à periculoſo officio, ex mediis ipſum evulſit malis.*

Latet pulchrum ſimile. Ut arbor quæ multis annis radices poſuit, evellatur; magnâ vi & fortitudine opus eſt. Talis arbor erat Matthæus; in agro avaritiæ, inter petras & ſpinas, altas egerat radices; quod illas hodie tranſiens Chriſtus Dominus ſuavi aſpectu & dulci alloquio evulſerit, infinitæ ejus potentiæ, & miſericordiæ eſt adſcribendum. Ex loco periculoſiſſimo illum optimus JEſus abſtraxit. *§. 3. Pulchrum ſimile.*

Huc pertinet præclarum illud Emblema; in quo magnes repræſentatur cum ferro, quod arcanâ mirâque virtute attrahit cum lemmate, *Et fortiter, & ſuaviter.* Nimirum magnetis habet naturam Divina bonitas. Ferri duritiem habet peccator. Attrahit Numen quos vult, ſed fortiter attrahit, & ſuaviter: Suaviter! ut liberæ voluntatis arbitrium non infringat; fortiter! ut licet non coactus, attractus tamen veniat homo peccator. Expertus eſt hoc & bono ſuo S. Matthæus; attractus eſt fortiter & ſuaviter. Fortiter! nam magnum erat mammonæ pondus, ipſo ferro ponderoſius, quo gravatus detinebatur. Suaviter! neque enim armis, nec minis, nec fulmine; ſed paucis, iisque ſuaviſſimis verbulis, *ſequere me*; ſurrexit, & ſecutus fuit. *§. 4. Emblema.*

Hoc eſt illud beneficium, & illa, quam DEus exprobrat ingratæ Hieroſolymæ, gratia, dum per Ezechielem cap. 16. v. 6. inquit, *Tranſiens per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo; dixi tibi, cum eſſes in ſanguine tuo, vive! dixi inquam, in ſanguine tuo vive.* Cùm Interpretes per abominabilem hunc ſanguinem, qui ex putridis vulneribus & ulceribus fluebat, intelligant turpiſſima & omnis generis peccata, quibus execrandos & abominabiles ſe reddiderant Judæi, præſertim ob idololatriam, & ſcelera ex illo fonte ebullientia. Senſus citati verſus hic eſt; quod id temporis, quo Judæi verſabantur in miſerabili & deteſtando tot ſcelerum ſtatu; advenerit Chriſtus Dominus cœleſtis medicus, & ſalutarem iis medicinam, vitamq; obtulerit; quam utinam voluiſſent admittere. Quod non admiſerint, illorum tribuas malitiæ; *§. 5. Homini in ſtatu peccati conſtituto offerre gratiam, ingens eſt clementia.*

hoc interim negari non poteſt; magnam iis exhibitam gratiam, dum toties vocati ad pœnitentiam, toties per Prophetas, ipſumque adeo DEum ſunt commoniti, dum toties Divinæ clementiæ ſpes illis fuerit exhibita. Offerre homini in ſtatu peccati mortalis conſtituo gratiam, & toties, & verbis, ſigniſque tam miris, ac dulcibus offerre; magnus, imò maximus eſt infinitæ miſericordiæ actus.

§. 6. *Vocatio Sauli, quā ſuavis & fortis. Act. 9. 6.*

Clarè & pulchrè hanc circumſtantiam advertit S. Lucas in cap. 9. v. 6. Actuum. Etenim dum ibidem admirabilem illum modum, fortem & ſuavem, quo Chriſtus D. fulmine, luceque de cœlo illapsâ convertit Saulum, deſcribit (poteſt breviter hiſt. ex cit. c. narrari,) monet expreſsè textus; contigiſſe hæc, ſive à Chriſto D. vocatum fuiſſe Saulum, tum, cùm ipſe eſſet ſpirans minarum, adverſus Chriſti fideles; tum, cum ipſe tenderet ad includendum carceribus eos, qui novo Evangelio fidem haberent; tùm, cùm moliretur funditus exſcindere nomen JEſu Crucifixi; id quod vox de cœlo illi objecit, *Saule, Saule, quid me perſequeris*; hoc tempore, in his circumſtantiis, Saulum momento illuminari, Saulum commoveri animo, ut exclamaret, *Domine, quid me vis facere*; profectò opus fuit miſericordiæ palmaris, ſingularis gratiæ, amoris immenſi. Fortis & ſuavis fuit vocatio Sauli.

§. 7. *Et converſio Petri.*

Eandem extollere & prædicare poteſt S. Petrus. Laudantur ejus lachrymæ; deprædicatur pœnitentia, &c. cauſam addit textus; quod reſpexerit illum bonus JEſus. Et quando hoc contigit; Ubi? in quo loco? quo tempore? quâ horâ? ſcilicet, cùm immediatè ante illum negaſſet, etiam addito juramento, cum maledixiſſet illi; textus habet, cum nox eſſet, non tantùm ratione temporis, ſed multò magis in intellectu & corde Petri; tum miſericordiſſimus Salvator, in illum oculos ſuæ miſericordiæ convertit, aſpexit, & mentem indidit meliorem. Sine his radiis clementiæ, quid contigiſſet Petro?

§. 8. *Et Samaritana juxta fontem.*

Non ignoramus mulierem Samaritanam fuiſſe à Chriſto Domino converſam prope fontem Sichar. Joan. 4. v. 10. Et quo pacto? Eo nimirum, quo Chriſtus agere fuit ſolitus cum peccatoribus; Petit ab illâ hauſtum; negat illa. Inſtat Chriſtus, & fit amica colloquij proſecutio; in quo pertinax fœmina, tandem ſuaviter & fortiter victa, victas

Digitized by Google

victas præbuit manus veritati: Amabo vos, quando, vel quo tempore Chriſtus D. illi hanc gratiam exhibuit? in quo erat ſtatu? in peſſimo. Vitam agebat impuram, addicta viri alieni commercio. Quod in hoc ſtatu à Chriſto fuerit vocata; tribuendum eſt uni, ſolique ejus miſericordiæ infinitæ.

Quemadmodum & hodierno in Evangelio, converſio Matthæi, §. 9.
quæ contigit, cùm ſederet in telonio, cùm in periculoſiſſimo ſalutis *Et S. Matthai in telo-*
ſtatu verſaretur. S. Bernardus eleganter hanc miſericordiam Dei & *nio.*
Chriſti D. ita deſcripſit: *Non modò immeritos, ſed malè meritos prævenit; ut dum adhuc ſumus filii iræ, & operamur mala mortis, ipſe cogitet ſuper nos cogitationes pacis. Et ne petentibus quidem, imò impœnitentibus; non invocantibus, ſed etiam repellentibus ſpiritum bonum, ſpiritum vitæ, ſpiritum adoptionis largitur.*

S. Ambroſius de hâc eâdem circumſtantiâ ita diſcurrit in S. §. 10:
Lucam, quærit, quare Chriſtus D. S. Matthæum non vocaverit cum *Vocatio Dei*
S. Petro & aliis Apoſtolis? reſpondet; *Quia tunc acceſſit ad illos,* *ſolet fieri tempore*
vocavitque Apoſtolos, quando obtemperaturos ſciebat; ſic nunc quo- *congruo.*
que Matthæum vocavit, quando minimè reluctaturum ſciebat. Conſentit S. Chryſoſt. hom. 31. dum quærit, quare Matthæus non fuerit vocatus cum S. Joanne? & ait: *Quoniam durius adhuc erat diſpoſitus; ſed multa miracula, & multam Chriſti famam, quando aptiorem eum ad obediendum ſcivit.* Ita divina gratia novit & obſervat tempus, horam, locum, aliasque circumſtantias; in quibus novit vocationis ſuæ gratiam fore efficacem. Huc videtur reſpexiſſe David in Pſ. 67. v. 7. ubi laudat Dei miſericordiam; hoc titulo, *Qui educis vinctos in fortitudine.* Cajetanus legit, *In congruentiis.* Quamvis enim illa Dei gratia, quam efficacem vocant Theologi, intrinſecè atque ex naturâ ſuâ non dependeat à tempore, loco, aliisque vel perſonæ, vel ordinis circumſtantiis; ea tamen eſt Dei bonitas, ut in conferendâ hâc ipſâ, quam diximus, gratiâ efficaci, tam temporis quàm loci, ipſiusque hominis diſpoſitionis, paſſim ſoleat habere rationem. Docet id experientia, quâ videmus noſmetipſos hoc potius, quam illo tempore diſpoſitos eſſe ad contritionem, ad lachrymas, ad ſincerum Dei amorem, &c. Hoc eſt, educere vinctos in fortitudine, vel ut Cajetanus loquitur, *in congruentiis.*

Ll 3 Aggredior

Digitized by Google

§. 11. *Quem vocaverit Chriſtus D.* Aggredior alteram circumſtantiam, quis fuerit vocatus? Publicanus; de quo S. Chryſoſt. hom. 30. in c. 9. Matth. quærit? *Quid publicano pejus?* Vocavit quidem Chriſtus D. piſcatores, homines rudes; piſcatura tamen artificium eſt, & opus honeſtum. Publicanorum autem ſtudia, & exercitatio, impudentiâ & crudelitate plena eſt; quæſtus nota illiberalis, turpis quædam mercatura; imò rapina, lege ſæculari conceſſa, &c. *Quæ omnia non erubuit Dominus. Sic ſibi amicum fecit publicanum; nec mirum, quoniam nec meretricem erubuit; quam non à fornicatione ſolùm eripuit, verùm etiam pedes oſculari permiſit.*

§. 12. *Proſecutio.* De iiſdem publicanis ait Janſenius c. 13. Concord. Evang. *Hujusmodi hominibus in proclivi fuit, vi & rapinâ peccare, &c. conſequenter mentiri, decipere, jurare, &c.* Et tamen miſertus eſt Chriſtus Salvator. Ut ubi abundavit iniquitas, ſuperabundet & gratia. Li, *ſedebat*, ſcilicet Matthæus in telonio, arguit juxta Interpretes, non corpore tantùm, ſed & animo fuiſſe affixum temporali lucro. Gloſſa Interlinearis, *ſedentem*, ait, hoc eſt, *pertinaciter lucris inhiantem.* Quis putaſſet, hic futurum gratiæ locum? & tamen fuit; miſertus eſt Chriſtus huic, Matthæo, publicano, uſurario; tali loco ac tempore. O amabilis gratia! O grata Salvatoris amabilitas! tum pulſavit ad portas cordis Matthæi, cùm ſcivit illas vocationi fore patulas, & pervias.

§. 13. *Perpenditur adhuc fuſius hæc circumſtantia; Quis vocetur.* Applicant aliqui Matthæo v. 2. c. 3. Jeremiæ, *In viis ſedebat, exſpectans eos, quaſi latro in ſolitudine.* Unde publicani in linguâ Hebraicâ vocati fuerunt, Pariſim, id eſt, latrones. Cauſam ſedendi expreſſit Regius Pſaltes Pſ. 10. v. 8. *Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis* (in aliquo telonio, id eſt, in loco iniquitatis) *ut interficiat innocentem. Oculi ejus in pauperem reſpiciunt; inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpeluncâ ſuâ; inſidiatur, ut rapiat pauperem.* (Habes locum pro acri invectivâ in publicanos & latrones hujus temporis.) Addit Auctor Incognitus; *Sedebat, quia peccabat peccati conſuetudine.* Sanctus Petrus Chryſologus aſſerit, Matthæum fuiſſe ſedentem, id eſt, planè immerſum avaritiæ. Ser. 29. ait, *Sedebat utique, quia ſtare non poterat, pondere cupiditatis oppreſſus, & totus conſcientiâ fraudis incurvus.* Aurum naturâ grave, ſed gravior avaritia; premit

Digitized by Google

mit illius pondus; hæc & premit & opprimit. Aurum diſtrahit in varias curas animum; magis diſtrahit avaritia; quæ mentem à cœlo in ipſum demergit tartarum. Expertus hæc erat Matthæus. Et tamen adeſt Divinus amor, adeſt efficax Dei gratia; vocat nil minus cogitantem; & ſuaviter! & fortiter! vocat, non meritum. O gratia Dei efficax! O quantum in te eſt momenti; dum vocas ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt; vocas arida, & reddis vegeta: vocas mortua, & vivificas! vocas cœca, & illuminas: vocas miſeros, & omni beas genere felicitatis!

Reſtat modo tertia circumſtantia, Cur vocaverit; Afferunt SS. Patres duplicem potiſſimùm cauſam; Altera eſt S. Chryſologi ſer. 29. *Cum Matthæum publicanum Dominus ad Apoſtolatus faſtigium evocat & extollit; dat manum lapſis, ſpem reſtituit deſperatis.* Si ſubinde novus in urbe medicus ægrum aliquem deſperatum, vel magnum, ut loquitur ſanctus Auguſtinus, felici curâ ſanitati reſtituit, reliqui ægri omnes ſpem magnam concipiunt, & ſe ab illo pariter reſtituendos ſanitati, confidunt. Si itaque Chriſtus Dominus Magdalenas, Samaritanas, ſi adulteras ſanare & convertere potuit; ſi ſanctum Petrum tam efficaci oculorum obtutu convertit momento ad fletum & lachrymas; ſi pendulus de cruce potuit emollire cor latronis, jam in agone conſtituti; ſi Matthæum tam ſubitò potuit avellere à telonio; ecquid nos volumus animis cadere? abſit. Idem, qui tum fuit Jeſus, ſuavis, mitis, miſericors, talis eſt adhuc hodie. Neque hodie erubeſcit admittere publicanos & peccatores, qui non erubuit olim. §. 14. *Chriſtus D. convertit Matthæum; I. Erigatur peccatorum ſpes & fiducia.*

Alteram cauſam attulit S. Chryſoſt. *Virtutem vocantis voluit oſtendere*, & vim, atque operationem ſuæ gratiæ. Hanc vim in ſe ipsâ obſtupuit ſancta Pelagia, cùm dixit ad ſanctum Nonnum Epiſcopum. *Ego ſum illa Pelagia; pelagus iniquitatis, exundans fluctibus peccatorum, perditionis abyſſus, laqueus animarum, ſed fecit in me miſericordiam Dominus. Ego illa ſum infelix creatura, mille titulis devota inferno victima; ſed fecit in me Dominus miſericordiam. Illa ſum ego, quam tellus dehiſcens potuiſſet, imò & debuiſſet abſorbere, quam cœlum fulminare,* §. 15. *II. Ut pateat virtus vocantis gratiæ.*

re, quam aqua ſuffocare, ſed fecit in me Dominus miſericordiam. Benedictus Dominus in ſæcula ſæculorum.

§. 6. Epilogus. Eadem hodierna die potuiſſet eſſe D. Matthæo oratio; & forſan etiam fuit, nam quis dubitet, quin ejusmodi animum ejus cogitationes piæ ſubierint. Sed ah! utinam ſit & talis noſtra oratio! O JESU! O qui divinos clementiæ oculos hodie defixiſti in Matthæum, defige & illos in nos; fac & nobiſcum miſericordiam, miſerere illorum, quos pretioſâ ſanguinis purpurâ redemiſti; & licet immeritis, divinum gratiæ tuæ efficacis (ſine quâ nemo unquam ad te perveniet) donum clementiſſimè concede, Amen.

CONCIO LXXXIV.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.

Matth. 18. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MAgnum DEI beneficium eſt, quod cuivis homini aſſignaverit Angelum Cuſtodem. Miſcentur varia Angelorum officia & beneficia; propter quæ laborandum nobis eſt, ut in gratiarum actionem, illis per varias virtutes ſimus ſimiles.

§. 1. *Michael Archangelus eſt Princeps cæleſtium ſpirituum.*
§. 2. *Propoſitio.*
§. 3. *Anima juſti eſt paradiſus, hortus concluſus, lectulus & ferculum Salomonis.*
§. 4. *Proſecutio.*
§. 5. *Cuſtodia paradiſi demandata fuit Cherubino.*

§. 6. Sancti

§. 6. Sancti Angeli ſunt murus & ſexaginta fortes.

§. 7. Quantopere indigeamus Angelorum auxilio.

§. 8. Sancti Angeli Cuſtodes extinguunt ignem libidinis.

§. 9. Tria efficacia media contra luxuriam.

§. 10. S. Angeli ſunt caſtorum hominum propugnatores.

§. 11. Amatores quoque & Cultores, quod brevibus exemplis oſtenditur.

§. 12. Angeli conſolationis.

§. 13. Laboremus; ut SS. Angelis ſimus ſimillimi.

§. 14. Viſio S. Melchtildis, cum Epilogo.

PUlcherrimis verbis Sophronius hodierno feſto alloquitur Cœleſtium Spirituum Ordines, dum ait, *O Seraphin, quæ ſex alis exornata, inque primâ cæleſtium exercituum acie collocata, veſtro ardore cæteros omnes accenditis! O Cherubin oculis plena, quæ internis viribus, vi ratiozinante, nimirum fortitudine, & cæleſti celſitudine, magnificè exculta, omni ſapientiâ plena eſtis. O Throni, ardore accenſi, qui DEO Optimo Maximo ſedes, vehiculum & requies eſtis! O venerandæ Dominationes, quæ divinam auctoritatem veſtro munere exprimitis, cæleſtiumque bonorum communicationem, citra ullum prorſus impedimentum excipitis! O Poteſtates, quæ nullâ ſervitute valetis premi, nullo turbine concuti. O immotæ maſculæque Virtutes, quæ propter animi robur, divinam potentiam, & vim adumbratis; O flecti, moverique neſcij Principatus; O Archangeli, Angeli, ad hominum cuſtodiam, miniſteriumque à DEO deputati.* Tum ſubdit in particulari, *O ter ſanctiſſime, ſummeque amande & venerande ſacræ hujus militiæ Princeps Michaël.* Probabile enim eſt Michaëlem, poſt lapſum Luciferi, eſſe Angelorum omnium perfectiſſimum. Ideo à Daniele cap. 10. v. 12. vocatur *Princeps magnus.* Et S. Baſilius hom. de Ang. ait; *Tibi O Michaël Duci ſupernorum ſpirituum, qui dignitati & honoribus prælatus es, cæteris omnibus ſpiritibus ſupernis, tibi inquam ſupplico,* &c. & Pantaleon Diaconus apud Lipom. Primum locum obtinet inter mille millia, & decies mille myriades Angelorum, S. Michaël - maxima & clariſſima ſtella Angelici Ordinis. Ex quibus SS. Angelorum, & S. Michaëlis encomiis, colligere poſſumus infinitum DEI amorem, erga nos homines; cùm Spiritus tam

§. 1. Michaël Archangelus eſt Princeps Cæleſtium Spirituum.

Digitized by Google

eximios Principes deputarit in noſtri cuſtodiam. Omnes enim adminiſtratorij ſunt Spiritus, in miniſterium miſſi. S. Bern. Ser. 1. de Mich. *Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipſe quoque Creator, & Rex Angelorum venit non miniſtrari, ſed miniſtrare.*

§. 2. *Propoſitio.* Quantum Angelorum cuſtodia ſit beneficium, ex diverſis ſacræ ſcripturæ locis hâc concione demonſtrabo. Et primâ quidem parte finem, in quem ſuos mundo Angelos divina bonitas aſſignarit, attingam. Atque ille quidem meo judicio duplex eſt; alter, ut paradiſum cuſtodiant, ejuſdemque ſint quaſi ſeps & murus; alter ut myſticum quoque paradiſum, id eſt caſtas ac puras animas adverſus laſcivientium ferarum incurſus, protegant, defendant, cuſtodiant. Adeſte animis Auditores, & de Angelis locuturum, Angelicis quoque cogitationibus proſequimini.

§. 3. *Anima juſti, eſt paradiſus, hortus, lectulus ferculum Salomonis.* Quatuor loca ex ſacris literis modo revocate in memoriam. I. v. 24. c. 3. Geneſis; *& collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem.* II. v. 12. c. 4. Cant. *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus.* III. v. 8. c. 3. Cant. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi, uniuscujuſq; enſis ſuper femur ſuũ, propter timores nocturnos* De hoc lectulo ait Sponſa Cant. 1. v. 16. *lectulus noſter floridus eſt.* IV. v. 9. c. 3. Cant. *ferculũ fecit ſibi Rex Salomon,* &c. Ex his locis oriuntur pulchræ quæſtiones apud interpretes ſcripturæ. Quis ſit ille paradiſus, ille hortus, ille lectulus, illud ferculum; quis ille Cherub, quis flam̃eus ille gladius, quis murus horti, quinã illi ſexaginta fortes? quinã timores nocturni, reſponſa ad has quæſtiones oſtendent, quomodo DEus per Angelos cuſtodes ſuos cuſtodiat.

§. 4. *Proſecutio.* Paradiſus, ſenſu literali, fuit amœniſſimus ille locus, in quo Deus primos parentes inter veris delicias condidit. Loci hujus amœnitati modo non inhæreo; ſenſu myſtico Paradiſus voluptatis eſt B. V. vel Eccleſia, imò quævis anima juſti, ut latè probãt Pererius, Salazar Spinet. de B. V. eleganter Caniſius, *Paradiſus generis omnis floribus exornatus, quibus Apis illa cæleſtis, hoc eſt, incarnata Sapientia ibidem habitatura paſceretur.* Hortus concluſus ſenſu literali fuit hortus Salomonis, de cujus divitiis, elegantia, amœnitate videri poteſt P. Serlochus in Cant. Heſychius or. 2. de Deip. Epiph. S. de laud. V. D. Hier. Honorius, Rupertus, alij plurimi in Cant. ſenſu myſtico hortum conclu-

Digitized by Google

ſum vocant B.V.& merito. Eodem ſenſu talis hortus ſponſi eſt quævis anima ſancta, & pari ratione, vel floridus lectulus, vel aureum ferculum,& gemmeum reclinatorium Regis cœleſtis per gratiam & charitatem, reliquaque dona Spiritus ſanct. Honorius. *Lectulus Salomonis eſt anima juſti, in quâ requieſcit DEus, ut ſcribitur; ſuper quem requieſcam, niſi ſuper humilem*, &c. Econtra verò animæ impiorum, ſunt ferculũ, ſedes ac lectus cacodæmonis; quem tamen ſi volumus Angelorum ope, facile poſſumus extrudere, in ejuſq; locũ, eum, qui eſt dulcis hoſpes animæ, Spiritum S. admittere. Sed redeo ad meum diſcurſum, ſi quis interroget, quã ſit formoſa hominis anima, in quâ divina gratia commoratur; in promptu erit reſponſio, Paradiſus eſt, Hortulus deliciarum eſt, lectulus Salomonis eſt,& ferculum ejuſdẽ.

Verum, nunquid par fuit, tali paradiſo apponere Cuſtodem, cùm flammeo gladio, talem hortum claudi muro, ut aliqui putant igneo, talem lectum cingi vigiliis? hoc fecit bonus DEus. Nam, ex mente doctiſſimi Patris Pererij; ante fores paradiſi conſtitutus fuit quidam Cherub, id eſt, fuit occulta quædam virtus ac præſidiũ, quo aditus Paradiſi omnibus prohibitus fuit, ne quis poſſet intrare. Opinione aliorum Interpretum, locus ille voluptatis, ne quis intraret, cinctus fuit zonâ torridâ; ſive, ſi Nicolao Lyrano credimus, poſt egreſſum Adami, circumquaque ex terrâ erupit ignis, inſtar ignei circuli, vel flammeæ coronæ, aut muri, quem tranſire nemo fuit auſus. Mens Theodoreti hæc fuit. Per Cherub intelligi terribiles formas & ſpectra, vel figuras animalium, v.g. igneos leones, urſos, &c. qui accedentes minitando terrebant. Has & ſimiles cogitationes rejicit nominatus P. Pererius, cujus probabilior eſt ſententia, fuiſſe Angelos, quibus cura cuſtodiendi Paradiſi fuit demandata. §. 5. *Cuſtodia Paradiſi demandata fuit Cherubino.*

Simili ratione DEus paradiſum myſticum, ſive animam cujus vis hominis, Angelo alicui Cuſtodi cuſtodiendã tradidit,& hoc ſenſu, Angelorum cuſtodia,& præſidium eſt veluti murus, quo circumdatus eſt hortus; ſancti Angeli, ſunt ſexaginta fortes, id eſt, ſtrenui & egregii milites, quales Regũ corpora ſtipare ſolent, atq; defendere; ad bella fortiſſimi, quos divina nobis bonitas aſſignavit, ut & nobiſcum, & pro nobis deprælientur contra potentiſſimos, qui nos oppugnant animarum hoſtes; qui vocantur timores nocturni; hinc in ſacris literis frequenter vocantur exercitus; & DEus plus quàm §. 6. *SS. Angeli ſunt murus, & ſexaginta fortes.*

 ducenties,

Digitized by Google

ducenties, dicitur Dominus exercituum, id eſt Angelorum. Gen. 2. v. 1. ait textus, *perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.* Quæ verba Hebræi & Chaldæi ſic legunt, *Omnis exercitus eorum, ſive Angeli.*

§. 7. *Quantopere indigeamus SS. Angelorum auxilio.*

O nos miſeros ſine his propugnatoribus; quot enim hoſtes, quot ſpectra, quot tentationes, quot timores nocturni! qui conantur ingredi hos paradiſos, hos hortos; qui regij thalami poſſeſſionem vi evincere conantur! actum eſſet niſi ſanctorum Angelorum exercitus pro nobis decertaret. Sed non aliunde gravius periculum, quàm ab igne. O Paradiſe! cave ignem, O hortule, non deſunt vulpeculæ, quæ te ſuffodere conantur, ſed cave flammas! O lectule, vide ne pro roſis & floribus Sathan ſupponat carbones. Cave ignem de quo Deut. 3. v. 3. dicitur, *Ignis devorans atque conſumens.* 2. Reg. 22. verſ. 13. *Succenſi ſunt carbones ignis.* 2. Reg. 23. verſ. 7. *Prævaricatores quaſi ſpinæ evellentur igneque ſuccenſa comburentur ad nihilum.* Job. 31. v. 12. *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Eccl. 7. v. 19. *Vindicta carnis impij, Ignis & vermis.* Peſtilens hic ignis, infernalis hæc flamma, niger hic carbo ad ignem diſpoſitus eſt libido & luxuria, hæc devorat & conſumit gratiam in anima, hæc generat ſpinas, quæ erunt æterni incendij in inferno pabulum; hæc flamma libidinis eradicat genimina & radices virtutum: ſic eſt ille ignis, qui Angelos commutat in carbones. Et quotus eſt, qui ab igne ſemper ſit immunis? quotus eſt, in cujus anima & corde, vel lumbis turpis Aſmodæus has faces accendere non conatur? O nos miſeros! ſine Angelorum cuſtodia! O infelices! niſi ab illis protegamur: horum enim ope hunc ignem facillimè poſſumus extinguere. Patet id ex cap. 3. v. 50. 51. 52. Danielis.

§. 8. *SS. Angeli Cuſtodes extinguunt ignem libidinis.*

Juſſu regis, tres pueri, Sidrach, Miſach & Abdenago conjecti ſunt in igneam fornacem, *fornax autem ſuccenſa erit nimis*, pueris tamen flam̃a nihil nocuit; obambulabant inter ignes in fornace laudantes Deũ, ſuaviſſimo illo cantico, *Benedicite*, &c. Zeno, *Incenſores cremantur, incenſis hymnũ canentibus flamma blanditur.* S. Aug. *fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expaveſcunt.* Omnes hoc aſcribunt miraculo, de modo tamen eſt quæſtio; potuit enim excitari aliquis ventus, qui flam̃as à pueris abegit, juxta v. 50. *Et fecit mediũ fornacis, quaſi ventum*

Digitized by Google

ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis. Vatablus hunc ventum vocavit, roſcidum flatum, ſuſurrantem & humidum. Potuit de cœlo decidere ros aliquis, qui pueros, veſteſque ita madefaceret, ut ignis illas accendere non potuerit: potuit & auctor naturæ flammis adimere vim naturalem comburendi; potuit forſaſſis id obtinere fervens eorum oratio, &c. Mihi placet verſus 49. cit. cap. *Angelus autem Domini deſcendit & excuſſit flammam ignis de fornace.* Ut ut ſit, quocunque demum modo id factum ſit, quis dubitet, per Angelos DEI miniſtros id factum. Quod ſi beneficio venti, depulſus eſt ignis à corporibus trium juvenum; hunc ventum excitarunt Angeli: ſi naturalis flammarum activitas cohibita eſt; cohibuerunt volente ſic Numine Angeli. Ab Angelis, & per Angelos tantum in tres juvenes beneficium promanavit.

Accenſa & Babylonica fornax eſt hic mundus, multis profecto de cauſis, ſed præcipuè ob flammas libidinis! O aurea juventus! O quàm citò, quàm miſere involveris his ignibus! ah! de quam multis ideo dici poteſt, comburentur in æternum. Gratulor illis, qui illæſo & virgineo pede incedunt per has flammas, caſti, mundi, illibati; ſpirantia & viva miracula divinæ gratiæ! Quod triplici potiſſimum medio eſt aſcribendum. I. Vento; id eſt ferventibus ſuſpiriis, ardenti orationi, quâ eximium hoc donum, vel à caſtiſſimo ſponſo, vel puriſſimâ Virgine Dei matre, continuò efflagitant. II. Rori, id eſt pretioſo ſanguini Chriſti, quem in frequenti Communione avidiſſime hauriunt. In corde, aſperſo hoc rore, infernalis hæc flamma vim nullam habet. In tali corde, roſcido & humido, prunæ & carbones libidinis non urunt. III. Angelis cuſtodibus, ſi ſedulis precibus à clientibus opera eorum imploretur. Ideo ſuadet S. Bernardus: *Quoties graviſſima cenſetur urgere tentatio, tribulatio vehemens imminere, invoca cuſtodem tuum, Doctorem tuum, adjutorem tuum-inclama eum, & dic, Domine ſalva nos, perimus.*

§. 9. *Tria efficacia media contra luxuriam.*

Hinc SS. Patres ſanctos Angelos vocant propugnatores caſtitatis; quod agnovit Juditha; ut enim tacitis ſuſpicionibus, qualis ex caſtris Holofernis rediret in urbem, occurreret, dixit cap. 13. v. 20. *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus.* Ideo S. Cæcilia dixit juveni laſcivo; *Habeo cuſtodem corporis mei.* Adoleſcen-

§. 10. *Sancti Angeli ſunt caſtorum hominum propugnatores.*

leſcentem, qui vim inferre voluit S. Agneti, Angelus ejus cuſtos humi proſtratum necavit. Alium, qui vim tentavit contra ſanctam Catharinam Suedicam, Angelus cuſtos excœcavit. Cum S. Theophila duceretur ad locum infamem, ita oravit, *Dilecte mi! Cor meum! Sponſe mi! & lumen oculorum meorum! Virginitatis meæ cuſtos, &c. Sit tibi curæ ſponſa tua, neque permitte, ut innocenti oviculæ noceant lupi: qui primus in illam impetum fecit*, ab Angelo cuſtode momento fuit exanimatus; alter excœcatus; attonitis ſociis, qui ad latus Virginis formoſum aſtantem Angelum viderunt.

§. II. Amatores & cultores, quod brevibus exemplis oſtenditur.

Ut propugnatores, ſic caſtitatis, ſive caſtorum hominum ſunt amatores, & cultores. Sancta Anthuſa, caſtiſſima Virgo, cùm amore ſponſi, pretioſam veſtem obtuliſſet pauperi, angeli cuſtodes illam alio candiſſimo habitu, mirè venuſto, veſtiverunt. S. Guttæ Romanæ, juveni ſed angelicæ caſtitatis viduæ, angelus ejus cuſtos illi donavit auream Beatæ Virginis imagunculam. S. Cæciliæ & Valeriano ſponſo, cùm caſtum ſuſcepiſſent propoſitum, angelus geminum amœniſſimum oſtendit ſertum, ex roſis paradiſi compoſitum. B. Joſephus Hermannus meruit deſponſari DEI Matri, procurante id angelo ejus cuſtode, & coram Virgine aſſerente, Joſephum hoc favore cumprimis dignum exiſtere. S. Nympham Panormitanam in Sicilia Virginem, poſtquam ea decreviſſet cœleſti ſponſo offerre ſuam virginitatem, angelus cuſtos inviſit, & muneris loco illi obtulit coronam ex roſis & liliis. Cordubæ in Hiſpania, juvenis caſtitatis laude inſignis, cum in agone ultimo angelo ſuo tutelari, pro innumeris beneficiis ageret gratias, is ſe illi ſpectandum præbuit, & mortualem clientis lectulum, quaſi amplexum daturus eidem acceſſit; Extendit & ſuas ad bonum angelum manus æger; & dum extendit, exſpiravit. O felix amplexus! Quid dicam de angelico Doctore, Divo Thoma Aquinate? ſcimus victorem caſtiſſimum candido virginitatis cingulo donatum ab angelis. Quid de B. Stanislao? ſcimus ſacratiſſimam illi ſynaxim allatam ab angelis. Quid de S. Roſalia? ſcimus virgineum ejus caput coronatum roſis per angelos. Quid de quodam anonymo ſacerdote, virgineæ puritatis amantiſſimo? ſcimus illi ad aram facienti, angelos aſtitiſſe, reſpondiſſeque miniſtros. Scimus alios admonitos ab angelis, de imminente horâ mortis. B.

Joanni

Joanni Angelo, caſtiſſimo magnæ matris clienti ægro, aſtiterunt angeli, exceperunt ſanguinem, & in omnibus neceſſariis miniſtrarunt. S. Ermelindis Virgo; inter acclnentes angelorum choros mortua, ab iisdem fuit ſepulta, cum ſuaviſſimâ cœleſtium muſicorum melodia. S. Marcellus Abbas inter orandum à SS. Angelis in altum ſublatus, viſus fuit fulgere inſtar ſolis, pro ejus tutela coruſca crux è cœlo contra hoſtes patrocinantibus ſanctis angelis tela miſit, & fulmina. S. Franciſcæ Romanæ, nocte frequenter aſtitit angelus cuſtos radians inſtar facis, ut ſine alio lumine poſſet recitare horas.

S. Guthlaco Eremitæ quotidie mane & veſpere viſibilis adfuit angelus cuſtos, & ajebat, illum eſſe angelum ſuæ conſolationis. Angelum conſolationis puto fuiſſe illum angelum, qui S. Marco Evang. conjecto in carcerem oſtendens librum dixit, *Serve Dei Marce, en ſcriptum eſt nomen tuum in libro vitæ cœleſtis, & memoria tua non delebitur in æternum, Archangeli ſpiritum tuum in cœlos ſuſcipient.* Angelos conſolationis puto fuiſſe, qui captivos Martyres frequenter in carceribus ſuavibus allocutionibus & epulis refecerunt; qui eorum ſanarunt vulnera, & cœleſti muſica non rarò recrearunt. Angelos conſolationis puto fuiſſe illos, qui S. Onuphrio, plus quam quinquaginta annis latenti in antro pœnitentiæ, octavo quoque die attulerunt SS. Communionem. Angelos conſolationis puto fuiſſe, qui S. Ladislao Hungariæ Regi, in ſingulari certamine contra hoſtes ſtrictis gladiis aſtiterunt; & victoriam obtinuerunt. Angelus conſolationis ſine dubio fuit, qui S. Glyceriæ Virgini, è capillis pendenti, ungulis laceratę, tormenta ejus temperavit, à compedibus abſolvit, fornacem extinxit, detractam capiti cutem reſtituit, & aſtitit. donec tandem ad cœlum cœleſti voce evocata, uno leonis morſu, facta eſt glorioſiſſima Martyr, & victrix ab angelis delata ad cœlum. §. 12. *Angeli conſolationis.*

Harum conſolationum ſi deſideremus eſſe participes, à nobis requiritur. I. ut pro tanto beneficio angelicæ cuſtodiæ Deo Opt. Max. maximas agamus gratias. II. ut hos noſtros cuſtodes peculiari proſequamur amore, & veneratione; quod fiet, ſi conemur illis eſſe ſimillimi. Quam vero ſimilitudinem à vobis exigam, colligite ex modo, quo pictores & ſacræ literæ in externâ ſpecie & figurâ tam nobiles §. 13. *Laboremus, ut Angelis ſimus ſimillimi.*

Digitized by Google

les ſpiritus nobis ſolent repræſentare. Pinguntur plerumque eleganti decore & radiis illuſtri facie; in niveis veſtibus, cùm aureâ zonâ, & deauratis armis; cùm alis! gemmeis ſertis ſolent coronari capita; manu præferunt vexillum crucis. Utinam, O utinam tales eſſent Angelorum cultores! formoſa ſit illis facies; ſed animæ facies formoſior; Niveæ veſtes, quid, niſi conſcientiæ puritatem? aurea zona, quid, niſi amoris præſtantiam? aurea arma, quid, niſi virtutum variarum apparatum? geminæ alæ, quid, niſi promptam ac celerem Deo, ejusque præceptis parendi voluntatem? gemmeum ſertum, quid, niſi coronam conſtantiæ? Crucis denique figura, quid, niſi inclytam virtutem patientiæ ſignificant? Tales eſtote Angeli, mei Auditores; vos præſertim adoleſcentes; ſub quorum ſpecie frequentiſſimè ſpectandos ſe ſe præbuerunt ſpiritus illi cœleſtes.

§. 14. *Viſio S. Mechtildis, cum epilogo.*

S. Mechtildis l. 1. grat. ſpirit c. 54 vidit aureum aſcenſum, novem gradibus diſtinctum, ingenti multitudine Angelorum obſeſſum: ita ut in infimo gradu ſederent angeli; in ſecundo Archangeli, & ita deinceps. In quovis gradu inter angelos conſpexit plurimas animas ſanctorum hominum. Pacificos & benefactores pauperum vidit inter Angelos. Orationi deditos inter Archangelos. Virtutum amatores inter Virtutes. Triumphatores vitiorum inter Poteſtates, Paſtores animarum inter Principatus. Domitores concupiſcentiæ inter Dominationes. Puros & contemplativos inter Thronos. Scientiâ celebres inter Cherubinos. Amore Dei flagrantes & eximios, inter Seraphinos. Videte nunc Auditores, in quibus nos gradibus conſiſtamus. Videte, an mores noſtri nos probent angelos. Angelus eſt, quisquis vivit angelicè. Angelus eſt, quisquis etiam in carne angelicæ eſt puritatis æmulator. Angelus eſt, quisquis angeli ſui cuſtodis amans, ejus vocem, monitaque obſervat, ſi obſervat, fideliſſimeque iis inſiſtit, omnibus in viis ipſius quoque fideliſſimi erunt comites, in manibus portabunt, ne pedem ſuum offendat ad lapidem, eumque feliciſſimè poſt hanc lachrymarum vallem ducent ad cœleſtem paradyſum, ubi cum illis DEUM à facie ad faciem videbit.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXXV.

FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.
Joan. 15. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRes proprietates Dilectionis proximi. I. compatitur miſeris, ſi poteſt, ſuccurrit. II. Per illam homo diligit proximum ſicut ſe ipſum. III. Non tantùm verbo ſed opere.

§. 1. *Quàm ſerio Chriſtus D. in fine vitæ nobis inculcarit dilectionem proximi.*

§. 2. *Fundamentum concionis ſumitur ex illo S. Pauli, quod ſimus membra corporis Chriſti.*

§. 3. *Sequitur inde prima dilectionis hujus proprietas, compaſſio, auxilium. [ab apiculâ.*

§. 4. *Charitatem poſſumus diſcere*

§. 5. *Tales apiculæ fuerunt S. Paulus, Talitha, Simon & Judas. Chriſtus D.*

§. 6. *Invectiva in vitia contra hanc charitatem.*

§. 7. *Proſecutio ex S. Chryſoſtomo.*

§. 8. *Altera proprietas: debemus diligere proximũ, ſicut nos ipſos.*

§. 9. *Non tantùm verbo, ſed opere.*

§. 10. *Epilogus.*

§. 1. *Quàm ſerio Chriſtus D. in fine vitæ nobis inculcarit dilectionem proximi.*

IN ultimâ nocte, quâ Chriſtus Dominus, iturus ad paſſionẽ ſuam inſtituit teſtamentum, ſive Sacramentum corporis & ſanguinis ſui: paulò poſt Apoſtolis & diſcipulis ſuis ultimam ſuam declaravit voluntatem his verbis, *hæc mando vobis ut diligatis invicem.* Mos hic eſt parentum, ut inſtante morte vocent ſuos filios, & res majoris momenti & deſiderij ſui præcipui illis non ſemel, ſed iterum atque iterum commendent. Idem fecit Chriſtus D. morti vicinus, cum in ultimo ſermone diſcipulis ſuis præceptum charitatis proximi ter inculcavit. I. c. 13. 34. Joh. dixit: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Novum eſt hoc mandatum, *quia* (S. Auguſt.) *exuto vetere induit nos hominem novum, innovat quidem nos non omnis, ſed iſta dilectio, quam Dominus mandat.* Novum

eſt mandatum, ob novum modum, quo debemus diligere. Lex vetus juſſit amari proximum, ſicut nos ipſos amamus; Chriſtus autem jubet ut proximum diligamus ſicut ipſe nos dilexit; dilexit autem intenſiſſimè, ut licet inimici fuerimus, tamen pro nobis in Cruce ſit mortuus. II. idem præceptum ſuis inculcavit cit. verſu, *Hæc mando vobis*, &c. & III. tandem in eod. c. 15. v. 17. ait: *hoc eſt præceptum meũ, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* P. Maldonatus: *hoc mandatum ſuum vocat Dominus, non quod alia non habeat, quæ & ipſa à nobis ſervari velit, ſed quod hoc maximè omnium commendet, & maximè omnium ſervari velit: quia cum illo plurima alia ſervantur. Toties denique hoc mandatum repetiit, quia ſciebat non ſatis pro ſuâ dignitate poſſe commendari.* Ego in meis Concionibus jam aliquoties hanc dilectionem vobis commendavi, modo tres ejus proprietates proponam. I. eſt dilectio proximi, miſeris compatitur, ſucurrit, &c. II. per illam homo diligit proximum ſicut ſe ipſum. III. non tantum verbo, ſed opere, &c.

§. 2. Fundamentum Concionis deſumitur ex illo S. Pauli, quod ſumus membra Corporis Chriſti.

Epiſtola 96. ait ſapientiſſimus Seneca: *Membra ſumus corporis magni.* Corpus vocat pulcherrimum hunc mundum, quem oculis cernimus; cœli, ſol, luna, ſtellæ, elementa, ignis, aër, aqua, terra; volucres in aëre, piſces in aquis, beſtiæ, arbores, plantæ, germina terræ, membra ſunt hujus corporis. Nobiliſſimum locum inter omnia obtinet homo: ideò Seneca, *membra ſumus hujus corporis.* Sed eſt aliud corpus myſticum de quo S. Paulus ad Epheſios, c. 1. v. 23. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* c. 4. ad Epheſ. v. 12. *Dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores in ædificationem Corporis Chriſti.* Ad Col. 1. v. 18. *Ipſe eſt caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* c. 3. v. 15 *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in quâ & vocati eſtis in uno corpore.* His poſitis dicere poſſumus cum Seneca, *Magni corporis ſumus membra*; vel potius cum S. Paulo, ad Eph. 5 v. 30. *Membra ſumus Corporis ejus, & de carne ejus, & de oſſibus ejus.* c. 4. 25. *Sumus invicem membra.* 1. ad Cor. 6. v. 15. *Neſcitis quoniam corpora veſtra ſunt membra Chriſti.* ex hoc diſcurſu colligo quandam perfectionem vel proprietatem, quam in dilectione proximi neceſſario requirit.

S. Pau-

Digitized by Google

S Paulus 1.adCor.c.12.v.25.*Non eſt Schiſma in corpore,ſed idipſum pr oinvicem ſolicita ſunt membra: & ſi quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* S.Ambr.3.Offic.*Hac utique lex natura eſt, qua nos ad omnem aſtringit humanitatem, ut tanquam unius corporis partes, alter alteri deferamus - cum contra natura legem ſit non juvare - ſic ergò naſcimur, ut conſentiant membra membris, & alter alteri adhæreat, & obſequantur ſibi mutuo in miniſterio.* Iterum S.Paulus 1.Cor.12.v.12.*ſicut corpus unum eſt, & membra habet multa, ita & Chriſtus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, &c.* & ſubdit *ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, ſicut gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra: vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Hoc latet ſimile: Pedi v.g. eſt infixa ſpina, & univerſum corpus ſentit, & cruciatur, incurvatur dorſum, inclinatur caput, oculi acurratè vulnus circumſpiciunt, imò & mens ipſa attente conſiderat, quonam modo ſpina melius extrahi poſſit; voluntas id optat, movetq; reliqua membra ad auxilium; mox manus veluti ſatellites totius corporis, vulnus contrectant, & leniter ac caute extrahunt ſpinam; licet pes ſit infima pars corporis, tamen omnia membra reliqua illi compatiuntur. O Principes! O Magiſtratus! O divites! O paſtores! veſtros ſubditos, veſtros cives, veſtras oviculas, egenos, pauperes, qui veluti pedes ſunt corporis myſtici, quod eſt Chriſtus ſive Eccleſia, pungunt ſpinę. Spina eſt paupertas, ſpinæ ſunt morbi, ſi proximũ diligitis, quare oculi veſtri non circumſpiciunt, quare vulnus non conſiderant, quomodo poſſit ſanari, quomodo ſpinæ illæ poſſint extrahi; ubi ſunt ſatellites ſive manus veſtræ, ut inopi ſuccurratis. Membra ſunt Chriſti, eſtis & vos, cum illi patiantur, ubi eſt veſtra campaſſio.

§. 3. Sequitur inde I. hujus dilectionis proprietas, ſive Compaſſio, Auxilium, &c.

Pulchrum ſimile.

Ab apiculà diſcite caritatẽ proximi (S.Chr:h.12.ad populũ) *etenim illa, non ſicut aranea ſibi ipſi tantummodo laborat: ſicut illa circumvolat omnia prata, ut promptam alteri prebeat menſam,* (ſicuti varios circũvolat flores & arbores, ut mella conficiat) *ſic tu homo indigentib⁹ utilis fias. Non cernis quod propterea animaliũ glorioſiſſima eſt apis, nõ quia laborat, ſed quia aliis laborat. Aranea quidẽ laborat, & fatigatur, & tenues per parietes extendit texturas ſed eſt ignobile animal, quoniã opus nulli eſt utile,* &c. Plerumq; in comunitate aliqua videmus tales araneas;

§. 4. Carnatem poſſumus diſc ere ab Apiculam.

id eſt

Id eſt, cives, mercatores, &c. qui laborant & fatigantur, ſed ſibi ipſis; & præterquam quod pleni ſunt veneno variorum ſcelerum, nulli ſunt utiles, imò nocent. (ſi opus eſt, habes locum pro pulchrâ inductione.) Verum Chriſtus D. vult vos eſſe apiculas, vult vos circulre & circumvolare ædes pauperum, viduarum, &c. vult vos conficere mel, &c. fac p. inductionem.

§. 5. *Tales apicula fuerunt, S. Paulus.* Talis apicula fuit S. Paulus cùm dixit 2. Cor. 11. 27. *In labore* (ſum) *& ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum; quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non uror.* 1. Cor. 9. v. 19. *Omnium me ſervum feci*, v. 22. *factus ſum infirmis infirmus, omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* O divites, eſtiſne tales apiculæ? *Tabitha.* Talis apicula fuit Tabitha ſive Dorcas in Joppe, Act. 9. v. 36. hæc *erat diſcipula* Apoſtolorum *plena operibus bonis & eleemoſynis, quas faciebat. Factum eſt autem ut moreretur, poneretur que in cœnaculo;* quò cum veniſſet Petrus, *circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* O matronæ Moguntinæ, eſtiſne tales apiculæ, ſuntnæ manus veſtræ plenę eleemoſynis, (præcipuè hoc ſacro tempore Jubilæi) ubi ſunt veſtes, quas facitis egenis? ubi ſunt viduæ NN. quæ vos laudent, tales eritis apiculæ, ſi dilectio proximi ſit in cordibus veſtris. *Simon & Iudas.* Tales apiculæ fuerunt glorioſi Apoſtoli Simon & Judas, ideo ex Jeruſalem poſt Aſcenſionem Chriſti avolarunt, Simon in Ægyptum Judas in Meſopotamiam, inde uterq; in Perſiam. Dilectio infidelium animarum, quæ jacebant in tenebris, illis alas dedit; imo exemplo Magiſtri ſui pro proximo ſuo animam dederunt, imò vitā & ſanguinem. *Chriſtus Dominus.* Sed præ omnibus apicula talis fuit, Chriſtus Salvator noſter, ab hoc diſcere debemus dilectionem proximi; *Nam* (S. Chryſoſt. hom. 52. in 1. ad Cor.) *Præceptum novum nobis reliquit Chriſtus, quod factis expreſſit ipſe, dum pro nobis factus eſt obediens Patri uſq; ad mortem Crucis.* Hanc dilectionem & charitatem erga proximum nobis in hod. Evangelio mandat Dominus. Utinā illa eſſet inter Chriſtianos, utinā illa pax, unio & concordia, utinam illa compaſſio erga egenos, utinā illa voluntas & deſiderium proximo in egeſtate conſtituto ſuccurrendi; inter membra Chriſti inveniretur! hi enim omnes affectus ſunt fructus veræ dilectionis erga proximum. Sed

Digitized by Google

Sed timeo, ne hodie inter Chriſtianos & fideles locum habeant verba Senecæ, quibus l.2. de ira c.7. temporis ſui ſcelera, præcipuè contra hanc dilectionem deſcribit? ſic ait l. cit. *Cùm videris forum multitudine refertum, & ſepta concurſu omnis frequentia plena, ſcito iſtic tantundem eſſe vitiorum, quam hominum: inter quos vides, nulla pax eſt, alter in alterius exitium levi ducitur compendio* (eſt locus pro invectivâ contra eos, qui ſibi in communitate aliquâ mutuò nocent) *non alia quam in ludo gladiatorio vita eſt, cum iisdem viventium & pugnantium. Ferrarum iſte conventus eſt, niſi quod illa inter ſe placidæ ſunt, morſuq; ſimilium abſtinent, hi mutuâ laceratione ſatiantur.* (NB. Ferrarum domus ſunt ædes quorundam conjugum, &c.) *omnia ſceleribus plena ſunt, major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia eſt, non hoſpes ab hoſpite tutus, non ſocer à genero, &c.* Adjice nunc publica perjuria, rupta fœdera, & in prædam validioris quidquid non reſiſtebat adductum, circumſcriptiones, furta, fraudes, infitiationes, quibus non ſufficiunt fora.

§. 6. *Invectiva in vitia contra hanc charitatem.* *Ex Seneca.*

Chriſtianè S. Chryſoſt. hom. 8. ad Rom. *Mutuis inter nos ſeditionibus conflictamur. hunc ille accuſat, alius apertè injuriam infert, alius invidet, alius vim infert, alius ſexcentos conſuit doloſ. Quod ſi noſtras animas detegere daretur, tum demum hæc, quæ dico* (odia, iras &c.) *omnia exactè perſpiceretis.* tom. 5. hom. Cum Sartoninus, *Nemo cuiquam fidit, à ſuo quiſque proximo timet, &c.* Verbis paucis ſimilia complectitur, *Sublatum eſt charitatis bonum.* Verùm ideo Eccleſia ſæpius in anno nos arguit, & admonet verbis Chriſti, *Mando vobis, ut diligatis invicem.* Hâc dilectione vitia illa eradicare debemus.

§. 7. *Ex S. Chryſoſtomo.*

Alteram perfectionem, ſive proprietatem, quam modò requiro in dilectione proximi, ſumo ex verbis illis Chriſti Matth. 22. v. 36. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Hanc regulam aliis locis explicat, præcipuè Matth. 7. v. 12. *Omnia quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc eſt enim lex & Prophetæ.* Hoc eſt, in hoc conſiſtit perfecta charitas proximi. Hunc locum eleganter exornavit D. Chryſoſt. hom. 17. in 2. ad Cor. *Non dixit Chriſtus Dominus, quæ non vultis vobis fieri, hæc ne quidem ipſi facite: ſed quod majus eſt, ait, omnia quæ vultis, ut vobis faciant homines, & vos facite illis. Adhæc non dixit, hæc vos quoque velitis, ſed facite illis miſericordiam:*

§. 8. *Altera proprietas. Debemus diligere proximum ſicut nos ipſos.*

Digitized by Google

igitur ſi tibi eam adhiberi vis, adhibe ipſe: Veniam vis impetrare, ignoſce ipſe, non vis malè audire, malè ne dixeris. Laudari expetis, lauda ipſe, non vis tua per violentiam extorqueri, aliena tu non eripias, quare ſi quod tibi fieri velis, ipſe minimè facias, tuomet ipſe calculo te condemnas. Quidnam autem illinc fructus exiſtit? in hoc inquit, ſita eſt lex & Prophetæ. *Hanc in nobis legem excitantes, tales nos erga proximos præbeamus, quales eos erga nos volumus eſſe.*

§. 9. Non tantùm verbo ſed opere.

Tertiam proprietatem deſcribit S. Joannes 1. Ep. c. 3. v. 18. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.* S. Chryſoſtomus, *Non diligamus verbo, ſcilicet tantùm; ſed verbo tantum diliget, qui tantum promittit, ſed non ſolvit: multi nobis oſtendunt verbo amorem, ſed opere nihil.* S. Thomas 2. 2. q. 131. art. 1. *Illud in quo homo excellit, datur illi à Deo, ut ex eo aliis proſit.* Dedit tibi Deus divitias, ut aliis proſis. Dedit vobis veſtes, ut veſtiatis pauperes, &c. (eſt locus pro pulchrâ induct.) nam 1. Joannis 3. v. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* S. Gregorius: *Amor operatur magna ſi eſt, quod ſi operiri renuit, amor non eſt.* S. Aug. tr. 6. in cap. Joan. *Hic incipit charitas fratris* (ſive proximi) *ut de ſuis ſuperfluis tribuat egenti, & à tribulatione præſenti liberet fratrem, hinc exordium eſt charitatis; hanc ita cœptam ſi-nu trieris, pervenies ad illam perfectionem, ut paratus ſis, animam tuam ponere pro fratribus tuis.*

§. 10. Epilogus.

Finio modo verbis S. Leonis ſ. 10. in quadr. *Diſcutiant ergo ſe fidelium mentes, & intimos ſui cordis affectus examinent, ut ſi repoſitum aliquid in ſuâ conſcientiâ ex fructibus charitatis invenirent, Deum ſibi ineſſe non dubitent, & ut magis magiſque tanti hoſpitis ſint capaces, fiant perſeverantes, in miſericordiæ operibus ampliores, &c.* NB. præſertim hoc Jubilæo, &c.

(o)

CON-

CONCIO LXXXVI.

FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

Matth. 5. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars oſtendit magnitudinem cœleſtis gloriæ, in hâc vita ſatis explicari, vel comprehendi non poſſe. Altera breviter exponit octo beatitudines, qui ſunt totidem gradus ad cœleſtem gloriam.

§. 1. *Exordium exponit verba illa ſponſa Cant.* 2. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

§. 2. *Magnitudo gloria cæleſtis in hâc vitâ ſatis exprimi non poteſt.*

§. 3. *Eſt illa veluti pluvia, fons, torrens, mare, cujus gutta numerari non poſſunt.*

§. 4. *Gutta, vel minimum cœli gaudium in hac vita, explicari non poteſt.*

§. 5. *Omnia mundi hujus gaudia, reſpectu illius gloria, ſunt quiſquilia.*

§. 6. *Teſtimonium ſancti Auguſtini.*

§. 7. *Regnum cælorum, ſive tanta gloria, parata eſt pauperibus.*

§. 8. *Regnum cælorum in ſacris literis vocatur terra, qua parata eſt mitibus.*

§. 9. *Lugentibus.*

§. 10. *Eſurientibus & ſitientibus juſtitiam.*

§. 11. *Miſericordibus, pacificis, mundis corde.*

§. 12. *Patientibus perſecutionem.*

§. 13. *Cur caput ſponſi dicatur aureum; coma ejus nigra ſicut corvus.*

Bene

Digitized by Google

§.1. *Exordium exponit verba illa ſponſæ Læva ejus ſub capite meo, &c.*

BEne dixit ſponſa de ſponſo Cant. cap. 2. v. 6. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Læva ſponſi, ſive ſiniſtra Chriſti D. ſignificat gaudia & ſolatia, quibus hic ſuas ſponſas, à quibus tenerè diligitur, in hâc vitâ recreat & conſolatur. Dextera verò ejusdem denotat gaudia illa nunquam interitura, quibus vos Deus in omnem æternitatem beat, lætificat, locuplet. S. Gregorius M. l. 35. mor. cap. 4. *Per lævam ſponſi vita præſens; per dexteram verò vita æterna deſignatur.* Significat quoque per lucidas illas ſtellas, quas ſanctus Joannes in Apocalypſi vidit in dexterâ Filii hominis. Hic ergo eſt ſenſus verborum ſponſæ: O quàm bonus! quàm ſuavis & amabilis eſt meus ſponſus! qui ſæpe in hâc vitâ, in hâc valle lachrymarum, tantis me ſolatiis afficit, ut videar in brachio ejus ſiniſtro, & manu lævâ, veluti molli pulvinari conquieſcere; in hâc tamen quiete, in hoc dulci ſomno, dexteram ejus magis contemplor, quâ aliquando in alterâ vitâ me amplexabitur in gloriâ; hæc cùm apparuerit, ſatiabor. O animæ piæ! gratulor vobis dum ſæpius placidâ fruimini mentis quiete, dum in devotâ v. g. communione pendetis à latere Chriſti; dum in ardenti meditatione Paſſionis ſponſus veſter ſiniſtro vos brachio, eodemque ſanguineo, complectitur; dum ſanctiſſimum vulnus illius manus vobis eſt, veluti pulvinar; ſed amabo; veſtros ulterius oculos intendite. Majora ſolatia recondita ſunt in ejusdem dexterâ; O quam bene nobis erit cum illâ, in alterâ vitâ nos amplexabitur; dum facie ad faciem illum videbimus. S. Bernardus ſer. 2. Feſto Omnium Sanctorum. *Licet non plenam; habent tamen lætitiam in corde ſuo; donec veniat dies illa, quâ implebit nos lætitiâ cum vultu ſuo.*

Videtur hoc voluiſſe inſinuare Jeremias Thren. cap. 3. v. 25. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum; animæ quærenti illum.* Infert ſanctus Bernardus ſer. 4. ex diverſis: *Si quærenti? quantò magis invenienti? Si tam dulcis ejus memoria, quantò magis præſentia.* Pſ. 30. v. 20. ait David. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te.* Infero rurſum cum ſancto Bern. ſer. 2. f. O. SS. *Si tam magna eſt, quæ abſcondita eſt; quanta erit, quæ in manifeſto perficietur.* Quanta ſit, quàm dulcis; in cœlis experitur cœli Regina,

Digitized by Google

Regina, Beata Virgo Maria: experiuntur Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, &c. Horum omnium feſtum hodie celebramus; gratum vobis me facturũ ſpero; ſi primâ parte concionis ulterius explicem, quanta ſit eorum gloria. In ſecunda quinam ad illam ſint gradus. Eò enim omnium noſtrum tendere ſuſpiria confido.

Scio eam eſſe altitudinem & profunditatem æternæ felicitatis, ut nullus Oratorum, vel animo, vel linguâ, & calamo metiri illam, atque exhaurire poſſit; in hâc vitâ. Beati! qui illâ in alterâ vitâ fruuntur; illi experiuntur & ſciunt, quanta illa ſit. S. Greg. M. l. 19. mor. cap. 1. id probat ex v. 17. cap. 2. Apocal. *Vincenti dabo manna abſconditum; & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Id eſt, tanta eſt dignitas futuræ felicitatis, ut eam nemo vel comprehendere poſſit, vel exprimere, niſi qui fruitur. Ideo de Beatis ait Pſalmus 88. v. 16. *Beatus populus, qui ſcit jubilationem.* & Job. cap. 33. v. 26. *Videbit faciem ejus in jubilo.* S. Greg. lib. 24. mor. c. 6. *Jubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod neque abſcondi poteſt; neque ſermonibus aperiri; & tamen nonnullis moribus proditur. Unde David Propheta intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere, quantum ſermone non valeat aperire; ait, beatus populus qui ſcit jubilationem.* id eſt, beati in cœlis tantis affluunt gaudiorum cumulis, ut ſoli ipſi hâc de re loqui ſciant; nobis id eſt incognitum; à nobis explicari non poteſt. Beatus qui vicit! beati, quibus datus eſt hic calculus novus! beati Patriarchæ, &c. qui ſciunt jubilationem.

§. 2. Magnitudo gloriæ cœleſtis, in hâc vitâ ſatis exprimi non poteſt.

Cùm nuper oſtenderem, pœnas inferni ſatis exprimi non poſſe, probavi illud ex verſu 7. Pſalmi 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos,* cum terribilibus tonitruis & ventis. Comparatur æterna damnatio vehementi pluviæ, quia ſicut hujus guttas nemo hominum numerare poteſt, ut etiam arenas maris, Eccleſiaſtici cap. 1. v. 2. ita neq; pœnas inferni quiſquam poterit exponere. Geneſis. c. 19. v. 24. *pluit DEus ignes ſuper Sodomam,* & brevi tempore, nihilominus, quis igneas illas guttas numeravit? ſuper damnatos in inferno pluet ignibus æternis, nemo cogitet illas poſſe numerari: E contra Pſal. 77. v. 24. dicitur, *Pluit illis manna ad manducandum.* Pſal. 67. v. 10. *Pluviam voluntariam ſegregabit hæreditati ſuæ.* Ezech. cap. 34.

§. 3. Eſt illa velut pluvia, fons, torrens, mare; cujus guttæ numerari non poſſunt.

v. 36. *Pluviæ benedictionis erunt.* His locis per pluviam & manna, per illam copioſam benedictionem intelligitur æterna ſanctorum omnium beatitudo & felicitas; cujus guttæ numerari non poſſunt: Pluviæ hujus guttæ efficiunt fontem; qui Pſ. 35. v. 10. dicitur *fons vitæ.* Pſ. 41. v. 3. *fons vivus.* Cant. 4. v. 12. *fons ſignatus.* Iſaiæ cap. 12. v. 3. *fons Salvatoris.* Joannis cap. 4. v. 14. *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Sed quis numerabit guttas? fruſtra eſt, nemo poteſt. Imò eædem guttæ tantum faciunt numerum, ut efficiant flumen, torrentem, imò mare? guttas quis enarrabit? quis recenſebit? Nemo, ſunt innumeræ; ſunt, ut ſic loquar, infinitæ. Sunt quoque innumera, & ſuo modo, infinita Beatorum gaudia. Ex his guttis promanant copioſi illi torrentes, quos Job. cap. 20. v. 17. torrentes vocat *mellis & butyri.* cap. 22. v. 14. *torrentes aureos.* Et regius Pſaltes Pſ. 35. v. 9. *Torrentem voluptatis.* Iſaias cap. 66. v. 12. *torrentem inundantem.* Sed quis exponet (iterum percontor, cum nunquam reſponſum obtineam) quis exponet, quot conſtet guttulis torrens cœleſtis beatitudinis æternæ? Nemo! Nemo.

§. 4. *Gutta; vel minimum cœli gaudium, in hâc vitâ, explicari non poteſt.*

Anno 1565. in cœnobio quodam S. Bernardi in Flandria, obiit religioſa Virgo Joanna. Poſt obitum apparuit ſorori, in ſereniſſima luce, & dixit; *Ne metue, O ſoror! volo enim te lætitiæ meæ participem facere. Fiat hoc,* ait altera. *age! de cœli gaudiis aliquid ediſſere.* Tum defuncta: *Tametſi totum, quà patet firmentum verteretur in membranam, Oceanus in atramentum, omnes herbæ, germinaque in calamos; omnes res creatæ in ſcriptores, ne vel minimum iſtius patriæ gaudium ſufficerent explicare.* His dictis diſparuit.

§. 5. *Omnia mundi hujus gaudia, reſpectu illius ſunt quiſquiliæ.*

Anno 1635. obiit piiſſima vidua in Paraquaria, quæ volente ſic Numine poſt aliquot horas ab obitu ſibi reſtituta, accurrenti Confeſſario narravit ſe ab Angelo fuiſſe deductam in infernum ad videnda illius tormenta, & in illis ſe complures notos ſpectaſſe; *à Parthenio tamen cœtu neminem.* Inde eodem comite ad Beatorum ſedes tranſcenſum. *Verbà me deficiunt,* ajebat, *quibus illorum gloriam exponam: creata cuncta præ illis quiſquiliæ, & merum nihil. Quid multa? tanta erat omnium lætitia, deliciæ tantæ, ut explicari nullo modo poſſint.* Itentidem hæc repetebat: *O mi Pater, quàm admiranda vidi: quidquid pulchrum, quidquid jucundum in hoc mundo, deſipit;*

Digitized by Google

deſcipit; imò cruciat, ſi cum iis, quas guſtavi delicias, comparas. Non tot in Oceani littoribus, fluviiſque arena, non tot in ſylvis frondes, quot in cœlo beati & immortales! tum iterum ad Patrē: *Nullum te, mi Pater, unquam capiat laboris tædium: opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, O ſi omnes ſalventur.* Poſt decem horas, Crucifixi plagas ſuaviſſimè exoſculans rurſum expiravit. Corpus mox adeo venuſtum apparuit, ut nemo non conjecerit animam ad beatorum ædes evolaſſe. Si quis cogitat narrationes has humanâ duntaxat fide ſubniti, meminerit hæc eadem aliis verbis S. Paulum reducem ex tertio cœlo dixiſſe 1. Cor. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEus iis, qui diligunt ſe.*

Addo teſtimonium S. Auguſt. l. 22. de civitate DEI. *Beatitudo cœli acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* Alibi fatetur; quod licet guſtaſſet gaudia hujus mundi, modò tamen, id eſt, poſt converſionem, ſe experiri, tantam eſſe pulchritudinem & gaudia æternæ lucis, ut præſtet una horâ illis frui, quàm gaudiis mundi, per annorum decem millia. §. 6. *Teſtimoniū S. Auguſtini.*

Proinde ex animo gratulor omnibus ſanctis, quibus illa jam obtigit felicitas. O quàm eſt illis bene! nos miſeri adhuc verſamur in lachrymarum valle; & ad flumina Babylonis ingemiſcimus. O quanta nos malorum turba exagitat! meminiſſe oportet, per hæc eandem nobis gloriam præparari; modo ejuſmet nos capaces reddamus. Atque hic alteram Concionis meæ partem aggredior. Quinam capaces ſint, innoteſcere nobis poteſt ex hodierno Evangelio; nam pauperibus, manſuetis, lugentibus, fame ſitique vexatis, miſericordibus, pacificis, illis, qui mundo ſunt corde, qui perſecutiones tolerant, Salvator noſter illam promittit gloriam & felicitatem. Hi ſunt gradus ad illam: ut patet ex diverſis ſcripturæ locis. Geneſis 32. cap. v. 24. Deſcribitur lucta Jacobi cum Angelo; *Ecce vir luctabatur cum eo uſque mane.* Mane Jacob quievit: dulcis illi fuit aurora; & mane accepit benedictionem: ſed totam prius noctem luctando debuit inſumere. Illud mane, ſive amœniſſimum auroræ tempus, & quies Jacobi, & viſio, quæ ſub illâ illi objecta fuit, nobis proponunt æternam beatitudinem: at verò, cum hoſtibus, qui viam præcludunt, cùm diabolo, cum carne, cum mundo confligendum & luctandum noverimus. Væ illis, qui gravati ſunt auro, ſive divi- §. 7. *Regnū cœlorum ſive, tanta gloria, parata eſt pauperibus.*

 tiarum

tiarum plumbo; his lucta eſt difficilis. Scimus athletas olim, ac pugiles exuiſſe ſe veſtibus, ut magis eſſent ad luctam agiles, parati, idonei! Idem in luctâ ſpirituali faciendum eſt; Hoc illa Chriſti verba ſignificant, Beati pauperes ſpiritu. q. d. qui pondus terrenarum opum, facultatumque abijciunt, hi boni erunt pugiles, hi diſpoſiti ad luctam illam magnam athletæ: Pulchra illa æternæ lucis aurora non exoritur, niſi illis, qui prius ſederint in tenebris & umbrâ mortis: tenebræ ſunt afflictiones, cruces, perſecutiones, vincula, paupertas, injuriæ, &c. Et quidquid demum patienter pro Chriſti nomine toleratur, tenebrarũ nomen incurrit. Sed poſt tenebras, poſt luctam, ſperate lucem; poſt noctẽ, aurorã, poſt luctum gaudiũ: poſt dolores, honores.

§. 8. Regnum cælorum frequenter vocatur terra, quæ parata eſt mitibus.

Æterna gloria frequenter in ſacris literis vocatur terra; hinc illud Salvatoris noſtri; *ipſi poſſidebunt terram*, ſcilicet illam, quæ Exodi c. 3. v. 8. & in Levit. in Num. in Deuteron. in Joſue, vocatur *terra lacte & melle fluens*, imò, rivis lactis. 2. Paral. c. 20. v. 26. *Vallis benedictionis.* Ezech. c. 34. v. 26. *Collis benedictionum.* Pſ. 26. v. 13. terra viventium. Iſaiæ c. 4. v. 2. fructus terræ ſublimis c. 37. v. 7. inebriabitur terra corum. cap. 36. v. 17. vocat, terram frumenti & vini. Jeremias cap. 3. v. 29. terram deſiderabilem. cap. 12. v. 5. terram pacis. Joan. in Apoc. c. 21. v. 1. terram novam. DEUS ipſe Gen. c. 22. v. 2. terram viſionis, in quâ propriè æterna beatitudo conſiſtit. Sed quinam poſſidebunt hanc terram lactis, mellisque feracem, &c. habemus oraculum Chriſti Domini, & verba æternæ Veritatis; Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: qualis ipſe fuit, cùm dixit, ſive cum ſe ipſum exemplar propoſuit, Matth. cap. 11. v. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.*

§. 9. Et lugentibus.

Beati etiam ſunt, qui lugent. Cant. 2. v. 12. *Hyems tranſiit, flores apparuerunt in terra noſtra, vox turturis audita eſt.* Vox turturis aſſignatur pro ſigno adventantis veris; cur non luſciniæ, vel hirundinis? quia turtur non cantat, ſed gemit: itaque gemitus triſtis columbæ, ſive animæ piæ, inſtantem beatitudinis gloriam portendunt. S. Bernardus Ser. 1. de Nat. Virg *Florum apparitio, turturis comitatur auditum.* Ver florum copiâ dives, beatitudinis notat affluxum. Sed quod ſignũ adventus ejus? *Si vox turturis audita eſt, in terra noſtra.* O triſtes Animæ! O turtures! flete, dolete, gemite! ſignũ bonum! ſignũ lætitię, ſignum

Digitized by Google

ſignum gloriæ! Præ foribus ver eſt. Jam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit! Cœleſtis gloriæ prodromus eſt gemitus talis turturis.

Beati etiam ſunt, ſive capaces futuræ felicitatis, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. Pſ.17.v.34. David ſe comparat cervo, *qui perfecit pedes meos tanquam cervorum*. Voluit dicere, ſe eſſe velociſſimum in viâ mandatorum, & virtutis; ideo auſus fuit dicere: *Paratum cor meum Deus*. Voluit dicere, ſe amare loca ſublimia, & excelſos montes, quod faciunt cervi; non valles, non terram; ideo addit, *Super excelſa ſtatuens me*; unde vana, caduca & terrena deſpicio. Cervus; ſi qua in fuga difficultas occurrat, ſivè à vallibus, ſive à ſpinis, ſive à petris, ſive à foſſis, pernici ſaltu ſuperat omnia. Idem fecit & David: teſtes ſunt voces illæ; quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Davidis erga Deum ſitis, fecit illum celerem & agilem, in curſu ad bravium cœleſtis gloriæ. Attendite Auditores, an ejusmodi ſitis cervi. Ut, quod ſuadet S. Gregorius lib.26. mor.cap.10. *More cervorum, deſpectis terrenorum ſentibus, in ſuperna vos evehatis*. §. 10. *Eſurientibus & ſitientibus juſtitiam.*

Beati miſericordes, pacifici, & qui ſunt mundo corde. Hi omnes gloriæ ſunt æternæ capaces. Pſ. 44. v. 10. David deſcribit pulchritudinem ſponſæ, ſive animæ beatæ in gloria. *Aſtitit Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*. Pulcherrima nimis veſtis eſt, æterna gloria; ſed ſimul additur; qualis ejus Reginæ fuerit veſtis in via; dum viveret: *Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, &c.* Pretioſa hæc unguenta notant prædictas virtutes; balſamum puritatis, oleum pacis, oleum miſericordiæ, &c. eſt itaque ſenſus; ſponſa dum viveret, fuit inprimis ſtudioſa puritatis; fuit ſponſa cordis virginei; ideo modo adſtat à dexteris ſponſi: ſponſa fuit amans pacis; ideò modo fulget in veſtitu deaurato: fuit ſponſa miſericordiæ addicta; ideo modò circumdata eſt varietate. Quâ varietate? virtutum, honorum, gratiarum, omniumque ornamentorum cœleſtium. S. Bernardus ſer. 17. in Cant. *Ideo Eccleſia promiſſionem habens futuræ felicitatis, curat interim præparare, & ornare ſe, in veſtitu deaurato circumdata, varietate gratiarum & virtutum*. Si & vos, ita vos præparatis, beati eſtis. §. 11. *Miſericordibus, pacificis; mundo corde.*

Tandem capaces ſunt æternæ felicitatis, qui perſecutionem patiun- §. 12. *Patientibus perſecutionem*

Digitized by Google

patiuntur. Multis videtur audax petitio boni latronis, Luc. 23. v. 42. *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*: nihilominus Chriſtus D. ſtatim reſpondit; Hodie mecum eris in paradiſo. Fortaſſis audacem illum fecit viva fides; forte cor contritum & humiliatum, fortaſſis ingens fiducia, vel quod palam defenderet Chriſtum pendentem in cruce; forte præſentia matris miſericordiæ, &c. Placet mihi modò S. Bernardus ſer. 1. de ramis: petiviſſe hoc, quia videbat ſe mori in cruce, & in doloribus; & cùm magnâ patientiâ. *Hac eſt enim via vitæ, via regni, via gloria, ſecundum quod latro clamat in cruce, Memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et quam compendioſa via? eâdem die meruit cum Domino eſſe in Paradiſo.*

§. 13. *Quare caput Chriſti dicatur aureum; & coma nigra ſicut corvus.*

Cant. 5. ait ſponſa: *Caput ejus aurum optimum; coma capitis ejus ſicut elatæ palmarum, nigra ſicut corvus.* Quomodo caput Chriſti aureum, quomodo ſimul nigrum. Nigrum fuit, cum dixit, *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & guttis noctium.* Nigrum fuit, cum redimitum fuit ſpinis; ſed hodie in gloria eſt aureum. S. Bern. in hunc locum: *Etenim utrisq;* (& beatis, & viatoribus) *eſt caput unum. Sed non uno modo membris omnibus exhibetur; quibusdam enim exhibetur caput hirſutum ſpinis, inclinatum in cruce, ut humilientur pariter, pariter compungantur* (pulchrè) *quibusdàm gloriosum apparet, ut ab ipſo glorificentur.* O ſi hodie videre liceret illas coronas gloriæ, quibus beati coronati ſunt in cœlis! O ſi illas roſas, quibus redimiti ſunt illorum vertices! ſpectaculum foret planè amœnum! At hoc probè notate Auditores; ante roſas habuêre ſpinas; ante coronas habuêre pugnas; ante honores habuêre labores. Quod ſi delectat nos aliquando excipere vocem illam amabilem, *Veni de Libano, veni coronaberis.* Eja prius progrediamur inter ſpinas; ex ſpinis & per ſpinas pervenitur ad roſas. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorùm eſt regnum cœlorum.*

EX-

EXHORTATIO.

IN COMMEMORATIONE FIDELIUM ANIMARUM.

Salubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.

Lib. 2. Mach c. 12. v. 46

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX cœleſtibus viſionibus, S. Franciſcæ Romanæ & S. Melchtildi objectis, hauriuntur ſalubres cogitationes, quæ zelum & ingens deſiderium inflammare poterunt, ut ſodales Chriſti in cruce agonizantis conentur ſuccurrere animabus in purgatorio.

§. 1. *S. Franciſca Romana vidit varia vexilla; igneum, nigrum, candidum, rubrum.*

§. 2. *Sub iiſdem vexillis militant ſodales Chriſti in cruce Agonizantis.*

§. 3. *Et proinde æquum eſt, ut ſuccurrant animabus in purgatorio.*

§. 4. *Vidit ſancta Franciſca omnes Cœlites perfundi radiis, vibratis ex vulneribus Salvatoris.*

§. 5. *Amabiliſſima viſio ſanctæ Melchtildis, de vulneribus Salvatoris.*

§. 6. *Modus peculiariter oblectandi cor Jeſu, & animas in purgatorio.*

§. 7. *Alia viſio ſanctæ Franciſcæ, de libro Divini amoris.*

§. 8. *Adhortatio ad menſtruam communionem.*

INcidi nuper, fauſto utique omine in pium libellum, qui amabiles quaſdam & cœleſtes exhibet viſiones, quibus Chriſtus D. Sanctorum omnium Rex, & corona, omnium Sanctorum feſto, *§. 1. S. Franciſca Romana vidit varia*

animas

vexilla: igneum, nigrum, candidum, rubrum.

animas quaſdam ſanctas conſolari voluit, & recreare. S. Franciſca Romana, excelſæ ſanctitatis Matrona, illo die rapta in cœlos, vidit omnes Sanctorum Ordines, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines & reliquos Cœlites, congregatos ſub uno vexillo, de quo cœleſtis luſcinia ita cecinit: *Noſtrum vexillum eſt pulchrum, & inflammatum ſemper Divino amore.* Fortaſſis ornatum illud fuit pulcherrimis ſymbolis Divinæ illius charitatis. Vidit eadem ſancta Franciſca aliâ vice; animas quasdam duci ad cœlum ſub vexillo nigro; alias ſub candido, alias ſub rubro & ſanguineo. Ex quo agnovit, ſub vexillo nigro militare illos, qui ex timore, & vivâ apprehenſione trium triſtiſſimorum noviſſimorum, mortis, judicii & inferni, induuntur nigro ſacco pœnitentiæ, ut per virtutis hujus dignos fructus pro peccatis ſuis ſatisfaciant, & cœlum obtineant. Ad vexillum candidum pertinere illos, de quibus Chriſtus D. ait, beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Ad rubrum eos, qui paſſioni, & præſertim SS. Vulneribus, & pretioſo Chriſti Domini ſanguini devoti exiſtunt, illorumque myſteriorum conſideratione, flammas Divini amoris in cordibus ſuis excitare conantur. O pulchra vexilla!

§. 2. Sub iisdem vexillis militant ſodales agoniæ Chriſti in cruce agonizantis.

Gratulor ex animo congregationi Chriſti in cruce agonizantis; quæ cum aliud non ſit, quàm fortis quædam cohors, ſub labore SS. crucis, ut aliquando diabolo, potentiſſimo hoſti, in ſupremo agone reſiſtamus fortiter, & glorioſo certamine obtineamus bravium cœleſtis gloriæ; meritò in terris, cùm Sanctis in cœlis dicere poſſumus: Noſtrum vexillum pulchrum eſt, & inflammatum Divino amore: nam vexillum noſtrum JEſus crucifixus eſt? quis pulchrior? quis nos amavit ardentius? In hoc vexillo depicta ſunt tot ſymbola cœleſtis amoris; quot membra! Ecce caput, coronatum ſpinis! ecce faciem lividam, ſputis horridam! ecce oculos, lachrymis & & ſanguini immerſos! ecce apertum cor! &c. Quis ſodalis tam frigidus, ut ab hoc vexillo non inflammetur! Sic pergite; ardenter amate JEſum crucifixum. Nigrum eſt vexillum noſtrum, cum ex timore mortis, judicii atque æternitatis, &c. de ſeriâ cogitamus pœnitentiâ, &c. Candidum eſt, cum per menſtruam confeſſionem lavamus ſtolas noſtras in ſanguine Agni. Rubrum eſt; cum

in

Digitized by Google

in recitatione Roſarij quinq; SS. Vulnerũ, eorundem recordamur. Rumbrum præſertim eſt, cùm in Communione menſtruâ paſti & poti, pretioſâ carne, & ſanguine Chriſti, rubeſcimus, igneſcimus, inflammamur, & veluti ignei leones Satanæ terribiles exſurgimus.

§. 3. Proinde æquum eſt, ut ſuccurrant animabus Sodalium exiſtentium in purgatorio.

Sed ſtate nonnihil fortes milites! ah! cecidêre aliqui ex noſtris commilitonibus, conſodales noſtri; hoc & prioribus annis; dum exceſſerunt è vivis, caſtra noſtra deſeruerunt. Juſto DEI judicio illorum animæ; ob certas noxas hactenus arſerunt in flammis purgatorij; ardent adhuc, & ardebunt diutius, niſi nos ex Chriſtianâ commiſeratione ſucurramus. Quales, vel quomodo ardeant, cogitare poteritis, ſi oculos veſtros in imaginem altaris Agoniç conijcere velitis. Eja! ad rubrum vexillum, ad JEſum Crucifixum convolate. Amor, quo illum proſequimur, exigit ut has quoque ſanctas, ſed deſolatas animas amemus: ut illis ſuccurramus. At quibus mediis? illis, quæ regulæ Congregationis noſtræ præſcribunt; oratione & menſtruâ præſertim Communione; quod duplex medium, magnam à Chriſti ſanguine virtutem ſibi vendicat. Eja Sodales! ſi qua vobis ſunt viſcera miſericordiæ Chriſtianæ; ea diffundite in miſerarum ſolatium animarum. Occurrit tibi ſubinde pia hæc vel ſimilis cogitatio; hoc Roſarium, hanc coronam, has preces modo orando percurram in honorem pretioſi ſanguinis, quem ſtillarunt benedicta Salvatoris mei Vulnera; hunc in finem, ut hâc divini ſanguinis aſpergine, vel aliquot ſaltem ejuſdem guttulis miſeræ illæ animæ irrorentur; Bene habet, ſic perge; eſt hæc verè ſalubris cogitatio. (hoc modo fiat affectuoſa adhortatio.)

§. 4. Vidit S. Franciſca, omnes Cœlites perfuſos radiis, vibratis ex Vulneribus Salvatoris.

Eadem S. Franciſca in Vigiliâ Omnium SS. rapta ad cœli gaudia, vidit è quinque Vulneribus glorioſiſſimi Corporis Salvatoris, & potiſſimùm ex benedicto latere, vibratis radiis, totum cœlum, & omnes Cœlites illuſtrari; alios pedum, alios manuum ſplendoribus perfuſos: amabiliſſimâ luce glorioſi & dulciſſimi Cordis illos, qui in hâc vitâ, illi Vulneri præſertim fuerunt devoti. Congregati ſumus ſodales amantiſſimi, ut mox pro felici morte recitemus Roſarium quinque SS. Vulnerum. Ita, rogo, oremus! primam & ſecundam decadem, in honorem Vulnerum SS. pedum, ſiniſtri, & dexteri; illo ardore, illâ devotione, &c. ut amabilis JEſus, evibratis inde arden-

tibus radiis corda noſtra illuſtret & inflammet. Decadem 3. & 4. in honorem Vulnerum SS. manuum; quintam, in honorem aperti lateris & transfixi cordis, ita oremus; illo ardore &c. ut inde quoque ſuper nos amabiles prorumpant ſcintillæ, exiliant ardentes prunæ, ut toti ardeamus! Sed orate præterea, ut hodie idem radii penetrent terram ad ipſum uſque purgatorium, ita orate, ita inſtate! ut cum radiis ex SS. Vulneribus eò decidant ſanguineæ guttæ, ut in flammis! eheu! in atrocibus flammis, recreentur & refrigerentur animæ illæ ſanctæ ſed triſtes & afflictæ! Adverto ex veſtris oculis, hoc cogitatis; O quàm mox ferventer orabo roſarium SS. Vulnerũ; ut ſanguis inde profluens reſtinguat illa incendia. Hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 5. *Amabiliſſima Viſio S. Melchtildis, de Vulneribus Salvatoris.*

Amabilis quoque fuit viſio S. Melchtildis. Nocte Omnium SS. vidit in cœlis ex corde JEſu prodire triplicem aureum funiculum, quo Diviniſſimo ejus cordi colligatum inprimis fuit dulciſſimum Cor Mariæ; deinde ille funiculus ad Seraphinos & Angelos omnes; omniumque ſanctorum & ſanctarũ corda variè ſe porrexit, eademq; cum cordibus JEſu & Mariæ felici vinculo copulavit inter ſuaviſſimam Muſicam, quâ S. Melch. advertit, cor DEI oblectari; cum omnium quoque ſanctorum admirabili jubilo, quod ſciant, hunc funiculum amoris non rumpendum in æternum! Orabimus mox, ut dixi, Roſarium SS. Vulnerum. Mi JEſu Crucifixe! mea intentio hæc erit; orabo primam & ſecundam Decadem in honorem Vulnerum SS. pedum; ut ardentes inde erumpant catenæ, & funiculi tincti in ſanguine JEſu! imò ut lacerati tui nervi, & fractæ vibræ, mi JEſu, cum tuo corde colligent cor meum (ſic ferventer & affectuosè perge, per alias decades) Non dubito, quin idem intendunt ſanctæ veſtræ cogitationes; ſed hoc deſidero præterea, ut eosdem funiculos porrigatis ardentibus animabus in flammis, ut illis catenis extrahantur ex ignibus. Talia cogitate! hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 6. *Modus peculiariter oblectandi Cor JESU & animas in purgatorio.*

Placuit S. Melchtildi, quod audiviſſet, illâ Muſicâ cor DEI fuiſſe oblectatum. Quamobrem interrogavit ex cœleſti Sponſo, quâ ratione ipſa pariter feſto omniũ Sanctorum, cor ejus poſſet oblectare. Reſpondit Dilectus, *Lauda me, quod ſim Corona SS. Omnium.* Et ſimul Deiparam, & omnes ſanctos pulcherrimis fertis coronatos conſpexit. Spero à vobis heri idem fuiſſe factum. Spero ſacerdotes cum jubilo

bilo recitaſſe Invitatorium, Chriſtum Regem Regum venite adoremus, quia ipſe eſt corona SS. omnium. Puto jubilum & gaudium cordis veſtri eſſe, quod JEſus Crucifixus, &c. modò in gloriâ, ad dexteram Patris, ſit Corona SS. Omnium. Hæ cogitationes, hi affectus, hæ aggratulationes oblectant Cor JEſu. Si tamen illi majorem adhuc oblectationem accedere deſideratis, hoc agite, ut beatæ illæ Animę, quæ in purgatorio adhuc carent coronâ gloriæ, eâdem condecorentur, ut in cœlis laudent ſuum Salvatorem; hoc agite, ut piæ animæ, quæ flammeis coronis ſunt inſignitæ, juventur; ut ex flammis vindicatæ, coronentur roſis in cœlis; ut illarum quoque Chriſtus D. hodie in cœlis fiat Corona. Tales ſunt ſalubres cogitationes; quibus animę in purgatorio oblectantur, imò ipſum Cor JEſu peculiari gaudio afficitur, Communis erit omnium Sanctorum lætitia, ſi hodie illorum numero multæ animæ ex purgatorio adjungantur.

Meus in pias animas affectus facit, ut præter morem ſim longior; ſed, ubi unam adhuc narravero viſionem S. Franciſcę Romanæ, piam & affectuoſam, finem imponam dictioni. Vidit feſto Omnium Sanctorum altare ardentibus facibus illuſtre; in medio Agnum cum pulcherrimo libro, quem S. Joannes illi oſtendens dixit, *Ecce iſtum pulchrum librum, in quo legimus ſupernum amorem.* Cogitabit fortaſſis nonnemo, per librum Agni poſſe etiam intelligi librum prædeſtinatorum; cui inſcripti ſunt æternæ felicitatis filij; malis omnibus in illa carituri, bonis omnibus fruituri æternũ! DEum viſuri ſemper. Alius fortaſſis meminerit, ſe audiviſſe librum Agni, eſſe ipſum JEſum Crucifixum, cujus quinq; folia, ſunt quinq; roſea ejus SS. Vulnera, quibus ſuo ſanguine nomina electorum inſcripſit. Placent mihi hæ cogitationes; & rogo enixe, ut in his libris legatis & diſcatis, amorem erga JEſum Crucifixum. . Sed talem, qui ſe extendat ad animas in purgatorio. Id eſt; non ſufficiat nobis v.g. ut nos tantùm pretioſus ille ſanguis abluat, refocillet, exhilaret, &c. Sed deſideremus præterea, ut ſit ſolatio piis animabus; Iterum ſancta hic mihi occurrit cogitatio. Forte in purgatorio ardent animæ, quæ inde liberatæ collocandæ erunt inter Seraphinos, &c. quod factum non ſit hactenus, cauſa ſunt noxæ, quibus maculata fuerunt eorum nomina, dum diſcederent ex hoc mundo,

§. 7. Alia viſio S. Franciſcæ de libro divini Amoris.

ipſæ has maculas eluere non poſſunt, niſi ardendo & per flammas; nos per ſanguinem Chriſti hodie delere poſſumus; & quid fiet? adhuc hodie collocabuntur inter Angelorum choros. Quid fiet? hodierna dies novos videbit Archangelos,&c. In noſtrâ hoc manu, poteſtateque ſitum eſt Auditores; nos cœlum novis aſtris ornare poſſumus atque dotare. Quo pacto? juxta altare JEſu Crucifixi, ardentibus facibus plenum, ardenter orando pro defunctis; offerendo pro ipſis SS. Miſſæ ſacrificia, recitando coronam quinque Vulnerum, &c. ita cœlum replebimus novis civibus, Angelos novis fratribus; Sanctos novis conſodalibus; & noſmetipſos novis beabimus Patronis.

§. 8. *Adhortatio ad menſtruã Communionem.*

Sed unum præcipuè eſt, quod petam à meis Sodalibus; in ſolatium animarum. Communio menſtrua in Dominicâ Congregationis conjuncta eſt cum plenariis Indulgentiis per modum ſuffragij, quo communicans poteſt animam è purgatorij flammis vindicare. Itaq; ſi v.g. centũ ſacro epulo accumbant ſodales, ut debent, centum animæ liberantur è purgatorio. O piger, quid agis? fortaſſis anima tuæ matris jam decẽ annis ardet in purgatorio; & ardebit adhuc decẽ, & placet DEO, ut interim non liberetur, niſi à te, & quidẽ per menſtruam Communionem! &c. Agite Sodales, convolate ad vexillum hujus Congregationis, ad JEſum Crucifixum; in ejus quiſque præſentia quivis decernat, quid quot annis, quot menſibus, quot ſeptimanis, quot diebus, in favorem atque ſolatium harum animarum præſtare poſſit ac velit. Utinam hic præſentia Exhortationis fructus exiſteret! O ſi ! lachrymabiles illæ voces, *Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*, quotidie ferirent aures, corda! non dubito; nemo eſſet, qui menſtruæ Communionis theſaurum, egentibus animabus, in unicum tot cruciatuum ſolamen, impertire negligeret.

CON

Digitized by Google

CONCIO LXXXVII.

FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Sint lumbi veſtri præcincti.

Lucæ 12. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars ornat S. Martinum florido ſacerdotali cingulo, cum ſymbolis variarum virtutum & elogiorum. Altera pars, morientis lectulum, vel tumulum ſimilibus aſpergit floſculis; pretioſa enim ejus fuit mors.

§. 1. *S. Martinus fuit dilectus Deo & Angelis.*

§. 2. *Et hominibus.*

§. 3. *Ob varias cauſas.*

§. 4. *Cingulum ſummi Sacerdotis, quale fuerit ad literam.*

§. 5. *Varii colores fuerunt ſymbola variarum virtutum.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *S. Martinus fuit præcinctus byſſino cingulo puritatis, hyacynthino devotionis, purpureo conſtantiæ, & aureo charitatis.*

§. 8. *Ornatur idem cingulum aureis floribus. 1. aureo lilio.*

§. 9. *Cum variis ſancti Martini elogiis.*

§. 10. *2. Aureo hyacintho pietatis & devotionis.*

§. 11. *3. Aurea, purpureaque roſa conſtantiæ & fortitudinis.*

§. 12. *Cum aliis elogiis ſancti Martini.*

§. 13. *4. Aurea roſa charitatis erga Deum & proximum.*

§. 14. *Lectulus morientis ſancti Martini, vel tumulus ſimilibus aſpergitur floſculis? Qualis ejus fuit vita, talis mors.*

§. 15. *Varia mortis hujus circumſtantiæ.*

§. 16. *Proſecutio.*

§. 17. *Epilogus.*

v. 36. *Pluviæ benedictionis erunt.* His locis per pluviam & manna, per illam copioſam benedictionem intelligitur æterna ſanctorum omnium beatitudo & felicitas; cujus guttæ numerari non poſſunt: Pluviæ hujus guttæ efficiunt fontem; qui Pſ. 35. v. 10. dicitur *fons vitæ.* Pſ. 41. v. 3. *fons vivus.* Cant. 4. v. 12. *fons ſignatus.* Iſaiæ cap. 12. v. 3. *fons Salvatoris.* Joannis cap. 4. v. 14. *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Sed quis numerabit guttas? fruſtra eſt, nemo poteſt. Imò eædem guttæ tantum faciunt numerum, ut efficiant flumen, torrentem, imò mare? guttas quis enarrabit? quis recenſebit? Nemo, ſunt innumeræ; ſunt, ut ſic loquar, infinitæ. Sunt quoque innumera, & ſuo modo, infinita Beatorum gaudia. Ex his guttis promanant copioſi illi torrentes, quos Job. cap. 20. v. 17. torrentes vocat *mellis & butyri.* cap. 22. v. 14. *torrentes aureos.* Et regius Pſaltes Pſ. 35. v. 9. *Torrentem voluptatis.* Iſaias cap. 66. v. 12. *torrentem inundantem.* Sed quis exponet (iterum percontor, cum nunquam reſponſum obtineam) quis exponet, quot conſtet guttulis torrens cœleſtis beatitudinis æternæ? Nemo: Nemo.

§. 4. *Gutta; vel minimum cæli gaudium, in hâc vitâ, explicari non poteſt.*

Anno 1565. in cœnobio quodam S. Bernardi in Flandria, obiit religioſa Virgo Joanna. Poſt obitum apparuit ſorori, in ſereniſſima luce, & dixit; *Ne metue, O ſoror! volo enim te lætitiæ meæ participem facere. Fiat hoc,* ait altera. *age! de cæli gaudiis aliquid ediſſere.* Tum defuncta: *Tametſi totum, quà patet firmentum verteretur in membranam, Oceanus in atramentum, omnes herbæ, germinaque in calamos; omnes res creatæ in ſcriptores, ne vel minimum iſtius patriæ gaudium ſufficerent explicare.* His dictis diſparuit.

§. 5. *Omnia mundi hujus gaudia, reſpectu illius ſunt quisquiliæ.*

Anno 1635. obiit piiſſima vidua in Paraquaria, quæ volente ſic Numine poſt aliquot horas ab obitu ſibi reſtituta, accurrenti Confeſſario narravit ſe ab Angelo fuiſſe deductam in infernum ad videnda illius tormenta, & in illis ſe complures notos ſpectaſſe; *à Parthenio tamen cœtu neminem.* Inde eodem comite ad Beatorum ſedes tranſcenſum. *Verba me deficiunt,* ajebat, *quibus illorum gloriam exponam: creata cuncta præ illis quisquiliæ, & merum nihil. Quid multa? tanta erat omnium lætitia, deliciæ tantæ, ut explicari nullo modo poſſint.* Identidem hæc repetebat: *O mi Pater, quàm admiranda vidi! quidquid pulchrum, quidquid jucundum in hoc mundo, deſipit;*

deſcipit; imò cruciat, ſi cum iis, quas guſtavi delicias, comparas. Non tot in Oceani littoribus, fluviisque arena, non tot in ſylvis frondes, quot in cœlo beati & immortales! tum iterum ad Patrē: *Nullum te, mi Pater, unquam capiat laboris tædium: opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, O ſi omnes ſalventur.* Poſt decem horas, Crucifixi plagas ſuaviſſimè exoſculans rurſum expiravit. Corpus mox adeo venuſtum apparuit, ut nemo non conjecerit animam ad beatorum ædes evolaſſe. Si quis cogitat narrationes has humanâ duntaxat fide ſubniti, meminerit hæc eadem aliis verbis S. Paulum reducem ex tertio cœlo dixiſſe 1. Cor. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEus iis, qui diligunt ſe.*

Addo teſtimonium S. Auguſt. l. 22. de civitate DEI. *Beatitudo cœli acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* Alibi fatetur; quod licet guſtaſſet gaudia hujus mundi, modò tamen, id eſt, poſt converſionem, ſe experiri, tantam eſſe pulchritudinem & gaudia æternæ lucis, ut præſtet una horâ illis frui, quàm gaudiis mundi, per annorum decem millia. §. 6. *Teſtimoniū S. Auguſtini.*

Proinde ex animo gratulor omnibus ſanctis, quibus illa jam obtigit felicitas. O quàm eſt illis bene! nos miſeri adhuc verſamur in lachrymarum valle; & ad flumina Babylonis ingemiſcimus. O quanta nos malorum turba exagitat! meminiſſe oportet, per hæc eandem nobis gloriam præparari; modo ejuſmet nos capaces reddamus. Atque hic alteram Concionis meæ partem aggredior. Quinam capaces ſint, innoteſcere nobis poteſt ex hodierno Evangelio; nam pauperibus, manſuetis, lugentibus, fame ſitique vexatis, miſericordibus, pacificis, illis, qui mundo ſunt corde, qui perſecutiones tolerant, Salvator noſter illam promittit gloriam & felicitatem. Hi ſunt gradus ad illam: ut patet ex diverſis ſcripturæ locis. Geneſis 32. cap. v. 24. Deſcribitur lucta Jacobi cum Angelo; *Ecce vir luctabatur cum eo uſque mane.* Mane Jacob quievit: dulcis illi fuit aurora; & mane accepit benedictionem: ſed totam prius noctem luctando debuit inſumere. Illud mane, ſive amœniſſimum auroræ tempus, & quies Jacobi, & viſio, quæ ſub illâ illi objecta fuit, nobis proponunt æternam beatitudinem; at verò, cum hoſtibus, qui viam præcludunt, cùm diabolo, cum carne, cum mundo confligendum & luctandum noverimus. Væ illis, qui gravati ſunt auro, ſive divitiarum

§. 7. *Regnū cœlorum ſive, tanta gloria, parata eſt pauperibus.*

Digitized by Google

tiarum plumbo; his lucta eſt difficilis. Scimus athletas olim, ac pugiles exuiſſe ſe veſtibus, ut magis eſſent ad luctam agiles, parati, idonei! Idem in luctâ ſpirituali faciendum eſt; Hoc illa Chriſti verba ſignificant, Beati pauperes ſpiritu. q. d. qui pondus terrenarum opum, facultatumque abijciunt, hi boni erunt pugiles, hi diſpoſiti ad luctam illam magnam athletæ: Pulchra illa æternæ lucis aurora non exoritur, niſi illis, qui prius ſederint in tenebris & umbrâ mortis: tenebræ ſunt afflictiones, cruces, perſecutiones, vincula, paupertas, injuriæ, &c. Et quidquid demum patienter pro Chriſti nomine toleratur, tenebrarū nomen incurrit. Sed poſt tenebras, poſt luctam, ſperate lucem; poſt noctē, aurorā, poſt luctum gaudiū: poſt dolores, honores.

§. 8. *Regnum cælorum frequenter vocatur terra, quæ parata eſt mitibus.*

Æterna gloria frequenter in ſacris literis vocatur terra; hinc illud Salvatoris noſtri; *ipſi poſſidebunt terram*, ſcilicet illam, quæ Exodi c. 3. v. 8. & in Levit. in Num. in Deuteron. in Joſue, vocatur *terra lacte & melle fluens*, imò, rivis lactis. 2. Paral. c. 20. v. 26. *Vallis benedictionis.* Ezech. c. 34. v. 26. *Collis benedictionum.* Pſ. 26. v. 13. terra viventium. Iſaiæ c. 4. v. 2. fructus terræ ſublimis c. 37. v. 7. inebriabitur terra eorum. cap. 36. v. 17. vocat, terram frumenti & vini. Jeremias cap. 3. v. 29. terram deſiderabilem. cap. 12. v. 5. terram pacis. Joan. in Apoc. c. 21. v. 1. terram novam. DEUS ipſe Gen. c. 22. v. 2. terram viſionis, in quâ propriè æterna beatitudo conſiſtit. Sed quinam poſſidebunt hanc terram lactis, mellisque feracem, &c. habemus oraculum Chriſti Domini, & verba æternæ Veritatis; Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: qualis ipſe fuit, cùm dixit, ſive cum ſe ipſum exemplar propoſuit, Matth. cap. 11. v. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.*

§. 9. *Et lugentibus.*

Beati etiam ſunt, qui lugent. Cant. 2. v. 12. *Hyems tranſiit, flores apparuerunt in terra noſtra, vox turturis audita eſt.* Vox turturis aſſignatur pro ſigno adventantis veris; cur non luſciniæ, vel hirundinis? quia turtur non cantat, ſed gemit; itaque gemitus triſtis columbæ, ſive animæ piæ, inſtantem beatitudinis gloriam portendunt. S. Bernardus Ser. 1. de Nat. Virg *Florum apparitio, turturis comitatur auditum.* Ver florum copiâ dives, beatitudinis notat affluxum. Sed quod ſignū adventus ejus? *Si vox turturis audita eſt, in terra noſtra.* O triſtes Animæ! O turtures! flete, dolete, gemite! ſignū bonum! ſignū lætitię, ſignum

Digitized by Google

ſignum gloriæ! Præ foribus ver eſt. Jam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit! Cœleſtis gloriæ prodromus eſt gemitus talis turturis.

Beati etiam ſunt, ſive capaces futuræ felicitatis, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. Pſ. 17. v. 34. David ſe comparat cervo, *qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.* Voluit dicere, ſe eſſe velociſſimum in viâ mandatorum, & virtutis; ideo auſus fuit dicere: *Paratum cor meum Deus.* Voluit dicere, ſe amare loca ſublimia, & excelſos montes, quod faciunt cervi; non valles, non terram; ideo addit, *Super excelſa ſtatuens me*; unde vana, caduca & terrena deſpicio. Cervus; ſi qua in fuga difficultas occurrat, ſivè à vallibus, ſive à ſpinis, ſive à petris, ſive à foſſis, pernici ſaltu ſuperat omnia. Idem fecit & David: teſtes ſunt voces illæ; quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Davidis erga Deum ſitis, fecit illum celerem & agilem, in curſu ad bravium cœleſtis gloriæ. Attendite Auditores, an ejusmodi ſitis cervi. Ut, quod ſuadet S. Gregorius lib. 26. mor. cap. 10. *More cervorum, deſpectis terrenorum ſentibus, in ſuperna vos evehatis.* §. 10. *Eſurientibus & ſitientibus juſtitiam.*

Beati miſericordes, pacifici, & qui ſunt mundo corde. Hi omnes gloriæ ſunt æternæ capaces. Pſ. 44. v. 10. David deſcribit pulchritudinem ſponſæ, ſive animæ beatæ in gloria. *Aſtitit Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Pulcherrima nimis veſtis eſt, æterna gloria; ſed ſimul additur; qualis ejus Reginæ fuerit veſtis in via; dum viveret: *Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, &c.* Pretioſa hæc unguenta notant prædictas virtutes; balſamum puritatis, oleum pacis, oleum miſericordiæ, &c. eſt itaque ſenſus; ſponſa dum viveret, fuit inprimis ſtudioſa puritatis; fuit ſponſa cordis virginei; ideo modo adſtat à dexteris ſponſi: ſponſa fuit amans pacis; ideò modo fulget in veſtitu deaurato: fuit ſponſa miſericordiæ addicta; ideo modò circumdata eſt varietate. Quâ varietate? virtutum, honorum, gratiarum, omniumque ornamentorum cœleſtium. S. Bernardus ſer. 17. in Cant. *Ideo Eccleſia promiſſionem habens futuræ felicitatis, curat interim præparare, & ornare ſe, in veſtitu deaurato circumdata, varietate gratiarum & virtutum.* Si & vos, ita vos præparatis, beati eſtis. §. 11. *Miſericordibus, pacificis; mundo corde.*

Tandem capaces ſunt æternæ felicitatis, qui perſecutionem patiun- §. 12. *Patientibus perſecutione*

patiuntur. Multis videtur audax petitio boni latronis, Luc. 23. v. 42. *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*: nihilominus Chriſtus D. ſtatim reſpondit; Hodie mecum eris in paradiſo. Fortaſſis audacem illum fecit viva fides; forte cor contritum & humiliatum, fortaſſis ingens fiducia, vel quod palam defenderet Chriſtum pendentem in cruce; forte præſentia matris miſericordiæ, &c. Placet mihi modò S. Bernardus ſer. 1. de ramis: petiviſſe hoc, quia videbat ſe mori in cruce, & in doloribus; & cùm magnâ patientiâ. *Hæc eſt enim via vitæ, via regni, via gloriæ, ſecundum quod latro clamat in cruce, Memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et quam compendioſa via? eâdem die meruit cum Domino eſſe in Paradiſo.*

§. 13. *Quare caput Chriſti dicatur aureum; & coma nigra ſicut corvus.*

Cant. 5. ait ſponſa: *Caput ejus aurum optimum; coma capitis ejus ſicut elatæ palmarum, nigra ſicut corvus.* Quomodo caput Chriſti aureum, quomodo ſimul nigrum. Nigrum fuit, cum dixit, *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & guttis noctium.* Nigrum fuit, cum redimitum fuit ſpinis; ſed hodie in gloria eſt aureum. S. Bern. in hunc locum: *Etenim utriſq;* (& beatis, & viatoribus) *eſt caput unum. Sed non uno modo membris omnibus exhibetur; quibusdam enim exhibetur caput hirſutum ſpinis, inclinatum in cruce, ut humilientur pariter, pariter compungantur* (pulchrè) *quibusdam glorioſum apparet, ut ab ipſo glorificentur.* O ſi hodie videre liceret illas coronas gloriæ, quibus beati coronati ſunt in cœlis! O ſi illas roſas, quibus redimiti ſunt illorum vertices! ſpectaculum foret planè amœnum! At hoc probè notate Auditores; ante roſas habuêre ſpinas; ante coronas habuêre pugnas; ante honores habuêre labores. Quod ſi delectat nos aliquando excipere vocem illam amabilem, *Veni de Libano, veni coronaberis.* Eja prius progrediamur inter ſpinas; ex ſpinis & per ſpinas pervenitur ad roſas. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

EX-

Digitized by Google

EXHORTATIO.

IN COMMEMORATIONE FIDELIUM ANIMARUM.

Salubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.

Lib. 2. Mach c. 12. v. 46

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX cœleſtibus viſionibus, S. Franciſcæ Romanæ & S. Melchtildi objectis, hauriuntur ſalubres cogitationes, quæ zelum & ingens deſiderium inflammare poterunt, ut ſodales Chriſti in cruce agonizantis conentur ſuccurrere animabus in purgatorio.

§. 1. *S. Franciſca Romana vidit varia vexilla; igneum, nigrum, candidum, rubrum.*

§. 2. *Sub iisdem vexillis militant ſodales Chriſti in cruce Agonizantis.*

§. 3. *Et proinde æquum eſt, ut ſuccurrant animabus in purgatorio.*

§. 4. *Vidit ſancta Franciſca omnes Cœlites perfundi radiis, vibratis ex vulneribus Salvatoris.*

§. 5. *Amabiliſſima viſio ſanctæ Melchtildis, de vulneribus Salvatoris*

§. 6. *Modus peculiariter oblectandi cor Jeſu, & animas in purgatorio.*

§. 7. *Alia viſio ſanctæ Franciſcæ, de libro Divini amoris.*

§. 8. *Adhortatio ad menſtruam communionem.*

INcidi nuper, fauſto utrique omine in pium libellum, qui amabiles quaſdam & cœleſtes exhibet viſiones, quibus Chriſtus D. Sanctorum omnium Rex, & corona, omnium Sanctorum feſto, animas

§. 1. S. Franciſca Romana vidit varia

vexilla: igneum, nigrum, candidum, rubrum.

animas quaſdam ſanctas conſolari voluit, & recreare. S. Franciſca Romana, excelſæ ſanctitatis Matrona, illo die rapta in cœlos, vidit omnes Sanctorum Ordines, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines & reliquos Cœlites, congregatos ſub uno vexillo, de quo cœleſtis luſcinia ita cecinit: *Noſtrum vexillum eſt pulchrum, & inflammatum ſemper Divino amore.* Fortaſſis ornatum illud fuit pulcherrimis ſymbolis Divinæ illius charitatis. Vidit eadem ſancta Franciſca aliâ vice; animas quasdam duci ad cœlum ſub vexillo nigro; alias ſub candido, alias ſub rubro & ſanguineo. Ex quo agnovit, ſub vexillo nigro militare illos, qui ex timore, & vivâ apprehenſione trium triſtiſſimorum noviſſimorum, mortis, judicii & inferni, induuntur nigro ſacco pœnitentiæ, ut per virtutis hujus dignos fructus pro peccatis ſuis ſatisfaciant, & cœlum obtineant. Ad vexillum candidum pertinere illos, de quibus Chriſtus D. ait, beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Ad rubrum eos, qui paſſioni, & præſertim SS. Vulneribus, & pretioſo Chriſti Domini ſanguini devoti exiſtunt, illorumque myſteriorum conſideratione, flammas Divini amoris in cordibus ſuis excitare conantur. O pulchra vexilla!

§. 2. Sub iisdem vexillis militant ſodales agoniæ Chriſti in cruce agonizantis.

Gratulor ex animo congregationi Chriſti in cruce agonizantis; quæ cum aliud non ſit, quàm fortis quædam cohors, ſub labore SS. crucis, ut aliquando diabolo, potentiſſimo hoſti, in ſupremo agone reſiſtamus fortiter, & glorioſo certamine obtineamus bravium cœleſtis gloriæ; meritò in terris, cùm Sanctis in cœlis dicere poſſumus; Noſtrum vexillum pulchrum eſt, & inflammatum Divino amore: nam vexillum noſtrum JEſus crucifixus eſt? quis pulchrior? quis nos amavit ardentius? In hoc vexillo depicta ſunt tot ſymbola cœleſtis amoris; quot membra! Ecce caput, coronatum ſpinis! ecce faciem lividam, ſputis horridam! ecce oculos, lachrymis & & ſanguini immerſos! ecce apertum cor! &c. Quis ſodalis tam frigidus, ut ab hoc vexillo non inflammetur! Sic pergite; ardenter amate JEſum crucifixum. Nigrum eſt vexillum noſtrum, cum ex timore mortis, judicii atque æternitatis, &c. de ſeriâ cogitamus pœnitentiâ, &c. Candidum eſt, cum per menſtruam confeſſionem lavamus ſtolas noſtras in ſanguine Agni. Rubrum eſt; cum

in

Digitized by Google

in recitatione Roſarij quinq; SS. Vulnerũ, eorundem recordamur. Rumbrum præſertim eſt, cùm in Communione menſtruâ paſti & poti, pretioſâ carne, & ſanguine Chriſti, rubeſcimus, igneſcimus, inflammamur, & veluti ignei leones Satanæ terribiles exſurgimus.

§. 3. *Proinde æquum eſt, ut ſuccurrant animabus Sodalium exiſtentium in purgatorio.*

Sed ſtate nonnihil fortes milites! ah! cecidêre aliqui ex noſtris commilitonibus, conſodales noſtri; hoc & prioribus annis; dum exceſſerunt è vivis, caſtra noſtra deſeruerunt. Juſto DEI judicio illorum animæ; ob certas noxas hactenus arſerunt in flammis purgatorij; ardent adhuc, & ardebunt diutius, niſi nos ex Chriſtianâ commiſeratione ſucurramus. Quales, vel quomodo ardeant, cogitare poteritis, ſi oculos veſtros in imaginem altaris Agonię conijcere velitis. Eja! ad rubrum vexillum, ad JEſum Crucifixum convolate. Amor, quo illum proſequimur, exigit ut has quoque ſanctas, ſed deſolatas animas amemus: ut illis ſuccurramus. At quibus mediis? illis, quæ regulæ Congregationis noſtræ præſcribunt; oratione & menſtruâ præſertim Communione; quod duplex medium, magnam à Chriſti ſanguine virtutem ſibi vendicat. Eja Sodales! ſi qua vobis ſunt viſcera miſericordiæ Chriſtianæ; ea diffundite in miſerarum ſolatium animarum. Occurrit tibi ſubinde pia hæc vel ſimilis cogitatio; hoc Roſarium, hanc coronam, has preces modo orando percurram in honorem pretioſi ſanguinis, quem ſtillarunt benedicta Salvatoris mei Vulnera; hunc in finem, ut hâc divini ſanguinis aſpergine, vel aliquot ſaltem ejuſdem guttulis miſeræ illæ animæ irrorentur; Bene habet, ſic perge; eſt hæc verè ſalubris cogitatio. (hoc modo fiat affectuoſa adhortatio.)

§. 4. *Videt S. Franciſca, omnes Cœlites perfundi radiis, vibratis ex Vulneribus Salvatoris.*

Eadem S. Franciſca in Vigiliâ Omnium SS. rapta ad cœli gaudia, vidit è quinque Vulneribus glorioſiſſimi Corporis Salvatoris, & potiſſimùm ex benedicto latere, vibratis radiis, totum cœlum, & omnes Cœlites illuſtrari; alios pedum, alios manuum ſplendoribus perfuſos: amabiliſſimâ luce glorioſi & dulciſſimi Cordis illos, qui in hâc vitâ, illi Vulneri præſertim fuerunt devoti. Congregati ſumus ſodales amantiſſimi, ut mox pro felici morte recitemus Roſarium quinque SS. Vulnerum. Ita, rogo, oremus! primam & ſecundam decadem, in honorem Vulnerum SS. pedum, ſiniſtri, & dexteri; illo ardore, illâ devotione, &c. ut amabilis JEſus, evibratis inde arden-

quibus radiis corda noſtra illuſtret & inflammet. Decadem 3. & 4. in honorem Vulnerum SS. manuum; quintam, in honorem aperti lateris & transfixi cordis, ita oremus; illo ardore &c. ut inde quoque ſuper nos amabiles prorumpant ſcintillæ, exiliant ardentes prunæ, ut toti ardeamus! Sed orate præterea, ut hodie idem radij penetrent terram ad ipſum uſque purgatorium, ita orate, ita inſtate! ut cum radiis ex SS. Vulneribus eò decidant ſanguineæ guttæ, ut in flammis! eheu! in atrocibus flammis, recreentur & refrigerentur animæ illæ ſanctæ ſed triſtes & afflictæ! Adverto ex veſtris oculis; hoc cogitatis; O quàm mox ferventer orabo roſarium SS. Vulnerũ; ut ſanguis inde profluens reſtinguat illa incendia. Hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 5. Amabiliſſima Viſio S. Melchtildis, de Vulneribus Salvatoris.

Amabilis quoque fuit viſio S. Melchtildis. Nocte Omnium SS. vidit in cœlis ex corde JEſu prodire triplicem aureum funiculum, quo Diviniſſimo ejus cordi colligatum inprimis fuit dulciſſimum Cor Mariæ; deinde ille funiculus ad Seraphinos & Angelos omnes; omniumque ſanctorum & ſanctarũ corda variè ſe porrexit, eademq; cum cordibus JEſu & Mariæ felici vinculo copulavit inter ſuaviſſimam Muſicam, quâ S. Melch. advertit, cor DEI oblectari; cum omnium quoque ſanctorum admirabili jubilo, quod ſciant, hunc funiculum amoris non rumpendum in æternum! Orabimus mox, ut dixi, Roſarium SS. Vulnerum. Mi JEſu Crucifixe! mea intentio hæc erit; orabo primam & ſecundam Decadem in honorem Vulnerum SS. pedum; ut ardentes inde erumpant catenæ, & funiculi tincti in ſanguine JEſu! imò ut lacerati tui nervi, & fractæ vibræ, mi JEſu, cum tuo corde colligent cor meum (ſic ferventer & affectuosè perge, per alias decades) Non dubito, quin idem intendunt ſanctæ veſtræ cogitationes; ſed hoc deſidero præterea, ut eosdem funiculos porrigatis ardentibus animabus in flammis, ut illis catenis extrahantur ex ignibus. Talia cogitate! hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 6. Modus peculiariter oblectandi Cor IESu, & animas in purgatorio.

Placuit S. Melchtildi, quod audiviſſet, illâ Muſicâ cor DEI fuiſſe oblectatum. Quamobrem interrogavit ex cœleſti Sponſo, quâ ratione ipſa pariter feſto omniũ Sanctorum, cor ejus poſſet oblectare. Reſpondit Dilectus, *Lauda me, quod ſim Corona SS. Omnium.* Et ſimul Deiparam, & omnes ſanctos pulcherrimis ſertis coronatos conſpexit. Spero à vobis heri idem fuiſſe factum. Spero ſacerdotes cum jubilo

bilo

Digitized by Google

bilo recitaſſe Invitatorium, Chriſtum Regem Regum venite adoremus, quia ipſe eſt corona SS. omnium. Puto jubilum & gaudium cordis veſtri eſſe, quod JEſus Crucifixus, &c. modò in gloriâ, ad dexteram Patris, ſit Corona SS. Omnium. Hæ cogitationes, hi affectus, hæ aggratulationes oblectant Cor JEſu. Si tamen illi majorem adhuc oblectationem accedere deſideratis, hoc agite, ut beatæ illæ Animę, quæ in purgatorio adhuc carent coronâ gloriæ, eâdem condecorentur, ut in cœlis laudent ſuum Salvatorem; hoc agite, ut piæ animæ, quæ flammeis coronis ſunt inſignitæ, juventur; ut ex flammis vindicatæ, coronentur roſis in cœlis; ut illarum quoque Chriſtus D. hodie in cœlis fiat Corona. Tales ſunt ſalubres cogitationes; quibus animę in purgatorio oblectantur, imò ipſum Cor JEſu peculiari gaudio afficitur, Communis erit omnium Sanctorum lætitia, ſi hodie illorum numero multæ animæ ex purgatorio adjungantur.

Meus in pias animas affectus facit, ut præter morem ſim longior; ſed, ubi unam adhuc narravero viſionem S. Franciſcę Romanæ, piam & affectuoſam, finem imponam dictioni. Vidit feſto Omnium Sanctorum altare ardentibus facibus illuſtre: in medio Agnum cum pulcherrimo libro, quem S. Joannes illi oſtendens dixit, *Ecce iſtum pulchrum librum, in quo legimus ſupernum amorem.* Cogitabit fortaſſis nonnemo, per librum Agni poſſe etiam intelligi librum prædeſtinatorum; cui inſcripti ſunt æternæ felicitatis filij; malis omnibus in illa carituri, bonis omnibus fruituri æternū! DEum viſuri ſemper. Alius fortaſſis meminerit, ſe audiviſſe librum Agni, eſſe ipſum JEſum Crucifixum, cujus quinq; folia, ſunt quinq; roſea ejus SS. Vulnera, quibus ſuo ſanguine nomina electorum inſcripſit. Placent mihi hæ cogitationes; & rogo enixe, ut in his libris legatis & diſcatis, amorem erga JEſum Crucifixum. Sed talem, qui ſe extendat ad animas in purgatorio. Id eſt; non ſufficiat nobis v.g. ut nos tantùm pretioſus ille ſanguis abluat, refocillet, exhilaret, &c. Sed deſideremus præterea, ut ſit ſolatio piis animabus; Iterum ſancta hic mihi occurrit cogitatio. Forte in purgatorio ardent animæ, quæ inde liberatæ collocandæ erunt inter Seraphinos, &c. quod factum non ſit hactenus, cauſa ſunt noxæ, quibus maculata fuerunt eorum nomina, dum diſcederent ex hoc mundo,

§. 7. *Alia viſio S. Franciſcæ de libro divini Amoris.*

tibus radiis corda noſtra illuſtret & inflammet. Decadem 3. & 4. in honorem Vulnerum SS. manuum; quintam, in honorem aperti lateris & transfixi cordis, ita oremus; illo ardore &c. ut inde quoque ſuper nos amabiles prorumpant ſcintillæ, exiliant ardentes prunæ, ut toti ardeamus! Sed orate præterea, ut hodie idem radij penetrent terram ad ipſum uſque purgatorium, ita orate, ita inſtate! ut cum radiis ex SS. Vulneribus eò decidant ſanguineæ guttæ, ut in flammis! eheu! in atrocibus flammis, recreentur & refrigerentur animæ illæ ſanctæ ſed triſtes & afflictæ! Adverto ex veſtris oculis; hoc cogitatis; O quàm mox ferventer orabo roſarium SS. Vulnerũ; ut ſanguis inde profluens reſtinguat illa incendia. Hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 5. Amabiliſſima Viſio S. Melchtildis, de Vulneribus Salvatoris.

Amabilis quoque fuit viſio S. Melchtildis. Nocte Omnium SS. vidit in cœlis ex corde JEſu prodire triplicem aureum funiculum, quo Diviniſſimo ejus cordi colligatum inprimis fuit dulciſſimum Cor Mariæ; deinde ille funiculus ad Seraphinos & Angelos omnes; omniumque ſanctorum & ſanctarũ corda variè ſe porrexit, eademq; cum cordibus JEſu & Mariæ felici vinculo copulavit inter ſuaviſſimam Muſicam, quâ S. Melch. advertit, cor DEI oblectari; cum omnium quoque ſanctorum admirabili jubilo, quod ſciant, hunc funiculum amoris non rumpendum in æternum! Orabimus mox, ut dixi, Roſarium SS. Vulnerum. Mi JEſu Crucifixe! mea intentio hæc erit; orabo primam & ſecundam Decadem in honorem Vulnerum SS. pedum; ut ardentes inde erumpant catenæ, & funiculi tincti in ſanguine JEſu! imò ut lacerati tui nervi, & fractæ vibræ, mi JEſu, cum tuo corde colligent cor meum (ſic ferventer & affectuosè perge, per alias decades) Non dubito, quin idem intendunt ſanctæ veſtræ cogitationes; ſed hoc deſidero præterea, ut eosdem funiculos porrigatis ardentibus animabus in flammis, ut illis catenis extrahantur ex ignibus. Talia cogitate! hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 6. Modus peculiariter oblectandi Cor IESV, & animas in purgatorio.

Placuit S. Melchtildi, quod audiviſſet, illâ Muſicâ cor DEI fuiſſe oblectatum. Quamobrem interrogavit ex cœleſti Sponſo, quâ ratione ipſa pariter feſto omniũ Sanctorum, cor ejus poſſet oblectare. Reſpondit Dilectus, *Lauda me, quod ſim Corona SS. Omnium.* Et ſimul Deiparam, & omnes ſanctos pulcherrimis ſertis coronatos conſpexit. Spero à vobis heri idem fuiſſe factum. Spero ſacerdotes cum jubilo

bilo

Digitized by Google

bilo recitaſſe Invitatorium, Chriſtum Regem Regum venite adoremus, quia ipſe eſt corona SS. omnium. Puto jubilum & gaudium cordis veſtri eſſe, quod JEſus Crucifixus, &c. modò in gloriâ, ad dexteram Patris, ſit Corona SS. Omnium. Hæ cogitationes, hi affectus, hæ aggratulationes oblectant Cor JEſu. Si tamen illi majorem adhuc oblectationem accedere deſideratis, hoc agite, ut beatæ illæ Animę, quæ in purgatorio adhuc carent coronâ gloriæ, eâdem condecorentur, ut in cœlis laudent ſuum Salvatorem; hoc agite, ut piæ animæ, quæ flammeis coronis ſunt inſignitæ, juventur; ut ex flammis vindicatæ, coronentur roſis in cœlis; ut illarum quoque Chriſtus D. hodie in cœlis fiat Corona. Tales ſunt ſalubres cogitationes; quibus animę in purgatorio oblectantur, imò ipſum Cor JEſu peculiari gaudio afficitur, Communis erit omnium Sanctorum lætitia, ſi hodie illorum numero multæ animæ ex purgatorio adjungantur.

Meus in pias animas affectus facit, ut præter morem ſim longior; ſed, ubi unam adhuc narravero viſionem S. Franciſcę Romanæ, piam & affectuoſam, finem imponam dictioni. Vidit feſto Omnium Sanctorum altare ardentibus facibus illuſtre; in medio Agnum cum pulcherrimo libro, quem S. Joannes illi oſtendens dixit, *Ecce iſtum pulchrum librum, in quo legimus ſupernum amorem.* Cogitabit fortaſſis nonnemo, per librum Agni poſſe etiam intelligi librum prædeſtinatorum; cui inſcripti ſunt æternæ felicitatis filij; malis omnibus in illa carituri, bonis omnibus fruituri æternũ! DEum viſuri ſemper. Alius fortaſſis meminerit, ſe audiviſſe librum Agni, eſſe ipſum JEſum Crucifixum, cujus quinq; folia, ſunt quinq; roſea ejus SS. Vulnera, quibus ſuo ſanguine nomina electorum inſcripſit. Placent mihi hæ cogitationes; & rogo enixe, ut in his libris legatis & diſcatis, amorem erga JEſum Crucifixum. . Sed talem, qui ſe extendat ad animas in purgatorio. Id eſt; non ſufficiat nobis v. g. ut nos tantùm pretioſus ille ſanguis abluat, refocillet, exhilaret, &c. Sed deſideremus præterea, ut ſit ſolatio piis animabus; Iterum ſancta hic mihi occurrit cogitatio. Forte in purgatorio ardent animæ, quæ inde liberatæ collocandæ erunt inter Seraphinos, &c. quod factum non ſit hactenus, cauſa ſunt noxæ, quibus maculata fuerunt eorum nomina, dum diſcederent ex hoc mundo,

§. 7. *Alia viſio S. Franciſcæ de libro divini Amoris.*

Digitized by Google

CONCIO LXXXVII.

FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Sint lumbi veſtri præcincti.

Lucæ 12. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars ornat S. Martinum florido ſacerdotali cingulo, cum ſymbolis variarum virtutum & elogiorum. Altera pars, morientis lectulum, vel tumulum ſimilibus aſpergit floſculis; pretioſa enim ejus fuit mors.

§. 1. *S. Martinus fuit dilectus Deo & Angelis.*

§. 2. *Et hominibus.*

§. 3. *Ob varias cauſas.*

§. 4. *Cingulum ſummi Sacerdotis, quale fuerit ad literam.*

§. 5. *Varii colores fuerunt ſymbola variarum virtutum.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *S. Martinus fuit præcinctus byſſino cingulo puritatis, hyacynthino devotionis, purpureo conſtantiæ, & aureo charitatis.*

§. 8. *Ornatur idem cingulum aureis floribus. 1. aureo lilio.*

§. 9. *Cum variis ſancti Martini elogiis.*

§. 10. *2. Aureo hyacintho pietatis & devotionis.*

§. 11. *3. Aurea, purpureaque roſa conſtantiæ & fortitudinis.*

§. 12. *Cum aliis elogiis ſancti Martini.*

§. 13. *4. Aureæ roſa charitatis erga Deum & proximum.*

§. 14. *Lectulus morientis ſancti Martini, vel tumulus ſimilibus aſpergitur floſculis? Qualis ejus fuit vita, talis mors.*

§. 15. *Varia mortis hujus circumſtantiæ.*

§. 16. *Proſecutio.*

§. 17. *Epilogus.*

§. 1. *S. Martinus dilectus Deo & Angelis.*

MEritò de S. Martino dicere poſſumus ex cap. 4. Sapient. v. 10. *Placens Deo factus & dilectus.* Dilectus à Patre, à quo tantam miraculorum poteſtatem habuit. Dilectus à Filio, qui coram angelis illum commendavit. Dilectus à Spiritu S. qui in ſpecie ignei globi ſuper caput ejus apparuit. Dilectus etiam peculiariter à Dei matre, quæ ſæpius aliis comitata Virginibus eundem inviſit; unde ipſe dixit; *Agnes, & Tecla & Maria ad me venerunt.* Dilectus ab Angelis; nam qui in vita aſtiterunt celebranti, adfuerunt decumbenti in agone, & poſt mortem, cum laudibus ejus animam deduxerunt in cœlum. Dilectus denique fuit à totâ Curiâ cœleſti, quæ ipſum cum gaudio ſuſcepit, prout ipſe prædixerat: *Sinus Abrahæ me latus ſuſcipiet.*

§. 2. *Et hominibus.*

In terris, ſive dum viveret in hoc mundo, omni hominum ſtatui quoque fuit dilectus. Militibus tanquam ſtrenuus Dux. Imperatoribus & aliis belli Ducibus tanquam generoſus miles. Monachis tanquam ſpeculum virtutum. Sacerdotibus tanquam ipſorum gemma. Egenis tanquam pater. Afflictis tanquam conſolator. Naufragantibus tanquam hoſpitator, &c.

§. 3. *Ob varias cauſas.*

Et hic communis cœli terræque amor erga S. Martinum ſuas habuit cauſas, easque non modicas. Pater illum dilexit ob mandatorum obſervationem Joannis 14. v. 21. Filius dilexit illum ob tantam erga pauperes compaſſionem. Spiritus ſanctus propter profundiſſimam humilitatem. B. Virgo, Virginumque chorus ob virginalem puritatem. Angeli propter Angelicam in terris converſationem. Tota curia cœleſtis ob eximiam ſanctitatem. Totus mundus illum dilexit propter beneficia, quæ ab ipſo recepit temporalia, corporalia, ſpiritualia, æterna. In cujus dilectionis ſignum, præſertim Germania, in variis Provinciis, Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, variiſque Eccleſiis feſtum hujus Sancti, hodie ſolenni celebr..t devotione. Ego in ipſius laudem pergam declarare, quibus virtutibus in vitâ & morte fuerit ornatus, ut ſit nobis exemplar, quod imitari poſſimus, ſiquidem nobis animus eſt, aliquando cum S. Martino à ſanctis Angelis in cœleſtem patriam, ut in eâ æternum beati vivamus, induci.

In

Digitized by Google

In panegyricis meis ſermonibus de ſancto Martino, exornare illum conſuevi, vel cingulo operarii, tanquam ſtrenuum operarium in vineâ Domini; vel cingulo bajuli, veluti bajulum gravis jugi ſanctæ crucis; vel cingulo militari tanquam eximium militem ſub Imperatore Chriſto, vel cingulo ſacerdotali, veluti ſanctiſſimum Epiſcopum & Sacerdotem. De his cingulis loquitur etiam thema, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Hæc cingula explicant lucidiſſimas virtutes, quibus ſanctus Martinus in aureo candelabro, vel uti alto monte Eccleſiæ toti mundo præluxit. Hujus autem concionis pars prior vobis oſtendet, quàm pulchro cingulo ſacerdotali ſanctus Martinus præcinctus fuerit. Poſtquam Moyſes cap. 39. Exodi deſcripſiſſet veſtes, id eſt, ſuperhumerale, ejus gemmas, & rationale, & catenulas, & uncinos, & annulos, & vittas, & tunicas, & tintinnabula, & malogranata, quibus jubente Domino ornatus fuit ſummus Sacerdos, ait v. 28. *Cingulum - confectum fuit - de byſſo retorta, hyacintho, purpurâ, ac vermicula bis tincto, arte plumariâ, ſicut præceperat Moyſes.*

§. 4. Cingulum ſummi Sacerdotis, quale fuerit ad literam.

De byſſo quærit S. Gregorius. Quid per byſſum niſi candens decore munditiæ corporalis caſtitas deſignatur? Hæc prima & pulcherrima eſt virtus, quæ ornat Sacerdotem. De colore hyacinthino non ſine myſterio ait S. Gregorius Nyſſænus in myſtica interpretatione vitæ Moyſis. *Aërio indumento -* ſummus Sacerdos *- ornatus incedebat, ut qui medius inter Deum in cœlo degentem, & inter homines in ſolo habitantes futurus erat, quaſi volatilis inter cœlum & ſolum* (id eſt, veluti avis paradiſi) *elevans, amictu ſibi apto decorus videretur.* Innuitur his verbis, fervor devotionis, ſtudium orationis, ſpiritus pietatis, & cœleſtis converſatio, quæ in Sacerdote requiritur. S. Greg. M. in Ezech. l. 2. *Hyacinthus, qui aërio colore reſplendet, adjungitur, ut Sacerdos non ad favores & amores infimos, ſed ad amorem cœleſtium aſſurgat.*

§. 5. Varii colores fuerunt ſymbola variarum virtutum.

De purpurâ idem S. Gregorius. *Hyacintho purpura permiſcetur, ut videlicet ſacerdotale cor in ſemetipſo vitiorum ſuggeſtiones reprimat, eiſque velut regia poteſtate contradicat,* ut dici poſſit cum ſancto Petro 1. ep. cap. 2. verſ. 9. *Vos regale ſacerdotium.* Nam per invictam conſtantiam, & in bono firmitatem, Sacerdotes veluti

§. 6. Proſecutio.

Reges

Digitized by Google

tiarum plumbo; his lucta eſt difficilis. Scimus athletas olim, ac pugiles exuiſſe ſe veſtibus,ut magis eſſent ad luctam agiles, parati,idonei! Idem in luctâ ſpirituali faciendum eſt; Hoc illa Chriſti verba ſignificant,Beati pauperes ſpiritu.q.d. qui pondus terrenarum opum,facultatumque abijciunt, hi boni erunt pugiles, hi diſpoſiti ad luctam illam magnam athletæ: Pulchra illa æternæ lucis aurora non exoritur, niſi illis, qui prius ſederint in tenebris & umbrâ mortis:tenebræ ſunt afflictiones, cruces, perſecutiones, vincula, paupertas,injuriæ, &c. Et quidquid demum patienter pro Chriſti nomine toleratur,tenebrarũ nomen incurrit. Sed poſt tenebras, poſt luctam,ſperate lucem; poſt noctẽ,aurorã,poſt luctum gaudiũ: poſt dolores,honores.

§. 8. *Regnum cœlorum frequenter vocatur terra, quæ parata eſt mitibus.*

Æterna gloria frequenter in ſacris literis vocatur terra; hinc illud Salvatoris noſtri; *ipſi poßidebunt terram*,ſcilicet illam, quæ Exodi c. 3. v. 8. & in Levit. in Num. in Deuteron. in Joſue, vocatur *terra lacte & melle fluens*, imò, rivis lactis. 2. Paral. c.20.v.26. *Vallis benedictionis.* Ezech. c. 34. v.26. *Collis benedictionum.* Pſ. 26. v. 13. terra viventium. Iſaiæ c.4.v.2.fructus terræ ſublimis c.37.v.7.inebriabitur terra eorum.cap.36.v.17.vocat,terram frumenti & vini. Jeremias cap. 3. v. 29. terram deſiderabilem. cap.12. v.5. terram pacis. Joan. in Apoc. c. 21. v.1. terram novam. DEUS ipſe Gen. c.22. v. 2. terram viſionis, in quâ propriè æterna beatitudo conſiſtit. Sed quinam poſſidebunt hanc terram lactis,mellisque feracem,&c. habemus oraculum Chriſti Domini,& verba æternæ Veritatis;Beati mites,quoniam ipſi poſſidebunt terram: qualis ipſe fuit, cùm dixit, ſive cum ſe ipſum exemplar propoſuit, Matth. cap.11. v.29. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.*

§. 9. *Et lugentibus.*

Beati etiam ſunt, qui lugent. Cant. 2. v.12. *Hyems tranſiit, flores apparuerunt in terra noſtra, vox turturis audita eſt.* Vox turturis aſſignatur pro ſigno adventantis veris; cur non luſciniæ, vel hirundinis? quia turtur non cantat, ſed gemit;itaque gemitus triſtis columbæ, ſive animæ piæ, inſtantem beatitudinis gloriam portendunt. S. Bernardus Ser.1.de Nat. Virg *Florum apparitio,turturis comitatur auditum.* Ver florum copiâ dives,beatitudinis notat affluxum. Sed quod ſignũ adventus ejus? *Si vox turturis audita eſt,in terra noſtra.* O triſtes Animæ! O turtures! flete,dolete,gemite! ſignũ bonum! ſignũ lætitię,

ſignum

ſignum gloriæ! Præ foribus ver eſt. Jam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit! Cœleſtis gloriæ prodromus eſt gemitus talis turturis.

Beati etiam ſunt, ſive capaces futuræ felicitatis, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. Pſ. 17. v. 34. David ſe comparat cervo, *qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.* Voluit dicere, ſe eſſe velociſſimum in viâ mandatorum, & virtutis; ideo auſus fuit dicere: *Paratum cor meum Deus.* Voluit dicere, ſe amare loca ſublimia, & excelſos montes, quod faciunt cervi; non valles, non terram; ideo addit, *Super excelſa ſtatuens me*; unde vana, caduca & terrena deſpicio. Cervus; ſi qua in fuga difficultas occurrat, ſivè à vallibus, ſive à ſpinis, ſive à petris, ſive à foſſis, pernici ſaltu ſuperat omnia. Idem fecit & David: teſtes ſunt voces illæ; quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Davidis erga Deum ſitis, fecit illum celerem & agilem, in curſu ad bravium cœleſtis gloriæ. Attendite Auditores, an ejusmodi ſitis cervi. Ut, quod ſuadet S. Gregorius lib. 26. mor. cap. 10. *More cervorum, deſpectis terrenorum ſentibus, in ſuperna vos evehatis.*

§. 10. Eſurientibus & ſitientibus juſtitiam.

Beati miſericordes, pacifici, & qui ſunt mundo corde. Hi omnes gloriæ ſunt æternæ capaces. Pſ. 44. v. 10. David deſcribit pulchritudinem ſponſæ, ſive animæ beatæ in gloria. *Aſtitit Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Pulcherrima nimis veſtis eſt, æterna gloria; ſed ſimul additur; qualis ejus Reginæ fuerit veſtis in via; dum viveret: *Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, &c.* Pretioſa hæc unguenta notant prædictas virtutes; balſamum puritatis, oleum pacis, oleum miſericordiæ, &c. eſt itaque ſenſus; ſponſa dum viveret, fuit inprimis ſtudioſa puritatis; fuit ſponſa cordis virginei; ideo modo adſtat à dexteris ſponſi: ſponſa fuit amans pacis; ideò modo fulget in veſtitu deaurato: fuit ſponſa miſericordiæ addicta; ideo modò circumdata eſt varietate. Quá varietate? virtutum, honorum, gratiarum, omniumque ornamentorum cœleſtium. S. Bernardus ſer. 27. in Cant. *Ideo Eccleſia promiſſionem habens futuræ felicitatis, curat interim præparare, & ornare ſe, in veſtitu deaurato circumdata, varietate gratiarum & virtutum.* Si & vos, ita vos præparatis, beati eſtis.

§. 11. Miſericordibus, pacificis; mundo corde.

Tandem capaces ſunt æternæ felicitatis, qui perſecutionem patiun-

§. 12. Patientibus perſecutione

Digitized by Google

patiuntur. Multis videtur audax petitio boni latronis, Luc. 23. v. 42. *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*: nihilominus Chriſtus D. ſtatim reſpondit; Hodie mecum eris in paradiſo. Fortaſſis audacem illum fecit viva fides; forte cor contritum & humiliatum, fortaſſis ingens fiducia, vel quod palam defenderet Chriſtum pendentem in cruce; forte præſentia matris miſericordiæ, &c. Placet mihi modò S. Bernardus ſer. 1. de ramis: petiviſſe hoc, quia videbat ſe mori in cruce, & in doloribus; & cùm magnâ patientiâ. *Hæc eſt enim via vitæ, via regni, via gloriæ, ſecundum quod latro clamat in cruce, Memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et quam compendioſa via? eâdem die meruit cum Domino eſſe in Paradiſo.*

§. 13. *Quare caput Chriſti dicatur aureum; & coma nigra ſicut corvus.*

Cant. 5. ait ſponſa: *Caput ejus aurum optimum; comæ capitis ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ ſicut corvus.* Quomodo caput Chriſti aureum, quomodo ſimul nigrum. Nigrum fuit, cum dixit, *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & guttis noctium.* Nigrum fuit, cum redimitum fuit ſpinis; ſed hodie in gloria eſt aureum. S. Bern. in hunc locum: *Etenim utrisq;* (& beatis, & viatoribus) *eſt caput unum. Sed non uno modo membris omnibus exhibetur; quibusdam enim exhibetur caput hirſutum ſpinis, inclinatum in cruce, ut humilientur pariter, pariter compungantur* (pulchrè) *quibusdam glorioſum apparet, ut ab ipſo glorificentur.* O ſi hodie videre liceret illas coronas gloriæ, quibus beati coronati ſunt in cœlis! O ſi illas roſas, quibus redimiti ſunt illorum vertices! ſpectaculum foret planè amœnum! At hoc probè notate Auditores; ante roſas habuêre ſpinas; ante coronas habuêre pugnas; ante honores habuêre labores. Quod ſi delectat nos aliquando excipere vocem illam amabilem, *Veni de Libano, veni coronaberis.* Eja prius progrediamur inter ſpinas; ex ſpinis & per ſpinas pervenitur ad roſas. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

EX-

Digitized by Google

EXHORTATIO.

IN COMMEMORATIONE FIDELIUM ANIMARUM.

Salubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.

Lib. 2. Mach c. 12. v. 46

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX cœleſtibus viſionibus, S. Franciſcæ Romanæ & S. Melchtildi objectis, hauriuntur ſalubres cogitationes, quæ zelum & ingens deſiderium inflammare poterunt, ut ſodales Chriſti in cruce agonizantis conentur ſuccurrere animabus in purgatorio.

§. 1. *S. Franciſca Romana vidit varia vexilla; igneum, nigrum, candidum, rubrum.*

§. 2. *Sub iisdem vexillis militant ſodales Chriſti in cruce Agonizantis.*

§. 3. *Et proinde æquum eſt, ut ſuccurrant animabus in purgatorio.*

§. 4. *Vidit ſancta Franciſca omnes Cœlites perfundi radiis, vibratis ex vulneribus Salvatoris.*

§. 5. *Amabiliſſima viſio ſanctæ Melchtildis, de vulneribus Salvatoris.*

§. 6. *Modus peculiariter oblectandi cor Jeſu, & animas in purgatorio.*

§. 7. *Alia viſio ſanctæ Franciſcæ, de libro Divini amoris.*

§. 8. *Adhortatio ad menſtruam communionem.*

INcidi nuper, fauſto utique omine in pium libellum, qui amabiles quaſdam & cœleſtes exhibet viſiones, quibus Chriſtus D. Sanctorum omnium Rex, & corona, omnium Sanctorum feſto, animas

§. 1. S. Franciſca Romana vidit varia

vexilla: igneum, nigrum, candidum, rubrum.

animas quaſdam ſanctas conſolari voluit, & recreare. S. Franciſca Romana, excelſæ ſanctitatis Matrona, illo die rapta in cœlos, vidit omnes Sanctorum Ordines, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines & reliquos Cœlites, congregatos ſub uno vexillo, de quo cœleſtis luſcinia ita cecinit: *Noſtrum vexillum eſt pulchrum, & inflammatum ſemper Divino amore.* Fortaſſis ornatum illud fuit pulcherrimis ſymbolis Divinæ illius charitatis. Vidit eadem ſancta Franciſca aliâ vice; animas quaſdam duci ad cœlum ſub vexillo nigro; alias ſub candido, alias ſub rubro & ſanguineo. Ex quo agnovit, ſub vexillo nigro militare illos, qui ex timore, & vivâ apprehenſione trium triſtiſſimorum noviſſimorum, mortis, judicii & inferni, induuntur nigro ſacco pœnitentiæ, ut per virtutis hujus dignos fructus pro peccatis ſuis ſatisfaciant, & cœlum obtineant. Ad vexillum candidum pertinere illos, de quibus Chriſtus D. ait, beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Ad rubrum eos, qui paſſioni, & præſertim SS. Vulneribus, & pretioſo Chriſti Domini ſanguini devoti exiſtunt, illorumque myſteriorum conſideratione, flammas Divini amoris in cordibus ſuis excitare conantur. O pulchra vexilla!

§. 2. Sub iiſdem vexillis militant ſodales agoniæ Chriſti in cruce agonizantis.

Gratulor ex animo congregationi Chriſti in cruce agonizantis; quæ cum aliud non ſit, quàm fortis quædam cohors, ſub labore SS. crucis, ut aliquando diabolo, potentiſſimo hoſti, in ſupremo agone reſiſtamus fortiter, & glorioſo certamine obtineamus bravium cœleſtis gloriæ; meritò in terris, cùm Sanctis in cœlis dicere poſſumus: Noſtrum vexillum pulchrum eſt, & inflammatum Divino amore: nam vexillum noſtrum JEſus crucifixus eſt? quis pulchrior? quis nos amavit ardentius? In hoc vexillo depicta ſunt tot ſymbola cœleſtis amoris; quot membra! Ecce caput, coronatum ſpinis! ecce faciem lividam, ſputis horridam! ecce oculos, lachrymis & & ſanguini immerſos! ecce apertum cor! &c. Quis ſodalis tam frigidus, ut ab hoc vexillo non inflammetur! Sic pergite; ardenter amate JEſum crucifixum. Nigrum eſt vexillum noſtrum, cum ex timore mortis, judicii atque æternitatis, &c. de ſeriâ cogitamus pœnitentiâ, &c. Candidum eſt, cum per menſtruam confeſſionem lavamus ſtolas noſtras in ſanguine Agni. Rubrum eſt; cum

in

Digitized by Google

in recitatione Roſarij quinq; SS. Vulnerũ, eorundem recordamur. Rumbrum præſertim eſt, cùm in Communione menſtruâ paſti & poti, pretioſâ carne, & ſanguine Chriſti, rubeſcimus, igneſcimus, inflammamur, & veluti ignei leones Satanæ terribiles exſurgimus.

§. 3. *Proinde æquum eſt, ut ſuccurrant animabus Sodalium exiſtentium in purgatorio.*

Sed ſtate nonnihil fortes milites! ah! cecidêre aliqui ex noſtris commilitonibus, conſodales noſtri; hoc & prioribus annis; dum exceſſerunt è vivis, caſtra noſtra deſeruerunt. Juſto DEI judicio illorum animæ; ob certas noxas hactenus arſerunt in flammis purgatorij; ardent adhuc, & ardebunt diutius, niſi nos ex Chriſtianâ commiſeratione ſucurramus. Quales, vel quomodo ardeant, cogitare poteritis, ſi oculos veſtros in imaginem altaris Agoniç conijcere velitis. Eja! ad rubrum vexillum, ad JEſum Crucifixum convolate. Amor, quo illum proſequimur, exigit ut has quoque ſanctas, ſed deſolatas animas amemus; ut illis ſuccurramus. At quibus mediis? illis, quæ regulæ Congregationis noſtræ præſcribunt; oratione & menſtruâ præſertim Communione; quod duplex medium, magnam à Chriſti ſanguine virtutem ſibi vendicat. Eja Sodales! ſi qua vobis ſunt viſcera miſericordiæ Chriſtianæ; ea diffundite in miſerarum ſolatium animarum. Occurrit tibi ſubinde pia hæc vel ſimilis cogitatio; hoc Roſarium, hanc coronam, has preces modo orando percurram in honorem pretioſi ſanguinis, quem ſtillarunt benedicta Salvatoris mei Vulnera; hunc in finem, ut hâc divini ſanguinis aſpergine, vel aliquot ſaltem ejuſdem guttulis miſeræ illæ animæ irrorentur; Bene habet, ſic perge; eſt hæc verè ſalubris cogitatio. (hoc modo fiat affectuoſa adhortatio.)

§. 4. *Vidit S. Franciſca, omnes Cœlites perfundi radiis, vibratis ex Vulneribus Salvatoris.*

Eadem S. Franciſca in Vigiliâ Omnium SS. rapta ad cœli gaudia, vidit è quinque Vulneribus glorioſiſſimi Corporis Salvatoris, & potiſſimùm ex benedicto latere, vibratis radiis, totum cœlum, & omnes Cœlites illuſtrari; alios pedum, alios manuum ſplendoribus perfuſos: amabiliſſimâ luce glorioſi & dulciſſimi Cordis illos, qui in hâc vitâ, illi Vulneri præſertim fuerunt devoti. Congregati ſumus ſodales amantiſſimi, ut mox pro felici morte recitemus Roſarium quinque SS. Vulnerum. Ita, rogo, oremus! primam & ſecundam decadem, in honorem Vulnerum SS. pedum, ſiniſtri, & dexteri; illo ardore, illâ devotione, &c. ut amabilis JEſus, evibratis inde arden-

Digitized by Google

tibus radiis corda noſtra illuſtret & inflammet. Decadem 3. & 4. in honorem Vulnerum SS. manuum; quintam, in honorem aperti lateris & transfixi cordis, ita oremus; illo ardore &c. ut inde quoque ſuper nos amabiles prorumpant ſcintillæ, exiliant ardentes prunæ, ut toti ardeamus! Sed orate præterea, ut hodie idem radij penetrent terram ad ipſum uſque purgatorium, ita orate, ita inſtate! ut cum radiis ex SS. Vulneribus eò decidant ſanguineæ guttæ, ut in flammis! eheu! in atrocibus flammis, recreentur & refrigerentur animæ illæ ſanctæ ſed triſtes & afflictæ! Adverto ex veſtris oculis; hoc cogitatis; O quàm mox ferventer orabo roſarium SS. Vulnerũ; ut ſanguis inde profluens reſtinguat illa incendia. Hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 5. *Amabiliſſima Viſio S. Melchtildis, de Vulneribus Salvatoris.* Amabilis quoque fuit viſio S. Melchtildis. Nocte Omnium SS. vidit in cœlis ex corde JEſu prodire triplicem aureum funiculum, quo Diviniſſimo ejus cordi colligatum inprimis fuit dulciſſimum Cor Mariæ; deinde ille funiculus ad Seraphinos & Angelos omnes; omniumque ſanctorum & ſanctarũ corda variè ſe porrexit, eademq; cum cordibus JEſu & Mariæ felici vinculo copulavit inter ſuaviſſimam Muſicam, quâ S. Melch. advertit, cor DEI oblectari; cum omnium quoque ſanctorum admirabili jubilo, quod ſciant, hunc funiculum amoris non rumpendum in æternum! Orabimus mox, ut dixi, Roſarium SS. Vulnerum. Mi JEſu Crucifixe! mea intentio hæc erit; orabo primam & ſecundam Decadem in honorem Vulnerum SS. pedum; ut ardentes inde erumpant catenæ, & funiculi tincti in ſanguine JEſu: imò ut lacerati tui nervi, & fractæ vibræ, mi JEſu, cum tuo corde colligent cor meum (ſic ferventer & affectuosè perge, per alias decades) Non dubito, quin idem intendunt ſanctæ veſtræ cogitationes; ſed hoc deſidero præterea, ut eoſdem funiculos porrigatis ardentibus animabus in flammis, ut illis catenis extrahantur ex ignibus. Talia cogitate! hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 6. *Modus peculiariter oblectandi Cor IESV; & animas in purgatorio.* Placuit S. Melchtildi, quod audiviſſet, illâ Muſicâ cor DEI fuiſſe oblectatum. Quamobrem interrogavit ex cœleſti Sponſo, quâ ratione ipſa pariter feſto omniũ Sanctorum, cor ejus poſſet oblectare. Reſpondit Dilectus, *Lauda me, quod ſim Corona SS. Omnium.* Et ſimul Deiparam, & omnes ſanctos pulcherrimis ſertis coronatos conſpexit. Spero à vobis heri idem fuiſſe factum. Spero ſacerdotes cum jubilo

bilo recitaſſe Invitatorium, Chriſtum Regem Regum venite adoremus, quia ipſe eſt corona SS. omnium. Puto jubilum & gaudium cordis veſtri eſſe, quod JEſus Crucifixus, &c. modò in gloriâ, ad dexteram Patris, ſit Corona SS. Omnium. Hæ cogitationes, hi affectus, hæ aggratulationes oblectant Cor JEſu. Si tamen illi majorem adhuc oblectationem accedere deſideratis, hoc agite, ut beatæ illæ Animæ, quæ in purgatorio adhuc carent coronâ gloriæ, eâdem condecorentur, ut in cœlis laudent ſuum Salvatorem; hoc agite, ut piæ animæ, quæ flammeis coronis ſunt inſignitæ, juventur; ut ex flammis yindicatæ, coronentur roſis in cœlis; ut illarum quoque Chriſtus D. hodie in cœlis fiat Corona. Tales ſunt ſalubres cogitationes; quibus animæ in purgatorio oblectantur, imò ipſum Cor JEſu peculiari gaudio afficitur, Communis erit omnium Sanctorum lætitia, ſi hodie illorum numero multæ animæ ex purgatorio adjungantur.

Meus in pias animas affectus facit, ut præter morem ſim longior; §. 7. sed, ubi unam adhuc narravero viſionem S. Franciſcæ Romanæ, piam & affectuoſam, finem imponam dictioni. Vidit feſto Omnium Sanctorum altare ardentibus facibus illuſtre; in medio Agnum cum pulcherrimo libro, quem S. Joannes illi oſtendens dixit, *Ecce iſtum pulchrum librum, in quo legimus ſupernum amorem.* Cogitabit fortaſſis nonnemo, per librum Agni poſſe etiam intelligi librum prædeſtinatorum; cui inſcripti ſunt æternæ felicitatis filij; malis omnibus in illa cariturі, bonis omnibus fruituri æternũ! DEum viſuri ſemper. Alius fortaſſis meminerit, ſe audiviſſe librum Agni, eſſe ipſum JEſum Crucifixum, cujus quinq; folia, ſunt quinq; roſea ejus SS. Vulnera, quibus ſuo ſanguine nomina electorum inſcripſit. Placent mihi hæ cogitationes; & rogo enixe, ut in his libris legatis & diſcatis, amorem erga JEſum Crucifixum. Sed talem, qui ſe extendat ad animas in purgatorio. Id eſt; non ſufficiat nobis v. g. ut nos tantùm pretioſus ille ſanguis abluat, refocillet, exhilaret, &c. Sed deſideremus præterea, ut ſit ſolatio piis animabus; Iterum ſancta hic mihi occurrit cogitatio. Forte in purgatorio ardent animæ, quæ inde liberatæ collocandæ erunt inter Seraphinos, &c. quod factum non ſit hactenus, cauſa ſunt noxæ, quibus maculata fuerunt eorum nomina, dum diſcederent ex hoc mundo,

Alia viſio S. Franciſcæ de libro divini Amoris.

 Ipſæ

CONCIO LXXXVII.

FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Sint lumbi veſtri præcincti.

Lucæ 12. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars ornat S. Martinum florido ſacerdotali cingulo, cum ſymbolis variarum virtutum & elogiorum. Altera pars, morientis lectulum, vel tumulum ſimilibus aſpergit floſculis; pretioſa enim ejus fuit mors.

§. 1. *S. Martinus fuit dilectus Deo & Angelis.*

§. 2. *Et hominibus.*

§. 3. *Ob varias cauſas.*

§. 4. *Cingulum ſummi Sacerdotis, quale fuerit ad literam.*

§. 5. *Varii colores fuerunt ſymbola variarum virtutum.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *S. Martinus fuit præcinctus byſſino cingulo puritatis, hyacynthino devotionis, purpureo conſtantiæ, & aureo charitatis.*

§. 8. *Ornatur idem cingulum aureis floribus. 1. aureo lilio.*

§. 9. *Cum variis ſancti Martini elogiis.*

§. 10. *2. Aureo hyacintho pietatis & devotionis.*

§. 11. *3. Aurea, purpureaque roſa conſtantiæ & fortitudinis.*

§. 12. *Cum aliis elogiis ſancti Martini.*

§. 13. *4. Aurea roſa charitatis erga Deum & proximum.*

§. 14. *Lectulus morientis ſancti Martini, vel tumulus ſimilibus aſpergitur floſculis? Qualis ejus fuit vita, talis mors.*

§. 15. *Varia mortis hujus circumſtantiæ.*

§. 16. *Proſecutio.*

§. 17. *Epilogus.*

§. 1. *S. Martinus dilectus Deo & Angelis.*

Meritò de S. Martino dicere poſſumus ex cap. 4. Sapient. v. 10. *Placens Deo factus & dilectus.* Dilectus à Patre, à quo tantam miraculorum poteſtatem habuit. Dilectus à Filio, qui coram angelis illum commendavit. Dilectus à Spiritu S. qui in ſpecie ignei globi ſuper caput ejus apparuit. Dilectus etiam peculiariter à Dei matre, quæ ſæpius aliis comitata Virginibus eundem inviſit; unde ipſe dixit; *Agnes, & Tecla & Maria ad me venerunt.* Dilectus ab Angelis; nam qui in vita aſtiterunt celebranti, adfuerunt decumbenti in agone, & poſt mortem, cum laudibus ejus animam deduxerunt in cœlum. Dilectus denique fuit à totâ Curiâ cœleſti, quæ ipſum cum gaudio ſuſcepit, prout ipſe prædixerat: *Sinus Abrahæ me latus ſuſcipiet.*

§. 2. *Et hominibus.*

In terris, ſive dum viveret in hoc mundo, omni hominum ſtatui quoque fuit dilectus. Militibus tanquam ſtrenuus Dux. Imperatoribus & aliis belli Ducibus tanquam generoſus miles. Monachis tanquam ſpeculum virtutum. Sacerdotibus tanquam ipſorum gemma. Egenis tanquam pater. Afflictis tanquam conſolator. Naufragantibus tanquam hoſpitator, &c.

§. 3. *Ob varias cauſas.*

Et hic communis cœli terræque amor erga S. Martinum ſuas habuit cauſas, easque non modicas. Pater illum dilexit ob mandatorum obſervationem Joannis 14. v. 21. Filius dilexit illum ob tantam erga pauperes compaſſionem. Spiritus ſanctus propter profundiſſimam humilitatem. B. Virgo, Virginumque chorus ob virginalem puritatem. Angeli propter Angelicam in terris converſationem. Tota curia cœleſtis ob eximiam ſanctitatem. Totus mundus illum dilexit propter beneficia, quæ ab ipſo recepit temporalia, corporalia, ſpiritualia, æterna. In cujus dilectionis ſignum, præſertim Germania, in variis Provinciis, Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, variiſque Eccleſiis feſtum hujus Sancti, hodie ſolenni celebrat devotione. Ego in ipſius laudem pergam declarare, quibus virtutibus in vitâ & morte fuerit ornatus, ut ſit nobis exemplar, quod imitari poſſimus, ſiquidem nobis animus eſt, aliquando cum S. Martino à ſanctis Angelis in cœleſtem patriam, ut in eâ æternum beati vivamus, induci.

In

Digitized by Google

In panegyricis meis ſermonibus de ſancto Martino, exornare illum conſuevi, vel cingulo operarii, tanquam ſtrenuum operarium in vineâ Domini; vel cingulo bajuli, veluti bajulum gravis jugi ſanctæ crucis; vel cingulo militari tanquam eximium militem ſub Imperatore Chriſto, vel cingulo ſacerdotali, veluti ſanctiſſimum Epiſcopum & Sacerdotem. De his cingulis loquitur etiam thema, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Hæc cingula explicant luciaiſſimas virtutes, quibus ſanctus Martinus in aureo candelabro, vel uti alto monte Eccleſiæ toti mundo præluxit. Hujus autem concionis pars prior vobis oſtendet, quàm pulchro cingulo ſacerdotali ſanctus Martinus præcinctus fuerit. Poſtquam Moyſes cap. 39. Exodi deſcripſiſſet veſtes, id eſt, ſuperhumerale, ejus gemmas, & rationale, & catenulas, & uncinos, & annulos, & vittas, & tunicas, & tintinnabula, & malogranata, quibus jubente Domino ornatus fuit ſummus Sacerdos, ait v. 28. *Cingulum confectum fuit de byſſo retorta, hyacintho, purpurâ, ac vermiculo bis tincto, arte plumariâ, ſicut præceperat Moyſes.* §. 4. *Cingulum ſummi Sacerdotis, quale fuerit ad literam.*

De byſſo quærit S. Gregorius. Quid per byſſum niſi candens decore munditiæ corporalis caſtitas deſignatur? Hæc prima & pulcherrima eſt virtus, quæ ornat Sacerdotem. De colore hyacinthino non ſine myſterio ait S. Gregorius Nyſſænus in myſtica interpretatione vitæ Moyſis. *Aërio indumento* ſummus Sacerdos *ornatus incedebat, ut qui medius inter Deum in cœlo degentem, & inter homines in ſolo habitantes futurus erat; quaſi volatilis inter cœlum & ſolum* (id eſt, veluti avis paradiſi) *elevans, amictu ſibi apto decorus videretur.* Innuitur his verbis, fervor devotionis, ſtudium orationis, ſpiritus pietatis, & cœleſtis converſatio, quæ in Sacerdote requiritur. S. Greg. M. in Ezech. l. 2. *Hyacinthus, qui aërio colore reſplendet, adjungitur, ut Sacerdos non ad favores & amores infimos, ſed ad amorem cœleſtium aſſurgat.* §. 5. *Varii colores fuerunt ſymbola variarum virtutum.*

De purpurâ idem S. Gregorius. *Hyacintho purpura permiſcetur, ut videlicet ſacerdotale cor in ſemetipſo vitiorum ſuggeſtiones reprimat, eisque velut regia poteſtate contradicat,* ut dici poſſit cum ſancto Petro 1. ep. cap. 2. verſ. 9. *Vos regale ſacerdotium.* Nam per invictam conſtantiam, & in bono firmitatem, Sacerdotes veluti §. 6. *Proſecutio.*

Reges

Digitized by Google

Reges eſſe oportet. Aliam ſignificationem cocci vel vermiculi reperio apud eundem cit. S. Greg. *Quid per coccum niſi charitas deſignatur, quæ ſemper flammâ amoris accenditur? ſed coccus bis tingitur, quando non ſolum ex amore Dei, ſed etiam proximi charitas noſtra inflammatur. Debemus ergo & amare eos, cum quibus vivimus, & ad illum totis deſideriis anhelare.* Sic coccus bis tingitur. Hic coccus, hic vermiculus, hæc purpura, ſymbolum eſt amoris erga Deum & homines; quæ virtus inter reliquas Sacerdotales, Principis & Reginæ locum obtinuit.

§. 7. Sanctus Martinus fuit præcinctus cingulo byſſino puritatis, hyacinthino devotionis; purpureo cōſtantiæ & charitatis.

Ex dictis; illis qui vitam ſancti Martini aliquando perlegêre, facile erit conjicere, tali cingulo byſſino, hyacinthino & purpureo fuiſſe præcinctum ſanctum Martinum. Byſſino, ob virginalem puritatem: hyacinthino, ob ferventiſſimam devotionem; purpureo, ob regiam conſtantiam, & fragrantiſſimam charitatem in Deum & proximum. Antequam hæc clarius oſt. ndam, moneo; ultima verba citati verſus 28. ex cap. 39. Exodi; *Arte plumariâ*; innuere ſacerdotale illud cingulum fuiſſe aureis floribus exornatum; proinde & ego, ad majorem ornatum, ſacerdotale cingulum ſancti Martini, aliquot aureis ornabo floribus; aureo lilio in ſignum puritatis; aureo hyacintho in ſignum devotionis, & aureis roſis in ſignum conſtantiæ, & ardentis charitatis erga Deum & proximum.

§. 8. Ornatur idem cingulum aureis floribus. 1. aureo lilio.

In aureo lilio invenio inſcriptum verſum 4. cap. 1. ad Epheſ. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate.* S. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerd. *Neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis cœlis collocatus inter ipſas cœli virtutes medius ſtaret.* Ideo ſanctus Auguſtinus ſer. 36. ad presb. illos vocat *ſocios Angelorum, & cives cœli*: Rurſum. *O Sacerdotes! ſi anima cujuslibet juſti, ſedes eſt Dei; multò magis ſedes & templum Dei vos eſſe debetis, mundum & immaculatum*; ſer. 37. ad fr. in er. *Cavete, ne lingua illa, quæ cœlo ipſum Filium Dei evocat, contra Dominum loquatur; ne manus illæ, quæ ſanguine Jeſu Chriſti tinctæ ſunt, peccatorum & ſcelerum ſanguine polluantur.* 2. Corinth. 6. v. 4. monet Apoſtolus; *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, - in caſtitate & ſcientiâ.*

Digitized by Google

Ex his & ſimilibus, aureo lilio, in cingulo S. Martini pulcherrima ejuſdem elogia inſcribere poſſumus. v.g. 1. S. Martinum inter mille alios elegit Dominus in Chriſto JEſu, ut eſſet ſanctus & immaculatus in conſpectu ejus; & talis fuit. 2. S. Martinus tantæ fuit puritatis, ut quovis momento dignus fuerit, qui ſtaret in cœlo inter Virtutes coram Altiſſimo, &c. 3. In terris, præſertim ad aram fuit ſocius Angelorum. 4. fuit civis cœli. 5. Sedes & templum DEI, mundum & immaculatum. 6. exhibuit ſe miniſtrum DEI, in omni virtute, præcipuè in caſtitate. Poſt mortem caro ejus apparuit luce clarior, vitro purior, lacte candidior. Manus tam puræ, ut dum ſtaret ad aram, cœleſtibus annulis & gemmis radiarint. In his imitari debemus S. Martinum; neque Sacerdotes tantùm, ſed omnes alij, cùm quivis ſuo ſenſu ſit ſacerdos, qui DEO debet offerre ſacrificium cordis contriti & humiliati; item incenſum Orationis; Nam (ut S. Aug. ait Ser. 22. ad fratres in er.) *ſanctum & immaculatum, & DEO gratiſſimum holocauſtum eſt oratio; item victima propriæ voluntatis. Eſtote itaque ſancti & immaculati.* §. 9. *Cum variis S. Martini elogiis.*

Aureo hyacintho inſcribo unam aut alteram ſententiam S. S. Pauli. 1. Timoth. 5. v. 5. *Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes pro omnibus hominibus.* Ad Coloſſ. 4. v. 2. *Orationi inſtate, vigilantes in eâ.* Pulcherrimè ad Epheſios 6. v. 16. *Galeam ſalutis aſſumite, per omnem orationem, & obſecrationem, orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantiâ, & obſecratione, pro omnibus ſanctis.* Hæc omnia Sacerdotibus inprimis applicat S. Hieronymus; Oret Sacerdos Eccleſiæ indeſinenter. S. Auguſtinus, Boni Sacerdotis arma, lectio & oratio. Ex his, & vita S. Martini, aureo hyacintho in ſacerdotali ejus cingulo, iterum pulcherrima poſſunt inſcribi elogia. 1. Tota ejus vita continua fuit oratio. 2. in obſecrationibus, orationibus & poſtulationibus. 3. tectus galeâ orationis 4. omni tempore, & indeſinenter. 5. in Spiritu & in omni inſtantia. Hiſtoria vitæ ait, Oppidò pietatis operibus afficiebatur; frequens erat in templis; ſæculi ſtrepitus, orationis impedimenta fugiebat. Familiares hominum congreſſus vitabat, Deique conſortio gaudebat. In precibus pernoctabat, dura tellus cilicio operta illi lectus fuit; licet §. 10. *2. aureo hyacintho; pietatis & devotionis.*

Digitized by Google

ſecundum corpus degeret in terris, animo tamen habitabat in cœlis; divinarum rerum meditationibus ſe ſolabatur, cum Domino Cœlitibuſque ſe recreabat. Semper mentis oculis obverſabatur DEus; hunc intuebatur in omnibus creaturis. Proinde etiam ejus oratio tantæ apud DEum fuit efficaciæ, ut mortuos, & quidem unum, qui ſe ſuſpenderat, ad vitam revocaverit, ut ventos & fulmina de cœlo, ad terrorem impiorum obtinuerit, dum fulmen turrim, idolo ſacram, in terram dejecit. Conſiderate Audit. an corda veſtra ornata ſint ejuſmodi aureis hyacinthis.

§. 11. *3. Aurea roſa conſtātia & fortitudinis.* Aureis roſis in cingulo S. Martini inſcribo 1. ſententiam S. Bernardi ſer. de SS. Petro & Paulo. *Bonam vitam ſacerdotis ego puto, & mala pati, & bona facere, & ſic perſeverare in finem.* In his conſiſtit Chriſtiana illa conſtantia, quæ in ſacerdotibus requiritur, ut cuivis dici poſſit, quod Dominus dixit ad Jeremiam. c. 1. v. 18. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum.* S. Cyprianus advertit, DEUM in veſtibus ſummi ſacerdotis requiſiviſſe præ aliis coloribus, aureum, hyacinthinum, & coccineum, inter gemmas adamantem, quia ſicut aurum & coccus pulcherrimos ſuos colores non facile immutant; & adamas non facile frangitur; quod pari modo ſacerdos debeat eſſe immutabilis, firmus & ſtabilis. Adamas præterea imaginem ſemel inſculptam, non facile dimittit; eadem debet eſſe facies, eadem mens ſacerdotis. Imaginem Chriſti, quam ſemel accepit inſculptam, nec violare debet, nec amittere. Immutabilis ſit in bono propoſito ſacerdos. Sit facies animæ pura; ſit vita caſta, ſint mores integri, ſit vita exemplaris. Exemplo præluxit ſacerdotum decus S. Martinus. O utinam & luceant, & præluceant ſacerdotes noſtri!

§. 12. *Cum aliis elogiis S. Martini.* Huic itaque aureæ roſæ fortitudinis hæc elogia S. Martini inſcribite. 1. Has binas ſibi præfixit regulas, mala pati, facere bona, & in his perſeveravit uſque ad mortem. 2. S. Martinus fuit civitas munita, in quam Sathanæ, etiam in forma Chriſti, comparenti, non patuit aditus, fuit columna ferrea, fuit æneus murus. 3. Fuit aurum, coccus, adamas. Auri pretium eſt præſtantiſſimum, adamantis virtus fortiſſima, cocci color pulcherrimus. Talis fuit S. Martinus. 4.

Addo

Digitized by Google

Addo denique binas aureas roſas charitatis erga DEum & proximum; cum inſcriptione v. 8. c. 4. Epiſt. 1. S. Petri. *Ante omnia autem ſummam in vobis metipſis charitatem habentes.* Hoc eſt, quod monet Concilium Nannetenſe. *Inſtruendi ſunt preſbyteri pariterque admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum, & hoſpitum, & peregrinorum eſſe ſtipendia: atque ideo eadem, non ut propria uſurpanda, ſed velut fidei commiſſa.* S. Bernardus. *Facultates Eccleſiarum, patrimonium ſunt pauperum.* Eſt hæc prolixior materia. Ego aureæ huic roſæ charitatis erga proximum addo v. 2. ex cap. 4. Tobiæ; quem S Martino peculiari modo attribui poſſe exiſtimo. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis.* Ecce alium fontem variorum elogiorum de S. Martino. 1. Quàm ardens ejus erga Deum intus in corde fuerit charitas, declararunt ignei globi & flammæ, quæ frequenter è pectore & capite S. Martini veluti è clibano foras eruperunt in altum. 2. A pauperibus non avertit faciem ſuam, præſertim illo, cui mediam, quam gladio diſſcidit chlamydem, obtulit. Atque hinc eſt, quod nec ſuam à D. Martino faciem Chriſtus averterit. Nimirum aſpicit illos, à quibus aſpicitur. Aſpexit illum Martinus in pauperibus, non ignarus ſententiæ Chriſti, Quodcunque feceritis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis: aſpexit illum viciſſim Chriſtus D. Et quibus oculis? oculis amoris, gratiæ, clementiæ, benevolentiæ; adeo ut Chriſtus D. ſequenti nocte, parte chlamydis iſtius indutus, Angelis dixerit, Martinus adhuc Catechumenus, hâc me veſte contexit. Cùm alias ante ſacrum pauperem ſuâ veſte interiori veſtiviſſet, ſub ſacro flammeis radiis coruſcus apparuit. Conſideremus, quanta in nobis ſit duplex hæc charitas, erga DEum & proximum.

§. 13. Aurea roſa Caritatis erga Deum, & proximum.

Exornavi cingulũ S. Martini aureis floribus: in alterâ parte aliis floſculis fatalem ejus lectulum, vel tumulum exornare volebam; ſed probe video, perficere nõ potero, oſtendiſſe ſufficiet. Hoc inprimis tumuli ſit epitaphium. Qualis ejus fuit vita, talis fuit mors. De variis ſanctis referunt hiſtoriæ aſtitiſſe illis in agone, cũ floribus & corollis; cum

§. 14. Lectulus morientis Martini, vel tumulus, ſimilibus aſpergitur floſculis, qualis vita talis mors

cùm idem dicatur de S. Martino, jacuiſſe illum in lectulo, cinctum SS. Angelorum choro; Pie mihi videre videor, in aliquorum manibus candidiſſima lilia, in ſignum puritatis, & ſecuriſſimæ conſcientiæ, quæ in agone tanta fuit, ut aſtanti diabolo auſus fuerit dicere, Quid aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſti invenies. Abrahæ me ſinus recipiet. Hinc illa quies, jucunditas, & pax, in quâ S. Martinus DEO Creatori ſpiritum ſuum reddidit.

§. 15. *Varia Mortis hujus circumſtãtia.* Puto alios Angelos fatalem S. Martini lectulum, ſi tamen fatalis dicendus eſt aſperſiſſe aureis hyacinthis; per quos intelligo ardentiſſima deſideria, & inflammata ſuſpiria, quibus optavit ſolvi, & eſſe cùm Chriſto. Nimirum jacebat in terrâ, inſtratâ cilicio ac cinere, dicens aſtantibus, ita moriendum eſſe Chriſtiano, ſcilicet exemplo morientis Chriſti in cruce. Jacebat ſupinis oculis in cœlum defixis; animum ſuum inter dolores mortis ab oratione non relaxans, cumque rogaretur, ut corpuſculum lateris mutatione, nonnihil relevaret, pulchrè dixit; ſinite! ſinite me fratres, cœlum potius reſpicere, quàm terram. Ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur. In oratione vixit, in oratione mortuus eſt.

§. 16. *Propoſitio.* Neque aureæ defuerunt Roſæ, quas in manibus Angelorum progerminavit ejus deſiderium plura patiendi, ex ferventi erga DEum & proximum caritate. Cùm enim aſtantes fratres dicerent; *Cur nos Pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Scimus quidem te anhelare ad Chriſtum? Sed ſalva tibi ſunt tua præmia; noſtri potius miſerere, quos deſeris.* Ad quæ vir animoſus reſpondit; *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem; fiat voluntas tua.* Et ita vir ſanctus (ut loquar cùm S. Bernardo Ser. de S. Mart.) paratus fuit, redire iterum in pericula, innovare certamina, denuo ſuſtinere laborem, ſubire tribulationem, prolongare tentationem, dein differre adhuc ab illâ tantâ felicitate, & diu deſideratâ ſocietate Beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas, ab ipſo introitu gloriæ revocari; poſtremò, quod maximum eſt, à Chriſto ſuo peregrinari diutius, ſi ipſe modò voluiſſet.

§. 17. *Epilogus.* Verùm aliud placuit Altiſſimo; aliæ hominum mentes, aliæ Superûm. Quid è re noſtrâ ſit, omnium optimè ipſe novit, qui

qui fecit nos! Martinum placuit evocare è terris, & cœleſtis patriæ deliciis, ceu roſam paradiſo inſerere. Bene habet: Morere Martine! ſic Deo placet. Morere! ſunt jam paratæ complures, quæ te in cœlis exſpectant, Coronæ; Morere mundo, ut vivas Deo. Morere! nam bonum certamen certaſti, curſum conſummaſti, fidem ſervaſti: morere! militum decus, Sacerdotum exemplar, præſulum ſpeculum! Et ecce moritur! accinunt cœleſtes Angelorum chori; quid mirum? qui moritur, vixit Angelicè! Accinamus & nos, & tanti præſulis, cujus veneramur ſanctitatem, imitemur exemplum.

CONCIO LXXXIIX.

FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.

Luc. 11. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Varias profert figuras & cauſas, ob quas decuit B. Virginem, trimulam deduci ad templum.

§. 1. *Maria eſt mater admirabilis & amabilis.*

§. 2. *B. V. deducta eſt ad templum, ut varia adimplerentur figuræ.*

§. 3. *Sic templum fuit ornatum arboribus.*

§. 4. *Pulchra figura Virginis fuit Eſther.*

§. 5. *Alia figura.*

§. 6. *Aliæ cauſæ, ob quas trimula deducta fuit in templum.*

§. 7 *B. Virgo ornamentum templi pulcherrimum.*

§. 8. *Qualis Virgo templum ingrediatur.*

Digitized by Google

tibus radiis corda noſtra illuſtret & inflammet. Decadem 3. & 4. in honorem Vulnerum SS. manuum; quintam, in honorem aperti lateris & transfixi cordis, ita oremus; illo ardore &c. ut inde quoque ſuper nos amabiles prorumpant ſcintillæ, exiliant ardentes prunæ, ut toti ardeamus! Sed orate præterea, ut hodie idem radij penetrent terram ad ipſum uſque purgatorium, ita orate, ita nſtate! ut cum radiis ex SS. Vulneribus eò decidant ſanguineæ guttæ, ut in flammis! eheu! in atrocibus flammis, recreentur & refrigerentur animæ illæ ſanctæ ſed triſtes & afflictæ! Adverto ex veſtris oculis; hoc cogitatis; O quàm mox ferventer orabo roſarium SS. Vulnerū; ut ſanguis inde profluens reſtinguat illa incendia. Hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 5. *Amabiliſſima Viſio S. Melchtildis, de Vulneribus Salvatoris.*

Amabilis quoque fuit viſio S. Melchtildis. Nocte Omnium SS. vidit in cœlis ex corde JEſu prodire triplicem aureum funiculum, quo Diviniſſimo ejus cordi colligatum inprimis fuit dulciſſimum Cor Mariæ; deinde ille funiculus ad Seraphinos & Angelos omnes; omniumque ſanctorum & ſanctarū corda variè ſe porrexit, eademq; cum cordibus JEſu & Mariæ felici vinculo copulavit inter ſuaviſſimam Muſicam, quâ S. Melch. advertit, cor DEI oblectari; cum omnium quoque ſanctorum admirabili jubilo, quod ſciant, hunc funiculum amoris non rumpendum in æternum! Orabimus mox, ut dixi, Roſarium SS. Vulnerum. Mi JEſu Crucifixe! mea intentio hæc erit; orabo primam & ſecundam Decadem in honorem Vulnerum SS. pedum; ut ardentes inde erumpant catenæ, & funiculi tincti in ſanguine JEſu! imò ut lacerati tui nervi, & fractæ vibræ, mi JEſu, cum tuo corde colligent cor meum (ſic ferventer & affectuosè perge, per alias decades) Non dubito, quin idem intendunt ſanctæ veſtræ cogitationes; ſed hoc deſidero præterea, ut eosdem funiculos porrigatis ardentibus animabus in flammis, ut illis catenis extrahantur ex ignibus. Talia cogitate! hæ ſunt ſalubres cogitationes.

§. 6. *Modus peculiariter oblectandi Cor IESV, & animas in purgatorio.*

Placuit S. Melchtildi, quod audiviſſet, illâ Muſicâ cor DEI fuiſſe oblectatum. Quamobrem interrogavit ex cœleſti Sponſo, quâ ratione ipſa pariter feſto omniū Sanctorum, cor ejus poſſet oblectare. Reſpondit Dilectus, *Lauda me, quod ſim Corona SS. Omnium.* Et ſimul Deiparam, & omnes ſanctos pulcherrimis ſertis coronatos conſpexit. Spero à vobis heri idem fuiſſe factum. Spero ſacerdotes cum jubilo

bilo recitaſſe Invitatorium, Chriſtum Regem Regum venite adoremus, quia ipſe eſt corona SS. omnium. Puto jubilum & gaudium cordis veſtri eſſe, quod JEſus Crucifixus, &c. modò in gloriâ, ad dexteram Patris, ſit Corona SS. Omnium. Hæ cogitationes, hi affectus, hæ aggratulationes oblectant Cor JEſu. Si tamen illi majorem adhuc oblectationem accedere deſideratis, hoc agite, ut beatæ illæ Animę, quæ in purgatorio adhuc carent coronâ gloriæ, eâdem condecorentur, ut in cœlis laudent ſuum Salvatorem; hoc agite, ut piæ animæ, quæ flammeis coronis ſunt inſignitæ, juventur; ut ex flammis vindicatæ, coronentur roſis in cœlis; ut illarum quoque Chriſtus D. hodie in cœlis fiat Corona. Tales ſunt ſalubres cogitationes; quibus animę in purgatorio oblectantur, imò ipſum Cor JEſu peculiari gaudio afficitur, Communis erit omnium Sanctorum lætitia, ſi hodie illorum numero multæ animæ ex purgatorio adjungantur.

Meus in pias animas affectus facit, ut præter morem ſim longior; ſed, ubi unam adhuc narravero viſionem S. Franciſcę Romanæ, piam & affectuoſam, finem imponam dictioni. Vidit feſto Omnium Sanctorum altare ardentibus facibus illuſtre; in medio Agnum cum pulcherrimo libro, quem S. Joannes illi oſtendens dixit, *Ecce iſtum pulchrum librum, in quo legimus ſupernum amorem*. Cogitabit fortaſſis nonnemo, per librum Agni poſſe etiam intelligi librum prædeſtinatorum; cui inſcripti ſunt æternæ felicitatis filij; malis omnibus in illa carituri, bonis omnibus fruituri æternũ! DEum viſuri ſemper. Alius fortaſſis meminerit, ſe audiviſſe librum Agni, eſſe ipſum JEſum Crufixum, cujus quinq; folia, ſunt quinq; roſea ejus SS. Vulnera, quibus ſuo ſanguine nomina electorum inſcripſit. Placent mihi hæ cogitationes; & rogo enixe, ut in his libris legatis & diſcatis, amorem erga JEſum Crucifixum. . Sed talem, qui ſe extendat ad animas in purgatorio. Id eſt; non ſufficiat nobis v.g. ut nos tantùm pretioſus ille ſanguis abluat, refocillet, exhilaret, &c. Sed deſideremus præterea, ut ſit ſolatio piis animabus; Iterum ſancta hic mihi occurrit cogitatio. Forte in purgatorio ardent animæ, quæ inde liberatæ collocandæ erunt inter Seraphinos, &c. quod factum non ſit hactenus, cauſa ſunt noxæ, quibus maculata fuerunt eorum nomina, dum diſcederent ex hoc mundo,

§. 7. Alia viſio S. Franciſcæ de libro divini Amoris.

CONCIO LXXXVII.

FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

Sint lumbi veſtri præcincti.

Lucæ 12. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars ornat S. Martinum florido ſacerdotali cingulo, cum ſymbolis variarum virtutum & elogiorum. Altera pars, morientis lectulum, vel tumulum ſimilibus aſpergit floſculis; pretioſa enim ejus fuit mors.

§. 1. *S. Martinus fuit dilectus Deo & Angelis.*

§. 2. *Et hominibus.*

§. 3. *Ob varias cauſas.*

§. 4. *Cingulum ſummi Sacerdotis, quale fuerit ad literam.*

§. 5. *Varii colores fuerunt ſymbola variarum virtutum.*

§. 6. *Proſecutio.*

§. 7. *S. Martinus fuit præcinctus byſſino cingulo puritatis, hyacynthino devotionis, purpureo conſtantiæ, & aureo charitatis.*

§. 8. *Ornatur idem cingulum aureis floribus. 1. aureo lilio.*

§. 9. *Cum variis ſancti Martini elogiis.*

§. 10. *2. Aureo hyacintho pietatis & devotionis.*

§. 11. *3. Aurea, purpureaque roſa conſtantiæ & fortitudinis.*

§. 12. *Cum aliis elogiis ſancti Martini.*

§. 13. *4. Aureæ roſa charitatis erga Deum & proximum.*

§. 14. *Lectulus morientis ſancti Martini, vel tumulus ſimilibus aſpergitur floſculis? Qualis ejus fuit vita, talis mors.*

§. 15. *Varia mortis hujus circumſtantiæ.*

§. 16. *Proſecutio.*

§. 17. *Epilogus.*

Digitized by Google

§. 1.
S. Martinus dilectus Deo & Angelis.

MEritò de S. Martino dicere poſſumus ex cap. 4. Sapient. v. 10. *Placens Deo factus & dilectus.* Dilectus à Patre, à quo tantam miraculorum poteſtatem habuit. Dilectus à Filio, qui coram angelis illum commendavit. Dilectus à Spiritu S. qui in ſpecie ignei globi ſuper caput ejus apparuit. Dilectus etiam peculiariter à Dei matre, quæ ſæpius aliis comitata Virginibus eundem inviſit; unde ipſe dixit; *Agnes, & Tecla & Maria ad me venerunt.* Dilectus ab Angelis; nam qui in vita aſtiterunt celebranti, adfuerunt decumbenti in agone, & poſt mortem, cum laudibus ejus animam deduxerunt in cœlum. Dilectus denique fuit à totâ Curiâ cœleſti, quæ ipſum cum gaudio ſuſcepit, prout ipſe prædixerat: *Sinus Abrahæ me lætus ſuſcipiet.*

§. 2.
Et hominibus.

In terris, ſive dum viveret in hoc mundo, omni hominum ſtatui quoque fuit dilectus. Militibus tanquam ſtrenuus Dux. Imperatoribus & aliis belli Ducibus tanquam generoſus miles. Monachis tanquam ſpeculum virtutum. Sacerdotibus tanquam ipſorum gemma. Egenis tanquam pater. Afflictis tanquam conſolator. Naufragantibus tanquam hoſpitator, &c.

§. 3.
Ob varias cauſas.

Et hic communis cœli terræque amor erga S. Martinum ſuas habuit cauſas, easque non modicas. Pater illum dilexit ob mandatorum obſervationem Joannis 14. v. 21. Filius dilexit illum ob tantam erga pauperes compaſſionem. Spiritus ſanctus propter profundiſſimam humilitatem. B. Virgo, Virginumque chorus ob virginalem puritatem. Angeli propter Angelicam in terris converſationem. Tota curia cœleſtis ob eximiam ſanctitatem. Totus mundus illum dilexit propter beneficia, quæ ab ipſo recepit temporalia, corporalia, ſpiritualia, æterna. In cujus dilectionis ſignum, præſertim Germania, in variis Provinciis, Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, variisque Eccleſiis feſtum hujus Sancti, hodie ſolenni celebr.. t devotione. Ego in ipſius laudem pergam declarare, quibus virtutibus in vitâ & morte fuerit ornatus, ut ſit nobis exemplar, quod imitari poſſimus, ſiquidem nobis animus eſt, aliquando cum S. Martino à ſanctis Angelis in cœleſtem patriam, ut in eâ æternum beati vivamus, induci.

In

Digitized by Google

In panegyricis meis ſermonibus de ſancto Martino, exornare illum conſuevi, vel cingulo operarii, tanquam ſtrenuum operarium in vineâ Domini; vel cingulo bajuli, veluti bajulum gravis jugi ſanctæ crucis; vel cingulo militari tanquam eximium militem ſub Imperatore Chriſto, vel cingulo ſacerdotali, veluti ſanctiſſimum Epiſcopum & Sacerdotem. De his cingulis loquitur etiam thema, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Hæc cingula explicant lucidiſſimas virtutes, quibus ſanctus Martinus in aureo candelabro, vel uti alto monte Eccleſiæ toti mundo præluxit. Hujus autem concionis pars prior vobis oſtendet, quàm pulchro cingulo ſacerdotali ſanctus Martinus præcinctus fuerit. Poſtquam Moyſes cap. 39. Exodi deſcripſiſſet veſtes, id eſt, ſuperhumerale, ejus gemmas, & rationale, & catenulas, & uncinos, & annulos, & vittas, & tunicas, & tintinnabula, & malogranata, quibus jubente Domino ornatus fuit ſummus Sacerdos, ait v. 28. *Cingulum - confectum fuit - de byſſo retorta, hyacintho, purpurâ, ac vermiculo bis tincto, arte plumariâ, ſicut præceperat Moyſes.* *§. 4. Cingulum ſummi Sacerdotis, quale fuerit ad literam.*

De byſſo quærit S. Gregorius. Quid per byſſum niſi candens decore munditiæ corporalis caſtitas deſignatur? Hæc prima & pulcherrima eſt virtus, quæ ornat Sacerdotem. De colore hyacinthino non ſine myſterio ait S. Gregorius Nyſſænus in myſtica interpretatione vitæ Moyſis. *Aërio indumento* - ſummus Sacerdos - *ornatus incedebat, ut qui medius inter Deum in cœlo degentem, & inter homines in ſolo habitantes futurus erat; quaſi volatilis inter cœlum & ſolum* (id eſt, veluti avis paradiſi) *elevans, amictu ſibi apto decorus videretur.* Innuitur his verbis, fervor devotionis, ſtudium orationis, ſpiritus pietatis, & cœleſtis converſatio, quæ in Sacerdote requiritur. S. Greg. M. in Ezech. l. 2. *Hyacinthus, qui aërio colore reſplendet, adjungitur, ut Sacerdos non ad favores & amores infimos, ſed ad amorem cœleſtium aſſurgat.* *§. 5. Varii colores fuerunt ſymbola variarum virtutum.*

De purpurâ idem S. Gregorius. *Hyacintho purpura permiſcetur, ut videlicet ſacerdotale cor in ſemetipſo vitiorum ſuggeſtiones reprimat, eiſque velut regia poteſtate contradicat*, ut dici poſſit cum ſancto Petro 1. ep. cap. 2. verſ. 9. *Vos regale ſacerdotium.* Nam per invictam conſtantiam, & in bono firmitatem, Sacerdotes veluti *§. 6. Proſecutio.*

Reges

Digitized by Google

Reges eſſe oportet. Aliam ſignificationem cocci vel vermiculi reperio apud eundem cit. S. Greg. *Quid per coccum niſi charitas deſignatur, quæ ſemper flammâ amoris accenditur? ſed coccus bis tingitur, quando non ſolum ex amore Dei, ſed etiam proximi charitas noſtra inflammatur. Debemus ergo & amare eos, cum quibus vivimus, & ad illum totis deſideriis anhelare.* Sic coccus bis tingitur. Hic coccus, hic vermiculus, hæc purpura, ſymbolum eſt amoris erga Deum & homines; quæ virtus inter reliquas Sacerdotales, Principis & Reginæ locum obtinuit.

§. 7. Sanctus Martinus fuit præcinctus cingulo byſſino puritatis, hyacinthino devotionis; purpureo cõſtantiæ & charitatis.

Ex dictis; illis qui vitam ſancti Martini aliquando perlegêre, facile erit conjicere, tali cingulo byſſino, hyacinthino & purpureo fuiſſe præcinctum ſanctum Martinum. Byſſino, ob virginalem puritatem: hyacinthino, ob ferventiſſimam devotionem; purpureo, ob regiam conſtantiam, & fragrantiſſimam charitatem in Deum & proximum. Antequam hæc clarius oſt. ndam, moneo; ultima verba citati verſus 28. ex cap. 39. Exodi; *Arte plumariâ*; innuere ſacerdotale illud cingulum fuiſſe aureis floribus exornatum; proinde & ego, ad majorem ornatum, ſacerdotale cingulum ſancti Martini, aliquot aureis ornabo floribus; aureo lilio in ſignum puritatis; aureo hyacintho in ſignum devotionis, & aureis roſis in ſignum conſtantiæ, & ardentis charitatis erga Deum & proximum.

§. 8. Ornatur idem cingulum aureis floribus. 1. aureo lilio.

In aureo lilio invenio inſcriptum verſum 4. cap. 1. ad Epheſ. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate.* S. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerd. *Neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis cœlis collocatus inter ipſas cœli virtutes medius ſtaret.* Ideo ſanctus Auguſtinus ſer. 36. ad presb. illos vocat *ſocios Angelorum, & cives cœli*: Rurſum. *O Sacerdotes! ſi anima cujuslibet juſti, ſedes eſt Dei; multò magis ſedes & templum Dei vos eſſe debetis, mundum & immaculatum*; ſer. 37. ad fr. in er. *Cavete, ne lingua illa, quæ cœlo ipſum Filium Dei evocat, contra Dominum loquatur; ne manus illæ, quæ ſanguine Jeſu Chriſti tinctæ ſunt, peccatorum & ſcelerum ſanguine polluantur.* 2. Corinth. 6. v. 4. monet Apoſtolus; *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, - in caſtitate & ſcientiâ.*

Digitized by Google

Ex his & ſimilibus, aureo lilio, in cingulo S. Martini pulcherrima ejuſdem elogia inſcribere poſſumus. v.g. 1. S. Martinum inter mille alios elegit Dominus in Chriſto JEſu, ut eſſet ſanctus & immaculatus in conſpectu ejus; & talis fuit. 2. S. Martinus tantæ fuit puritatis, ut quovis momento dignus fuerit, qui ſtaret in cœlo inter Virtutes coram Altiſſimo, &c. 3. In terris, præſertim ad aram fuit ſocius Angelorum. 4. fuit civis cœli. 5. Sedes & templum DEI, mundum & immaculatum. 6. exhibuit ſe miniſtrum DEI, in omni virtute, præcipuè in caſtitate. Poſt mortem caro ejus apparuit luce clarior, vitro purior, lacte candidior. Manus tam puræ, ut dum ſtaret ad aram, cœleſtibus annulis & gemmis radiarint. In his imitari debemus S. Martinum; neque Sacerdotes tantùm, ſed omnes alij, cùm quivis ſuo ſenſu ſit ſacerdos, qui DEO debet offerre ſacrificium cordis contriti & humiliati; item incenſum Orationis; Nam (ut S. Aug. ait Ser. 22. ad fratres in er.) *ſanctum & immaculatum, & DEO gratiſſimum holocauſtum eſt oratio; item victima propriæ voluntatis. Eſtote itaque ſancti & immaculati.* §. 9. *Cum variis S. Martini elogiis.*

Aureo hyacintho inſcribo unam aut alteram ſententiam S. S. Pauli. 1. Timoth. 5. v. 5. *Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes pro omnibus hominibus.* Ad Coloſſ. 4. v. 2. *Orationi inſtate, vigilantes in eâ.* Pulcherrimè ad Epheſios 6. v. 16. *Galeam ſalutis aſſumite, per omnem orationem, & obſecrationem, orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantiâ, & obſecratione, pro omnibus ſanctis.* Hæc omnia Sacerdotibus inprimis applicat S. Hieronymus; Oret Sacerdos Eccleſiæ indeſinenter. S. Auguſtinus, Boni Sacerdotis arma, lectio & oratio. Ex his, & vita S. Martini, aureo hyacintho in ſacerdotali ejus cingulo, iterum pulcherrima poſſunt inſcribi elogia. 1. Tota ejus vita continua fuit oratio. 2. in obſecrationibus, orationibus & poſtulationibus. 3. tectus galeâ orationis 4. omni tempore, & indeſinenter. 5. in Spiritu & in omni inſtantia. Hiſtoria vitæ ait, Oppidò pietatis operibus afficiebatur; frequens erat in templis; ſæculi ſtrepitus, orationis impedimenta fugiebat. Familiares hominum congreſſus vitabat, Deique conſortio gaudebat. In precibus pernoctabat, dura tellus cilicio operta illi lectus fuit; licet §. 10. *2. aureo hyacintho; pietatis & devotionis.*

Digitized by Google

ſecundum corpus degeret in terris, animo tamen habitabat in cœlis; divinarum rerum meditationibus ſe ſolabatur, cum Domino Cœlitibuſque ſe recreabat. Semper mentis oculis obverſabatur DEus; hunc intuebatur in omnibus creaturis. Proinde etiam ejus oratio tantæ apud DEum fuit efficaciæ, ut mortuos, & quidem unum, qui ſe ſuſpenderat, ad vitam revocaverit, ut ventos & fulmina de cœlo, ad terrorem impiorum obtinuerit, dum fulmen turrim, idolo ſacram, in terram dejecit. Conſiderate Audit. an corda veſtra ornata ſint ejuſmodi aureis hyacinthis.

§. 11. *3. Aurea roſa conſtãtia & fortitudinis.*

Aureis roſis in cingulo S. Martini inſcribo 1. ſententiam S. Bernardi ſer. de SS. Petro & Paulo. *Bonam vitam ſacerdotis ego puto, & mala pati, & bona facere, & ſic perſeverare in finem.* In his conſiſtit Chriſtiana illa conſtantia, quæ in ſacerdotibus requiritur, ut cuivis dici poſſit, quod Dominus dixit ad Jeremiam. c. 1. v. 18. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum.* S. Cyprianus advertit, DEUM in veſtibus ſummi ſacerdotis requiſiviſſe præ aliis coloribus, aureum, hyacinthinum, & coccineum, inter gemmas adamantem, quia ſicut aurum & coccus pulcherrimos ſuos colores non facile immutant; & adamas non facile frangitur; quod pari modo ſacerdos debeat eſſe immutabilis, firmus & ſtabilis. Adamas præterea imaginem ſemel inſculptam, non facile dimittit; eadem debet eſſe facies, eadem mens ſacerdotis. Imaginem Chriſti, quam ſemel accepit inſculptam, nec violare debet, nec amittere. Immutabilis ſit in bono propoſito ſacerdos. Sit facies animæ pura; ſit vita caſta, ſint mores integri, ſit vita exemplaris. Exemplo præluxit ſacerdotum decus S. Martinus. O utinam & luceant, & præluceant ſacerdotes noſtri!

§. 12. *Cum aliis elogiis S. Martini.*

Huic itaque aureæ roſæ fortitudinis hæc elogia S. Martini inſcribite. 1. Has binas ſibi præfixit regulas, mala pati, facere bona, & in his perſeveravit uſque ad mortem. 2. S. Martinus fuit civitas munita, in quam Sathanæ, etiam in forma Chriſti, comparenti, non patuit aditus, fuit columna ferrea, fuit æneus murus. 3 Fuit aurum, coccus, adamas. Auri pretium eſt præſtantiſſimum, adamantis virtus fortiſſima, cocci color pulcherrimus. Talis fuit S. Martinus.

Addo

Digitized by Google

Addo denique binas aureas roſas charitatis ergaDEum & proximum; cum inſcriptione v. 8. c. 4. Epiſt. 1. S. Petri. *Ante omnia autem ſummam in vobiſmetipſis charitatem habentes.* Hoc eſt, quod monet Concilium Nannetenſe. *Inſtruendi ſunt preſbyteri pariterque admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum, & hoſpitum, & peregrinorum eſſe ſtipendia: atque ideo eadem, non ut propria uſurpanda, ſed velut fidei commiſſa.* S. Bernardus. *Facultates Eccleſiarum, patrimonium ſunt pauperum.* Eſt hæc prolixior materia. Ego aureæ huic roſæ charitatis erga proximum addo v. 2. ex cap. 4. Tobiæ; quem S Martino peculiari modo attribui poſſe exiſtimo. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis.* Ecce alium fontem variorum elogiorum de S. Martino. 1. Quàm ardens ejus erga Deum intus in corde fuerit charitas, declararunt ignei globi & flammæ, quæ frequenter è pectore & capite S. Martini veluti è clibano foras eruperunt in altum. 2. A pauperibus non avertit faciem ſuam, præſertim illo, cui mediam, quam gladio diſſcidit chlamydem, obtulit. Atque hinc eſt, quod nec ſuam à D. Martino faciem Chriſtus averterit. Nimirum aſpicit illos, à quibus aſpicitur. Aſpexit illum Martinus in pauperibus, non ignarus ſententiæ Chriſti, Quodcunque feceritis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis: aſpexit illum viciſſim Chriſtus D. Et quibus oculis? oculis amoris, gratiæ, clementiæ, benevolentiæ; adeo ut Chriſtus D. ſequenti nocte, parte chlamydis iſtius indutus, Angelis dixerit, Martinus adhuc Catechumenus, hâc me veſte contexit. Cùm alias ante ſacrum pauperem ſuâ veſte interiori veſtiviſſet, ſub ſacro flammeis radiis coruſcus apparuit. Conſideremus, quanta in nobis ſit duplex hæc charitas, erga DEum & proximum.

§. 13. Aurea roſa Caritatis erga Deum, & proximum.

Exornavi cingulũ S. Martini aureis floribus: in alterâ parte aliis floſculis fatalem ejus lectulum, vel tumulum exornare volebam; ſed probe video, perficere nõ potero, oſtendiſſe ſufficiet. Hoc inprimis tumuli ſit epitaphium. Qualis ejus fuit vita, talis fuit mors. De variis ſanctis referunt hiſtoriæ aſtitiſſe illis in agone, cũ floribus & corollis:

§. 14. Lectulus morientis Martini, vel tumulus, ſimilibus aſpergitur floſculis, qualiſq; vita talis more

qui fecit nos! Martinum placuit evocare è terris, & cœleſtis patriæ deliciis, ceu roſam paradiſo inſerere. Bene habet: Morere Martine! ſic Deo placet. Morere! ſunt jam paratæ complures, quæ te in cœlis exſpectant, Coronæ; Morere mundo, ut vivas Deo. Morere! nam bonum certamen certaſti, curſum conſummaſti, fidem ſervaſti: morere! militum decus, Sacerdotum exemplar, præſulum ſpeculum! Et ecce moritur! accinunt cœleſtes Angelorum chori; quid mirum? qui moritur, vixit Angelicè! Accinamus & nos, & tanti præſulis, cujus veneramur ſanctitatem, imitemur exemplum.

CONCIO LXXXIIX.

FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.

Luc. 11. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VArias profert figuras & cauſas, ob quas decuit B. Virginem, trimulam deduci ad templum.

§. 1. *Maria eſt mater admirabilis & amabilis.*

§. 2. *B V. deducta eſt ad templum, ut varia adimplerentur figuræ.*

§. 3. *Sic templum fuit ornatum arboribus.*

§. 4. *Pulchra figura Virginis fuit Eſther.*

§. 5. *Alia figura.*

§. 6. *Aliæ cauſæ, ob quas trimula deducta fuit in templum.*

§. 7 *B. Virgo ornamentum templi pulcherrimum.*

§. 8. *Qualis Virgo templum ingrediatur.*

Digitized by Google

§. I. *Maria eſt mater admirabilis & amabilis.*

S. Auguſtinus lib. de util. cred. c. 16. *Quædam ſunt*, incipit, *quæ ſolam admirationem, quædam verò magnam etiam gratiam, benevolentiamque conciliant*. Experientia id edocet: Natura operatur mira in cœlo, in igne, in aëre, in aquis, in terrâ, in mixtis; quæ ſolam admirationem, nullum verò amorem conciliant; aliarum creaturarum pulchritudinem, & admiramur, & amamus. Inter has primas tenet, quæ Virginum, imò omnium ſecundum Deum, Sanctorum Princeps eſt, Maria! de quâ cum ſancto Auguſtino dicere poſſumus; *Admirationem facit, & magnam ſibi gratiam, benevolentiamque conciliat*. Hinc originem traxêre illa duo eximia encomia Virginis, quod ſit *Mater admirabilis, & mater amabilis*. Admirabilis eſt in naturâ, ſed ſimul amabilis! admirabilis in gratiâ & gloriâ, ſed ſimul amabilis. Admirabilis Regina, ſed ſimul amabilis. Admirabilis ſponſa, ſed ſimul amabilis, &c. Admirationis hujus, atque amoris ſocietatem invenio in Cantico Canticorum; nunquid hi ſunt affectus admirantis ſponſi? cap. 3. v 5. *Quæ eſt ita, quæ aſcendit per deſertum deliciis affluens?* cap. 4. v. 1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* cap. 6. v. 9. *Quæ eſt iſta, quæ egreditur quaſi aurora conſurgens, &c.* cap. 7. v. 1. *Quam pulchri ſunt greſſus tui!* ſed! quam ſuaves ſimul miſcet affectus amoris? cap. 1. v. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*. cap. 2. v. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*. cap. 4. v. 9. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*. cap. 8. v. 6. *Fortis eſt ut mors dilectio, &c.* Duplices hos affectus hodierno feſto, in Auditorum meorum cordibus excitare cupio. Dicam enim de beatiſſimâ Virgine, quæ magnam pariant admirationem: dicam alia, quæ inſignem illi gratiam atque benevolentiam concilient. Sed hoc priuſquam aggredior, amabo vos, qui Mariani eſtis, ex corde mecum ſalutate Mariam, & dicite: *Salve mater admirabilis! Salve mater amabilis!*

§. 2. *Maria trimula deducta fuit in templum, ut varia implerentur figuræ.*

Non ſine cauſâ & myſteriis, trimula Virgo à parentibus ad templum deducta, ibidem à Sacerdotibus cum gaudio ſuſcipitur. Eſt ſiquidem hæc Virguncula, aurea menſa, cui non panes propoſitionis, ſed panis cœli & Angelorum imponetur; huic menſæ in templo, imo in Sanctis Sanctorum debetur locus. Hæc puella eſt

illud

illud candelabrum ex auro mundiſſimo; ornatum liliis, ſeptem fulgidum lampadibus; par eſt, ut in ſecretiſſimis & ſacratiſſimis divinæ domus adytis refulgeat. Ipſa, eſt ipſa Novi Teſtamenti Arca, & viva legis novæ tabula, eſt virga Jeſſe, eſt cœleſte & dulciſſimum manna; proinde meritò à ſummis Sacerdotibus in Sancta Sanctorum deducitur. Jam ex Salomonis templo tolli poteſt, mare æneum cum ſuis aquis & ſpeculis, quia hodie ingreſſa eſt Virgo, quæ eſt abyſſus & mare gratiarum; & ſpeculum ſine maculâ. Si vultis, tollite altare thymiamatis; Cor Virginis ara eſt, ex quo ſuaviores ſpirant odores. Nec opus eſt accendere thura, quia ingreditur Virgo ex deſerto hujus mundi, veluti virgula fumi, ut coram altari jugiter ardeat; hodie extingui poteſt ignis ſemper ardens! ardentiores flammas infert hæc puella. Gloriari jam poteſt Salomon, in ſuo templo eſſe & aſſervari propitiatorium miſericordiæ. Accedat huc miſer peccator, qui ſperat clementiam. Accedat ad ignem ſemper ardentem, cui friget in amore pectus: accedat ad altare thymiamatis, quisquis animam ſuam odore vitæ paſci, reficiq; deſiderat: accedat ad ſpeculum puritatis intaminatæ, quisquis cupit eſſe cœleſtis formæ ſpectator: accedat ad candelabrum aureum, quisquis immenſam illam vitæ lucem quærit, denique accedat ad menſam, quisquis eſurit & ſitit juſtitiam: vel cum regio Pſalte, illum, qui fons vivus eſt, Deum!

Ad ornamentum templi ejusdem in circuitu, pulchras deſideravit arbores regius Pſaltes. Hinc Pſ. 51. v. 10. ait; *Sicut oliva fructifera in Domo Domini.* Pſ. 127. v. 3. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus Domus tuæ.* Pſal. 91. verſ. 13. *Juſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur plantati in Domo Domini, in atriis Domus Dei noſtri florebunt.* Votis & deſideriis regii Prophetæ hodie abundè factum eſt ſatis. Virgo, quæ templum ingreditur, eſt oliva ſpecioſa, eſt abundans & fœcunda vitis, eſt exaltata palma, eſt excelſa cedrus in Domo Domini, in atriis Dei noſtri. Proinde, ſi quis harum arborum vel umbras quærit, ſub quibus ſuaviter quieſcat; vel fructus, quibus ſe lautè reficiat; huc, huc ad Jeroſolymi-

§. 3. *Sic templum fuit ornatum arboribus.*

Digitized by Google

roſolymitarum templum ſe ſe recipiat; hic Cedrum inveniet excelſam, cum Mariæ Virgunculæ magnitudinem ſpectaverit. Hic, hic, palmam inveniet exaltatam, cum eminentem Mariæ dignitatem advertit: hic, hic olivam inveniet ſpecioſam, cum in Mariæ fronte deſcriptam legerit cum ſuavitate clementiam: hic, hic vitem inveniet abundantem; cum in dulciſſimo Mariæ ſinu cœleſtium gratiarum propaginem obſervârit.

§. 4. *Alia Virginis figura fuit Eſther.* Præclaram hodierni feſti figuram & umbram habemus in Eſthere, quæ elegantiſſimis ornata veſtibus, ſplendida gemmis, cum magnâ pompâ inducta eſt in palatium & aulam Regis Aſſueri. Cogitate, vos ſpectare puellam Hebræam regiis oculis repræſentari, tantâ præditam pulchritudine, ut dicat ſacer textus cap. 2. v. 17. *Adamavit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam cum eo plus quam omnes mulieres.* v. 15. *Erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur.* Talis Eſther ingreſſa eſt aulam Aſſueri. Verùm formoſior longè hodie deducitur in templum Salomonis; quæ illa? adeo gratioſa, ut ipſa glorietur, *Cùm eſſem parvula, placui Altiſſimo.* Patri ut filia, Filio ut mater, Spiritui S. ut ſponſa. Hanc virgunculam ſanctiſſima Trinitas adamavit plus quam omnes mulieres; de illâ dicere jure poſſumus; habuit gratiam & miſericordiam cum eo, plus quam omnes mulieres. Nec mirum, etiam trimulæ eximiæ erat formæ, & incredibilis ejus pulchritudo omnium rapuit oculos, omnium ſibi amores vendicavit. Verè Virgo admirabilis, Virgo amabilis, & mater pulchræ dilectionis.

§. 5. *Alia figura ex Deuter.* Deuteronomii cap. 21. v. 10. à Deo lex militaris promulgatur in hunc ſenſum: *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tuâ, captivoſque duxeris; & videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam; volueriſque habere uxorem; introduces eam in domum tuam.* Hoſtis pulcherrimæ Virginis fuit infernalis ſerpens, qui peſtifero peccati originalis halitu afflare conatus eſt calcaneum ejus, ut reliquos omnes Adæ poſteros; ſic & hanc Virginem dominio ſuo, ſeu potius tyrannidi ſubjicere tentavit, ſed impedivit cœleſtis ſponſus, qui contrivit caput ſerpentis. Hoc ſponſo, veluti forti protectore

Digitized by Google

ctore uſa, captivitatem evaſit: & quia ſimul eximiâ pulchritudine fuit donata, Rex Regum ejus captus amore, Matrem ſibi delegit & Sponſam, quem in finem Spiritus S. eam hodie introducit in templum, veluti domum ſuam, ut ibi in atriis domus Domini habitaret, atque adeo impleretur illud Pſ. 44. v. 10. *Aſtitit Regina à dexteris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Vertunt Septuaginta apud S. Hier. *faſciis aureis veſtita eſt, in ſcutulatis, ducatur ad Regem.* Ducatur ad templum, ad aulam Regis, tanquam Eſther ad admirationem, pulchra, tanquam Eſther ad ſuavitatẽ amabilis. Quem utrumque titulum pulchris verbis connectit Hugo Ser. 46. *Quacunque in ſcripturis, quacunque in creaturis ſunt amabilia, quacunque ſuavia, quacunque dulcia, quacunque pulchra, quacunque redolentia, quacunq; jucunda, quacunq; pretioſa, quacunque ſunt laudabilia, Mariæ laudibus conveniunt.* Sunt qui diligunt ſuavia; nihil ſuavius Maria! diligite Mariam: Cant. 6. v. 3. *Pulchra es amica mea, ſuavis & decora.* Sunt qui quærunt dulcia! nihil dulcius Maria! diligite Mariam! Salve vita, dulcedo! ſalve O dulcis Virgo Maria. S. Petrus Dam. Ser. de Annunt. *Hæc eſt, quæ veſtris affectibus ſuaviter indulceſcit, quia magna multitudo dulcedinis ejus.* Sunt qui concupiſcunt pulchra: nihil illa pulchrius! Cant. 4. v. 7. *Tota pulchra eſt.* Concupiſcite Mariam. Sunt qui deſiderant opes! hâc Virgine nihil ditius! Prov. 31. v. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Hæc ſuavis, hæc dulcis, hæc dives, hæc formoſa Eſther hodie inducitur, & includitur in domum & aulam æterni Regis.

Joſue 17. v. 3. dicitur, Salphaad non fuiſſe filios, ſed ſolas filias, quarum iſta fuerunt nomina; *Maala, Noa, Hegla, Melcha, Therſa; veneruntque in conſpectum Eleazeri ſacerdotis, & Joſue, filij Num, & Principum dicentes; Dominus præcepit per manum Moyſi, ut daretur nobis poſſeſſio in medio fratrum noſtrorum; deditque eis juxtà imperium Domini poſſeſſionem in medio fratrum Patris eorum*; id eſt, quinque his filiabus à ſummo ſacerdote aſſignata eſt nobilis poſſeſſio & hæreditas. Quod ſi ſignificationem nominum examinare placuerit, pulchras eruemus cauſas, ob quas Spiritus ſanctus trimulam Virginem hodiernâ luce ad templum deduci voluerit. Maala, ſignificat concentum, harmoniam, cytharam, &c. Noa idem eſt,

§. 6. *Alia cauſæ, ob quas Virgo trimula deducta fuit ad templũ.*

quod movens & commota, cùm greſſus quadam elegantiâ; ſive puella, quæ eleganter incedit. Hegla ſignificat pulchritudinem, feſtivitatem, ſive Virginem pulchram. Melcha, idem eſt quod Regina, ſed ſapiens, prudens, conſiliatrix. Therſa dicitur à complacentiâ, voluptate, ſuavitate, ſive Virgo, quæ ſuavis eſt, omnium oculis complacens. Ob has dotes omnibus debita fuit nobilis poſſeſſio & hæreditas, ſive locus in quo habitarent. Omnes hæ filiæ fuerunt tantùm umbra B. Virginis; Hæc eſt Maala, ſive, concentrix tam ſuavis, ut Sponſus dixerit, Cant. 2. v. 14. *Vox tua dulcis, ſonet in auribus meis*. Hodie ingreditur templum, ut immolet DEO ſacrificia laudis, & victimas gratiarum, in voce & cytharis beneſonantibus. Templum ingreditur veluti Noa; inceſſu tantæ majeſtatis & gratiæ, ut ſtupentes accinant Angeli, *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis*. Et: *quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*, &c. Si vultis, trimulam Virginem vocate Heglam, quia tota eſt pulchra. Vocate Melcham; quia eſt Regina prudentiſſima, Mater, ſedes ſapientiæ; Vocate Therſam, quia tota ſuavis eſt, & omnium oculis gratioſa. Hæc Maala, hæc Noa, hæc Hegla; hæc Melcha, hæc Therſa hodie venit ad templum, petitque à ſacerdotibus promiſſam & conſtitutam ſibi à Domino hæreditatem in medio domus Domini. Eccleſiaſtici cap 24.11. *In omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor*. Neque negarunt Sacerdotes; ſed per templi gradus deduxerunt ad ſancta ſanctorum, accinente intus cœleſti Pſaltria verſum 15. cit. cap. *Et ſic in Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea, & radicavi in populo meo honorificato, & in parte Dei hæreditas mea*. Sic impleta fuit promiſſio Noëmi ad Ruth cap. 3. v. 1 *filia mea, quæram tibi requiem, & providebo ut bene ſit tibi*. Pari ratione, trimula Virgo, ut filia æterni Patris ducitur ad templum, ad requiem, & ibi optatâ fruatur felicitate. Ah, quis mente poterit comprehendere, quis verbis exprimere, quàm illi inter hæc cœli gaudia; in loco illo ſanctiſſime, in ſanctis ſanctorum fuerit bene! quàm illi bene! in cœleſti cum Angelis converſatione! quàm illi bene in divinis laudibus! quàm illi bene, in divinæ legis, & arcanorum myſteriorum contemplatione!

Impletæ

Impletæ ſunt & aliæ figuræ. Exodi 40. v. 31. *poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini implevit illud.* Alibi oſtendo, qualis nubes fuerit & ſit B. Virgo, quæ hodie obumbravit templum, modò premo illud, *Gloria Domini implevit templum* & utor verſu 21. cap. 26. Eccleſiaſtici. *Sicut Sol oriens mundo, in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ejus.* Nota ſunt, quæ ſapientiſſimus Salomon, nobilis architectus ad elegantiam templi ſui excogitarit, elaborarit; in portis, in feneſtris, in columnis, in parietibus, in fornicibus, &c. ex auro, argento, gemmis, lignis pretioſis. Sed hactenus templo defuit exoriens ſol! ſive ſpecies bonæ mulieris! Hodie, hic ſol! ſive trimula Virgo inſtar ſolis templum ingreditur, & cùm illâ gloria Domini. Eja ſacerdotes lætis vocibus accinite, *ſuſcepimus DEus miſericordiam tuam in medio templi tui.*

Adeſt denique, ſive templum ingreditur, ut ibi apud Patrem miſericordiarum, pro nobis interpellet Patrem miſericordiarum. Et quod olim fecit in templo Salomonis, idem hodie præſtat in templo gloriæ. Regina miſericordiæ, quod divinæ pietatis abyſſum cui vult, & quando vult, ac quomodo vult, credatur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat. Et poteſt, & vult. Poteſt, quia Domina; vult quia mater; poteſt, quia Regina vult, quia advocata. Poteſt, quia Mater DEI! vult, quia Mater noſtra. Agedum igitur peccatores, ad Mariam, ad Matrem, ad Dominam ac Reginam veſtram currite ſupplices; & conſiderate, quos dixi titulos; Maria! mater admirabilis; Maria mater amabilis! Et fieri poterit, ut in ejusdem amoribus ſimus tepediores? ut in ejusdem cultu deſides ac negligentes? Aliud vobis Auditores, mihi ſpondeo; quæ de B. Virgine dixi, quod ſit aurea menſa propoſitionis, quod oliva ſpecioſa, &c. quod amabilis Eſther, quod Advocata noſtra & mater miſericordiæ; hinc in vobis excitabunt magnam admirationem, ut exclametis: O mater admirabilis! Inde ſuavem ſine dubio in cordibus veſtris erga eandem Virginem conciliabunt benevolentiam, ut dicatis; O Virgo amabilis! O mater pulchræ dilectionis, O clemens, O pia, O dulcis Virgo, intercede pro nobis, Domina noſtra, Advocata noſtra, Mediatrix noſtra, Patrona noſtra, dulciſſima denique Mater noſtra Maria!

§. 8. *Qualis denique ſive quare templum ingrediatur.*

CONCIO LXXXIX.

FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.

Matth. 4. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit tria elogia S. Andreæ; quod ardenter amaverit Crucem; quod in illâ perſeveraverit uſque ad mortem; quod SS. crux illi fuerit aurea clavis Paradiſi.

§. 1. *Encomium SS. Petri & Andreæ, ex S. Petro Dam.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *I. S. Andreas amavit Crucem; exultavit in Cruce.*

§. 4. *Laurentij Juſtiniani verba pathetica.*

§. 5. *II. S. Andreas perſeveravit in Cruce; mortuus eſt in Cruce.*

§. 6. *Oratio S. Andreæ in Cruce.*

§. 7. *Comparatur generoſo juveni, qui ſtans voluit mori.*

§. 8. *Crux confertur arbori, quam amare, & in quâ mori debemus.*

§. 9. *Dulcis invitatio ad arborem Crucis.*

§. 10. *Proſecutio.*

§. 11. *Crux Clavis Paradiſi.*

§. 12. *Digreſſio ad varios afflictos, cum ſolatio, quod DEus cum Cruce, clavim cœli illis offerat.*

§. 13. *Epilogus ex verbis S. Bernardi, & S. Auguſtini.*

§. 1. *Encomium SS. Petri & Andreæ ex B. Petro Damiano.*

DE SS. Petro & Andreâ, quibus curæ fuit Magiſtri ſui veſtigiis ad mortem uſque Crucis inſiſtere, eleganter ait S. Petrus Damianus. Ser. 1. *O beata germanitas, quàm ſicut mundo una conſanguinitas edidit, ſic eadem triumphalis mors victores ad aſtra transmiſit; & quos in hac vita unius gratiæ protulit natura conſortes, in illam beatitudinem ſempiternam Crux parturivit æquales.* Et paulò poſt: *ejuſdẽ nobilitatis in terra, ejuſdem proſapiæ celſitudinem ſortiuntur in cœlo. Qui enim hic ſunt filij Joannis, illic ſunt filij Crucis.*

Iſti

Iſti ſunt filii Core, qui in quorundam Pſalmorum titulis prænotantur. *Crux enim, quæ eos morientes huic vitæ ſubtraxit, cœleſti Jeruſalem renaſcentes cum triumphali gloriâ novos cives invexit.* De S. Andrea ait S. Chryſol. h. 133. *Sequitur Andreas moriendo Dominum, æſtuans & anhelans, ac toto virtutis gradu Dominicis incumbit hærere veſtigiis crucem ardenter invaſit, ut inde conſcenderet cœlum, inde præmium ſumeret & coronam. Arborem aſcendit, ut qui Chriſto compati geſtiebat, in ſemetipſo figuram, formamque exprimeret paſſionis, & redemptus ligno, ligno conſummaretur ad palmam.* Ex his SS. Patribus aliquot eruo elogia S. Andreæ, v. g. S. Andreas ardenter amavit crucem, fuit filius crucis, exultavit in cruce per crucem cœleſtem gloriam obtinuit, &c.

§ 2. Quomodo crucis amatores nos eſſe oporteat. Propoſitio.

Pariter & nos exemplo S. Andreæ ardenti debemus amore crucem complecti, ut ſimus filii crucis, ut per crucem apprehendamus bravium gloriæ. Alterum eſt, S. Andreas pro Chriſto mortuus eſt in cruce, amator crucis. Pari ratione oportet nos eſſe amatores crucis, ut in ejus brachiis aliquandò moriamur. *Tertio*, cruce veluti aureâ clavi Andreas cœlum aperuit, eâdem clavi & nos uti oportet. Hæc tria ſunt, quæ latiùs exponam puncta; vos interim animis adeſte benevoli.

Primum punctum. S. Andreas amavit crucem, exultavit in cruce.

De gaudio S. Andreæ in cruce ait S. Bernardus ſer. 2. *Videns paratam ſibi crucem non contremuit* Andreæ corpus, nec mens turbata eſt, non receſſit, ut aſſolet intellectus. *Ex abundantia cordis os locutum eſt: O crux diu deſiderata! ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans recipias me diſcipulum ejus, qui pependit in te, quia amator tuus ſemper fui.* S. Bern. ſer. 1. *Quid ſibi vult hoc? & unde tam nova in Andreâ lætitia? ergo certè crux pretioſa eſt! & crux amari poteſt, & crux habet exultationem. Si fuerit qui colligat, ſemper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem!*

§. 4. Laurentii Juſtiniani verba Patheticas

Cant. 8. v. 6. dicitur de dilectione ſponſæ: *Fortis ut mors dilectio, dura ſicut infernus tribulatio. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Laurentius Juſtinianus ſer. de S. Andrea. *In Andrea hanc veridicam reperimus eſſe ſententiam. facibus charitatis Andreas accenſus, nunquid ſacrilegi judicis manus expavit? an fortè crucis recuſavit*

ſubire ſupplicium, magnanimitatem hujus fortiſſimi Ducis, imperterritam mentem, paſſionis deſiderium ex ſermonibus ejus attende. O bona crux diu deſiderata! lætus ibat ad crucem, ad illam aſcendit intrepidus, de quâ tanquam ſpirituali cathedrâ prędicabat populo, rogabatq; illos ſuum ne vellent impedire martyrium, proximus erat cœlo, & æternæ vitæ deguſtabat delicias. O felix anima, quam Dei compleverat charitas, irradiaverat fides, immortalitatisque erigebat fiducia! S. Bern. ſer. 1. *Deſiderabat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ſed in cruce, quam ſemper amaverat, & deſiderium animæ ejus tribuit ei Dominus, dum in cruce vitam poſuit.* Ut bene dixerit Laur. Juſtin. ſer. 2. de Andrea. *Longè excellentius docuit exemplo, quàm verbo, qualis debeat eſſe Chriſtianus*, præcipuè in cruce & tribulatione! & iterum - Andreæ ſectemini veſtigia, - qui Chriſto ſic adhæſit ex corde, ut nullo penitus eventu ab eodem poſſet dimoveri. In præceptoris amore indies creſcebat. S. Andreas animo imperterrito amplexus eſt crucem! Tales, tales vos eſſe oportet Auditores mei. Vivat in nobis Andreæ ſpiritus, hoc eſt, ſpiritus crucis; amplexus eſt Andreas crucem? ampleƈtamur & nos. Quæſivit ſuum in cruce ſolatium Andreas: quæramus & nos. Gaviſus eſt ad conſpectum crucis Andreas? gaudeamus & nos ſimus Andreæ, id eſt, viriles, robuſti, fortes: non nos deterreat crucis pondus, ſed alliciat.

§. 5. Secundum Punctum. S. Andreas perſeveravit in cruce, in cruce mortuus eſt.

II. S. Andreas perſeveravit in cruce uſque in mortem (pergit Laur. Juſtinianus) *Hinc ſervando fidem, vitæ ſuæ curſum feliciter conſummavit, non in molli ſtrato, nec in corporis deliciis, ſed conſtitutus in ſtipite.* Generoſus diſcipulus cœleſtem eſt imitatus magiſtrum. Parem ignominioſæ crucis, ut ille pertulit pœnam, *& tanquam athleta fortiſſimus in certaminis occubuit ſtadio.* Chriſto pendenti in cruce dixerunt Phariſæi, *Deſcendat de cruce, ſi Filius Dei eſt*; Sed quia Filius Dei fuit, non deſcendit, ſed in cruce pro nobis vitam dedit. Inhæſit veſtigiis ſui magiſtri Andreas: nam cum conſentiente Rege populus eum deponere de cruce intenderet, id tamen reipsâ præſtare non potuit, ſiquidem ſtupefacta repente illorum ſunt brachia, orante ipſo Apoſtolo Dominum, ne ſe vivum

deponi

deponi de cruce permitteret, quoad tandem fulgore cœleſti ferè unâ deſuper circumfulſus horâ cum ipſo lumine aſcendente emiſit ſpiritum. Audiamus hâc ſuper re S. Antonium: *Apparente ſplendore nimio circa eum - Domino ſpiritum reddidit.* Generoſius & ſuavius mori non potuit, quàm in cruce.

Sed ecce ipſam orantis Apoſtoli vocem! *Ne me permittas Domine Jeſu Chriſte famulum tuum, qui propter nomen tuum pependit in cruce, ſolvi, & ab agea humiliari, ſed ſuſcipe me tu magiſter, mi Chriſte, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem videre deſidero. Suſcipe me Domine Jeſu Chriſte, & jube me de iſta cruce non deponi, niſi prius ſpiritum meum ſuſceperis.* De his verbis S. Andreæ pulchrè S. Bernard. *Charitas, quæ fervebat in corde, quaſi ſcintillas quasdam ardentiſſimas emittebat in voce.* §. 6. *Oratio S. Andreæ in cruce.*

Deprædicat Quintus Curtius conſtantiam juvenis vel militis Macedonis, qui cum Alexandro Magno nobiliſſimam de hoſte obtinuit victoriam; Sed cum tandem præ nimiâ depreſſus fatigatione in terram ſubſidere inciperet, arborem quandam manibus apprehendit, ut illâ ſe ſuſtentaret, ut ſaltem ſtans animam ageret. Hoc ubi vidit Alexander, accurrit, mox regiis juvenem brachiis amplectitur, inter quæ generoſum ille ſpiritum exhalavit. Talis heros fuit ſanctus Andreas, tali fato in glorioſiſſimâ pugnâ deceſſit. Apprehendit ipſe brachia crucis velut arboris; nec dubito, quin vice versâ ipſum amplexus ſit Rex Regum, inter cujus brachia ſuaviſſimè emiſit ſpiritum. Sanctus Chryſoſt. in c. 14. Matth. hom. 15. *Cruce, mors in ſomnum redacta eſt.* Nimirum ſuo nos ipſe voluit exemplo docere, quomodo in cruce nobis vivendum, quomodo in eâdem ſit moriendum. Complectamur nos Crucifixum, & complectetur nos ille. Andream conſolata eſt crux, & dulciſſimus crucis fructus JEſus: viciſſim & crucem & Crucifixum amplexatus eſt Andreas. Reciprocus hic fuit animus: ANDREAS diligit crucem, crux ANDREAM. Quiſquis delicias cupit deguſtare cœleſtes, ANDREAM imitetur, & ex arbore crucis primum eundemque dulciſſimum vitæ fructum decerpat. §. 7. *Comparatur generoſo juveni, qui ſtans mori voluit.*

Teſte

Digitized by Google

§. 8. Crux confertur arbori, quam amare, & in qua mori debemus.

Teſte Plinio, tempore Criſpi Conſulis, in amœniſſimo colle Tuſculi pulcherrima fuit arbor plantata, dicata Dianæ. Hæc arbor ita rapuit & oculos & animum Conſulis, ut in ejus rueret amplexus, ut oſcula figeret; ut multas horas ſub ejus umbrâ conſumeret, quin integras ſæpe noctes ſub illâ quieſceret, ſæpiusque illam non aquâ, ſed præſtantiſſimo vino irrigaret. In meditatione bajulationis crucis, Caſſianus his verbis Chriſtum Dominum ſub onere crucis fuit allocutus; *Dominus meus & Deus meus, quo tendis cum hoc crucis pondere? nunquid plantabis hanc arborem, ut frondeat? ſed radices vix aget, quis rigabit? nimis arida eſt, & tu in rupem duceris.* Reſpondet Chriſtus; *Ego plantabo*, etiam in rupe, in monte Calvariæ, tam profundas aget radices, ut inferi ſint ſenſuri. Ego ſanguine meo rigabo, & creſcet arbor pulcherrima. Hanc arborem in amœniſſimo colle montis Calvariæ ipſe Filius Dei adeò adamavit, ut illam veluti ſponſam fuerit amplexatus. In illâ arbore & vivere & mori placuit, hæc arbor floridus fuit ille lectulus, in quo mortuus eſt, ſub illius umbrâ recubuit & quievit in meridie amoris, cum ureretur radiis ardentiſſimæ charitatis. O nobilis arbor! O arbor eximia! *Inter omnes arbor una nobilis, nulla ſylva, nullus hortus talem profert, fronde, flore, germine.* Ideò non miror, quod S. Andreas arborem crucis adeò adamârit, hâc arbore quæſivit folia & frondes, ad quem alium finem, quàm ad texendam coronam gloriæ? In hac arbore quæſivit flores lætitiæ, in hac arbore quæſivit fructus cœleſtis dulcedinis, hæc arbor fuit illi ſponſa, quam verbis amore ſuaviſſimo conditis fuit allocutus, O crux diu deſiderata, &c.

§. 9. Dulcis invitatio ad arborem crucis.

Eja animæ piæ, ad collem myrrhæ, ad pulcherrimam palmam, vos veluti ſponſas, invitat cœleſtis ſponſus, ut hanc arborem cum ſancto Andreâ amplectamini, hoc facite, ruite in amplexus, ſtringite; nec dimitte, donec in cruce inter cœleſtes delicias ſpiritum veſtrum in manus cœleſtis ſponſi conſignetis. Sed inquis, fortaſſis nullas ego in cruce delicias reperio? nullos in eâ video fructus dulces gutturi meo. Quomodo mi homo? Ergonè arida tibi ſit arbor crux? Si arida, cur non in tempore liquorem affundis? an aquæ deſunt? eja roſeum affunde liquorem, ſanguinem inquam pretioſum ex ipſâ cruce largitur irroratâ deciduum. At, quid ſi cor tuum

rupes

Digitized by Google

rupes eſt? ecquis in rupe arborem prudens plantabit agricola? Confide, & ſaxa, & rupes, & petræ purpureo conſperſa liquore in mollem mutantur glebam, Cor tuum è ſaxo mutabitur in terram.

§. 10. *Proſecutio.*

Donec hoc fiat, ſaltem ſub umbrâ illius conquieſcite, O qualis umbra! quàm ſuavis! quàm dulcis! *nam* (S. Ambroſius in Pſalmum 118.) *manus ſuas expandit JEſus* (in Cruce) *ut totum mundum obumbraret, quomodo non ſumus in umbrâ, quos Crucifixus* (ſcapulis ſuis cruci affixis) *defendit; quomodo non ſumus in umbrâ, qui Crucis tegimur velamento.* Piè Hugo Card. in illa verba Pſ. 56. in umbrâ alarum, &c. *Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt, id eſt, in protectionem quam facis in alis tuis, id eſt, in brachiis tuis in Cruce extenſis.* Sub his alis, ſub hâc umbrâ S. Andreas in Cruce ſuaviſſimè expiravit. Eja animæ piæ, exemplo S. Andreæ amate Crucem, ad Chriſti brachia confugite, ut aliquando in agone hæ alæ vos protegant. Hujus arboris umbram quærite, & fiet, quod prædixit Oſeas c. 14. v. 8. *Convertentur ſedentes in umbrâ ejus, vivent tritico* (id eſt, fruentur deliciis cœli) *& germinabunt quaſi vinea.* Sed pedem revoco, prolixior fui ac ipſe conſtitueram, quid mirum? abripuit me cœleſtis arboris amœnitas, dulcior fuit illius umbra, quàm ut citius ab illâ diſcederem. Nunc age tertium aggrediamur punctum, quod eſt ejuſmodi.

§. 11. *Crux Clavis paradiſi. Eleganter S. Chryſoſt.*

Crux ſancto Andreæ fuit clavis paradaſi, ita elegantibus verbis Chryſoſtomus hom. ſuper cap. 9. Lucæ Tom. 2. *Crux Chriſti clavis eſt paradiſi; Crux enim Chriſti aperuit paradiſum, atque adeò inter Crucem & paradiſum nullum medium eſt. Crux & ſtatim paradiſus.* Ideò Chriſtus Dominus in Cruce ait ad latronem, *Hodie mecum eris in paradiſo*, quaſi diceret, jam jam aperio, jam jam expando manus, & clavem apprehendo, ut illas portas, quæ tam diu occluſæ fuerunt, aperiam.

§. 12. *Digreſſio ad varios afflictos cum ſolatio, quod DEum cum Cruce clavem cœli illis offerat.*

Ite nunc afflicti mortales, & neſcio quas contra DEum querulas voces effundite, ſiqua vos adverſitas inviſit; Nimirum hoc eſt beneficiis reddere malefacta; hoc eſt ingrati in DEUM animi notam incurrere. Ecquid ingemiſcitis vos infirmi? valetudo veſtra afflicta, aurea eſt cœli clavis. Quid vos obmurmuratis

impatientius, quibus contingit laceſſiri contumeliis, probris, injuriis? Hæ veræ ſunt Crucis particulæ! Et Crux cœli clavis eſt: gaudete: amoris & honoris ſignum eſt ſic honorari à Numine. Dic mihi quisquis hæc legis, vel auribus excipis, annon magno afficeret te honore Rex, aut Cæſar, ſi in ſuæ erga te benevolentiæ argumentum auream tibi clavim offerret? En hoc ipſum Rex cœli præſtat; quid murmuras? quid obſtrepis? quid ægro fers animo divinæ ſortis munera?

§. 13. *Epilogus ex Verbis D. Bernardi & D. Auguſtini.*

Finem dicendi faciant verba S. Bernardi Ser. 1. in die Paſchæ: *Non ceſſemus tollere Crucem noſtram perſeverantes in ea, ſicut Chriſtus perſeveravit: neminem audiamus deſcenſum à cruce ſuadentem: perſiſtamus in cruce, moriamur in Cruce.* Et S. Auguſt. Ser. 86. de diverſis. *In hac cruce per totam iſtam vitam debet pendere Chriſtianus, non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos.* Præclarè uterque; hic Hipponenſium, ille Clarevallenſium Præſul! nec habeo quod adjungam: *Non ceſſemus tollere crucem noſtram*; (qui ceſſat, nauſeat) *perſeverantes in ea*, (qui non perſeverat, non amat) *neminem audiamus deſcenſum à Cruce ſuadentem* (quisquis hoc ſuadet, invidit.) *perſiſtamus in Cruce*, (Et perſiſtemus in gratiâ.) (*moriamur in Cruce*,) Et vivemus in luce.

AMEN.

CON-

CONCIO XC.

FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Hodie ſalus huic domui facta eſt.
Lucæ 19. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

1. QUâ devotione noſtri Majores celebraverint encœnia. 2. Miſcentur multa de encoeniis ſpiritualibus, celebrandis in cordibus noſtri, veluti templis DEI vivis.

§. 1. *Majores noſtri fuerunt ſollici ti, ut ædificarent & ornarent Eccleſias.*

§. 2. *Ille enim ornatus promovet devotionem.*

§. 3. *Majores noſtri in dedicationibus ſoliti fuerunt communicare.*

§. 4. *Invectiva in exceſſus, qui committuntur in encoeniis.*

§. 5. *Proſecutio.*

§. 6. *Qinque cæremoniæ dedicationis Eccleſiarum.* 1. *Aſperſio.*

§. 7. *Inſcriptio Crucis.*

§. 8. *Inunctio.*

§. 9. *Cerei accenſi.*

§. 10. *Preces.*

§. 11. *Chriſtum D. in domus noſtras inducere debemus.* 1. *Puritate.*

§. 12. *Deſiderio illum videndi.*

§. 13. *Humilitate.*

§. 14. *Deſerendo turbas.*

§. 15. *Aſcendendo Sycomorum.*

§. 1. *Majores noſtri fuerunt ſolliciti, ut ædificarent, & ornarent Eccleſias.*

IN laudem Majorum noſtrorum, qui auguſtum hoc S. Martini templum, Wormatiæ ædificarunt ante annos facile octingentos & ultra, ad honorem DEI exſtruxerunt, dicere mihi poſſe videor ex Eccleſiaſtico cap. 44. v. 6. *Homines divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes.* Quærunt Interpretes, de quâ pulchritudine ſit ſermo. Lyranus per illam intelligi legem divinam: quo ſenſu laudantur, quod omnem animi, corporiſq; conatum adhibuerint noſtri Majores, ut eſſent ſtrenui legis divinæ amatores. Alij, per pulchritudinem intelligunt virtutem; quo ſenſu laudantur,

rum vitulorumque millia obtulit in holocauſtum Euchariſticum: Quod Salomon fecit victimis cruentis, majores noſtri fecerunt olim, & pii Chriſtiani hodiedum faciunt, offerendo victimam illam incruentam, agnum immaculatum, qui olim in cruce cruento modo fuit immolatus. Uſitatiſſimus, præcipuè in Germania mos eſt, ut feſtis Dedicationum lautius habeantur corpora, ut epulæ celebrentur, ut inſtituantur convivia, & æquum non erit, ut prius pane cœleſti & Angelico reficiantur & recreentur animæ noſtræ, ut dici de quovis pòſſit: Hodie huic domui ſalus facta eſt, non tam materiali, ſed & illi, de quâ ait S. Paulus 1. Cor. 3. 16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis: templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* 2. Cor 6. 16. *Vos eſtis templum Dei vivi.* De his inquam templis nunquam melius dici poteſt, quod ſalus illi facta ſit, quàm cum Chriſtus Jeſus verâ ac reali præſentiâ corda noſtra divinus hoſpes ingreditur, ut cum ipſo, imò ipſum edamus & bibamus. S. Petr. Chryſolog. de Zach. *Quia ejus domū non intraverit Chriſtus, ille ad divinam non perveniet manſionē. Et cujus hic ad mensā non ſederit Chriſtus, ille cœleſtē non accumbet mensā.*

Et hoc quidem diligenter à noſtris fuit majoribus obſervatum; ſolenne illis fuit hoc dedicationis feſto Divinæ priusquàm humanæ menſæ accumbere; prius pane Angelorum, quàm hominum veſci, conſueverant. Sic illi ſua celebrabant encœnia, ut à Jeſu & cum Jeſu tantæ darent ſolennitati auſpicium. At quid nos poſteri? heu quam nunc alia ſunt Chriſtianorum encœnia; ubi priſca pietas? ubi devotio? fallarne ſi dixero, apud mortuos majores. Quid Cenſori à Senatu Romano ad Nolam Campaniæ urbem luſtrandam legato, contigerit, auctor eſt Matthæus Tympias. Nam, ut plura omittam alia, cum is hoſpiti apud quem diverterat in mandatis dediſſet, ut feſtinus abiret, omnesq; populi bonos huc ad ſe vocaret. Is ad ſepulchra mortuorū ſemel, iterum ac tertiò abiens, clarâ voce, *Heus* inquit, *boni viri venite mecum; vocat enim vos Cenſor Romanus.* Quod cum denique coram ipſo Cenſore feciſſet, ille excandeſcens, *Quid agis*, ait, *Ego te vivos vocatum miſi, tu verò mortuos vocas.* Cui hoſpes, *Si prudens es Cenſor Romane, haud mirum videbitur, quod feci, omnes quippe boni viri hujus regionis jam olim ſunt mortui, & in his monumentis ſepulti.* Fallarnè Auditores, ſi id hodie in rem meam

§. 4. *Invectiva in exceſſus, qui committuntur in encœniis.*

do velut opportuniſſimo tempore vacent libidini. Et tamen quantus eſt paſſim illorum numerus; heu! quam pauci propter Chriſtum, quàm multi propter Lazarum, vel potius propter Magdalenam (at non illam ſanctam & pœnitentem) ſive petulantem aliquam puellam, quam pauci propter animam, animæque ſalutem, quàm multi propter corpus, fluxasque corporis voluptates, encœnia exſpectant, adeunt, celebrant.

II. Pontifex in dedicatione parietibus inſcribit cruces. Facit hoc inviſibiliter Chriſtus in nobis, cum digito ſuæ omnipotentiæ ſcribit legem ſuam, non in lapide, ſed in tabulis cordis carnalibus; Propheticam adimplens promiſſionem, quâ ſe pollicitus eſt ablaturum cor lapideum & carneum in ejus vicem daturum; id eſt, non durum, non obſtinatum, non Judaicum, ſed pium, ſed manſuetum, ſed tractabile, ſed devotum. *Beatus quem tu erudieris Domine, ac de lege tua docueris eum.* Pſ. 93. v. 12. Beati inquam, qui docti & memores ſunt mandatorum ejus, ſed ad faciendum ea. Itaque hæc cæremonia nos inſtruit, ut diebus dedicationum audiamus Verbum Dei, ut ſtatuamus cuſtodire mandata ejus; Itaque in cordibus noſtris ſanctiſſimam crucem, ſive arborem vitæ plantemus & erigamus. §. 7. *Inſcriptio crucis.*

III. Pontifex muros & lapides inungit oleo. Et quid illa denotat unctio, niſi illum, qui ab Eccleſiâ in celebri illo hymno vocatur ſpiritualis unctio, Spiritum ſanctum? Muri autem & lapides ſunt dura illa, & adverſa, quæ nos premunt, & tantum non opprimunt: Eſt itaque perneceſſaria, eſt utilis unctio S. Spiritus: perneceſſaria, quia ſine illâ nulla fit cordium noſtrorum innovatio, ſine me nihil poteſtis facere. Perutilis, quia quod durum eſt, emollit, quod aſperum eſt mitigat, quod deforme eſt, cohoneſtat. §. 8. *Inunctio.*

IV. Pontifex accendit luminaria. Et Chriſtus D. lucernam divini amoris, ut luceat lux noſtra coram hominibus, ut videant opera bona, & glorificent Patrem noſtrum qui in cœlis eſt. Hoc eſt ſanctè celebrare dedicationes. §. 9. *Cerei accenſi.*

V. Multa ſunt, quæ Pontifex à DEO ſupplex efflagitat, & multæ ſunt, quas populo precatur gratias, favores ac benedictiones cœleſtes. An non idem magnus ille noſter Pontifex facit? an §. 10. *Preces.*

non

Digitized by Google

non rogat Patrem ſuum Divinum? an non eidem in ſignum pacis & fœderis ſua exhibet vulnera ſacroſancta? & quas non gratias impetrat? quæ munera, quos favores? Certum eſt, tali Filio talis Pater non denegat quicquam. Certum eſt, quidquid Dei Filius à Patre ſuo, vel hactenus petiit, vel petet impoſterum, uti ſemper obtinuit, ita & obtinebit. Petamus ergo, oremus, inſtemus magnâ cum fiduciâ, ut & cordium noſtrorum templa ſuis velit gratiis donare, ſuis favoribus proſequi, ſuis benedictionibus cumulare. Atque hi ſunt fere illi modi moreſque, quos in celebrandis encœniis Majores noſtri, tanto ſtudio obſervarunt. Atque utinam obſervaremus & nos. Sic enim ſanctæ, ſic felices, ſic Deo & Superis acceptæ; ſic nobis magis proficuæ forent annuæ dedicationum, encœniorumque feſtivitates.

§. 11. *Chriſtum D. in domus noſtras inducere debemus.* *1. Puritate.*

Denique illa erit ſancta dedicatio, ſi Chriſtum inducamus in ædes noſtras, faciamuſque, ut maneat nobiſcum; & quidem illis modis vel virtutibus, quibus Zachæus ad ſe Chriſtum pertraxit. 1. Puritate; Zachæus enim idem ſonat, quod purus & juſtificatus. Domus enim pudici pectoris, templum repente fit Dei, ut canit Eccleſia. Matth 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Pſ. 21. v. 4 *Tu autem in Sancto habitas.* Pſ 92. v. 5. *Domum tuam decet ſanctitudo.* D. Greg. hom. 30. in Evang. *Tergat ergo ſordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis.*

§. 12. *Deſiderio illum videndi.*

2. Deſiderio videndi Jeſum. *Et cupiebat Zachæus videre Jeſum, quis eſſet.* Hoc ejus erat deſiderium, hic animus. Cupiebat videre Jeſum. Non ille arborem conſcendit, ut Phariſæos & Scribas, non ut confertæ turbæ multitudinem; ſed ut Jeſum videret. Age verò mi Zachæe, quid eſt, quod te præ reliquis ad Jeſum videndum impellit? an fama, quæ de eo paſſim volat per urbes & vicos? an veſtium ſplendor? an viri dignitas? an oris vultuſque majeſtas? Reſpondet Evangeliſta: *cupiebat videre Jeſum, quis eſſet.* En deſiderium Zachæi? avebat perſpicere quis, qualis & quantus eſſet ille Propheta; avebat oculos defigere in vultum ejus amabilem; avebat totam ejus corporis formam ad ſymmetriam penitus explorare.

Faciamus idem & nos Aud. cupiamus videre Jeſum, quis ſit? ardeamus hoc deſiderio, arborem hunc in finem quæramus & con-

ſcenda-

Digitized by Google

ſcendamus. Sed qualem arborem; arborem S. Crucis; enimverò ex hac optimè perfectiſſimeque, quis & qualis ſit JEſus ſpectabimus. Qualis eſt ergò? Eſt JEſus amabilis, patientiſſimus, obedientiſſimus, manſuetiſſimus. Qualis eſt? Eſt JEſus fortiſſimus. Qualis eſt? ditiſſimus, qualis eſt? ſpecioſiſſimus! &c. Sed ad Zachæum regredior.

Tertia Zachæi virtus erat humilitas. *Staturâ puſillus erat*, non corpore tantùm, ſed & animo puſillus. Nimirum hæc eſt virtus, quæ non allicit tantùm, ſed & trahit, & cogit, ad cordium noſtrorum domicilia Divinum hoſpitem. Super quem requieſcet Spiritus meus, ait DEus per Iſaiam, niſi ſuper humilem. §. 13. *Humilitati.*

4. Seceſſit à turbâ. Hoc perquam neceſſarium eſt. Turba impedit, quo minus videamus JEſum. Turba, à turbando dicta, bona turbat propoſita, turbat pietatem, turbat omnia. Ergo ſecedat à turbâ, qui JEſum quærit. §. 14. *Deſerendo turbas.*

5. Denique in Sycomorum aſcendit. Aſcendamus & nos; fatua quidem eſt arbor Crucis, Sycomorus eſt; *Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitia*; ſed piis eſt arbor vitæ, arbor gratiæ, arbor ſalutis. §. 15. *Aſcendendo Sycomorũ.*

FINIS.

Digitized by Google

INDEX THEMATUM.

In Dominicas ab Adventu uſque ad Pentecoſten.

THEMA.
Pro Dominica I. Adventus.
Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, Matth. 21. v. 5. p. 3

THEMA.
Dominica II. Adventus.
Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, Luc. 21. v. 25. 11

THEMA.
Dominica III. Adventus.
Cum audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti, Matth. 11. v. 2. 22

THEMA.
Dominica IV. Adventus.
Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, Joan. 1. v. 23. 33

THEMA.
Dominica Infra octavam Nativitatis Chriſti.
Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum, Luc. 2. v. 43. 43

THEMA.
Dominica I. poſt Epiphaniam.
Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Luc. 2. v. 49. 52

THEMA.
Dominica II. poſt Epiphaniam.
Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, Joan. 2. v. 1. 61

THEMA.
Dominica III. Poſt Epiphaniam.
Domine, ſi vis, poteſt me mundare, Matth. 8. v. 2. 72

THEMA.
Dominica IV. poſt Epiphaniam.
Factus eſt motus magnus in mari, Matth. 8. v. 24. 82

THEMA.
Dominica V. poſt Epiphaniam.
Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Matth. 13. v. 27. 91

THEMA.
Dominica Septuageſimæ.
Ite & vos in vineam meam, Matth. 20. v. 7. 104

THE-

Digitized by Google

THEMA.
Dominica Sexageſimæ.
Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, Luc. 8. v. 5. 108
THEMA.
Dominica Quinquageſimæ.
Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſumabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de filio hominis, Luc. 18. v. 11. 116
THEMA.
Pro Die Cinerum.
Memento homo quia pulvis es, &c. Gen. 3. v. 19. 124
THEMA.
Dominica I. Quadrageſimæ.
Cùm jejunaſſet quadraginta diebus & noctibus, Matth. 4 v. 2. 129
THEMA.
Dominica II. Quadrageſimæ.
Miſerere mei Domine, fili David, filia mea male à Dæmone vexatur, Matth. 15. v. 22. 140
THEMA.
Dominica III. Quadrageſimæ.
Erat JEſus eijciens Dæmonium, Luc. 11. v. 14. 150
THEMA.
Dominica IV. Quadrageſimæ.
Abiit JEſus trans mare. Joan. 6. v. 1. 160
THEMA.
Dominica Paſſionis.
Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. v. 46. 171
THEMA.
Dominica Palmarum.
Dicite filiæ Sion; ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21. v. 5. 181
THEMA.
Hiſtoria Paſſionis Domini noſtri JEſu Chriſti.
Clamans voce magna JEſus ait, Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, & hæc dicens expiravit, Luc. 23. v. 46. 191
THEMA.
Dominica Reſurrectionis.
JEſum quæritis Nazarenum Crucifixum, ſurrexit, non eſt hic, Marc. 16. v. 6. 223
THEMA.
Dominica in Albis.
Pax vobis. Joan. 20. v. 27. 235
THEMA.
Dominica II. poſt Paſcha.
Ego ſum Paſtor bonus, Joan. 10. v. 11. 241
THEMA.
Dominica III. poſt Paſcha.
Modicum & jam non videbitis me, Joan. 16. v. 16. 250
THEMA.
Dominica IV. Poſt Paſcha.
Quo vadis? Joan 16. v. 6. 259
THEMA.
Dominica V. poſt Paſcha.
Petite & accipietis, Jo. 16. v. 24. 266
THEMA.
Dominica VI. poſt Paſcha.
Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre meo, Joan 15. v. 26. 275

Digitized by Google

INDEX THEMATUM

In Dominicas à Pentecoſte uſque ad Adventum.

THEMA.
Dominica Pentecoſtes.
Paraclitus Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo. Joan. 14. v. 26. 287

THEMA.
Dominica SS. Trinitatis.
Quomodo poſſunt hæc fieri? Joan. 3. v. 10. 297

THEMA.
Dominica I. poſt SS. Trinitatem.
Epulabatur quotidie ſplendide. Luc. 16. v. 9. 306

THEMA.
Dominica II. poſt SS. Trinitatem.
Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14. v. 16. 316

THEMA.
Dominica III. Poſt SS. Trinit.
Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Luc. 15. v. 6. 324

THEMA.
Dominica IV. poſt SS. Trinit.
Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt. Luc. 16. v. 36. 334

THEMA.
Dominica V. poſt SS. Trinit.
Aſcendens in unam navim, quæ erat Simonis. Luc. 5. v. 3. 343

THEMA.
Dominica VI. poſt SS. Trinit.
Vade prius reconciliari fratri tuo. Matth. 5. v. 24. 352

THEMA.
Dominica VII. poſt SS. Trinit.
Miſereor ſuper turbam. Marc. 8. v. 2. 362

THEMA.
Dominica VIII. poſt SS. Trinit.
Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exſcindetur & ignem mittetur. Matth. 7. v. 19. 371

THEMA.
Dominica IX. poſt SS. Trinit.
Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16. v. 2. 380

THE-

Digitized by Google

THEMA.
Dominica X. poſt SS. Trinit.
Flevit ſuper illam, Luc. 19. verſ. 41. 389

THEMA.
Dominica XI. poſt SS. Trinit.
Qui ſe humiliat exaltabitur, Luc. 18. v. 14. 398

THEMA.
Dominica XII. poſt SS. Trinit.
Apprehendens eum de turba ſeorſum, Marc. 7. v. 33. 407

THEMA.
Dominica XIII. poſt SS. Trinit.
Diliges proximum tuum ſicut te ipſum, Luc. 10. v. 27. 415

THEMA.
Dominica XIV. poſt SS. Trinit.
Occurrerunt ei decem viri leproſi, Luc. 17. v. 12. 424

THEMA.
Dominica XV. poſt SS. Trinit.
Quærite primùm regnum Dei, Matth. 6. v. 33. 434

THEMA.
Dominica XVI. poſt SS. Trinit.
Ecce, defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, Luc. 7. v. 12. 442

THEMA.
Dominica XVII. poſt SS. Trinit.
Hydropicus erat ante illum, Luc. 14. v. 17. 452

THEMA.
Dominica XVIII. poſt SS. Trinit.
Quid vobis videtur de CHRISTO? Matth. 22. v. 42. 462

THEMA.
Dominica XIX. poſt SS. Trinit.
Confide fili, Matth. 9. v. 2. 470

THEMA.
Dominica XX. poſt SS. Trinit.
Ligatis manibus & pedibus projicite in tenebras exteriores, Matth. 22. v. 13. 479

THEMA.
Dominica XXI. poſt SS. Trinit.
Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus, Joan. 4. v. 49. 487

THEMA.
Dominica XXII. poſt SS. Trinit.
Sic faciet vobis Pater meus cœleſtis, ſi non remiſeritis unusquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris, Matth. 18. v. 35. 495

THEMA.
Dominica XXIII. poſt SS. Trinit.
Cujus eſt hæc imago & ſuperſcriptio? Matth. 22. v. 20. 505

THEMA.
Dominica ultima SS. Trinitatis.
Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto. Matth. 24. v. 15. 512

Digitized by Google

INDEX
THEMATUM,
In Feſta ab Adventu uſque ad Pentecoſten, in parte tertia & quarta.

THEMA.
Feſto S. Franciſci Xaverii, Indiarum Apoſtoli.
Quæſivit Dominus ſibi virum, juxta cor ſuum, Lib. 1. Reg. cap. 13. verſ. 14. 3

THEMA.
Feſto immaculatæ Conceptionis B. Virginis.
De qua natus eſt JEſus, qui vocatur Chriſtus, Matth. 1. v. 16. 13

THEMA.
Feſto S. Thomæ Apoſtoli.
Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, Joan. 21. v. 27. 23

THEMA.
Feſto Nativitatis Chriſti Domini.
Evangelizo vobis gaudium magnum, Luc. 2. v. 10. 31

THEMA.
Feſto S. Stephani Protomartyris.
Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio, Luc. 2. v. 12. 41

THEMA.
Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.
Diſcipulus ille, quem diligebat JEſus, Joan. 21. v. 21. 49

THEMA.
Feſto Circumciſionis D. N. Jeſu Chriſti.
Vocatum eſt nomen ejus JESUS, Luc. 2 v. 21. 58

THEMA.
Feſto trium Regum.
Obtulerunt ei aurum, thus & myrrham, Matth. 2. v. 11. 68

THEMA.
Feſto Purificationis B. M. Virginis.
Nunc dimittis ſervum tuum in pace, Luc. 2. v. 29. 76.

THEMA.
Feſto S. Matthiæ Apoſtoli.
Et invenietis requiem animabus veſtris, Matth. 11. v. 29. 86

THEMA.
Feſto S. Joſephi, Sponſi B. Virginis.

Sancte

Sancte Joſeph! ora pro nobis. 92

THEMA.

Feſto Annuntiationis B. Virginis.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, Luc. 1. v. 38. 97

THEMA.

Feria II. Paſchatis.

Surrexit, non eſt hic, Marc. 16. v. 6. 105

THEMA.

Feria III. Paſchatis.

Pax vobis, Joan. 20. v. 21 115

THEMA.

Feſto SS. Apoſtolor. Philippi & Jacobi.

Oſtende nobis Patrem, Joan. 14. v. 8. 123

THEMA.

Feſto Glorioſæ Aſcenſionis D.N. JEſu Chriſti.

Aſſumptus eſt in cælum, Marc. 16. v. 19. 133

INDEX THEMATUM,

In Feſta à Pentecoſte usque ad Adventum.

THEMA.

Feria II. Pentecoſtes.

Nolite contriſtare Spiritum ſanctum, ad Eph. 4. v. 30. 143

THEMA.

Feria III. Pentecoſtes.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, Joan. 10. v. 10. 150

THEMA.

Feſto Corporis Chriſti.

Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit, Joan. 6. v. 59. 157

THEMA.

Feſto Nativitatis Joannis Baptiſtæ.

In nativitate ejus multi gaudebunt, Luc. 1. v. 14. 165

THEMA.

Feſto Apoſtolorum SS. Petri & Pauli.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Matth. 16. v. 13. 174

THEMA.

Feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis.

Exurgens Maria - abiit in montana cum feſtinatione, Luc. 1. v. 39. 185

THEMA.

Feſto S. Mariæ Magdalenæ.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, Luc. 7. v. 37. 196

THEMA.

Feſto S. Jacobi Apoſtoli.

Poteſtis

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, Matth. 20. v. 22. 207

THEMA.

Feſto S. Ignatii, Fundatoris Soc. Jeſu.

Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua, Eccleſ. 44. v. 1. 217

THEMA.

Feſto S. Laurentii.

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, Joan. 12. v. 24. 229

THEMA.

Feſto Aſſumptionis B Virginis.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora, conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, Cant. 6. v. 9. 238

THEMA.

Feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.

Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus, Luc. 22. v. 28. 247

THEMA.

Feſto Nativitatis B. Virginis.

De qua natus eſt Jeſus; qui vocatur Chriſtus, Matth. 1. v. 16. 253

THEMA.

Feſto S. Matthæi Apoſtoli.

Et ſurgens ſecutus eſt eum, Matth. 9. v. 9. 261

THEMA.

Feſto S. Michaelis Archangeli.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt, Matth. 18. v. 10. 268

THEMA.

Feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, Joan. 15. v. 17. 277

THEMA.

Feſto omnium Sanctorum.

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa in cælis eſt, Matth. 5. v. 12. 283

THEMA.

In commemoratione fidelium animarum.

Salubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur, Lib. 1. Mac. cap. 12. v. 46. 291

THEMA.

Feſto Præſentationis B. Virginis.

Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti, Luc. 11. v. 27. 306

THEMA.

Feſto S. Martini Epiſcopi.

Sint lumbi veſtri præcincti, Luc. 12. v. 35. 279

THEMA.

Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum, Matthæi 4. verſ. 20. 312

THEMA.

Feſto Dedicationis Eccleſiæ.

Hodie ſalus huic domui facta eſt, Luc. 19. v. 9. 319

Digitized by Google